PETRO SCAVINI

THEOLOGIA

MORALIS UNIVERSA

TOMUS QUARTUS

BX1758
S3
1863
V.4
c.1

UTÓNOMA D
ENERAL DE BI



1080046427

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

241

BIBLIOTECA PUBLICA DE NUEVO LEON
MONTERREY

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA

TOMUS IV

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARISIIS. — EX TYPIS SIMONIS RAÇON ET SOCIORUM, VIA DICTA ERFURTH, 1.

# THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

## AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGUORIO

## PIO IX PONTIFICI MAXIMO

DICATA


AUCTORE PETRO SCAVINI

Theologo collegiato J. U. D. Equite SS. Mauritii et Lazari,
Romanæ Academiæ Religionis Catholicæ, Arcadiæ, Catholici Instituti Parisiensis
et Societatis Academiæ Augustanæ
Titulo S. Anselmi socio ecclesiæ cathedralis novarien.
canonico præposito urbis et diœcesis vicario generali emerito


EDITIO QUARTA PARISIENSIS JUXTA NONAM ITALICAM, OMNIUM ABSOLUTISSIMAM

ACCEDIT COLLATIO CODICIS CIVILIS GALLICI

**TOMUS QUARTUS**

DE SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ, EXTREMÆ UNCTIONIS, ORDINIS ET MATRIMONII

110559


PARISIIS

APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29

1863


37982

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX1758
S3
1863

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

CAPILLA ALFONSINA
FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

Appendix V. Schemata ad gradus cognationis dignoscendos.




Nota:_1° Personæ quæ tractu conjunguntur sunt inter se in linea recta, cum cæteris in linea collaterali._ 2° Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## AFFINITATIS SCHEMA




## SCHEMA

### Cognationis Spiritualis.




**Nota.** Contrahentes cognationem spiritualem hisce claudicantibus versiculis exprimi solent (quod de baptismo idem de confirmatione.)

Baptizans, Baptizatus Baptizatique parentes
Levans, levatus levatique parentes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## SCHEMA
### Cognationis Legalis.




# THEOLOGIA
# MORALIS UNIVERSA

## TRACTATUS DECIMUS
### DE PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE

## DISPUTATIO PRIMA
### DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

« Aggredimur Opus, cui utique omni studio præ ceteris materiis sedulo incumbendum; cum in ipso totius Theologiæ moralis summa et quæstiones magis ad praxim spectantes contineantur. Et ideo ego labori non peperci, ut desiderio lectorum satisfacerem; et ut ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant. » Ita Liguori dux noster atque magister[1].

## PRÆLUDIUM

1. Q. *Quid venit nomine Pœnitentiæ generatim acceptæ?*

R. Pœnitentiæ nomen, quod a *pœna* vel a *punitione* videtur esse deductum, quasi homo puniat in se ulciscendo quod commisit peccando, solet in Scholis adhiberi: 1. prout indicat virtutem moralem, et dicitur *virtus pœnitentiæ*; 2. prout indicat Sacramentum novæ Legis, et appellari solet: *Sacra-*

[1] *Op. Mor.*, l. VI, n. 426.



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

Nº 1113.

## SCHEMA

### Cognationis Legalis.




# THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

---

## TRACTATUS DECIMUS

### DE PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE

## DISPUTATIO PRIMA

### DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

« Aggredimur Opus, cui utique omni studio præ ceteris materiis sedulo incumbendum; cum in ipso totius Theologiæ moralis summa et quæstiones magis ad praxim spectantes contineantur. Et ideo ego labori non peperci, ut desiderio lectorum satisfacerem; et ut ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant. » Ita Liguori dux noster atque magister[1].

---

### PRÆLUDIUM

1. Q. *Quid venit nomine Pœnitentiæ generatim acceptæ?*

R. Pœnitentiæ nomen, quod a *pœna* vel a *punitione* videtur esse deductum, quasi homo puniat in se ulciscendo quod commisit peccando, solet in Scholis adhiberi : 1. prout indicat virtutem moralem, et dicitur *virtus pœnitentiæ*; 2. prout indicat Sacramentum novæ Legis, et appellari solet : *Sacra-*

[1] *Op. Mor.*, l. VI, n. 426.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*mentum reconciliationis*, *Baptismus laboriosus*, *secunda post naufragium tabula*: item simpliciter *Pœnitentia* vel *Confessio*. Antiquitus etiam *manuum impositio* dicebatur; quia olim pœnitentes manus impositione reconciliabantur.

Pœnitentia prout est virtus, communiter solet definiri: *Virtus moralis, infusa, inclinans peccatorem ad detestationem et dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis et satisfactionis proposito*[1]. Dicitur *infusa*; nam ex Scriptura *gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*[2]. Et Tridentinum: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*[3]. Dicitur *quatenus est offensa Dei;* pœnitentia enim utpote quædam species justitiæ est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam ipsi illatam, et pro ea satisfaciendum: si ergo quis doleat de suo peccato sine respectu ad Dei offensam, ejus dolor idoneus non est ad ipsum offensum Deum placandum. — Ex hoc patet pœnitentiam esse virtutem specialem, cum speciale habeat objectum; et continere: 1. odium vitæ anteactæ, 2. voluntatem pro ea satisfaciendi, 3. propositum vitæ inchoandæ.

Errat ergo Lutherus, qui ut Pœnitentiæ tum virtutem, tum Sacramentum funditus subvertat, totam ejus rationem collocat in solo melioris vitæ proposito, sive in sola resipiscentia. Ejus doctrinam reprobant: — 1. Scripturæ, ubi legitur: *Dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu et in planctu*[4]; — 2. Patres, ex quibus Augustinus aperte docet ad Pœnitentiam non sufficere *mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium*[5]; — 3. ratio, et ipsa profanorum scriptorum auctoritas; nam naturæ vox est, ut voluntas malum a se patratum detestetur

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 434.
[2] Act. xi. — [3] Sess. vi, can. iii. — *V.* Habert.
Joel. ii. — [5] Serm. cccli.



et pro viribus reparet. Quare Ovidius cecinit: *Pœnitet, et facto torqueor ipse meo*[1]. Merito ergo Tridentinum: *Declarat igitur sancta Synodus hanc contritionem* (quæ est eadem res cum Pœnitentia, de qua agimus) *non solum cessationem a peccato et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere*[2].

**2.** *Hæc pœnitentia*, ait idem Tridentinum, *universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore fuit ad gratiam et justitiam assequendam necessaria*[3]. — Variis autem gradibus ordinarie ad pœnitentiæ virtutem, ideoque ad justificationem, perveniunt peccatores, ut exponit idem Concilium post Angelicum[4]: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt: atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem*[5]. Est contra protestantes qui contendunt peccatores per solam fidem justificari; quod falsum est, nam *ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*[6]; *et fides sine operibus mortua est*[7]. Hinc iterum Tridentinum: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*[8].

Diximus *ordinarie;* quia gratia quandoque in instanti effectum suum sortitur, sic Deo volente, ita ut uno temporis puncto perfecta mutatio contingat: patet Pauli exemplo[9].

[1] L. I, *De Pont.*, Elegia i. — [2] Sess. xiv, cap. iv.
[3] Sess. xiv, cap. i. De virtute pœnitentiæ fusius ubi *de contritione* generatim; cum contritio eadem sit ac ipsa pœnitentiæ virtus.
[4] 3 p., q. 85, a. 5. — [5] Sess. vi, c. vi.
[6] Jacob. ii, 24. — [7] Jac. ii, 26. — [8] Sess. vi, can. ix. — [9] Act. ix.

## CAPUT PRIMUM

### DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ NATURA, NECESSITATE, INSTITUTIONE

**3.** Q. 1. *Quid est Pœnitentia uti Sacramentum?*

R. Pœnitentia ut Sacramentum definiri potest : *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum quo homini baptizato, contrito, confesso et satisfactionem spondenti per Sacerdotis absolutionem peccata post Baptismum commissa remittuntur.* Brevius : *Sacramentum constans actibus pœnitentis et absolutione Sacerdotis.*

Quod sit verum Sacramentum de fide est, et facile demonstratur : verum Sacramentum etiam a Calvinistis et Lutheranis[1], definitur : *Signum sensibile, divinitus institutum, et habens adnexam divinæ gratiæ promissionem.* Atqui ritus, quem *Pœnitentiæ* nomine nuncupamus et quo Ecclesia peccata dimittit, talis est : 1. est signum sensibile ; occurrit enim ex una parte peccatorum confessio in pœnitente, ex altera absolutio a Sacerdote : quæ duo sunt utique sensibilia : 2. divinitus institutum, uti ostendunt illa Christi verba ad ministros suos : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt*[2] ; 3. divinæ gratiæ collatio ; gratia enim a peccatorum remissione disjungi nullimode potest.

Hujus autem veritatis constantem habemus traditionem, cujus quidem testes sunt tum Patres, ut Tertullianus, *De Pœnitentia* ; Ambrosius, item *De Pœnitentia* ; Cyprianus, *De lapsis* ; Chrysostomus, *De Sacerdotio* ; etc.[3] : tum omnes rituales libri utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ, in quibus traditur administratio hujus Sacramenti. Merito ergo Tridentinum definivit : *Si quis dixerit in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus,*

[1] *V.* Bossuet, *Histoire des variations*, l. XI. nn. 104 et 165.
[2] Joann. xx.
[3] Doctrinam SS. Patrum videre est penes Klée, *Histoire des dogmes*, t. II, p. 210.



*quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino Nostro institutum ; anathema sit*[1]. Et in Concilio Florentino, Decreto ad Armenos legitur : *Quartum Sacramentum est Pœnitentia.*

**4.** *Nonne* (dices) *potestas remittendi peccata referenda est ad Baptismum, qui Pœnitentiæ nomine in Scripturis appellatur?*

Id docent Lutherani et Calvinistæ : hinc juxta ipsos, si lapsi fuerimus, sufficit Baptismi memoriam repetere, quæ quidem doctrina latissimam peccatis viam aperit. Sed veritas catholica est, Pœnitentiam a Baptismo omnino distingui; cum hæc Sacramenta habeant diversam materiam, formam, ministrum et subjectum. Materia Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, Baptismi est aqua. Forma Pœnitentiæ sunt verba : *Ego te absolvo* ; Baptismi sunt verba : *Ego te baptizo*. Minister Pœnitentiæ non est nisi Sacerdos ; Baptismi esse potest homo quicumque. Denique subjectum Pœnitentiæ est jam baptizatus ; Baptismi non baptizatus. Quare aiebat S. Epiphanius : *In iis, qui sunt post Baptismum lapsi, subveniri non potest Baptismate ; sed alio remedio, quod est Pœnitentia*[2]. Et D. Hieronymus Pœnitentiam vocat *secundam post naufragium tabulam*[3]; prima enim est Baptisma. Recte igitur Tridentinum : *Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit*[4].

*Sed nonne* (addes) *Scriptura constanter Pœnitentiam cum Baptismo conjungit? legitur enim* Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum; *prædicatur Baptismus Pœnitentiæ* in remissionem peccatorum[5], etc.; *ergo Pœnitentia a Baptismo non est distincta.*

R. Quando in Scripturis Pœnitentia exigitur, ut adulti cum fructu

[1] Sess. XLIV, can. I. *V.* Ferraris, v° *Pœnitentiæ Sacramentum.*
[2] Hebr. LIX. — [3] Ep. ad Sabin.
[4] Sess. XIV, can. II. In Sacris Scripturis si Baptismus Joannis dicitur *Baptismus Pœnitentiæ*, est quia peccata non dimittebat ex opere operato, sicut Baptismus Christi ; sed totam vim repetebat ex opere operantis, id est ab ipsa pœnitentia peccatorum. Patres vero si pœnitentiam aliquando vocant Baptismum, addunt *laboriosum* aut *lacrymarum*, ad discrimen Baptismi proprie dicti. Vel si videntur Baptismo tribuere remissionem omnium peccatorum, id intelligendum de Baptismo tanquam de causa remota quia sine Baptismate inaniter Pœnitentia suscipitur. — *V.* Perrone, Bellarminus, Tournely, Knoll, etc.
[5] Act. XI ; Marc. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suscipiant Baptisma, exigitur uti dispositio et prout est virtus tantum; neque sine detestatione peccata dimittuntur. Quando vero dicitur conferri Baptisma *in remissionem peccatorum*, id non absolute sive de omnibus peccatis quæ post Baptismum patrantur accipiendum est; sed de iis quæ Baptismum præcesserunt, ut patet. Sane quoad peccata in quæ fideles post Baptismum lapsi sunt, nunquam hæc perhibentur deleta vi Baptismi. Neque Scripturæ fideles peccatores hortantur ad recordationem suscepti Baptismi; sed ad solam Pœnitentiam excitant, ut patet de Simone mago et incestuoso corinthio[1].

**5.** Q. 2. *An Ecclesia possit remittere omnia peccata commissa post Baptismum?*

R. Montanistæ tria peccata subtraxerunt potestati clavium, idololatriam, homicidium, mœchiam; Novatianus autem et Novatus lapsum in idololatriam: ipsorum vero asseclæ ulterius progressi subtraxerunt primum cuncta graviora delicta, et demum omnia lethalia post Baptismum commissa: qui proinde hortabantur peccatores, ut veniam illorum a solo Deo impetrarent. Qui omnes semper ut hæretici habiti sunt, et eos Ecclesia damnavit in compluribus Conciliis, uti refert Eusebius, qui ecclesiasticam historiam primus conscripsit, sæculo IV ineunte. Sane clarissima sunt Christi verba: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Iterum *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*[2]. Hæc porro nullam continent peccatorum exceptionem.

Accedit usus Ecclesiæ constantissimus concedendæ veniæ peccatoribus etiam perditissimis: sic (ut ab ipsis Apostolis exempla sumamus) S. Joannes juvenem latronem et homicidam, post congruam pœnitentiam, Ecclesiæ restituit[3]. Et Paulus incestuoso corinthio, qui crimen tale patraverat, quod nec apud gentes audiebatur, veniam est elargitus[4]. Quo exemplo sic D. Ambrosius Novatianos insectabatur[5]: *Cum*

[1] Act. VIII; I Corinth. V.

[2] Matth. XVIII, Joann. XX.

[3] Hist. cit., l. III, c. XXIII. — *V.* Tridentinum, sess. XIV, c. I, et can. III.

Cor. V.

[5] L. I, *De Pœn.*, c. III. Unde si quædam peccata in Scripturis *irremissibilia* dicuntur, id est quia remittuntur difficilius: item si quibusdam fuit aliquando negata venia, id *ex rigore disciplinæ, non ex desperatione veniæ* factum esse docet Augustinus (Epist. LX). *V.* Alasia, Billuart, Voit.



*igitur Apostolus peccatum remiserit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Christi? Novatianus, an Paulus?*

**6.** *Dominus autem*, habet Tridentinum, *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens:* Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt[1]. Dictum est *tunc præcipue;* quia Christus jam quasi inchoaverat ejus institutionem ante passionem, quando potestatem ligandi ac solvendi Apostolis promisit his verbis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*[2].

Ratio autem congrua, cur Christus hoc Sacramentum instituerit, est tum ut plenius nobis ejus merita applicarentur; tum ut facilius veniam obtineremus, siquidem in hoc Sacramento non requiritur perfecta contritio; tum ut firmiorem haberemus veniæ spem ac securitatem per Sacerdotis sensibilem veluti sententiam; tum demum ut majus haberemus peccati frænum in confessione peccatorum, in injunctione remediorum ac Sacerdotis monitione. — Ideo vero hoc Sacramentum videtur Christus instituisse post resurrectionem, ut perfectum justificationis exemplum nobis præberet: sicut enim cito, vere et perfecte Christus non amplius moriturus surrexit, ita et peccator e sua culpa cito, vere et perfecte resurgere debet non amplius casurus.

**7.** Pœnitentiæ Sacramentum vel in re vel in voto omnibus post Baptismum in mortale lapsis necessarium esse necessitate medii sic declaravit Tridentinum: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*[3]. At Baptismi Sacramentum est

[1] Sess. XIV, cap. I, *De Pœn.*

[2] Matth. XVIII. Quibus inquam verbis Christus promisit, non tribuit hanc apostolis potestatem; siquidem tunc ipsi nec sacerdotes erant nec pastores. Vid. Liberius a Jesu.

[3] Sess. XIV, c. II.

necessarium necessitate medii: ergo et Sacramentum Pœnitentiæ. — Toties autem ex eodem Tridentino Pœnitentia potest suscipi, *quoties fideles post Baptismum in peccata labuntur*[1]. Idque patet ex iis Christi verbis generatim dicentis: *Quæcumque solveritis...: quorum remiseritis*, etc.

---

## CAPUT SECUNDUM

### DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MATERIA

**8.** Q. 1. *Quænam est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Materia remota (vel potius removenda) Sacramenti Pœnitentiæ sunt *peccata omnia post Baptismum commissa;* remota enim Sacramenti materia est id circa quod versatur Sacramenti actio: atqui hujus Sacramenti actio versatur circa illa peccata, scilicet destruenda.

Diximus *peccata post Baptismum commissa;* nam originale et actualia quæ Baptisma præcesserunt, Baptismate delentur, non vero Pœnitentia; cum nondum baptizatus Ecclesiæ clavibus subjiciatur, et Baptisma cunctorum Sacramentorum sit janua. Diximus *omnia*, ita tamen ut mortalia nondum directe remissa, constituant materiam remotam necessariam; cum ideo Pœnitentia hæc instituta sit. Venialia autem post baptismum patrata, et ipsa mortalia jampridem in Confessione directe remissa constituant tantum materiam liberam ac sufficientem[2].

[1] Sess. XIV, can. I.

[2] *Directe remissa* sunt mortalia, quæ fuerunt declarata in ipsa Confessione. Quæ autem mortalia per oblivionem inculpabilem non fuerunt declarata, remissa quidem sunt, cum unum mortale non possit auferri sine alio: et ideo *indirecte remissa* dicuntur, sed remanet obligatio ea postea declarandi in alia confessione, ut satisfiat præcepto divino integre confitendi, omniaque mortalia Ecclesiæ clavibus subjiciendi. Quanto autem tempore expectari possit ad faciendam hanc declarationem, aliqui arbitrantur eum, qui singulis mensibus vel crebrius confiteri solet, illam confessionem tuto expectare posse. Verum tum rectius urget hæc obligatio, cum urget præceptum iterum confitendi. — Etsi autem tutius sit nova peccata ab antiquis jam remissis secernere; dicunt tamen probabiliter Lugo, Sanchez et alii non esse necessario distinguenda peccata confessa a non confessis (nisi id sit necessarium ob occasionem proximam removendam, aut ob casum reservatum vel aliam circumstantiam, vel nisi fiat a confessario interrogatio); nam semper explicatur peccatum secundum totam suam gravitatem. Quod tamen alii negant; nam peccatum non confessum est materia necessaria; confessum vero est tantum materia libera et sufficiens sacramenti: ideo diversitas est. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 425; *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 35.



Ac primo venialia constituunt *liberam* materiam; quia ex Tridentino, Deo sic volente, *taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*[1]. Sed materiam *sufficientem*, quia Christi verba, *Quæcumque solveritis*, etc., non distinguunt inter mortalia et venialia; aliunde etiam venialia vinculum inducunt: et idem Concilium declaravit venialia *recte et utiliter in Confessione* dici, et damnavit id negantes[2].

Idem currit de mortalibus jam directe remissis, prout omnes docent cum Angelico[3]: nempe hæc sunt *materia libera*, quia quod semel remissum est, nequit amplius in culpam vocari. *Sufficiens* tamen, quia licet remissa nunc, semper tamen per illa Deus offensus fuit: cum igitur hæc possint iterum esse materia Confessionis et Contritionis, nihil pugnat quominus adhuc esse queant materia absolutionis: qui enim aliquem offendit, potest iterum atque iterum de suo peccato dolere ac veniam petere. Hoc Benedictus XI expresse tradit et reputat *salubre*[4]: et probat etiam communis fidelium praxis.

**9.** Q. 2. *Quænam est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Lutherani, qui hoc Sacramentum retinent, duas esse

[1] Sess. XIV, c. — [2] Sess. XIV, c. V; et can. VII.

[3] In 4, d. 17, q. 3, a. 3, q.

[4] Extrav. XI, *De priv.* Neque obstat, quod peccatum deletum non sit amplius peccatum, nam peccatum etsi jam remissum, semper est peccatum commissum. Sufficit autem quod Sacramentum per se, et in actu primo præbeat gratiam deletivam peccati; quamvis per accidens revera, et in actu secundo peccatum non deleat, sed gratiam adaugeat: sicuti contingit cum quis ad Sacramentum accedit jam perfecte contritus. Et tunc impletur illud: *Qui justus est, justificetur adhuc* (Apocal. XXII). Quæ justitiæ augmentatio vere dici potest justificatio, sicut augmentatio caloris dicitur calefactio, ut ait doctissimus Sylvius

volunt illius partes essentiales, *terrores conscientiæ* ex cognito peccato; et *fidem*, qua nempe quis credit sibi per Christum esse remissa peccata. Qui error in Tridentino damnatus fuit[1]: et sane terrores possunt utique ad pœnitentiam disponere, at non ipsam constituunt. Fides vero, qua quis credit se infallibiliter justificatum, peccatorum remissionem subsequitur: præterea certitudo illa sine divina revelatione haberi non potest.

Calvinus, qui pœnitentiam habet tantum ut virtutem, contendit illius partes esse *mortificationem carnis* et *vivificationem spiritus*. Sed fallitur, hæc enim duo sunt pœnitentiæ effectus, non autem ejusdem essentiales partes.

Tridentinum hac de re habet: *Si quis negaverit ad integram et peccatorum perfectam remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur... anathema sit*[2]. Quod merito statutum est, ut iis modis quibus Deum offendimus, iisdem ipsi nos reconciliemur: Deum offendimus corde, ore et opere; sic nos reconciliamur ei cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione.

Attamen dissident Theologi, an in hisce tribus partibus sit constituenda essentia Sacramenti, seu proxima ejus materia. Scotus illam collocat in sola absolutione, et ceteras dicit esse partes tantum integrales; Durandus eam reponit in confessione. At post D. Thomam commune est[3], eam esse constituendam in tribus illis actibus simul, nempe contritione, confessione et satisfactione. Quod conformius est Tridentino, a quo tres illi actus dicti sunt *quasi materia hujus Sacramenti*: ubi Catechismus ejusdem Concilii animadvertit fuisse, appellatos *quasi materiam, non quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et Chrisma in Confirmatione*. Hoc ipsum docet Rituale Romanum: neque obstat quod contritio de se non sit sensibilis; nam satis sensibilis fit per confessionem et alia exteriora pœnitentiæ signa.

[1] Sess. XIV, c. IV. — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, etc., sess. VII, c. III.
[2] Sess. XIV, can. IV.
[3] 3 p., q. 84, a. 2. — *V.* L. Ferraris, v° *Pœnitentiæ Sacramentum*.



**10.** Tamen inter tres actus prædictos hoc intercedit discrimen, quod satisfactio in actu, seu quatenus imponenda aut implenda, non sit nisi pars integralis; quia effectus pœnitentiæ, nempe gratia et remissio peccatorum quoad culpam et pœnam æternam, sine actuali satisfactione haberi potest: contritio ex adverso et confessio sunt partes essentiales in actu. Diximus *satisfactio in actu;* propositum enim satisfaciendi est ejusdem naturæ ac contritio et confessio: neque enim illum vere pœnitet, qui non habet actuale propositum satisfaciendi justitiæ Dei.

### Art. I. — De contritione generatim.

**11.** Q. 1. *Quomodo definitur contritio generatim?*

R. Contritio generatim accepta definitur a Tridentino: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*[1]. Quibus verbis, ut definitio magis accommodetur statui novæ Legis, addi solet: *Et cum voto confitendi ac satisfaciendi*.

Dicitur 1: *Animi dolor*, id est tristitia cordis, non sensus seu partis sensitivæ; contritio est actus voluntatis, ideo affectus rationalis prorsus.

2. *Ac detestatio*, id est odium et aversatio, per quam nempe animus recordatione peccati horret quodammodo ac refugit illud abominando: detestatio potest esse sine dolore, ut contingit in Beatis, qui peccatum odio habent et aversantur, nec tamen dolent.

3. *De peccato commisso*, propria scilicet voluntate, non aliena: quia peccatum commissum ab aliis, retractari non potest a nobis. Quamquam detestatio et dolor late sumptus,

[1] Sess. XIV, c. IV. Contritio autem proprie consistit non in dolore, sed in detestatione; ideo enim de aliquo dolemus, quia de eo turpitudinem apprehendimur; ita verius cum D. Thoma (3 p., q. 87, a. 1). Attamen et dolor et detestatio necessario requiruntur, et de facto in contritione habentur; qui enim detestatur peccatum, necessario de ipso dolet; sicut qui de peccato dodolet, necessario illud quoque detestatur. — *V.* Liguori, *Op Mor.*, l. VI, n. 433.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nempe pro displicentia mali, possit etiam esse de alieno peccato.

4. *Cum proposito non peccandi de cetero;* quia impossibile est, ut quis vere doleat de peccato, quod adhuc committere vult. Additur *et cum voto confitendi ac satisfaciendi:* sane illud votum seu desiderium scienter negligi non potest; cum confessio et satisfactio ex divina institutione hodie ad pœnitentiam requirantur. Hoc tamen votum jam implicite includitur in contritione, nec est necesse extra Sacramentum ipsum, ut quis conteratur expresse intendens confiteri; eo enim quo vere dolet de admissis et vult converti ad Dominum, jam habet voluntatem servandi omnia præcepta, quorum unum est peccatorum confessio. Quod innuit ipsum Concilium Tridentinum dicens: *Reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*[1].

Diximus *extra Sacramentum ipsum;* nam quæstio est, an dolor prout est pars Sacramenti, debeat elici a pœnitente ex intentione et relatione ad Confessionem; an vero postquam elicitus est absque memoria confessionis, possit pœnitens eo dolore uti ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Billuart, Lugo, Sporer aliique (ad hoc ut dolor sit materia apta ad Sacramentum) probabilius negant eliciendum esse cum expressa intentione confitendi et satisfaciendi; quia jam satis ad Sacramentum dirigitur per subsequentem confessionem. Sed affirmant Busembaum ac Concina; nam sicuti minister aut etiam suscipiens alia Sacramenta, debet per intentionem ordinare materiam ad Sacramentum, v. g., ablutionem aquæ ad Baptisma; ita etiam suscepturus Pœnitentiam debet ad illam ordinare dolorem, qui est ejusdem Sacramenti materia. Quæ secunda sententia cum adhuc sit probabilis, ante Pœnitentiæ susceptionem, sequendam docet Cardenas, cum res sit de Sacramento.

**12.** Q. 2. *Quænam sunt conditiones contritionis?*

R. Contritio has conditiones necessario habere debet, ut sit nempe:

[1] Sess. XIV, c. IV. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 447.



1. *Supernaturalis*, et quidem duplici ex capite. Id est tum ratione principii, a quo procedit: et est gratia divina, sine qua (ut habet Tridentinum) *neminem pœnitere potest sicut oportet*[1]; tum etiam ratione motivi, ex quo elicitur, quod esse debet per fidem menti propositum. Unde si quis doleret de peccato, quia repugnat rationi, vel quia sibi attulit infamiam aut infirmitates, ejus contritio esset mere naturalis: et nullam haberet proportionem cum justificatione, quæ est ordinis supernaturalis. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 57 propositio: *Probabile est sufficere contritionem naturalem, modo honestam.*

Hic tamen distingue inter contritionis motivum et occasionem: *motivum* supernaturale esse debet; *occasio* naturalis esse potest, potest enim peccator ex morbo aliove malo temporali occasionem nancisci ad Deum per veram contritionem redeundi. Qui vero dolet non ex metu æternæ pœnæ, sed ex metu pœnarum tantummodo temporalium, si nullum ad Deum respectum habeat, ejus dolorem mere naturalem esse, ideo non sufficere, docent omnes. Si autem istæ pœnæ considerentur prout a Deo infliguntur, utrum id satis sit ad justificationem in Sacramento, negant Canus et Concina; cum solo naturali lumine peccator cognoscere valeat temporales pœnas a Deo infligi: ideo dolor naturalis esset. Sed affirmant Lugo, Sporer, Suarez et alii, quia fide etiam edocti sumus non solum æternas pœnas Deum infligere peccatoribus, sed etiam temporales, ut patet exemplo Ninivitarum, quorum dolor non fuit conceptus, nisi ob metum excidii civitatis, quod iisdem minabatur Deus, clamante Jona propheta: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*[2].

2. *Universalis*, se nempe debet extendere ad omnia mortalia: *Si impius*, ait Deus, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus..., non recordabor*[3]. Sane nemo dixerit vere de peccatis illum dolere, qui unum detestatur, aliud diligit; cum sciat omni et quocumque pec-

[1] Sess. VI, c. III.
[2] Hæc sententia videtur probabilior, sed in praxi securius erit tenere priorem, quæ non caret sua probabilitate saltem extrinseca.
[3] Ezech. XVIII.

cato mortali amicitiam cum Deo penitus extingui. Non requiruntur tamen (prout tenendum est cum sententia communi) singuli actus doloris ad singula peccata; quod sæpe foret impossibile : *Omnia peccata*, ait D. Thomas, *conveniunt in aversione a Deo, ratione cujus gratiam impediunt. Unde ad justificationem non requiritur, quod in ipso justificationis momento aliquis de peccati singulis cogitet : sed sufficit, quod cogitet de hoc, quod per culpam suam est aversus a Deo*[1]. Ut tamen dolor ad omnia virtualiter extendatur etiam occulta, ex motivo universali, v. g., ex offensa Dei vel ex pœna promerita est supernaturaliter eliciendus.

3. *Appretiative summa*, id est summa quoad voluntatem, quatenus voluntas detestetur peccatum super omnia mala, et parata sit pœnam quamcumque potius subire, quam peccare mortaliter. Sicut enim Deus est summum bonum super omnia diligibile ; ita mortale quod illi opponitur, est summum malum super omnia detestandum. Huc facit illud Christi : *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*[2]. Non vero summa quoad sensum, sive in parte sensitiva, quasi lacrymæ doloris, acerbitatem debeant consequi; cum iste dolor, etsi exoptandus, non sit in nostra potestate.

4. *Formalis*, nempe expressa, quando agitur de constituenda materia Sacramenti ; ideo non sufficit virtualis et implicita, prout continetur in actu charitatis. Sicut enim non sufficit materia virtualis, v. g., panis virtualis, id est triticum, nec vinum virtuale, id est uva in Eucharistia ; ita nec in Pœnitentia contritio virtualis, seu actus charitatis. Quare non satis esset dicere : *Diligo te Deum meum super omnia, quia summe bonus es; parce peccatis meis;* hæc nonnisi amoris actum ac peccatorum deprecationem important, non verum doloris actum.

[1] *De verit.*, q. 29, a. 5, ad. 4. In praxi bene erit, si peccatorum suorum deformitatem pœnitens meditetur; maxime si majori passione afficiatur erga peccatum aliquod particulare, tunc ad specialem illius detestationem erit inducendus, ne remanente affectus radice, facile ad vomitum redeat. Sed excipe *peccata luxuriæ*, ne ex inductione ad illa magis detestanda pœnitens exponatur periculo iisdem potius magis adhærendi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 438.

[2] Matth. x.



Item contritio nostra debet esse conjuncta cum fide et spe veniæ : cum fide, quia ex Apostolo *sine fide impossibile est placere Deo*[1], cum spe veniæ, quia ex Jacobo qui non sperat, *non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino*[2]. Imo fides et spes debent esse explicitæ ; nam Tridentinum ait, peccatores disponi ad justificationem *credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt... fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*[3]. Hoc tamen non debet turbare peccatorem ; ipso enim actu, quo accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum, jam aliquo modo credit explicite (non quidem reflexe, sed exercite seu de facto) in illo esse vim justificandi ex meritis Christi : et simul explicite sperat, se in eodem Sacramento peccatorum suorum esse veniam consecuturum.

5. *Interna*, juxta illud Prophetæ : *Scindite corda vestra*[4]: alioquin esset fictio doloris, non verus dolor. Et æquum sane est, ut inde dolor deducatur, unde peccata enascuntur ; at *de corde*, teste Scriptura, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*, etc.[5].

6. *Efficax*, nimirum conjuncta cum proposito non peccandi de cetero, et vitæ novæ inchoandæ juxta illud Ezechielis : *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum*[6].

**13.** Q. 3. *An contritio sit necessaria ad peccatorum remissionem?*

R. Contritio vera et formalis sive intra sive extra Sacramentum ad mortalium remissionem necessaria est necessitate tum medii tum præcepti : *Nulla est barbaries*, ait Augustinus, *quæ dicere audeat non esse pœnitendum homini, si peccaverit*[7]. — Ac 1. necessitate medii ; nam repugnat quod homo peccator Deo reconcilietur sine sincera cordis conversione ad Deum. Hinc merito Scriptura, si *pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*[8] ; — 2. necessitate præcepti ; quisque enim vel ipso jure naturæ tenetur arripere

[1] Hebr. xi. — [2] Ep. c. i. — [3] Sess. vi, cap. vi.
[4] Joel. ii. — [5] Matth. xv. — [6] Cap. xviii.
[7] *De duab. anim.*, c. xiv. — [8] Luc. xiii.

media ad salutem necessaria; secus peccaret graviter tum contra charitatem propriam sibi non prospiciendo; tum contra charitatem in Deum, cujus amicitiam recuperare negligit. Quæ quidem contritio vel in eo requiritur qui amore Dei super omnia accensus est, si suorum peccatorum memoriam habeat; quis enim credat Deum super omnia ab eo diligi, qui non dolet de flagitiis præteritis, quibus se Deum offendisse meminerit?

Imo vel ad ipsam venialium deletionem contritio necessaria est: *Nec quemquam* putes, iterum Augustinus, *a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire*[1]. Ratio est ex Angelico, quia *sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa, manet effectus*[2]. Attamen ad delenda venialia contritio virtualis sufficit extra Pœnitentiæ Sacramentum:

1. Contritio virtualis sufficit, seu *virtualis quædam displicentia*, prout ait idem Angelicus: *Puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi de illo actu non cogitaret*; — 2. extra Pœnitentiæ Sacramentum: nam in Sacramento cum communi tenendum est, omnino sub gravi requiri contritionem formalem, etiamsi quis sola habeat venialia, ne scilicet Sacramentum sua materia frustretur. Et quidem supernaturalem, summam, cum fide et spe veniæ, internam et efficacem[3]: non tamen universalem; in confessione enim venialium satis est vel de uno tantum dolere, cum venialia non constituant materiam necessariam, et unum sine alio remitti possit. Et tunc cetera venialia, de quibus pœni-

[1] Ep. XLVIII.

[2] 3 p., q. 87, a. 1. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 449.

[3] *Supernaturalem*, nam contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem: sufficit autem pro venialibus metus pœnarum purgatorii, ut patet. *Summam*, seu debet peccator detestari veniale plusquam omnia mala naturalia, nam hæc non sunt nisi mala naturæ, illud autem est malum Dei. *Cum fide et spe*; item *internam et efficacem*, alioquin contritio esset ficta et illusoria.



tens non dolet, non jam in confessione dicuntur, ut absolutio cadat super illa; sed dicuntur vel ad humilitatem seu confusionem sui, vel ad manifestandam magis conscientiam; confessio enim est etiam ad reginem animæ et futuræ vitæ directionem. Croix, Lugo, Suarez aliique.

**14.** *Quandonam* (quæres) *obligat contritio?* Certum est apud omnes, contritionem obligare per se in mortis periculo, aut amentiæ perpetuæ; quia quisque sibi providere tenetur et curare, ne Deo perpetuo remaneat inimicus[1]. — Per accidens vero obligat: 1. quando quis est in peccato mortali, et debet Sacramenta aliis ministrare, vel Sacramentum vivorum suscipere: sancta enim sancte tractanda sunt; 2. quando quis graves patitur tentationes, neque eas superare valet, quin eliciat actum contritionis; 3. quando quis tenetur charitatis actum erga Deum elicere: tunc qui sibi conscius est gravis peccati, debet illud detestari, cum Deo illud opponatur. Ceterum observandum: quando aliquod præceptum obligat ad aliquem actum solummodo *per accidens*, tunc ejus omissio non constituit peccatum distinctum a peccato quod incurritur ob actum illum: ita peccator administrans sacramentum, non elicita contritione, culpam incurrit sacrilegii, non etiam impœnitentiæ.

Attamen utrum contritio per se obliget post mortale admissum, ita ut ejus dilatio sit novum et speciale peccatum, per se loquendo, negamus; nam nullibi legitur hoc præceptum statim a peccato pœnitendi. Ceterum alia ratione putamus non posse excusari a mortali qui per notabile tempus existens in mortali contritionem differt; peccaret enim tum contra charitatem erga Deum, quæ obligat pluries saltem

[1] An autem qui in mortis articulo vel periculo suscipit Pœnitentiæ Sacramentum cum attritione, teneatur etiam elicere explicite contritionem perfectam, alii negant, cum moraliter certus sit, se esse justificatum; alii affirmant, quia in mortis articulo quisque tenetur quærere potiora remedia. Utraque sententia probabilis est; sed secunda omnino suadenda, cum agatur de summo salutis negotio. Imo dico esse omnino sequendam ab eo qui esset in actuali mortis articulo; tunc enim tenetur quisque elicere actum charitatis, cui nemo satisfacere potest, si occurrente memoria peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestetur. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 437.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in anno, tum contra charitatem erga se, cum se exponat proximo relabendi periculo; quia sine gratia sanctificante ex D. Thoma, quod homo *diu maneat absque peccato mortali, esse non potest*[1]. Et D. Gregorius, ait: *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*[2]. Hinc ad rem monet Ecclesiasticus: *Non tardes converti ad Dominum*[3].

Verum quale sit *notabile tempus*, alii dicunt spatium unius anni (sed hoc non est admittendum, qui enim per tantum temporis perseverat in mortali, videtur quod non possit vitare periculum in alia facile relabendi); alii hebdomadam circiter: quæ opinio videtur nimis rigida. Potius res est commensuranda ex circumstantiis peculiaribus personæ in peccato existentis, v. g., a sua proclivitate in vitia, a malis habitibus, a violentia tentationum, a præsentia occasionum, etc. (*A*).

**15.** Q. 4. *An contritio debeat Confessionem præcedere?*

R. Contritio debet præcedere absolutionem, quia forma cadere debet super materiam præsentem. Verum communius docent Lugo, Suarez et alii, non oportere ut illa præcedat etiam confessionem; quia licet sit elicita in ejus fine vel post, nihilominus moraliter cum illa unitur, in eamque influit, eamque dolorosam reddit; cum sit elicita in ordine ad confessionem. Huic favet Rituale romanum dicens: *Audita confessione*, (Confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere* (pœnitentem) *conabitur*. Ceterum omne dubium deponet qui post dolorem, de narratis se iterum generatim accusat.

Quandiu autem censeatur moraliter perseverare actus doloris, prius formaliter et expresse habitus, non dubitamus asserere, quoties confessio derivat ex illa peccatorum displicentia, in virtute perseverare dolorem saltem per unum aut alterum diem, dum illa confessio est illius doloris effectus. Secus autem si quis ex mera devotione, aut ad votum vel pœnitentiam implendam confiteretur; tunc prius habitus dolor non haberet relationem cum præsenti confessione[4].

**16.** *Sed* (quæres) *qui mortale oblitum confitetur statim post absolutionem, teneturne novum elicere dolorem?* Communius negant Anacletus, Lugo, Roncaglia, Sporer, etc., quia prior contritio ex

[1] 1, 2, q. 109, a. 8. — [2] Hom. XI in Ezech. — [3] Cap. V.
[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 446; *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 20.



motivo generali, puta offensæ Dei, elicita fuit directa ad absolutionem obtinendam omnium etiam oblitorum. Diximus ex *motivo generali*; nam aliter est, si contritio elicita sit ex motivo particulari, v. g., ex motivo specialis turpitudinis peccati declarati, quod peccatis oblitis non congruat, cum hæc aliam turpitudinem præ se ferant. Affirmant vero probabilius Bonacina, Filliucius et Vasquez, dicendo per absolutionem jam completum esse judicium; unde si nova est danda absolutio, nova requiritur materia proxima. Et quamvis dolor perseveret moraliter; non tamen perseverat in ordine ad aliam absolutionem[1].

*An* (quæres) *conveniat de novo dare absolutionem, statim post absolutionem, redeunte pœnitente cum peccato gravi oblito?* Affirmant generatim loquendo, consultius et melius esse novam absolutionem iterum impertire (pœnitentiam etiam imponendo, ne mutilum sit sacramentum); idque ad animæ tranquillitatem, ad pœnitentis solatium et ob novum fructum a sacramento percipiendum. Diximus *generatim loquendo*; nam excipe si res sit cum meticulosis qui iterum iterumque redeunt; item si agatur de illis, qui brevi ad eumdem confessarium redire solent; tunc in alia confessione de oblitis directe absolvantur.

**17.** Q. 5. *Quomodo dividitur contritio?*

R. Contritio a Tridentino dividitur in *perfectam*, et in *imperfectam*. Perfecta est quæ a charitate perficitur, seu quæ elicitur ex motivo charitatis in Deum summe et per se dilectum; imperfecta est quæ innititur alio motivo supernaturali, quæ ex eodem Tridentino *ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur*, excludens semper peccati voluntatem, atque veniæ spem includens[2]. — Prima retinet vocabulum *contritionis*, altera vocatur *attritio*; ducta similitudine a corporibus duris, quæ *attrita* dicuntur, si aliquo modo sint diminuta; *contrita* vero, si trita et comminuta sint in minimas partes, uti notat Angelicus[3].

Differunt contritio et attritio specie inter se: 1. ratione motivi; nam contritio oritur ex motivo charitatis in Deum: attritio vero ex motivo spei vel charitatis erga seipsum, aut virtutis specialis, cui aliquod peccatum opponitur; 2. ratione effectus, ut mox videbimus.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 448 et 506.
[2] Sess. XIV, cap. IV. — [3] 3 p., q. 1, a. 1.

### § I. — De contritione perfecta.

**18.** Q. 1. *Ex quo motivo contritio perfecta elicienda est?*

R. Contendunt plures ac merito probabiliter, actum perfectæ contritionis elici posse ex motivo cujuscumque attributi divini per peccatum offensi, v. g., justitiæ, sapientiæ, misericordiæ : ille enim qui diligit divinam justitiam, sapientiam, misericordiam, Deum ipsum jam diligit; cum hæc attributa non aliud sint præter ipsum Deum. Alii tamen communiter et probabilius tenent actum contritionis perfectæ procedere ex solo motivo charitatis, divinæ nempe bonitatis per peccatum contemptæ, quatenus hæc complectitur omnes Dei perfectiones. Nam Tridentinum contritionem hanc *charitate perfectam* expresse dicit; atqui objectum charitatis est Deus, uti est infinita bonitas, id est radix et aggregatio omnium perfectionum[1].

**19.** Q. 2. *An contritio perfecta justificet ante Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem?*

R. Affirmative : contritio perfecta orta nempe ex charitate prædominante, si conjuncta sit cum voto Sacramenti, justificat ante ejusdem Sacramenti susceptionem ; nam actus contritionis perfectæ est actus formalis charitatis qui semper in Deum tendit, licet diversimode. Nempe actus contritionis perfectæ tendit in Deum per modum fugæ, quatenus homo detestatur peccatum uti summum malum ipsi Deo oppositum ; actus vero charitatis tendit in Deum per modum consecutionis, uti summum bonum. Unde contritio est vera charitas : at *charitas operit multitudinem peccatorum*[2]; etenim Deum perfecte amare est cum ipso Deo conjungi, nam amor in unione consistit ; sed conjunctio cum Deo necessario dis-

[1] Sess. XIV, cap. IV et can. V. Est tertia sententia illorum, qui contritionem docent eliciendam esse ex motivo bonitatis Dei tum absolutæ tum relativæ, quatenus nempe Deus est bonus in se, et bonus nobis. Hinc nonnulli Episcopi actui contritionis id addiderunt : *Me pœnitet, Domine, quia te offendi, qui es infinite bonus atque beneficus.*

[2] Petri IV. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 44. It. Bellarminus, *De pœn.*, l. II, c. XIII.



junctionem a peccato includit. Deinde damnata est hæc Baii propositio : *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramenti conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Adde : si in Lege veteri contritio perfecta justificabat absque Sacramento ; ergo etiam in Lege nova, cum ejus efficacia non sit imminuta. Hanc conclusionem fidei proximam vocat cl. Perrone.

Diximus : *Si conjuncta sit cum voto Sacramenti*; nam idem Tridentinum docet *reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*[1]. Sane peccata remitti nequeunt, nisi per medium a Christo institutum; atqui Pœnitentiæ Sacramentum est tale medium ad delenda mortalia post Baptismum patrata.

Dices : mulier peccatrix, de qua in Evangelio, perfecte erat contrita, cum accessit ad Jesum. Attamen Christus adhuc remittit ei peccata : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*[2]. Ergo contritio etiam perfecta non justificat ante remissionem, seu Sacramenti susceptionem. — R. Christus illis verbis non ostendit, se mulieri post contritionem peccata remisisse; sed potius voluit coram hominibus declarare remissionem jam factam. Hinc in græco textu legitur : *Remissa sunt peccata multa.*

**20.** *Quid* (quæres) *si ista contritio sit tenuis et remissa?* Etiam in hoc casu contritio justificat ante sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, si sit cum voto ejusdem. Hoc ita nobis arridet, ut oppositum judicemus cum Gonet, Lugo ac Vasquez omnino improbabile et falsum. Constat ex Scriptura, ubi legitur : *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*[3]; sed qui habet charitatem, etsi in gradu infimo, veram charitatem habet : ergo Deus in eo est, ideoque nullo mortali peccato potest esse coinquinatus. Constat ex Patribus : Chrysostomus scribit : *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala*[4]; at quamvis sit in gradu infimo, semper charitas est : neque magis et minus diversificant speciem.

Hanc ipsam quæstionem jam ita sibi Angelicus proposuerat : *Utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum?* Et sic eam dissolvit : *Quælibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem; quia simul stare cum ea non potest. Sed quæ-*

[1] Sess. XIV, c. IV. — [2] Luc. VII.
[3] I Joann. IV. — [4] Hom. IV in Tim.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*libet contritio* (ergo tam magna, quam parva; tam vehemens, quam remissa) *est gratia gratum faciente informata; ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam*[1]. Ipsum autem loqui de contritione in genere, non autem conjuncta cum Sacramento, patet quia S. Doctor ne verbum quidem facit neque hic, neque in toto illo articulo de Sacramento Pœnitentiæ. Tandem idem probatur ex Tridentino, quod cum de contritione perfecta loqueretur, expresse docuit, contingere posse *contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*[2]. Ergo ex Tridentino dolor charitate perfectus jam peccatorem justificat ante susceptionem Sacramenti. Atqui omnis contritio orta a charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida, est dolor charitate perfectus seu informatus.

Hinc etiam deducitur contritionem perfectam non esse necessariam ad Sacramentum Pœnitentiæ. Cur Christus Pœnitentiam instituit? *ut faciliori ratione communi hominum saluti consuleret*: ita Catechismus R.; at si contritio perfecta necessaria esset ad Sacramentum, profecto non amplius ita res se haberet.

**21.** Q. 3. *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam pœnam?*

R. Contritio remittit pœnam æternam; quia homo justificatus per contritionem nequit esse reus damnationis. Remittit etiam partem pœnæ temporalis pro mortalibus deletis vel venialibus debitæ juxta majorem vel minorem illius intensionem. Eruitur ex Tridentino[3].

[1] Suppl. 3 p., q. 5, a. 3.

[2] Sess. XIV, c. IV. Volunt adversarii Concilium ibi non loqui de charitate quacumque, remissa videlicet, parvula et minus vivida: sed de intensa et forti, quia non est legendum *charitate*, sed *charitatem perfectam*. Quod tamen falsum est: nam præterquam quod in sincerioribus exemplaribus revera legatur *charitatem perfectam*, ita vocabula accipienda esse patet ex eo quod ibi Tridentinum dividat contritionem in perfectam et in imperfectam. Sed esto, quod vox *perfectam* respiciat charitatem, non contritionem; non inde consequens est Concilium ad justificationem extra Sacramentum requirere charitatem intensam. Charitas enim prædominans, etiamsi remissa nec multum intensa, semper est vera et perfecta charitas, quamvis intensa et vivida sit longe perfectior. Nam ut bene ait Tournely, perfectio vel imperfectio charitatis non sumitur ex majori vel minori intensione, aut remissione; sed ex motivo a quo oritur: nempe charitas *perfecta* oritur ex motivo bonitatis Dei, *imperfecta* ex motivis boni a Deo consequendi.

[3] Sess. VI, c. XIV et can. XXX; et sess. XI, *De pœnit.*, c. VIII et can. XII.



### § II. — De Contritione imperfecta seu Attritione.

**22.** Q. 1. *An attritio bona sit et utilis?*

Nota. Ut status quæstionis plenius intelligatur, nonnulla de timore sunt præmittenda; cum timor sit qui attritionem parturit. Timor definitur: *Motus animi malum aliquod sibi imminens refugientis*. Vel est *mundanus*, quo quis magis refugit pœnam ab homine infligendam, quam Dei offensionem. Vel *naturalis*, quo quis duce natura, mala temporalia reformidat. Vel *supernaturalis* seu divinus, quo quis peccatum vitat, vel de eo dolet ob pœnas, quas sibi a Deo infligendas timet.

Timor supernaturalis subdividitur in *filialem* seu castum, in *servilem*, et in *initialem*. Audiatur Angelicus: *Quandoque autem homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur et ei inhæret. Quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ et malum culpæ: si ergo aliquis convertatur ad Deum et ei hæret propter timorem pœnæ, erit timor* servilis: *Si autem propter timorem culpæ, erit timor* filialis: *Nam filiorum est timere offensam Patris. Si autem propter utrumque, erit timor* initialis, *qui est medius inter utrumque timorem*[1].

Ipse timor servilis iterum est vel *serviliter servilis*, ut si quis pœnam ita timeat, ut adhuc peccaret, si non esset pœna; vel *simpliciter servilis*, ut si quis timeat pœnam, et ob hunc timorem a peccato se abstineat, quin tamen habeat hic et nunc animum peccandi, si pœna illa non esset; sed ab hac cogitatione penitus abstrahit. Hoc posito.

R. Hic quæstio non est de timore mundano, cum sit vitiosus. Neque de timore naturali, qui non habet proportionem cum justificatione, quæ supernaturalis est. Neque de timore initiali aut filiali, utrumque enim bonum esse nemo negat; cum ab amore Dei procedat. Neque tantum de serviliter servili, qui etsi bonus in se, quia hominem a peccato amovet; subjective tamen malus evadit ob pravam illam animi dispositionem. Tota quæstio est de timore simpliciter servili, qui

[1] 2, 2, q. 19, a. 2.

secundum suam substantiam non importat, nisi timorem pœnæ. Lutherus contendit, illum esse malum, et attritionem ex illo ortam facere hominem hypocritam ac magis peccatorem : ex parte adhærent Baius, Jansenius et Quesnellus, qui timorem illum malum dicunt, nisi procedat a charitate. At catholica veritas docet, quod metus simpliciter servilis pœnæ (ex qua ipsa concipitur attritio) et honestus est, et a Deo inspiratur, et voluntatem peccandi excludit.

1. Honestus est; etenim Christus hunc timorem commendavit, et præcepit inquiens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*[1]. Quem in locum Chrysostomus ait : *Quid gehenna gravius? sed hujus metu nihil utilius... Nisi bonus esset timor, non multos Christus impendisset sermones.* Merito ergo Tridentinum : *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere, anathema sit*[2].

2. A Deo inspiratur, ut patet tum ex illo Psalmi : *Confige timore tuo carnes meas*[3]; tum ex illo Christi Domini : *Ostendam vobis quem timeatis*[4]; tum ex Tridentino dicente attritionem ex tali metu conceptam esse *donum Dei et Spiritus sancti impulsum*[5].

3. Peccandi voluntatem excludit, dicente Scriptura : *Timor Domini expellit peccatum*[6]. Unde Augustinus : *Timor*

[1] Matth. x. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 443.

[2] Sess. vi, can. viii. Quod si bona est attritio ex solo gehennæ metu concepta, a fortiori talis erit attritio concepta vel ex turpitudine peccati, prout nempe est contrarium pulchritudini justitiæ et legis æternæ; vel ex amore spei, cum hic finis sit nobilior. Neque dicas eum qui de peccato dolet propter gehennam, magis odisse gehennam, quam peccatum, proindeque magis detestari minus malum. Hoc etenim staret quidem, si comparationem institueret inter gehennam et culpam; sed ab illa comparatione abstrahit in casu nostro : nempe odio habet culpam propter gehennam, quin tamen attendat vel excludat aliud majus motivum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 440.

[3] Ps. xcviii. — [4] Luc. xii. — [5] Sess. xiv, c. iv. — [6] Eccl. i.



*iste, quo gehennam times et ideo mala non facis, continet te*[1]. Sane qui vult efficaciter finem, vult etiam efficaciter media; ergo qui efficaciter timet gehennam, efficaciter quoque removet affectum peccati, qui ad illam conducit.

**23.** Q. 2. *An sola attritio sufficiat ad justificandum peccatorem?*

R. 1 : Attritio quamvis bona sit, adeo et voluntatem peccandi excludat, tamen extra Sacramentum non justificat; justificatio enim consistit in perfecta conjunctione cum Deo : sed attritus, licet a creaturis discedat primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, non adhuc tamen est perfecte ad Deum conversus. Unde attritio non confert, sed præparat tantum ad gratiam consequendam, ut Tridentinum docet[2] : sive est conditio prærequisita ad hoc, ut Sacramentum per gratiæ infusionem justificet.

R. 2 : Conveniunt Theologi in affirmando attritionem sufficere in ipso Sacramento ad justificationem, si cum initio amoris conjungatur; sed magna quæstio est, an hic amor inchoatus debeat esse charitas prædominans. Affirmant Antoine, Habert, Juvenin, Concina, Merbesius et alii pauci, qui dicunt talem amorem dici *inchoatum* sive initiatum, non quia non sit charitas, sed quia charitas est in gradu remisso; nam cum dolor oritur ex amore intenso, tum est contritio perfecta, quæ remittit peccatum extra Sacramentum : isti dicuntur *contritionistæ*. At sententia fere communis cum Alasia, Billuart, Croix, Frassen, Gonet, Lugo, Suarez et aliis, qui *attritionistæ* appellari solent, tenet charitatem prædominantem neque remissam requiri; sed sufficere attritionem, quæ oritur vel ex timore gloriæ amissionis, vel ex timore inferni (imo etiam temporalium pœnarum, in quantum istæ pœnæ sunt a Deo inflictæ, ut probabilius videtur), vel ex horrore erga peccati turpitudinem lumine fidei cognitam[3]. Quæ

[1] Serm. clxi, *De Verbo Dei.* — *V.* Bulla *Auctorem fidei*, prop. xxv.

[2] Sess. xiv, can. v.

[3] An autem attritio remittat peccata venialia extra ipsum Pœnitentiæ Sacramentum, probabilius affirmandum est cum Suarez, Lugo, Gury et aliis; tum quia ex Tridentino variis modis venialia remitti possunt; ergo non sola contritione perfecta; tum quia vis remittendi venialia communiter cum Angelico tribuitur ipsis sacramentalibus, in quantum excitant motum reveren-

quidem attritio jam de se includit aliquod initium amoris Dei; nam ut ait Alasia, nemo est ita plumbeus, qui non incipiat illum diligere, a quo sperat sine ullo suo merito bonum maximum, nempe æternam beatitudinem.

Hæc nostra sententia post Tridentinum cum plausu ab omnibus Scholis fuit adoptata, ut asserit Benedictus XIV[1]; et Alexander VII Decreto 5 maii 1657 ait, quod *hodie inter Scholasticos communis videtur*. Benedictus vero XIII in appendice ad Concilium Romanum, habet : « C'est aujourd'hui le sentiment commun que la douleur ou la contrition parfaite est bonne, mais n'est pas nécessaire pour la confession; la contrition imparfaite suffit. » Hoc porro attestando Pontifices consequenter testantur illam in Scholis haberi uti communiter certam, dum quisque scit, quod circa Sacramentorum valorem auctores nonnisi opiniones moraliter certas pro praxi amplecti deberent[2] (*B*).

Probatur 1 : Concilium Tridentinum postquam tradidit, contritionem *charitate perfectam* justificare ante Sacramentum actu susceptum, loquendo de attritione hæc declarat : *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*[3]. Verba hæc nimis decretoria sunt; vocabulum enim *disponit* idem sonat ac *sufficit :* hoc aperte deducitur ex iis verbis : *Et quamvis sine Sacramento per se ad justificationem perducere nequeat*, etc.; quæ hanc exhibent consequentiam : *Ergo cum Sacramento bene perducit :* si enim Concilium aliter esset intelligendum, incongruenter fuisset locutum. Dein Tridentinum hic loqui de dispositione proxima, patet etiam, quia duplicem distinguit dispositionem ad gratiam recipiendam : unam extra Sacramentum, et est contritio perfecta;

tiæ in Deum aut res divinas. Quod falsum esset, si ad venialia delenda requireretur perfecta contritio extra Sacramentum.

[1] *De Syn.*, etc., l. VII, c. XIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 440.

[2] Esto, quod etiam contritio si curanda; tamen non de necessitate Sacramenti, unde si non adesset, nec inquietari nec inquietare debemus; tanto minus pœnitentem uti indispositum rejicere.

[3] Sess. XIV, c. IV.



aliam in Sacramento, et est attritio. Atqui contritionem ad gratiæ consecutionem extra Sacramentum assignat uti dispositionem proximam; ergo etiam attritionem habet pro dispositione proxima ad eamdem gratiam recipiendam in Sacramento. Tandem dicit contritionem in genere, quæ est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, esse materiam vel quasi materiam Sacramenti; et postea dividit hanc ipsam in perfectam et imperfectam; ergo cum utrique competat contritionis definitio, sequitur quod etiam imperfecta *proxime disponat* ad gratiam consequendam.

Probatur 2 : D. Thomas postquam dixit, quod *per solam contritionem dimittitur peccatum antequam absolvatur pœnitens*, statim subjungit : *Quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequantur*[1]. Distinguit ergo S. Thomas, prout distinguit Tridentinum, inter contritionem perfectam quæ justificat extra Sacramentum, et imperfectam quæ justificat in ipso Sacramento. Atqui hæc non alia potest intelligi quam attritio.

Probatur 3. ratione : Pœnitentia est Sacramentum mortuorum, et valet per se ad conferendam gratiam primam; ita ut Sacerdos pœnitentem absolvens illum non solum ostendat absolutum, sed revera et effective absolvat. Atqui si attritio, de qua loquimur, non sufficeret ad Pœnitentiam suscipiendam, sed ipsa charitas esset necessaria, omnes pœnitentes jam deberent accedere justificati; cum ex dictis omnis dolor proveniens ex charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida, remittat peccatum etiam extra Sacramentum (*C*).

### Corollarium. — *De proposito.*

**24**. Propositum est *deliberata voluntas absolute statuens evitare peccatum in posterum :* differt a rigorosa promissione, a juramento et voto, quæ inducunt specialem et distinctam obligationem; non sic purum propositum. Confessarius porro ultra verum propositum, caveat ne a pœnitente exigat ali-

[1] Quodl. IV, a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quam rigorosam promissionem, juramentum, vel votum non peccandi de cetero : quia sæpius daretur ipsi occasio duplicis peccati.

Duplex autem distinguitur propositum : videlicet tum *explicitum* seu formale, quo quis nempe de futuro cogitans statuit non amplius peccare; tum *implicitum* seu virtuale, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus præ oculis habeatur. Propositum saltem implicitum est omnino necessarium, cum propositum sit omnino pars essentialis contritionis.

Q. 1. *An sufficiat propositum virtuale seu implicitum, inclusum nempe in ipso dolore? an vero requiratur explicitum et formale?*

R. Prima sententia cum Cajetano, Cano, Concina, etc., requirit propositum formale; quia licet dolor necessario includat propositum, tamen Tridentinum videtur requirere de facto formale propositum; cum dicat quod pars essentialis Pœnitentiæ sit *dolor cum proposito non peccandi de cetero :* at sicut dolor debet esse formalis et expressus, ita et propositum. — Secunda cum Anacleto, Laymano, Lugo, Viva, etc., dicit satis esse virtuale, si ipse dolor eliciatur ex motivo universali : hæc etiam fundatur in Tridentino, ubi dicitur, quod attritio si excludit voluntatem peccandi, jam disponit ad gratiam. Et eam tenet Benedictus XIII in Concilio romano, in quo approbavit Instructionem, ubi id traditur. — Tertia tandem sententia cum Bellarmino, Mazzotta, Holzman, etc., distinguit, et dicit quod si pœnitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis morti proximis, tunc sufficit propositum implicitum. Secus autem de eo, qui cogitat de futuro; quia juxta Tridentinum contritio continet tam cessationem a peccando, quam inchoationem vitæ novæ juxta illud [1] : *Projicite a vobis prævaricationes... et facite vobis cor novum;* ergo utrumque curandum est.

Duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores; sed prima non caret probabilitate, ideo in praxi sequenda : qui

[1] Ezech. XVIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 51; et l. VI, nn. 432 et 450.



enim certo gravem culpam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam certo validam. Ceterum hoc inquietare non debet; cum vix eveniat quod pœnitens vere contritus propositum etiam explicitum omittat; etsi ad hoc non reflectat, quod non est necesse [1].

**25.** Q. 2. *Quas conditiones debet habere propositum?*

R. Propositum debet esse firmum, universale et efficax :

*a. Firmum,* id est requiritur, ut pœnitens habeat voluntatem deliberatam non relabendi in peccatum : et ita sit animo dispositus, ut nullius mali timore, nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit; alioquin deficeret in sinceritate. Sed quid de eo, *qui asserit quidem se amplius nolle peccare; sed simul credit se esse relapsurum?* Layman, Suarez aliique putant hoc propositum dici posse satis firmum; quia propositum voluntatis minime relabendi consistere potest cum judicio intellectus de lapsu futuro ex cognita fragilitate. Verum oppositum omnino sequendum putamus cum Concina, Croix, etc. : nam licet concedamus firmum propositum voluntatis speculative consistere posse cum cognitione relapsus : in praxi tamen præbet certam suspicionem tale propositum non esse satis firmum. Nemo enim sciens, quod Deus suam gratiam coadjuvantem non denegat *facienti quantum in se est,* potest certo credere se ad peccata sua esse rediturum [2].

[1] « Hic ante omnia advertendum rem valde difficilem esse, quod peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia labentes, cum vero proposito ad Confessionem accedant. Quapropter in hoc Confessarius sedulo incumbere debet, maxime si pœnitens alicui vitio magnam habuerit adhæsionem. » Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 451.

[2] Aliud esset si non ageretur, nisi de timore relabendi. Nam ad verum propositum non requiritur ut nullus credatur secuturus relapsus : sed satis est hic et nunc seriam adesse voluntatem non relabendi : cum bene possit stare voluntas resipiscendi cum timore relapsus ex mutatione voluntatis. Hinc verum habet propositum pœnitens, qui interroganti Confessario de voluntate non peccandi, respondit : *Fragilis sum, valde formido lapsum; non volo tamen casum.* Tunc recte se geret Confessarius, si talem pœnitentem priusquam absolvat, disponere studeat, ut speret, non per vires suas, sed per auxilium Dei a peccatis liberatum iri. Ceterum erraret confessarius qu renueret absolvere pœnitentem vere dispositum, quia illum prævidet relapsurum. Bouvier, Suarez, Liguori, etc. — *V.* Gousset, *Justification de la morale de S. Alphonse*, pag. 205.

*b. Universale*, id est ad omnia mortalia tum patrata tum quæ patrari possent, extensum. Secus adhuc placeret offensa Dei : *Pœnitentia*, ait Angelicus, *de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis*[1]. Diximus : 1. *Ad omnia* juxta illud : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*[2]; — 2. *mortalia;* nam de venialibus sufficit, ut pœnitens proponat (si ea solummodo habeat), se abstinere ab aliquo in specie, absque eo quod proponat se abstinere ab omnibus : cum venialia non excludant divinam amicitiam. Sufficit etiam firmiter et efficaciter velle minuere frequentiam et multitudinem venialium, quia propositum cadit saltem in aliquod ex illis. Attamen in praxi melius est elicere propositum de nonnullis determinatis venialibus, quæ maxime ex habitu patrantur, vel de aliquo genere venialium, v. g., de mendaciis dicendo : *Nolo amplius mentiri*, eique aliquod peccatum grave vitæ anteactæ adjungendo, ut dictum est de contritione; — 3. *tum patrata, tum quæ patrari possent;* nam vera ad Deum conversio esse nequit sine omnium peccatorum mortalium aversione. Ad quod quidem certo non requiritur, ut pœnitens omnia peccata resignat quæ patrari possunt in futurum vel de iis sigillatim cogitet; sed satis est, si generatim proponat se in posterum non amplius Deum esse graviter offensurum.

*c. Efficax :* id est aptum ad efficiendum quod proponitur. Ideo oportet, ut pœnitens non solum proponat peccatum vitare; sed etiam adhibere media ad illud vitandum idonea, et præsertim fugere occasiones proximas : alioquin nugatoria esset resipisciendi voluntas; esset enim de novo quærere periculum labendi. Attamen non semper verum est tunc solum propositum esse efficax, quando efficitur quod proponitur : secus quoties pœnitens relabitur, toties teneretur Confessiones repetere. Relapsus nempe non semper est signum mali propositi, sed sæpius duntaxat voluntatis mutatæ; cum possit contingere, ut quis verum habeat amorem Dei ac firmum propositum non peccandi de cetero, et nihilominus statim

[1] 3 p., q. 87, a. 1. — [2] Jac. II, 10.



peccet. Sic Petrus vere proposuerat mori potius quam Christum negare; tamen ad primam ancillæ vocem eum negavit[1].

## Art. II. — De Confessione sacramentali.

**26.** Q. *Quomodo definitur Confessio Sacramentalis?*

R. Confessio sacramentalis, quam Græci *Exolomogesim* appellant definitur : *Accusatio propriorum peccatorum post Baptismum commissorum, legitime facta Sacerdoti competenti, ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam.* Dicitur : 1. *Accusatio*, quæ nempe fit animo sese reum demonstrandi : unde non sufficit mera historica narratio; 2. *propriorum peccatorum*, ut indicetur materiam Confessionis esse peccata propria, non ideo tentationes consensu carentes aut culpas alienas; 3. *post Baptismum commissorum;* quia peccatum originale, vel actualia ante Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ non subsunt; 4. *legitime facta Sacerdoti competenti*, nempe facta cum debitis conditionibus coram Sacerdote, qui hac de re necessariam habeat jurisdictionem; 5. *ad eorum remissionem :* sicque Confessionis sacramentalis cognoscitur et finis et effectus; 6. *virtute clavium Ecclesiæ*, id est potestate a Christo Ecclesiæ tradita : ducitur similitudo a clavibus, quia peccatorum remissione et cœlum aperitur clausum, et clauditur infernus apertus.

### § I. — De Confessionis sacramentalis institutione.

**27.** Q. *An Confessio sit juris divini, an humani?*

R. Wicleffus sæculo XIV Confessionem omnino non abrogavit, sed eam dicebat tantum juris Ecclesiastici. Sæculo XV Petrus De Osma negabat Confessionem esse divino jure necessariam. Sæculo XVI Lutherus et Calvinus Confessionem auricularem (ut nempe in usu est in Ecclesia romana) vo-

[1] Aliud tamen esset, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies, quin aliquo modo tentationi obstiterit. Tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus. — V. Careno, *Delle regole*, ecc. Esami V, VI e VII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

luerunt esse juris mere Ecclesiastici, nec ante Lateranense IV habitum anno 1215 sub Innocentio III, institutam. Eam iccirco turpissimis dicteriis insectantur : Calvinus illam *tyrannidem* vocat : Lutherus *cruentissimam carnificinam*. Eorum vero disciputi, inter quos eminent Dallæus et Kemnitius, *tormentum Innocentianum*[1]. Veniunt denique increduli et libertini, qui quamdiu passionibus obcæcati et viribus satis validi in hanc divinam institutionem debacchantur. Qui quidem docent vel peccatorum Confessionem esse inutilem, cum sola fides justificet; vel satis esse confiteri Deo; vel si quando necessaria dicitur Confessio, id intelligendum de Confessione publica quoad nonnulla gravissima et atrociora peccata.

Verum de catholica fide est, Confessionem sacramentalem omnium et singulorum mortalium post Baptismum commissorum esse divinæ institutionis ac necessitatis ad salutem[2].

Prob. 1 : Ex SS. Litteris : Christus a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*[3]. Quo tam insigni facto et verbis perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, certum est de fide divina. At hæc potestas nequit exerceri, nisi pœnitentium causa integre et plene cognita sit : sed hæc integra et plena causæ cognitio nullimode haberi potest, nisi pœnitentes in specie et singillatim sua ipsi peccata confiteantur;

[1] Habet Diarium *la Civiltà Cattolica*, ser. II, t. I. « Il y en a parmi les Anglicans (je parle d'Oxford, où se trouvent les hommes les plus instruits) qui croient à la confession : on est libre de se confesser ou non parmi eux; mais le ministre ne donne pas l'absolution, ne croyant pas que la pénitence soit un sacrement. Les étudiants sont obligés de communier tous les deux mois; mais ils sont libres de croire ce qu'ils veulent, et il arrive par là qu'au même moment des jeunes gens, croyant à la même religion, vont à la cène, les uns pour manger, les autres pour recevoir le Seigneur. »

[2] Hic proprie agimus de necessitate Confessionis, non de modo Confessionis faciendæ sive publice sive secreto. Primum attingit dogma; alterum disciplinam : disciplina tamen secretæ seu auricularis Confessionis semper fuit in usu, et non est aliena a Christi institutione ex dicendis infra.

[3] Joann. xx; Matth. xviii. — *V.* Maldonatus, *De pœnit.*



ergo quo jure tradita est peccata solvendi ac ligandi potestas, nempe divino, eodem jure instituta et præscripta fuit peccatorum Confessio[1]. Hinc Tridentinum : *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit... anathema sit*[2].

Neque 1. ea verba possunt referri ad prædicationem Evangelii, quæ salvat credentes, non credentes perdit. Et sane apud Evangelistas mandatum prædicandi omnino secernitur a mandato peccata remittendi et retinendi; et Christus vult quidem ut Evangelium prædicetur *omni creaturæ;* at non omnibus promiscue remittenda esse peccata, ait enim *quorum remiseritis.* — Neque 2. illa verba sunt intelligenda de privata injuriarum condonatione. Aliud enim est injuriam pati, condonare vel deferre; aliud accipere Spiritum sanctum ad peccata remittenda et retinenda : proprius et naturalis sensus pugnat, ut hæc duo confundatur. — Neque 3. laudata verba habenda sunt uti directa ad omnes Christi Discipulos, etiam mulieres, ideo et ipsas posse peccata dimittere, retinere; eo quod Joannis textus ubi datur illa potestas, meminit discipulos in genere. Cum in sacris Litteris Apostoli etiam *discipulorum* nomine aliquando indicentur, ideo videndum est ex contextu, ex loquendi modo et locis similibus, quando ipsi soli sub hoc nomine intelligantur : ipsos porro solummodo intelligi in præsentiarum, patet evidentissime ex ipso citato Joannis capite; ibi enim dicitur, quod *Thomas unus ex duodecim non erat cum eis, quando venit Jesus, dixerunt ergo ei alii Discipuli : Vidimus Dominum*[3].

2. Ex traditione : quod universa semper tenuit et tenet Ecclesia et cujus nullum neque ab Apostolis reperitur exordium, illud a Christo Apostolis et ab Apostolis omnibus ubique Ecclesiis traditum rectissime creditur. Atqui ita se habet

[1] Tota argumentatio est Tridentini, sess. xiv, c. i et v. « Il y en a peut-être qui ne savent pas que l'on ne peut ni remettre ni retenir ce que l'on ignore. Un juge, un magistrat, établi par la loi pour absoudre l'innocent et condamner le coupable, peut-il absoudre ou condamner sans procès, sans examen, sans rendre une sentence raisonnable et légale? » Casaccia.

[2] Sess. xvi, can. iii. — *V.* Scheffmacher, *Lettres*, etc., vol. I, lett. 4.

[3] *V.* Negri, *Errori di Luigui de Sanctis sul dogma della Confessione*, cap. ii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confessio Sacramentalis. Quanquam vel ipsa traditio satis aperte notat Confessionis usum atque præceptum a dominicis verbis ortum ducere : *Quorum remiseritis*, etc.

Hujus veritatis testes sunt 1. : omnia antiquissima et Latinorum et Græcorum et Orientalium Ritualia[1]. Item sectæ omnes, quæ longe ante Innocentium ab Ecclesia catholica divisæ sunt, ut græci, armeni, æthiopes, hæresi vel schismate infecti, apud quos hæc doctrina adhuc viget, uti a Christo Domino descendens.

Testes sunt 2. omnes Ecclesiæ Patres[2]. — Sæculo I S. Clemens scribit : *Postquam e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere*[3] : ubi loquitur de omni generatim peccatorum confessione. — Sæculo II S. Irenæus de mulieribus a Marco præstigiatore seductis refert, quod *postea ad Dei Ecclesiam reversæ cum reliquo suo errore hoc quoque confessæ sunt.* Aliæ autem hoc crimen confiteri veritæ *a vita Dei desperaverunt :* at non desperassent, si Confessionis usum non credidissent necessarium[4]. — S. Cyprianus, qui sæculo III floruit, sic pœnitentium Confessiones describit : *Animi sui pondus exponunt : salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt*[5]. Hic agit S. Doctor de peccatis *parvis* et *modicis*, quæ non erant obnoxia pœnitentiæ publicæ, ideoque loquitur de Confessione vere sacramentali. — S. Gregorius Nissenus, qui vixit sæculo IV, sic peccatores hortatur : *Sume Sacerdotem ut patrem : audacter ostende illi, quæ sunt recondita : animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege : ipse honoris et valetudinis tuæ rationem habebit.* Hic quoque agitur de Confessione illa, qua aperiuntur peccata secreta ; et ideo agitur de Confessione sacramentali. — Et sæculo V D. Augustinus ait[6] : *Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago,*

[1] *V.* Morinus, *De pœnit.*, app. — Natalis Alexander, *Dissert. polem. de Confess*, l. III.

[2] *V.* Liguori. *Opera Dogmatica*, sess. XIV, c. V ; Bellarminus, Vitassius, Tournely, etc.

[3] *Epist. II ad Corinth.*, cujus fragmentum nobis superest.

[4] L. I, *Contra hæres.*, c. VI et XIII. — [5] *De lapsis.*

[6] Homil. *In eos, qui acerbe judicant.*



*novit Deus qui mihi ignoscat, quid in corde meo ago : ergo sine causa dictum est :* Quæ solveris in terra, soluta erunt in cœlo ; *ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ : frustramus evangelicum Dei, frustramus verba Christi.* — Sæculo VI Joannes Patriarcha Constantinopolitanus inquit : *Per nostram vocem horum* (peccatorum) *remissionem dispensat et largitur* (Deus), *sicut per propriam vocem ipse declaravit, cum ita dixit :* Quæcumque ligaveritis, etc. ; *revela igitur... nihilque mihi cela eorum, quæ a te clam facta sunt.*

3. Testes sunt Concilia, ut Cabillonense anno 613, Trullanum 692 ; item Turonense, Remense, Parisiense, Maguntinum, Wormantense, etc., quæ omnia ante sæculum XII celebrata fuerunt. Merito ergo concludit Tridentinum : *Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*[1]. Et deinde definit : *Si quis negaverit Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit*[2].

Mirum quod Protestantes contra hanc institutionem adeo insurgant ; cum illius vestigium vel in ipsa veteri Lege habeatur. Si quidem divinæ legis transgressores etiam tunc peccatum suum confiteri tenebantur : pro illis Sacerdos orabat, Sacrificium offerebat, et ita venia obtinebatur[3]. Imo vel apud ipsos gentiles in usu est Confessio, ut demonstrant Gaume, Martinet et alii. Imo ad hoc remedium suscipiendum ipsa natura nos impellit : homo enim levare se sentit peccati sui manifestatione ; remorsus extinguit et pacem, quam amiserat peccando, Confessione invenit. Unde si non adesset, adhuc libenter esset suscipiendam ; cum adeo vel ad ipsum bonum publicum conferat. Hinc pulchre Origenes : *Sicut ii qui habent*

[1] Sess. XIV, cap. V.

[2] Sess. XIV, can. VI, VII et VIII.

[3] Lev. V ; Num. V. V. *Bible* de Vence, dissert , V. V : *Sur le Baptême de S. Jean.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*intus escam indigestam, si vomuerint, relevantur; ita peccator... si sui accusator fiat, cum accusat seipsum et confitetur, simul evomit et delictum*[1] (*D*).

**28.** Dices 1 : *Nonne sacramentalis confessio, nunc in usu, a Patribus in Lateranensi congregatis anno 1215 initium habuit? Ergo non est a divino mandato.*

R. Nihil absurdius; in eo enim Concilio, pro certo supposito dogmate Confessionis, tempus tantummodo illam suscipiendi determinatum fuit; cum tunc variæ essent hac de re disciplinæ inductæ. Sane si hæc noviter tunc esset instituta et Patres de hoc disputassent et fidelium turbæ novitate concitatæ fuissent; nihil autem hujusmodi. Adde : Lateranense eodem modo loquitur de Eucharistia ac de Pœnitentia; si ergo tunc fuit primitus instituta Confessio, cur non etiam Eucharistia? quod tamen nemo dicit. Adde Ritualia, Concilia, Patres qui omnes ante Lateranense Confessionis sacramentalis doctrinam constanter retinuerunt. Adde facta plurima Confessionum, quas historia narrat longe ante illud Concilium : « Au onzième siècle, dit Gaume, un prêtre appelé Étienne, du diocèse d'Orléans, fut confesseur de Constance, épouse du pieux roi Robert; au dixième, saint Ulderic, évêque d'Augsbourg, confessait l'empereur Othon; au neuvième, Charlemagne avait pour confesseur Hildebrand, archevêque de Cologne; au huitième, saint Martin, évêque de Corbie, remplissait la même charge auprès de Charles Martel. Le premier concile d'Allemagne, tenu dans le même siècle (742), ordonne que chaque régiment aura un prêtre pour entendre les confessions des soldats; au septième siècle, saint Ansbert, archevêque de Rouen, était le confesseur du roi Thierry Ier[2]. » S. Ambrosius, mortuus anno 397, Confessiones secretas excipiebat, et quoties quis apud illum lapsus suos confitebatur, ita Sanctus flebat, ut pœnitentem flere compelleret[3]. S. Elgius sæculo VI Confessionem generalem vitæ suæ fecit apud Sacerdotem. S. Fructuosus abbas Complutensis anno 670 defunctus in regula Confessionem generalem præscribit novitiis, qui ante ingressum in monasterium graviter delinquerunt. Item S. Chrodegangus monasterium Clericorum regularium instituens versus annum 763 tempus agendæ Confessionis sacramentalis præscribit[4], etc.

**29.** Dices 2. *Nonnulli Patres Confessionem abrogarunt; ergo illam non habuerunt divino jure institutam ac necessariam.*

[1] Hom. II in Ps. III. — *V.* Aubert. *La confessione difesa ed illustrata con fatti storici.* Modena, 1862, Torino.
[2] *Catéchisme de persévérance*, etc. — [3] Paulinus in ejus vita.
[3] *V.* Scheffmacher, *Lettre à un gentilhomme protestant.*



R. Si Patres nonnulli videntur Confessionem in suis Ecclesiis abrogasse, id non de sacramentali Confessione accipiendum; sed de publica, quæ tunc erat in usu, quamque abrogarunt; quia aliquando erat occasio scandali : talis fuit illa, quam Nectarius patriarcha Constantinopolitanus abrogavit versus finem sæculi IV, ut invicte probant eruditi[1]. Ad cujus quidem facti intelligentiam (quod protestantes ad nauseam objiciunt) sciendum est, Episcopos tempore Novatianorum Sacerdotem pœnitentiarium præfecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confiterentur. Quædam mulier ad pœnitentiarum presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est : *Presbyter vero præcepit illi, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum Confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est Ecclesiæ, videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse :* sunt verba Socratis[2]. Magnum inde exortum est scandalum in Ecclesia, et populus viros Ecclesiasticos hanc ob causam dicteriis appetere cœpit : tunc quidam Presbyter nomine Eudemon suasit Nectario, ut Presbyterum pœnitentiarium expungeret, et *unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem sineret accedere.* Sozomenus factum istud eodem modo refert[3].

Illo igitur admisso, non sequitur Nectarium Confessionem secretam

[1] *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. XIII. — Klée, Billuart, Bellarminus, Tournely, etc.
[2] *Hist.*, l. V, c. XIX. *V.* Klée, Knoll, etc.
[3] *Hist. Eccles.*, l. VII, c. XVI. Hic audiendus Perrone in suo *Catechismo :* « Quelques-uns pensent qu'il abolit la pénitence publique. D'autres (avec plus de raison peut-être) croient qu'il abolit le Tribunal mixte de la grande pénitencerie (comme nous dirions aujourd'hui), institué à l'occasion de l'erreur des Novatiens, pour qu'ils ne pussent pas dire que l'Église était trop indulgente en remettant tous les péchés. J'ai appelé ce tribunal *mixte*, parce qu'il était institué non-seulement pour remettre les péchés, mais encore quand il s'agissait de crimes énormes, pour obliger ceux qui les avaient commis ou ceux qui en étaient complices à subir la pénitence publique et quelquefois à dénoncer à l'évêque des fautes qui lui étaient réservées. Une femme ayant été ainsi forcée de faire connaître le péché d'un diacre, il en résulta un grand scandale pour le peuple. Le scandale n'arriva donc point parce que le prêtre rompit le sceau de la confession, mais à cause de la dénonciation commandée par ce tribunal mixte, qui était un appendice du tribunal ordinaire de la confession. A cette occasion, l'évêque Nectaire aboli cette institution additionnelle, et la confession revint à son antique simplicité. C'est là le sujet des regrets de l'historien Sozomène, parce qu'il voit le péché moins retenu désormais par la honte de l'aveu public. »

abrogasse : nam 1° abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat : at Confessio secreta tempore illo non fuerat instituta, siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio Origenis et Cypriani ; 2° abrogavit quod fuerat occasio scandali ; 3° Confessio secreta semper fuit in usu post Nectarium, ut constat testimonio S. Chrysostomi ejus successoris[1], et constanti praxi Græcorum ; 4° ex ipsomet facto mulieris et pœnitentiarii constat Confessionem auricularem tunc in usu fuisse ; siquidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata*. Nectarius autem permisit *unumquemque pro arbitrio et animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere*, non quod æstimaret Confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure divino ; sed quia licentiam unicuique dabat illa uti vel non uti, prout nempe agnosceret se esse sontem, vel insontem.

**30.** Dices 3 : *Nullibi legitur Apostolos Confessiones excepisse vel ipsos confessos fuisse ; ergo credi nequit ipsorum tempore præceptum sacramentalis Confessionis extitisse.*

R. Multi Theologi probant, usum Confessionis tempore Apostolorum exstitisse per hæc Actuum Apostolorum verba : *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos*[2]. Ibi enim agitur de peccatis *credentium*, ac proinde post Baptismum commissis : talem esse antiquissimorum Patrum interpretationem ostendit Morinus[3]. Alii tamen dicunt verbum *credentium*, intelligi posse de nondum baptizatis, qui peccata sua aliquo sensu confitebantur, ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. Hac igitur responsione prætermissa, negamus consequentiam : 1. quia prædicare, docere, baptizare, manus imponere aliaque officia muneris apostolici implere debebant Apostoli, raro autem Confessiones fidelium excipere ; præsertim cum in illis felicissimis temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret ; 2. quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta : præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quæcumque ipsis mandaverat*, et parum solliciti erant an actus sui scriberentur ; liber autem Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continet, et de aliis fere nihil refert ; 3. cum Apostoli referant ipsius Christi Domini verbis potestatem ipsis traditam remittendi et retinendi peccata, non est dubitandum, illos hac potestate fuisse usos, necessitate occurrente ; ne dicantur inaniter locuti. Ergo falso concluditur ex silentio Apostolos Confessiones non excepisse, vel ipsos Confessione pro se non usos esse : quamquam forte illa non indiguerint : nam, juxta probabilem sententiam, Apostoli erant confirmati in gratia.

[1] Hom. *De muliere Samarit.* — It. *De Sacerdotio.*
[2] Cap. XIX, 18. — [3] *De pœnit.*, l. VIII, c. VIII, § 4.



**31.** Dices 4 : *A S. Clemente ad S. Bernardum non legitur in vitis Sanctorum ipsos confessos ; quod quidem non contigisset si Confessio esset jure divino præcepta ?*

R. Cum clarissimo Perrone : « Les saints se sont confessés toutes les fois qu'ils ont cru devoir le faire : cela se prouve par un puissant argument d'analogie. Il est certain, comme on l'a vu, que Jésus-Christ a institué la confession ; il est certain que l'Église universelle l'a toujours pratiquée ; il est certain que les saints Pères en ont inculqué l'absolue nécessité ; donc, dois-je conclure, les saints se sont confessés lorsqu'il l'a fallu. Qu'une chose ait été *faite* et qu'elle ait été écrite, c'est tout différent ; il y en a beaucoup qui se font et ne s'écrivent pas. Il n'est pas étonnant que dans les vies des saints il ne soit pas question de leurs confessions. Autrefois les biographies étaient courtes et l'on ne racontait que les faits principaux ; aujourd'hui, au contraire, on détaille les plus petites circonstances. Si ce silence d'ailleurs prouvait quelque chose contre la confession, il prouverait également contre la communion, puisque, comme le fait observer Gibbon, le premier saint dont il est dit qu'il communia avant de mourir, c'est saint Ambroise au quatrième siècle. Il faudrait donc affirmer que pendant les trois premiers siècles les saints n'ont point reçu la communion avant la mort.

« Joignez à cela les circonstances qui rendaient la confession alors plus rare : 1° Plusieurs mouraient martyrs ; 2° plusieurs recevaient le baptême dans un âge avancé, et beaucoup dans la dernière maladie ; 3° on n'admettait point à la confession ceux qui étaient soumis à la pénitence publique ; 4° à cette époque on ne se confessait pas souvent des péchés véniels. Tout cela soit dit enfin *ad abundantiam juris*, car il est faux que l'histoire ne nous fasse pas connaître de saints qui se soient confessés avant de mourir, de saint Clément à saint Bernard. Parmi un grand nombre, nous pouvons citer saint Éloi, évêque dans les Gaules, dont il est raconté qu'il fit *la confession de toute sa vie passée*. On lit la même chose dans la vie de saint Arédius ; dans celle de saint Tillon ; dans celle d'une foule d'autres saints, dont parle D. Martène, et qui vécurent plusieurs siècles avant saint Bernard[1]. »

### § II. — De Confessionis præcepto ac conditionibus.

**32.** Q. 1. *An Confessio Sacramentalis præcepta sit?*

R. Adest præceptum Confessionis sacramentalis divinum

[1] *Catechis.*, lez. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ecclesiasticum pro iis omnibus, qui post Baptisma mortaliter peccaverunt. Divinum declaratur ex illis verbis Tridentini : *Si quis negaverit Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anathema sit*[1]. — Ecclesiasticum in Lateranensi IV editum est : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam pœnitentiam studeat pro viribus implere;... alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura*[2]. Et Tridentinum eos anathematizat, qui dicunt ad Confessionem non teneri *omnes et singulos utriusque sexus Christifideles juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno*[3].

Hoc porro præceptum sive divinum sive ecclesiasticum obligat omnes quos respicit, sub gravi; cum agatur de materia per se gravi.

**33.** Q. 2. *Quos et quoties obligat præceptum divinum Confessionis?*

R. Præceptum divinum Confessionis omnes obligat, qui mortali peccato se commacularunt; nam sine ista pœnitentia vel in re, vel in voto non fit remissio : et obligat tum per se, tum per accidens.

Obligat *per se* in mortis articulo, et in gravi vitæ periculo, vel probabili non amplius confitendi; ne scilicet contingant præceptum hoc nunquam impleri, aut ne in hujusmodi rerum adjunctis negligantur media ex præcepto divino ad salutem necessaria, inter quæ Sacramentalis Confessio merito recensetur. Sic tenebuntur confiteri ingredientes periculosam navigationem vel conflictum : item mulieres non satis robustæ primum parituræ, vel quæ solent habere partus difficiles : item damnati pœna capitali; vel habentes signa imminentis mortis etiam naturalis.

Obligat *per accidens* : 1. quando sumpturus Eucharistiam versatur in mortali, ex divino præcepto[4]; 2. quoties necessa-

[1] Sess. XIV, can. VI. — [2] Can. XXI.
[3] Sess. XV, can. VIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 662.
[4] *V.* De Eucharistia.



rium sit ad gravem tentationem superandam; medium enim debet, qui debet finem; 3. si quis debeat esse in statu gratiæ, et nequeat elicere perfectam contritionem; tunc una justificationis via hoc Sacramentum est.

Est autem commune cum D. Thoma[1], hoc præceptum per se non obligare statim post peccatum, cum nihil tale præcipiatur, atque hoc præceptum sit affirmativum : quod ideo non obligat pro omni tempore. Attamen communius aiunt illud obligare sæpius in vita : quod quidem videtur probabilius; nam hoc divinum præceptum Christus reliquit determinandum ab Ecclesia. Ecclesia porro in decreto Lateranensi determinavit illud obligare saltem semel in anno. Ita Croix, Granata, Salmanticenses aliique passim.

**34.** Q. 3. *Quoties, et quosnam obligat præceptum Ecclesiasticum sacramentalis Confessionis?*

R. ad 1. : Ex Lateranensi decreto patet, præceptum Ecclesiasticum Confessionis obligare saltem semel in anno : hinc recte aiunt Conink, Lugo, Holzman et Suarez, quod per se loquendo annus esset computandus a januario ad decembrem; spectata tamen universali consuetudine, hodie computatur ab uno Paschate ad aliud Pascha[2]. Diximus *saltem semel in anno* : unde qui prævidet sibi in posterum non fore commoditatem confitendi toto anno, debet Confessionem prævenire, si peccavit mortaliter; quia iste jam obligationem contraxit[3].

[1] In 4, d. 17, q. 3, a. 1, q. 4.
[2] « Le canon *Omnis utriusque* n'a pas précisément déterminé le temps de l'année pendant lequel on doit le faire; mais, puisqu'il ordonne en même temps de communier à Pâques, la coutume s'établit naturellement de se confesser à Pâques ou dans le temps de la sainte Quarantaine. Ceux qui, parmi les fidèles, n'ont pas à s'accuser de péché mortel, savent qu'ils ne peuvent mieux se préparer pour recevoir l'Eucharistie qu'en mettant le moindre intervalle possible entre la sainte Communion et la Confession. C'est pourquoi le concile de Trente a approuvé la coutume de se confesser à Pâques et la regarde comme salutaire, pieuse, et digne d'être conservée dans l'Eglise. « Jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum « fructu observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo et maxime ac- « ceptabili tempore quadragesimæ; quem morem hæc S. Synodus maxime « probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum. » Sess. XIV, cap. V. Gousset.
[3] Non tamen tenetur prævenire qui habet mortale, et timet ne oblivisca-

R. ad 2. : Lateranense decretum ad Confessionem obligat omnes baptizatos peccatores, nisi eos impotentia excuset; ergo etiam impuberes, imo etiam pueros, qui nondum septennium compleverint, si jam ad annos discretionis pervenerint, id est si doli capaces, prout communiter docent. Quod si de discretione dubitetur, nec brevi possit dubium resolvi, docent Croix, Diana, Gobat, Layman, Mazzotta, Sporer aliique communissime, pueros esse sub conditione absolvendos, si non ex paschali præcepto, saltem ne forte diu maneant in mortali.

Tunc autem pueri censentur attigisse annos discretionis et doli capaces quoad hoc præceptum, quando sunt capaces mortalis peccati : quod quidem judicandum est non ex sola ætate, sed præcipue ex gradu ingenii, ex educatione, ex spiritu, vel si sciant discernere bonum et malum. Spiritus discretionis censetur inesse in iis, qui apprehendunt quid sit mendacium, vel qui de quibusdam impuris actionibus erubescunt : hos puerulos pastores animarum tenentur sensim, et industrie præparare ad Confessionem.

Graviter autem errant Confessarii, qui sibi commissos pueros nunquam ante primæ Communionis ætatem absolvere volunt; alia est enim discretio quæ requiritur ad Confessionem, alia quæ ad Communionem.

**35.** *Quid* (quæres) *de illo, qui non habet, nisi venialia?* Audiatur Angelicus : *Dicendum quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ quando non habet alia quæ confiteatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia : quod patet ex eo quod dicit, quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest; quia nullus omnia confiteri potest : et secundum hoc ille qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, et se ostendat absque conscientia mortali esse, et hoc ei pro Confessione reputatur* [1]. — Verum communis sententia et verior cum D. Antonino, Alasia, Billuart, Cajetano, Cano, Laymano, Lugo, Suarez, etc., ab onere tum confitendi, tum etiam se repræsentandi solutos esse docet omnes qui mortaliter non peccaverunt. Sane præceptum canonis Lateranensis est tantum determinativum divini præcepti, ut expresse tradit Tridentinum [2]; atqui divinum præceptum non obligat ad Confessionem venialium. Adde non esse verisimile, quod Ecclesia in condendo hoc præcepto aliud intenderit, quam intenderit Christus; scilicet reconciliationem peccatoris. Adde pœnam, quæ indicitur, graviorem esse, quam ut pro omissione Confessionis venialium infligatur. Quod si mortalia non habentes non tenentur ad confitendum, neque ad se confessario præsentandum; nullibi enim id præceptum est, nisi quando agitur de confessione peragenda; igitur qui non tenetur confiteri, neque se præsentare.

tur illius, ut cum communi ait Lugo, Coninchius et alii; nam præceptum est tantum confitendi suo tempore peccata, quæ memoriæ occurrunt, examine præmisso. Neque iste tenetur peccata sua scripto mandare, ut cum eodem Lugo docet Billuart; nam conservatio scripturæ est exorbitans; imo periculosa, cum de facili aliis possit innotescere, et in eorum manus venire. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 671 et seqq.



**36.** Q. 4. *An qui præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfecit, teneatur satisfacere quamprimum?*

R. Sententia communior, quam sequimur, affirmat utique eum, qui præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ non satisfecit, quacumque de causa sive legitima sive non, teneri satisfacere quamprimum. Quia terminus non apponitur ad obligationem finiendam, ut in jejunio; sed ad eamdem non differendam, ut in debiti solutione, nam hic res ipsa, seu Confessio primario spectatur, non tempus, ut patet ex verbis : *saltem semel in anno*. An autem toties peccet qui confiteri differt, quoties negliget sibi oblatam occasionem, affirmative si toties renovet positivam voluntatem; secus probabilius negative [3].

*An* (quæres) *qui anno sequenti confitetur peccata præteriti anni*,

[1] Suppl. 3 p., q. 6, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 432 et 666. Democritus habens mortale cujus non recordatur, confitetur in Paschate sola venialia; sed post aliquot dies illius reminiscitur : an ad implendum præceptum debeat denuo confiteri? Affirmant Suarez, Layman, etc., nam adhuc urget præceptum annuæ confessionis cui non est satisfactum per solam venialium confessionem ab eo qui habuit mortalia. Sed alij negant, quia cum mortale sit remissum ob bonam fidem, sola remanet obligatio illud submittendi clavibus Ecclesiæ cum primum fiat nova confessio; sed proprie illud non amplius est in anima.

[2] Sess. XIV, cap. V in fine. In hac autem re, cum agatur de internis, utique fideli credendum est; attentis tamen illius moribus, ne sub hac larva præceptum violet. Quamquam hæc quæstio speculativa est; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus renueret semel saltem in anno confiteri, vel ad Communionem ab anno inconfessus accedere auderet?

[3] Fusius Croix, *De præcepto Confessionis*, n. 2003.

*satisfaciat præcepto utriusque anni?* Audiatur Sanctus noster : « Alii affirmant ; alii vero negant [1]. Sed verior sententia Castropalaui, Vivæ, Hurtadi, Salmanticensium, etc., distinguit : si ipse confitetur peccata mortalia tam præteriti quam præsentis anni, tunc recte satisfacit utrique præcepto ; quia totum præcepti finem adimplet, qui est reconciliatio cum Deo a peccatis illius anni. Non ita vero si confitetur peccata tantum præteriti anni in posteriori anno (quia nempe in currenti anno non habet, nisi venialia) : si post peractam Confessionem labitur in alia peccata mortalia, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat præcepto posterioris anni; dum communiter dicunt Suarez, Layman, Castropalaus, Salmanticenses, Lugo, etc., quod si quis in principio anni confitetur sola venialia, tenetur denuo confiteri. Itaque illa Confessio mortalium prioris anni non habet vim satisfaciendi præcepto anni posterioris.

Q. 5. *An præcepto annuali satisfiat per Confessionem invalidam?*

R. Negative : 1. quia Confessio, quæ præcipitur, debet esse Sacramentum completum, et apta ad peragendam reconciliationem cum Deo; 2. quia Ecclesia novum non condidit præceptum, sed tantum divinum determinavit; atqui præceptum divinum respicit Confessionem validam ; 3. quia proscripta est ab Alexandro VII hæc sub n. 14 propositio : *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

An autem satisfaciant præcepto non confitentes proprio Parocho, tres summi Pontifices quæstionem definierunt, docentes utique satisfacere : 1. Alexander IV sæculo XIII contra Guillelmum a S. Amore parisiensem; 2. Joannes XXII sæculo XIV contra Joannem Poliacum item parisiensem; 3. Clemens VIII sæculo XVI in Bulla *Significatum* contra nonnullos Parochos Diœcesis Atrebatensis in Belgio. Quare communiter tradunt capite *Omnis* nomine *proprii Sacerdotis* intelligi quidem Parochum ; sed sine exclusione Episcoporum et Sacerdotum, qui sint ab Ordinario approbati : et talis revera est ubique consuetudo. *Sacerdos proprius*, ait Angelicus, *non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa...; unde qui confessus est Episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio Sacerdoti* [2].

[1] Alii affirmant, quia præceptum de Confessione est de illa facienda semel in anno, ergo qui eam facit hoc eodem anno non tenetur ad aliam; alioquin qui per tres annos non fuisset confessus, quater deberet confiteri. Ideo negant alii, quia sicut qui singulis annis tenetur solvere denarium, si anno præterito non solvit, non satisfacit solvendo hoc anno unum denarium; ita non potest quis una Confessione præcepto duorum annorum satisfacere. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XII, n. 37; *Op. Mor.*, l. VI, n. 669.

[2] Opusc. XVI, *Contra impugnant Religion.* Imo S. C. Episc., anno 1554,



**37.** Q. 6. *Quot sunt conditiones ad Confessionem?*

R. Sexdecim conditiones numerat Angelicus hisce versiculis [1]:

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*
*Sit nudata, frequens, discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta et lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis et accusans, et sit parere parata.*

1. *Simplex*, id est veritatem simpliciter dicens sine admixtione rerum, quæ ad Confessionem minime pertinent. *Et qui indigent consolatione propter tribulationes, vel concilio propter dubia, post Confessionem et Absolutionem talia dicant ; et non misceantur in Confessione, ne contritionis vim diminuant.* Ita D. Antoninus.

2. *Humilis*: tam *interne*, ut malitiam sui peccati pœnitens tribuat sibi, non tentationibus vel gratiæ defectui ; quam *externe*, ut Confessio fiat sine audacia vel jactantia, cum habitu decenti, capite detecto, genibus flexis et armis depositis. Non enim venit pœnitens quærere sui excusationem ac ostentare virtutem ; sed suam fateri malitiam et infirmitatem. Plures Synodi (uti Novariensis pag. 117) prohibent Ecclesiasticis, ne accedant peccata expiaturi cum vestibus sacris, aut superpelliceo ; *quia ea ornamenta* (*innocentiæ symbola et gradus prærogativæ*) *reorum personæ non sunt consentanea.*

3. *Pura*, id est cum solo fine obtinendi veniam peccatorum virtute clavium ; cum ideo Confessio instituta sit. Unde peccant, qui alio fine confitentur, v. g., captandi bonam famam vel benevolentiam.

4. *Fidelis* seu *verax*, id est peccatum exponens sine ullo mendacio et æquivocatione. Id sane requiritur essentialiter, quando agitur de materia substantiali et necessaria ; alioquin in re gravi deciperetur judex. Hinc fatentur omnes, me graviter peccaturum : *a.* si mortali quod teneor confiteri, et puto esse tale, negem vel tegam ita, ut a Confessario non intelligatur ; *b.* si mihi ipsi mortale aliquod falso imponam

declaravit, quod si Episcopus juberet, ne quis Confessiones audiret sine licentia Curati, talis decreti nulla habenda sit ratio. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XI, c. XIV ; et *Notificatione* XIII.

[1] Suppl. 3 p., q. 9, a. 4. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 27. — Ferraris, vº *Pœnitentia*, a. 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

advertenter; est enim contra charitatem in meipsum. Si tamen id fiat ex scrupulo vel ex simplicitate, non esset peccatum; neque postea tenetur, cum errorem cognoscit, iterum adire Confessarium pro retractatione, *quia ejus Confessio*, uti ait Sylvius, *bona fuit, nec aliquid accedit novi confitendum circa illud*; c. si negem vel mentiar circa peccata, etsi jam confessa et absoluta, quando Confessarius uti judex aut medicus de iis aliquid exquirit utpote necessarium ad præsentem Confessionem; nam in substantialibus deciperetur[1].

Non ita tamen esset, si ageretur tantum de materia libera et non pertinente ad Sacramentum: ut si v. g., historiam falsam quis narret; quia falsitas in accusatione circa materiam accessoriam non facit sententiam irritam: unde iste tantum peccat venialiter; cum injuriam gravem non irroget neque Confessario neque Sacramento[2].

5. *Nudata*; nempe libera e verborum ambagibus, vel inani circuitu; neque enim in confessione agitur de minuenda culpa; bene vero de venia obtinenda.

6. *Frequens* juxta pœnitentis conditionem et Confessarii judicium; nam qui non vult insordescere, necesse habet, ut frequenter pulverem excutiat inter hujus vitæ vias. Quæ frequentia etiam illis convenit, qui venialibus tantum detinentur; hæc enim ex Tridentino *recte et utiliter* in Confessione aperiuntur[3]: et hoc commendat piorum usus et antiquitas, ut pluribus ostendunt Mabillonius[4], Morinus[5], Martenius[6], Renaudotius[7] et Chardonius[8]. Hinc a Pio VI Constitutione *Auctorem fidei* sub numero 39 « declaratio

[1] Imo pœnitens, qui affirmat peccatum mortale quod non fecit, duplex mortale committit: *sacrilegii* contra virtutem Religionis ob reverentiam Sacramento debitam; *mendacii* sibi graviter perniciosi, contra veracitatem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 496.

[2] Idem dicendum est cum communi, si quis vel negat peccatum veniale commissum; vel mortale, sed alias jam confessum et absolutum, neque ad præsentem Confessionem necessarium; vel si falso se accuset de veniali, modo det aliam materiam pro Sacramento conficiendo; tunc cum effectu non frustretur, non habebitur nisi culpa levis.

[3] Sess. XIV, c. V. — [4] Præf. ad *Acta sanct. Benedict.*, sæc. III.

[5] *De pœnit.*, l. V, c. III. — [6] *De antiq. Eccl. ritib.*, l. I, p. II, c. V.

[7] *De perpet. fidei*, t. V, l. III. — [8] *Hist. Sacrament.*, t. II, c. VI.



Synodi (Pistoriensis) de peccatorum venialium Confessione, quam optare se ait, non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi Confessiones, damnata est uti *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sancto Concilio Tridentino probatæ contraria*[1]. »

Merito ergo Synodales Constitutiones (uti Novarienses pag. 116 et 162) quoad Ecclesiasticos, si in majoribus sint constituti, præcipiunt ut singulis Dominicis solemnibusque festis confiteantur: si in minoribus ut confiteantur singulis mensibus, item majoribus festivitatibus. Quoad sæculares vero jubent, ut a proprio Parocho suadeatur accedendum *crebro per annum, solemniorum potissimum occasione dierum, non absque multiplici Indulgentiarum emolumento*[2].

7. *Discreta*, id est prudens tam in explicando peccato honestis verbis, quam in eligendo etiam docto et pio Confessario; ne secus loco medicinæ hauriatur venenum.

8. *Libens*, nempe voluntaria: ideo non coacta timore sive domini sive parentum, ut solet evenire in servis et filiis.

9. *Verecunda*, nempe cum animi vultusque pudore; neque enim illum veraciter pœnitet qui peccata sua impudenter enarrat.

10. *Integra* quoad peccata mortalia: peccata enim tegere est sinu serpentem fovere, qui nos lethaliter interficiat[3].

11. *Secreta*, id est soli Sacerdoti facta, ad ejus nempe aures, et ideo *auricularis* dicitur. Id tamen non requiritur de necessitate Sacramenti, quasi non valeat si publica sit; sed ex usu rationabili Ecclesiæ. *Quoad modum*, ait Tridentinum, *confi-*

[1] *V.* Salvatori, *Istruzioni*, ecc. — Castelvetere, *Direttorio ascetico-mistico*, p. III, e. 17. — Segneri, *Il penitente istruito*, c. XV. — S. Fr. de Sales, *Introduction à la vie dévote*. — Ithuriaga, *Dissert.*, l. V, de confessione.

[2] Ad ædificationem conduceret, si scirent fideles ac viderent suos Ecclesiasticos frequenter peccata sua confitentes. Caveant Ecclesiastici ne hoc opus ita furtim agant, ut si forte ipsi periculose ægrotent, quem accersant Confessarium, dubii hæreant domestici. De quodam narratur, qui mortali morbo laborans interrogatus fuit cuinam de more confitetur: respondi suum ordinarium Directorem et Confessarium esse talem religiosum, qui quidem religiosus jam a quinque annis defunctus erat.

[3] *V.* Careno, *Delle regole*, ecc. Esame XV.

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tendi secreto apud solum Sacerdotem etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem tum ob aliorum exemplum, tum ad Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda*[1].

12. *Lacrymabilis*, id est cum vero animi dolore conjuncta, ut Confessio sit sacramentalis, non sola historica narratio.

13. *Accelerata*, nempe non adeo dilata post peccatum, ne agglomerentur peccata peccatis; cum unum suo quasi pondere ad aliud trahat[2]. Et hæc dilatio magis timenda est, si sit circa peccata sensus; nam et Deum maxime irritat, et dæmoni vires addit, et passionem acuit, et culpæ ruborem minuit, et emendationis desiderium extinguit, et fidem ipsam vulnerat; sicque tandem in profundum venitur.

14. *Fortis* in superando timore, quo pœnitens sæpe concutitur in manifestandis culpis gravioribus et turpioribus. Consideret melius esse uni tantum peccata salutariter aperire, qui illa in æternum sepeliet; quam coram omnibus in ultima die maximo ac insalutifero rubore aperta eorum manifestatione perfundi. Sciat quod damnabitur tacitus, cum possit salvari confessus. Meminerit peccata sua non esse magis tecta, quam in confessione detecta. Quod si confusione suffunditur, o homo *pro anima tua ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam*[3]. Monet autem D. Bonaventura plurimum conferre, si primo peccata aperiantur, quæ majori nos rubore afficiunt[4].

15. *Accusans*, nempe non se excusans, ut sæpe faciunt nonnulli qui peccata sua referunt in alios, v. g., filii in parentes, uxor in maritum, discipulus in condiscipulum; Confessio enim est sui accusatio, non aliorum[1].

[1] Sess. XIV, c. VI.
[2] *V.* Segneri, *Il penitente istruito.*
[3] Eccli. IV. — *V.* Gaume, *Lettre d'un ancien missionnaire de l'Amérique sur la première communion.* Lettre 16. — Vega, *Casi della Confessione sacrilega.* — Liguori, *Discorsi;* it. *Institutio catechistica*, in fine.
[4] *De purit. conscientiæ.*



16. *Parere parata*, Confessario nempe in iis, in quibus pœnitentes obedire tenentur, ut in acceptanda pœnitentia, in proxima occasione fugienda. Secus non essent sincere dispositi; neque enim efficaciter vult sanari, qui experti medici præscriptiones negligit, impugnat et forsan etiam cum sociis irridet.

Ex his conditionibus aliæ ad validitatem requiruntur, aliæ non; prout vel ad Confessionis essentiam pertinent, vel tantummodo ad perfectionem. Ad essentiam autem maxime pertinet integritas.

### N. 1. — *De integritate ad Confessionem.*

**38.** Q. 1. *Quænam integritas ad Confessionem requiritur?*

R. Integritas Confessionis alia est materialis, alia formalis. Materialis est *accusatio omnium peccatorum mortalium quorum pœnitens reus est.* Formalis est *accusatio omnium mortalium, quorum post diligens examen sibi pœnitens conscius est, et quæ hic et nunc, spectatis circumstantiis, confiteri tenetur :* intellige post ultimam Confessionem rite factam.

Integritatem materialem, et in ejus defectu formalem divino jure esse necessariam ad Confessionem definivit Tridentinum : *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur : etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta : et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam... anathema sit*[2]. Id suadet etiam ratio; quia sine tali integritate neque posset recte administrari judicium Sacramentale, neque posset servari æquitas in statuendis pœnis.

[1] *V.* Careno, *Delle regole*, ecc Es. XVI.
[2] Sess. XIV, can. VII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod vero in defectu integritatis materialis sufficiat ad Confessionem integritas ipsa formalis, expressius declarat ipsum Tridentinum inquiens : *Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit ; ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fidenter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me*[1]. Ex his deducitur :

*a*. Ad integritatem conducere : — 1. *numerum peccatorum ;* ait enim Tridentinum confitenda esse *singula peccata*. Unde qui decies est fornicatus, decem distinctas fornicationes manifestare debet, nec satisfaceret, si diceret simpliciter, se fornicatum ; — 2. *eorumdem species morales*, alioquin non aperirentur peccata prout sunt, cum non omnia in uno genere malitiæ conveniant[2]. Unde qui grave furtum et occisionem patravit, non satisfacit dicendo, se duo mortalia commisisse ; sed et furtum et occisionem distincte fateri debet ; — 3. *circumstantias mutantes speciem*, ut docet Concilium. Unde qui eleemosynam erogat puellæ ad eam seducendam, hanc circumstantiam aperire debet ; quia hæc circumstantia mala bonum opus malum facit ;—4. *circumstantias quæ speciem novam addunt*, tunc enim sunt diversa peccata ; singula autem ex Concilio sunt confitenda. Unde qui in Sacris constitutus voluntarie polluitur, non satisfacit si confitendo ignoto Confessario dicat simpliciter, se pollutione reum esse : sed suam qualitatem illi manifestare debet ; nam pollutio personæ concecratæ novam addit malitiam mortalem, nempe

[1] Sess. XIV, c. V. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 465 et 471.

[2] Quæ sint species diversæ in genere morum, V. tom. I. Hic autem notamus : — 1. qui non potest speciem infimam (seu peccati individualem) patefacere, tenetur ad speciem superiorem seu genericam manifestandam : v. g., si quis sciens se pecasse contra castitatem, non recordatur de peccato specifico, tenetur tamen dicere se contra castitatem graviter peccasse ; — 2. qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat speciem etiam genericam peccati, tenetur dicere in genere se peccasse graviter, non tamen recordari cujus peccati sit reus.



sacrilegium ; — 5. *actum externum effectumque malum, si satis prævisum, ex mala actione secutum*. Unde qui copulam carnalem habuit cum Titia, ex quo gravia mala evenerint in ejus familia, non satisfacit dicendo se peccasse contra castitatem ; sed et externum actum, nempe copulam, et effectum inde secutum ubi satis prævisum, nempe illa gravia mala aperire debet. Ratio est quia actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum ; effectus vero malus pertinet quodammodo ad objectum peccati, estque malus effectus liberæ causæ.

*b*. Diligens conscientiæ examen prærequiri ; neque enim *sine diligenti præmeditatione*, ut verbis utamur Tridentini, omnes animi nostri sinus perscrutari possumus. Hæc tamen præmeditatio æstimanda est pro capacitate pœnitentis, temporis mora, et ceteris circumstantiis ; et sufficit illa, quam viri prudentes in arduis negotiis communiter et ordinarie solent adhibere, ut habet Catechismus romanus. Non autem requiritur summe diligens, etsi quis putet per hanc alia peccata reperturum ; hoc anxietates parere natum esset : quare ordinaria semel adhibita, non tenetur pœnitens de anteacta vita ulterius cogitare. Cui obligationi satisfacere poterit sine nimio labore si, Dei auxilio implorato, revocet in mentem præcepta Decalogi et Ecclesiæ, peccata capitalia, obligationes proprii status, videndo an circa hæc omnia deliquerit cogitatione, verbo et opere. Et hoc facilius consequetur, si mente revolvat loca ubi fuit, personas cum quibus conversatus, negotia quæ tractavit, animi affectiones quibus indulgere solitus est. Qua in discussione non solum inquirere debet peccata in genere, sed eorum numerum, speciem et necessarias circumstantias ; et mala quæ inde evenerunt ex dictis[1].

**39**. Q. 2. *An omnes peccatorum circumstantiæ sint de Confessionis integritate ?*

R. Circumstantiæ varii generis distinguuntur in peccatis. Aliæ speciem mutant, et sunt quæ actui in se bono vel indif-

[1] Remoto periculo evulgationis, potest suaderi, ut peccata scribantur, ne memoria excidant ; sed vitetur anxietas ; ideo id scrupulosis prohiberi potest. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 471.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ferenti malitiam adnectunt ; aliæ speciem addunt et sunt quæ novam addunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea, quam actus jam in se habet : has omnes definitum jam est in Tridentino aperiri debere. Idem currit de circumstantia quæ trahit peccatum de veniali ad mortale ; nam omnia mortalia sunt de necessitate Confessionis [1]. — Aliæ vero sunt circumstantiæ aggravantes peccatum in eadem specie, et quidem vel notabiliter vel leviter, prout vel notabiliter vel leviter augent malitiam actus peccaminosi, puta ratione durationis, intensitatis, modi vel temporis, loci, personæ, etc. Si circumstantiæ istæ sint leviter aggravantes, certo non sunt de necessitate Confessionis ; cum tunc in omnium sensu sint tantum venialia, quæ non sunt de necessitate confitenda.

Tota igitur quæstio est de circumstantiis notabiliter in eadem specie aggravantibus : v. g., qui furatur centum libellas, gravius et notabilius peccat, quam qui furatur quadraginta ; semper tamen intra eamdem speciem mortalem. Duæ in hac re sunt sententiæ principales : alii cum Antoine, Cano, Gonet, Sanchez, Sylvio, Suarez, etc., valde probabiliter docent etiam has circumstantias esse necessario aperiendas ; quia aliter non satis perciperetur status pœnitentis : hæc quoque videtur sententia Catechismi romani.

Verum communius negant alii cum Cabassutio, Lugo, Navarro, Holzman, Paludano, Roncaglia, Salmanticensibus, Scoto, Soto, Toleto, Vasquez et SS. Antonino, Bernardo, Bonaventura et Angelico [2]. Idque nobis per se loquendo est probabilius : — 1. quia Tridentinum non alias memorat circumstantias aperiendas præter eas quæ *peccati speciem mutant* ; ergo non obscure videtur existimasse has sufficere ad

[1] Sess. XIV, c. III et can. VII. Rudibus ad dignoscendas circumstantias explicatu necessarias hanc tradit regulam Careno, *Delle regole*, ecc. Es. XVI : « Lorsque la personne, par exemple, avec laquelle vous avez péché, le lieu, la manière, et autres choses de ce genre, éveillent en vous un remords plus vif, accusez les circonstances : ce sera l'affaire du confesseur de discerner judicieusement quelles sont parmi elles celles qui changent l'espèce et celles qui ne sont qu'aggravantes. » *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 468.

[2] Pro hac sententia est certe D. Thomas (in 4, d. 16, q. 3, a. 2); et frustra adversarii conantur aliter explicare illius textum, ut scite demonstrat S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VI, n. 468.



hoc, ut Confessarius rectum efformet judicium de gravitate criminum et de pœna imponenda : neque enim hic omnimoda, sed quædam tantum æqualitas requiritur ; — 2. quia si aliter esset, pœnitentes semper inter angustias fluctuarent ; cum semper dubitare possent de integritate Confessionum suarum in determinando quæ sint circumstantiæ graviter, quæ vero leviter aggravantes ; — 3. quia nemo debet obligari ad servandam legem dubiam, ut ipse docet Benedictus XIV, in suis Notificationibus [1] ; atqui lex confitendi circumstantias notabiliter aggravantes est saltem dubia, cum hinc inde disputent gravissimi doctores ; — 4. Christus solum præcepit necessario Confessionem peccatorum ; ille autem qui explicat illorum species et numerum, vere et proprie confitetur peccata sua ; ergo nihil aliud per se exigitur ex parte pœnitentis. Adde : ex contraria sententia sequeretur, declarandas esse circumstantias durationis, intentionis, etc. ; hæc enim aggravant notabiliter : nam si declaranda est per se quantitas furti, v. g., centum libellarum, eo quod æquivaleat pluribus furtis mortalibus, erit quoque declarandum odium per horam, cum æquivaleat pluribus odiis gravibus instantaneis : quod nemo dicit.

**40.** Hinc in nostra sententia qui commisit furtum grave, satisfacit *per se loquendo* suæ obligationi, si grave furtum confiteatur, quin explicet an fuerint quadraginta vel centum libellarum : qui incestum commisit, valide confitetur si dicat se incestum commisisse, quin gradum explicet, nisi agatur de illo gradu, qui revera speciem mutat [2]. Item in hac sententia non est necessario declaranda (seclusa ratione scandali, aut officii vel obligationis particularis) circumstantia dignitatis personæ, v. g., si ipse peccans sit superior, magistratus, etc. Item neque probabilius circumstantia peccati Confessarii cum pœnitente occasione confessionis commissi [3]. Item neque declaranda circumstantia

[1] *Notificatione* XIII, nunc LXXX.

[2] Sic speciem mutat incestus, si commissus cum consanguineis in linea recta, ut inter matrem et filium, vel patrem et filiam : et hæc circumstantia aperienda est. Item est si sit commissus in primo gradu affinitatis in linea recta, ut inter privignum et novercam, interque socerum et nurum. An autem speciem mutet circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, inter fratrem et sororem, disputant. — *De incestu*, t. I.

[3] Esset tamen aperienda circumstantia Parochi, qui peccavit cum suis pa-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

temporis sacri : ratio est praxis universalis tum Confessariorum, qui de hoc non solent interrogare, tum pœnitentium qui hoc neutiquam curant declarare. Sed adhuc excipe nisi agatur de circumstantia extraordinaria, qua notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut si quis in die veneris sancti exhiberet comœdias, ludos publicos, etc.; id enim induceret quamdam sacrilegi speciem [1].

Diximus *per se loquendo;* nam communissime excipitur casus, quo agatur de circumstantia, vel quæ inducat censuram aut reservationem; in hoc casu hæc circumstantia explicanda est, ut constet de censura aut reservatione; vel circa quam ad necessariam pœnitentis ipsius directionem Confessarius prudenter interroget : tunc enim Confessarius, uti medicus et judex jus habet, ut sibi veritas aperiatur, ideoque debitum habet pœnitens respondendi. Quod maxime currit de furto; plerumque enim tenetur confessarius quantitatem qualitatemque investigare, ut recte se gerat circa absolutionem impertiendam et modum restitutionis agendæ. — Item etsi non teneatur pœnitens per se loquendo aperire habitum peccandi, quia præterita peccata non sunt nova circumstantia speciem mutans peccati præsentis, tenetur tamen per accidens, si Confessarius interroget; cum id necessarium sit ad pœnitentis dispositionem indagandam : hinc contraria propositio sub n. 58 ab Innocentio XI damnata est.

Ceterum in praxi expedit ordinarie, ut circumstantiæ notabiliores in Confessione declarentur; id enim confert ad majorem animi pacem et humilitatem, atque ad uberiorem fructum percipiendum. Ideo merito hortari possunt fideles ad tales circumstantias generatim aperiendas : non tamen ad id sub peccato obligari (*E*).

**41.** Q. 3. *An sint de integritate Confessionis mortalia dubia?*

R. Dubium circa peccatum mortale tripliciter maxime contingit : 1. vel mortale peccatum est certo commissum; et tantum dubitatur, an sit in Confessione declaratum : 2. vel mortale uti dubie commissum in Confessione declaratum fuit; sed postea dignoscitur illud fuisse certo perpetratum : 3. vel præhabito diligenti examine, adhuc dubitatur, an aliquod mortale sit commissum, necne? His positis, dicimus :

rochianis; ratio quia strictissimo munere tenetur parochianorum suorum animas a peccato avertere, et etiam in foro externo curam spiritualem suscipere. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 451.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 46 et 273; *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 29.



Si 1, peccatum aperiendum est; quia obligatio Confessionis est certa, cui non fit satis per dubiam satisfactionem. Talis est fidelium praxis : tale est Tridentini præceptum, ea nempe omnia mortalia peccata confitenda esse, *quæ sunt in conscientia.* — Excipe nisi talia adsint adjuncta, ut tale dubium despiciendum sit : ita, v. g., si senex, alioquin bonæ frugis, confiteatur se in prima ætate plura obscena admisisse, nec tamen nunc recordari an ea sit confessus, nulla oritur in ipso obligatio; cum hac de re recordari non teneatur, præsertim post diuturni temporis lapsum et in ætate senili, in qua memoriæ vigor decrescit. Aliter esset si fortiter timeret, an peccata illa sit confessus.

Si 2, adhuc peccatum uti certum est declarandum juxta communissimam ac veram sententiam; etenim non fuit explicata tota peccati substantia; nam fuit tantum declaratum uti dubium, cum tamen sit certo commissum. Ceterum communissimum est, quod si pœnitens confessus sit peccatum, cujus vel ipse vel Confessarius vel uterque nesciebat gravitatem, sed postea lectis vel auditis Theologis, mortale esse cognovit, non est cur denuo confiteri teneatur, quia nulla occurrit circumstantia necessaria quæ non fuerit expressa; nec opus est ut Confessarius determinate sciat hoc vel illud peccatum quod audit, esse lethiferum necne.

Si 3, quando nempe dubitatur, an mortale sit revera commissum necne (vel an peccatum quod commissum est, sit mortale, an veniale), neque debita diligentia et inquisitione adhibita, dubium vinci valeat, tunc speculative loquendo, non adest gravis obligatio peccatum illud confitendi; tum quia non debet onus certum imponi ex lege dubia; tum quia ex Tridentino pœnitens tenetur ea tantum mortalia confiteri, *quorum quis conscientiam habeat, vel quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit* [1] : at talis revera non est qui dubitat.

In praxi tamen putamus ordinarie suadendam pœnitentibus confessionem omnium mortalium, quocumque sensu dubia sint tam positive quam negative, nisi res sit cum scrupulosis;

[1] Sess. IV, c. V. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 478; *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 30.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

id enim summopere prodest ad propriæ conscientiæ tranquillitatem. Hinc nullimode probamus qui aperte in Catechesibus, atque generatim vellet de hoc fideles deobligare, cum multi tunc possint allucinari. Excipimus scrupulosos et qui sunt timoratæ conscientiæ, et non solent deliberate peccare lethaliter; isti enim in dubio rationabiliter, imo certo credere possunt non deliquisse; cum præsumptio sumatur ex communiter contingentibus.

Advertimus cum Laymano peccata dubie tantum commissa non esse materiam sufficientem; ideo si alia peccata certa desint, vel ex præteritis certa quærenda materia, vel sub conditione in necessitate impetranda absolutio (*F*).

**42.** Q. 4. *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod nequit declarari sine manifestatione complicis, ideo sine ejus infamia?*

R. Recte dicunt, quod non debet aperiri peccatum, cum manifestari non potest sine manifestatione complicis, si illud sit veniale vel mortale jam confessum; cum tunc nulla sit gravis causa famam proximi prodigendi. Si vero agatur de mortali nondum confesso, nonnulli cum Innocentio III[1] tenent, quod pœnitens debeat peccatum suum reticere, si non potest illud confiteri, quin complicem manifestet Confessario, quia præceptum de integritate Confessionis est positivum : ideo non est anteponendum præcepto naturali de servanda proximi fama.

Attamen communis evasit sententia contraria, quam sequimur cum sanctis Thoma, Bonaventura et Antonino, nempe pœnitentem teneri ad Confessionem etiam cum infamia complicis, *quando commode non potest invenire alium Confessarium, cui sit complex ignotus;* nam divinum præceptum integre confitendi debet servari quotiescumque licite servari potest. Atqui satis licite in casu nostro servari potest; cum manifestatio alieni criminis non sit illicita, quando fit ex rationabili causa; tunc enim cessat naturale præceptum. Ita nonne licet puellæ, v. g., ad consilium capiendum vel extra confessionem manifestare dominum suum, qui eam ad inho-

[1] C. *Omnis*, de pœn. et remiss. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 489.



nesta allicit? Adde : si teneor confiteri peccatum cum mei infamia, eccur non potero cum infamia alterius maxime consentientis? Complex enim peccando interpretative videtur aliquatenus consentire in sui diffamationem; cum sciat me peccatum confiteri debere.

Diximus *quando commode non potest invenire alium Confessarium, cui sit complex ignotus*. Si enim commode potest alium Confessarium invenire, tenetur illum pœnitens quærere; cum urgeat præceptum naturale proximi famam quoad potest tuendi. Ceterum passim excusant pœnitentem a tali inquisitione : — 1. si urgeat periculum mortis, aut præcepto annualis Confessionis sive Communionis : vel si pœnitens non celebrando aut non communicando incurreret infamiæ notam; — 2. si ipse existeret in peccato mortali, et pro inquirendo alio Confessario deberet expectare (in nostra sententia) etiam per diem; — 3. si credatur complex juri suæ famæ cessisse, v. g., si frater peccasset cum sorore, quam scit a matris comitatu separari non posse, ut alium inveniat Confessarium; — 4. si alicui solito quotidie celebrare aut communicare grave sit id omittere; vel si alias privandus esset Indulgentiæ emolumento; — 5. si quis difficulter alteri Confessario conscientiam aperit : vel si propter consolationem, consilium aut firmiorem directionem, quam expectat a pio et docto Confessario, nollet alium quærere; — 6. excusantur sæpe etiam matres ac uxores manifestantes peccata filiorum et virorum Confessario, qui eos cognoscit. Id enim communiter faciunt ad consilium petendum, vel ad leniendum dolorem; et nimis ipsis esset durum, si semper cogerentur novos adire Confessarios. Tanto magis, quod graves Doctores censent, non excedere veniale uni vel alteri viro prudenti crimen alterius revelare, etiam sine causa.

Quod autem dictum est de infamia complicis, item Alasia, Antoine, Billuart, Lugo, aliique contra Suarez tradunt de infamia *non complicis*, v. g., si pœnitens occiderit innuptam sororem, sed ex crimine gravidam, quo in casu ad totum peccatum aperiendum deberet etiam explicare circumstantiam graviditatis criminosæ. Sane adhuc non videtur unius fama tanti æstimanda, ut non servetur Confessionis integritas; maxime cum etiam non complex sit in culpa. Unde D. Bernardus ge-

neratim habet : *De nullo sinistre loquaris, nisi in Confessione, ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum* [1].

Neque dicas : *Grave damnum tertio obventurum excusat ab integritate Confessionis.* Nam, ait Alasia, hoc verum est, quando damnum oritur extrinsece ex integritate Confessionis, puta si timeretur, ne Confessarius crimen revelaret. Non vero quando oritur per se et intrinsece ex Confessione ipsa : malum quippe hoc tertio obveniens, sive famæ amissio, eodem quo pœnitentis peccatum, sigillo et oblivionis tegumento obducitur. Alioquin non teneretur pœnitens grave admissum crimen sibi noto Confessario aperire, ne propriam amittat famam vel ne nimis erubescat : quod falsum omnino. Unde Tridentinum : *Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus, levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur* [2].

**43.** Q. 5. *Quid de Confessario, qui complicis nomen exquirit?*

R. Benedictus XIV Bulla *Ad eradicandum*, tam ad vitandam proximi infamiam, quam ad impediendam injuriam Sacramenti, sigilli violationem, scandalum et alia ejusmodi, rigorose prohibuit Confessariis omnibus, ne exquirant a pœnitentibus nomen complicis peccati, vel locum habitationis vel alias circumstantias quoquo modo manifestationem hanc concernentes [3].

Et imponit : 1. pœnam suspensionis (ferendæ) ab officio audiendarum Confessionum in Confessarios exquirentes complicem ; cum tamen eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, absolutionem denegant. Et excommunicationem ipso facto ac Pontifici reservatam in eos, qui audent docere, voce vel scriptis, licitam esse hanc detestabilem praxim ; 2. onus denuntiandi intra solitum terminum, nempe 30 dierum sub pœna

[1] In Form. Monast. vitæ. — [2] Sess. XIV, c. V.

[3] Constitutione *Suprema*, anno 1745 ; et Const. *Ubi primum*, anno 1746, editis pro Regnis Portugalliæ et Algarviorum (ubi invexerat scandalosus ac perniciossissimus abusus), id jam prohibuerat. Quod demum ad universum orbem extendit, Bulla *Ad eradicandum*, anno, 28 sept. 1746. Agit etiam *De Syn. Diœc.*, l. VI, c. XI. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 41. — Ferraris, v° *Complex peccati*. — *Analecta juris Pontificii* ; anno 1858.



excommunicationis ipso facto et reservatæ imponit omnibus qui non quidem ex Confessione propria (ne revelent propriam turpitudinem) ; sed aliunde noverint aliquem Confessarium exquirere nomen complicis cum denegatione absolutionis : excepto casu, quo id Confessarius faceret ex quadam animi simplicitate.

Verum aliter est nomen complicis formaliter exquirere ; aliter inquirere circumstantias necessarias ad integritatem Confessionis : hoc secundum vetitum non est ; cum id Confessario necessarium sit, ut rectum de pœnitente judicium efformare valeat, et opportunum ei remedium accommodare, v. g., si agatur de circumstantiis, quæ præter propriam actus deformitatem aliam peccaminosam speciem addant, ut si persona complex sit consanguinea ; tunc enim nonnisi per accidens complex dignoscitur.

*Quid* (dices) *si jam teneatur in conscientia pœnitens complicem manifestare, v. g., ad damnum innocentis vel publicum avertendum, ut si agatur de addicto societati secretæ adeo Reipublicæ et Religioni exitiosæ?*

Nemini dubium est, quin tunc pœnitens teneatur nomen complicis manifestare in ipso foro externo. Ob prohibitionem tamen adeo rigorosam a Pontifice expressam, nos dicimus satis esse, si Confessarius pœnitenti imponat obligationem manifestandi socium superiori, qui damnum valeat impedire. Sed numquam ipsi Confessario licebit dicere : *Manifesta mihi*, nisi forsan solus Confessarius valeat damnum cavere, quod rarum est, neque facile supponendum [1].

## N. 2. — *De causis ab integritate Confessionis excusantibus.*

**44.** Q. 1. *Quænam causa excusat ab integritate Confessionis?*

[1] *Quid si pœnitens sponte sua roget Confessarium, ut complicem corrigat?* Etsi Confessarius absolute loquendo possit ea licentia uti ; multa tamen opus erit prudentia et ordinarie non expedit, ut in hisce se immisceat. Etenim ex una parte ipsi incumbit dumtaxat onus cavendi damnum sui pœnitentis, et quidem in Confessione ; ex altera Confessarius difficulter assumere poterit istud onus sine periculo scandali et offensionis sui ministerii. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 492.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. Nulla est causa excusans a formali Confessionis integritate; cum hæc sit in sensu nostro declaratio peccatorum, quæ quis hic et nunc potest et debet confiteri. Tota quæstio est de integritate materiali : porro duæ causæ solent enumerari ab integritate Confessionis materiali excusantes : impotentia physica, quia impossibilium nulla est obligatio; et moralis, nempe grave et extrinsecum damnum tam spirituale quam temporale imminens pœnitenti vel Confessario vel tertio; quia non censetur moraliter possibile, quod fieri nequit sine gravi incommodo.

Diximus *grave;* parvæ enim difficultatis nulla ratio habenda: *extrinsecum*, quia certe non excusat difficultas ipsi Confessioni intrinseca, etsi notabilis, v. g., magna repugnantia et verecundia in se accusando : ratio quia Confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa. Si secus, plerumque ab accusandis mortalibus excusarentur fideles, ac inde rueret ex maxima parte hæc institutio. Tota ergo quæstio est de extrinseca difficultate et impotentia, ob quam ponuntur hi versus:

*Mutus et oblitus, moribundus, surdus et infans :*
*Qui sibi, Presbytero, fratrive pericla veretur;*
*Quem scrupuli exagitant, aut sacri pacta sigilli.*

*a.* Primo igitur ob impotentiam physicam ab integritate materiali Confessionis excusantur : — 1. *muti*, quibus sufficit tam in morte quam in præcepto paschali, ut signis modo quo possunt, explicent unum dumtaxat peccatum. Si tamen muti scribere sciant, ex probabiliori et communi sententia tenentur confiteri sua peccata scribendo, nisi subire deberent damnum extraordinarium, vel periculum revelationis[1]; — 2. qui non amplius *recordantur peccati admissi*. Item valet de *moribundis*, qui absolvi debent absolute, si voce aut signo confiteantur vel absolutionem petant : conditionate vero, si attritio et confessio præsumi possint aliquo modo, etsi tenuiter probabili; cum agatur de casu extremæ necessitatis; —

[1] Sic aliquando fit confessio a mutis, qui sciunt legere librum qui specimen examinis præ se fert, oculis percurrendo, digito Confessario indicant ubi et quoties deliquerint.



3. *surdi*, qui Confessario respondere nequeunt; neque peccata aperire sciunt. Non tamen *surdastri*, quia debent adduci in aliquem locum remotum; — 4. *ignari idiomatis*, qui possunt absolvi, si signis tantum manifestent peccatorum suorum dolorem, casu quo velint confiteri, atque commode invenire nequeant Confessarium, a quo intelligi possint. Neque tenentur uti interprete, quia Lateranense ait : *Solus peccata confiteatur;* et Tridentinum docet, ex Christi præcepto, ad eos tantum crimina esse deferenda, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis sententiam pronuntient[1] : unde non ultra aggravandus est pœnitens. Adde confiteri per interpretem est onus gravissimum, multis periculis obnoxium, v. g., manifestationis, irrisionis, etc. Hinc S. Concilii Congregatio 28 feb. 1633 declaravit pœnitentem, qui non vult uti interprete, *posse et debere absolvi*[2].

*b.* Secundo ob impotentiam moralem, quæ in humanis physicæ æquivalet, ab integritate materiali Confessionis pœnitens excusatur, sed de omnibus generatim dolens : — 1. si prudenter prævideatur quod Confessarius sit abusurus tali manifestatione vel contra pœnitentem ipsum, eum, v. g., sollicitando ad turpia : vel contra tertium, v. g., ipsum postea infamando; ex charitate tenemur hæc impedire;—2. si grave damnum Confessario ipsi prudenter obventurum timeatur, v. g., si totam audiens Confessionem incurreret periculum pestis vel alterius gravis morbi. Tunc Confessarius potest absolvere pœnitentem infectum, audito uno tantum peccato, uti commune est cum Alasia, Concina, Elbel, Coninchio, Hurtado, Granado, Layman, Muratori, Suarez, Turriano, etc.[3];

[1] Sess. XIV, c. V. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 35. — *Op. Mor.*, l. VI, n. 494.

[2] Quod valet etiam pro articulo mortis; verum in hoc casu si pœnitens de vera contritione dubitat, non solum per interpretem, sed etiam publice si aliter fieri non possit confiteri tenetur (quamquam satis est si aliquod veniale confiteatur vel peccatorem se manifestet); id lege strictissima charitatis erga seipsum, qua quis obligatur in ultimo vitæ reconciliari cum Deo. Ita Suarez, Cicastillus, Palaus, Vasquez, Cajetanus, Coninchius, Layman, Hurtadus, Bonacina, etc., apud Salmanticenses, contra alios.

[3] Est contra Marchionem qui acriter tuetur contrarium, ut refert Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XIX. Excipe tamen in omnium sensu

— 3. si immineat naufragium aut prælium; tunc sufficit, si unum audiatur peccatum etsi leve : vel etiam (juxta quosdam) si pœnitentes dicant in genere se esse peccatores; — 4. si scrupulosus confiteatur, et jugiter præteritarum Confessionum timore vexetur, ut docent communiter; — 5. si Confessio non possit fieri sine revelatione sigilli Sacramentalis, quod arctissimum esse debet, ut si confiteatur surdaster, aliis adstantibus; vel si certo prævideatur Confessarius revelaturus.

Ut tamen ratione moralis impotentiæ possit reticeri peccatum quod menti occurrit, requiritur : 1. ut desit alius Confessarius, cui sine talis damni periculo pœnitens valeat confiteri; 2. ut Confessio non possit differri sine magna difficultate. Qua in re notamus non licere sacramentaliter absolvere dimidiate confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel Indulgentiæ; est enim periculum absolvendi indispositos, nec casus urget : et contrarium est damnatum ab Innocentio XI, sub n. 59; 3. ut illa duntaxat omittantur peccata, quorum Confessio periculum continet; cum nulla sit ratio cetera reticendi; — 4. ut nunquam mente excidat, quod peccata justa de causa in una Confessione omissa, cessante hac gravi causa, debent aperiri in alia Confessione; nam esto, quod omnia remissa sint, non tamen omnia clavibus Ecclesiæ submissa fuere. Non est quidem renovanda tota confessio, cum valida fuerit; sed supplenda (impedimento cessante) in quo illa defuit. Hinc Alexander VII hanc damnavit propositionem sub n. 11 : *Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.*

**45.** Q. 2. *An Confessio fieri possit scripto?*

R. *De necessitate Sacramenti est*, ait Angelicus, *quod pœnitens peccata sua manifestet... sed quod fiat manifestatio verbo, non est*

si Confessarius etiam in eo periculo vellet audire integram Confessionem; tunc tenetur pœnitens integre confiteri, cum id sit in favorem Confessarii, ne morbum contrahat, qui potest utique heroica charitate ductus cedere suo juri, si aliud non obstet. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 482.



*de necessitate Sacramenti*[1]. Attamen ordinarie loquendo Confessio fieri debet voce, non scripto : idque tum ex Bulla *Inter cunctas* Benedicti XI, ubi habetur : *Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris Confessio... exigatur*[2]; tum ex usu communi Ecclesiæ; quia ex orali Confessione melius dignoscuntur pœnitentis dispositiones et fortius a culpis avertitur ob ruborem, quo tenetur, seipsum ore suo manifestando, accusando, condemnando. Unde erit illicita Confessio aliter facta.

Diximus *ordinarie loquendo;* nam extante gravi causa, v. g., nimiæ et extraordinariæ verecundiæ, aut linguæ impedimenti, sufficit (prout communiter dicunt Canus, Palaus, Pasqualigus, Salmanticenses, etc.), quod pœnitens scriptura confiteri potest. Tunc dicat postquam Confessarius ejus Confessionem legerit : *Me accuso de omnibus his*[3].

### Corollarium. — *De Confessione iteranda, et Confessione generali.*

**46.** Q. 1. *Quandonam adest obligatio repetendi Confessiones?*

R. Pœnitentes cogendi non sunt ad Confessiones iterandas, nisi certo moraliter constet easdem fuisse invalidas; possessio enim stat semper pro earum valore, quamdiu de nullitate non constet, ut recte dicunt Croix, Elbel, Filliucius, aliique communiter. Neque dicas : cum adest præceptum et dubitatur de ejus implemento, possidet obligatio præcepti; nam hæc regula currit cum adest præceptum et dubitatur, an actus implementi positus fuerit. Sed cum talis actus jam certo positus est, et solum dubitatur an fuerit validus an invalidus, uti validus reputandus est, juxta illud : *In dubio standum est pro valore actus.*

Quod valet etiam de recidivis, si aliquamdiu post Confessionem dignos pœnitentiæ fructus fecerint, hoc est strenue adversus tentationes et occasiones pugnaverint; illa enim resistentia dat præsumptionem favorabilem. Secus tamen si

[1] Quodl. 1, q. 6, a. 1.
[2] Extrav. comm., l. V, t. VII, *De privil.*, c. 1.
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 428 et 493; et *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 34.

paulo post Confessionem, seu data prima occasione sine ulla resistentia lapsi sunt : qui enim vere dolet et proponit emendationem, saltem per aliquod tempus a peccato se abstinet, vel aliquem saltem conatum adhibet ante relapsum.

**47.** Q. 2. *Quotupliciter Confessio potest esse invalida?*

R. Confessio potest esse invalida : 1. *ex parte Confessarii*, ut si jurisdictionem non habuit, si citra necessitatem absolverit complicem in peccato turpi ; si est excommunicatus vitandus et notorius ; si formam substantialiter vitiavit ; si absolvere non intendit ; si nullum peccatum intellexit, etc. ; 2. *ex parte pœnitentis*, uti si scienter vel mortale tacuit vel de eo se falso accusavit ; si mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia ; si non fuit neque contritus neque attritus ; si non vult tollere occasiones proximas ; si ignorat scitu necessaria necessitate medii, etc. Item rudes et pueri, qui semper in confuso confessi sunt sine specierum et numeri peccatorum distinctione : etsi id fecerint in bona fide, tenentur cum advertunt, ad explicandas species et numerum omissum. Quia licet eorum Confessiones fuerint validæ, tamen semper remanet obligatio supplendi omissa.

**48.** Q. 3. *An sit iteranda Confessio facta Confessario surdo?*

R. Si Confessio surdo sit facta mala fide, utique iteranda, quia pœnitens peccavit actu quo confessus est ; ideoque nec erat rite dispositus ad absolutionem recipiendam. Si autem bona fide, tunc probabilius docent Suarez, Layman, aliique passim absolutionem valuisse, modo aliqua peccata audita fuerint. Et ideo non esse repetenda, nisi peccata quæ non fuerunt audita ; etenim nulla ex parte pœnitentis intercessit culpa ; et nimis durum videretur eumdem subjicere pœnæ iterandi totam Confessionem. Diximus *modo aliqua peccata audita fuerint ;* si enim nullum audierit Confessarius, tunc est iteranda Confessio ; quia sacerdos non potest absolvere, ut recte argumentatur Lugo, nisi præcedat confessio : quod non evenit quando sacerdos nihil prorsus audit, quia Confessio non fit nisi audienti.

Idem fere est de casu, quo vix finita Confessione, pœnitens intelligat Confessarium aliqua peccata non bene percepisse



vel propter somnum vel propter distractionem. Si pœnitens cognoscit præcise peccata quæ Confessarius non bene percepit, ea repetere tenetur ; quia integritas materialis semper supplenda est, quando commode potest. Si vero non cognoscit præcise, adhuc Confessionem repetere debet, si ea brevis sit ; nam hoc non est tantum onus, ut quis liberetur a re tuto exequenda. Si autem Confessio sit generalis vel satis longa, et pœnitens nescit quodnam sit peccatum non satis perceptum, commune est cum Lugo, Salmanticensibus et Sanchez, Confessionem non esse amplius de necessitate repetendam ; non enim præsumendum voluisse Christum imponere præceptum integritatis materialis cum tanto onere, scilicet repetendi omnia peccata nostra in tali casu ; cum jam certum sit multa percepta fuisse. Sed tunc satis est ut pœnitens confiteatur, *se dubitare, an aliqua ex gravibus suis peccatis confessor perceperit*[1].

**49.** *Sed quid* (dices) *si ipse pœnitens surdus sit, et jam Confessio cœpta sit, neque tamen ob circumstantes possit vox extolli?* Si Confessarius circa initium pœnitentis surditatem advertit, imponat ei, ut redeat alio tempore ac loco opportuno ; interim aliis surditatem patefaciat, si opus sit, ad auferendam omnem malam suspicionem, quæ concipi posset contra pœnitentem. Si vero hoc advertit in progressu, ne illi imponat alta voce, ut redeat, quia magna daretur suspicio, quod sit confessus mortale. Sed peccata intelligendo, quo potest meliori modo, absolvat eum absolute, si probabiliter dispositum judicat ; sub conditione, si dubitat : et pœnitentiam in hoc casu debet injungere levem, cum alii eam audituri sint.

**50.** Q. 4. *Quomodo iteranda Confessio, si fit eidem Confessario?*

R. Si Confessarius memoriam non retinet de statu pœnitentis ne in confuso quidem, Confessio iteranda erit ex integro ; quia perinde est, ac si alteri fuisset facta. Si vero memoriam retinet, probabiliter docent Coninchius et Suarez

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 499 et 500 et seqq. Alii addunt determinandam esse materiam quantum fieri potest : v. g., addendo *eo tempore solebam maxime confiteri tales et tales species peccatorum.*

eam esse repetendam, si defuit in parte essentiali, v. g., in dolore ; quia tunc non fuisset Sacramentalis.

Verum in communi ac valde probabili sententia, quam tuentur S. Antoninus, Billuart, Croix, Layman, Lugo, Salmanticenses, Vasquez, etc. (undecumque defectus evenerit, sive ex parte Confessarii, sive ex parte pœnitentis) non est opus Confessionem repetere. Sed sufficit si Confessarius resumat notitiam ejus saltem in confuso, et pœnitens se accuset de sacrilegio patrato, ac defectu admisso in Confessione, atque in communi de omnibus prius declaratis; nam licet prima Confessio fuerit sacrilega vel nulla, adhuc tamen dici posse videtur sufficienter Sacramentalis utpote facta in ordine ad absolutionem obtinendam : vel si non fuit Sacramentalis, ratificatio tamen illius conjuncta cum notitia antecedenter habita a Confessario sufficiens reputatur, ut nunc illa Sacramentalis fiat [1].

51. Q. 5. *Quid statuendum est de Confessione generali?*

R. Statuendum est Confessionem generalem aliis esse necessariam ; aliis utilem ; aliis vero noxiam. Est *necessaria* iis, qui invalide confessi sunt ex defectu vel proprio vel Confessarii : quibus ideo est injungenda. Est *utilis* iis, quibus causa esse potest vel majoris doloris ob tot peccata simul considerata, vel pacis ac conscientiæ tranquillitatis, vel majoris cautionis ; quibus propterea consulenda est. Est *noxia* iis, qui scrupulis anguntur, experientia teste ; quo enim magis

[1] *Quid si Confessarius memoriam non habeat de statu pœnitentis, sed tantum de speciali pœnitentia injuncta?* Multi graves auctores cum Laymano, Vasquez et Toleto adhuc liberant pœnitentem a confessione iteranda, si ea facta fuit in ordine ad absolutionem. Ratio videtur esse, quia ex sola notitia pœnitentiæ injunctæ poterit Confessarius sibi judicium efformare de statu pœnitentis Quamquam hoc in casu præstat, ut pœnitens aliquam circumstantiam particularem indicet, vel speciale peccatum, ut sic prudenter sese Confessarius gerat. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 502. Quod si ne meminerit quidem specialis pœnitentiæ, sed solum recordetur se eam injunxisse, tunc si absolveret (facta prædicta confessione in communi) valide absolveret ; cum absolutio caderet in materiam sibi significatam. Sed in nostra sententia male se gereret, ait Liguori (*Homo Apost.*, tract. XVI, n. 44); nam pro sententia proferenda debet sibi judicium efformare saltem in confuso de statu pœnitentis : quod hic non potest ; cum ne de ipsa quidam pœnitentia imposita recordetur.



præteritorum recordationem curant, eo magis eorum animus confunditur, terretur, conturbatur ; ac quo majora exponunt, eo majora exponenda esse dictat inanis eorum formido. Horum morbus oculorum morbo comparari potest, qui quo sæpius fricantur, eo acerbius recrudescunt. Huc revocantur qui iterum atque iterum Confessione generali Confessarii judicio rite peracta, eam de novo renovare volunt nunquam contenti : qui audiendi non sunt. Utique humaniter excipiendi, paterne consolandi, sed firmiter hortandi ut omnino confessarii judicio acquiescant, si pacem et salutem amant. — Hæc generatim loquendo ; pro praxi autem duo sunt attendenda :

1. Confessionem generalem plurimum utilitatis conferre iis præsertim, qui vel primam Communionem sunt suscepturi : vel multo abhinc tempore, aut nunquam generaliter sunt confessi, maxime si pluribus fuerint distracti. Item iis, qui stabilem vitæ statum ut clericalem, religiosum, aut matrimonialem sunt inituri : vel qui perfectioni studere cupiunt, quibus etiam valde confert Confessio annualis ac mensilis, saltem summatim circa defectus notabiliores : — 2. non raro evenire, ut quæ prius nonnisi utilis, postea necessaria dignoscatur generalis Confessio, si expertis credere est. Ideo confessarius, data occasione, prudenter et industrie investigando, cognoscat an pœnitens eo in casu sit positus. Neque perdat sustinentiam, si multum temporis impendere debeat ; neque enim si multos, sed si bene audierit rationem reddet Domino Deo [1] (*G*).

[1] Non ergo difficilem circa illum se debet exhibere Confessarius. Saltem si non totam vitam, notabilem tamen vitæ periodum scrutari pœnitenti permittat, habita ratione illius conscientiæ ac profectus. Ceterum, si pœnitens ad illam non inclinat, ne ad eam adigatur, nisi adsit necessitas absoluta : absit etiam toto cœlo, ut Confessarius ad suam curiositatem eam exigat, vel permittat. Ad rem P. Pallavicini, *Il sacerdote santificato per l'amministrazione della Penitenzà :* « Ne forcez jamais à faire une confession générale ceux-là surtout que vous entendez pour la première fois, et qui n'ont pas encore en vous une entière confiance, à moins que vous n'en ayez une raison évidente. » Oportet animadvertere quod licet Confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debet Confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut Confessiones jam factæ repetantur. Unde ait Segneri (*Il*

## Art. III. — De Satisfactione.

**52.** Q. 1. *Quid est satisfactio?*

R. Satisfactio generatim accepta nomen suum desumit a verbo *facio* et vocabulo *satis*; nam satisfacere nihil aliud est, quam *facere tantum, quantum quis debet*. Sed accepta sensu strictiori, prout hic, solet definiri: *Punitio sui ipsius a Confessario in Pœnitentiæ Sacramento injuncta, et voluntarie a pœnitente suscepta, tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, quam ad redimendum pœnam graviorem per idem peccatum promeritam.*

Dicitur 1. *punitio sui ipsius*; quia tota posita est in laboriosis operibus, quæ hominem interius et exterius affligunt; — 2. *a Confessario in Pœnitentiæ Sacramento injuncta*; quia nos loquimur de satisfactione Sacramentali, de ea nempe, quæ pertinet ad materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc autem non alia esse potest, quam quæ *virtute clavium* imponi solet in ipso Sacramento; — 3. *et voluntarie a pœnitente suscepta*; quia licet a Confessario imponatur, sponte tamen et suscipi et agi debet a pœnitente; — 4. *tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam*; en scopus pœnitentis satisfacientis, jus nempe Dei a se læsum resarciendi quantum saltem in se ipso est; — 5. *quam ad redimendam pœnam graviorem*, etc.; hæc enim pœna omnibus peccatoribus vel in hac vita destinatur, prout expertus est David; vel in vita altera superest certo luenda, videlicet in Purgatorio.

**53.** Q. 2. *Quænam doctrina catholicæ Ecclesiæ circa satisfactionem?*

R. Ecclesia catholica contra hæreticos tenet: 1. quod, remissa culpa quoad pœnam æternam, non semper tota remittitur pœna temporalis;

*Penitente istruito*, c. xv), non esse obligationem repetendi Confessiones *nisi in casu manisfestæ necessitatis, et in quo error sit evidens*. Ita Liguori, *Praxis*, n. 20. — *V.* Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, c. xvii, part. II, Avis aux Confesseurs. — S. Fr. de Sales, *Introduction à la vie dévote*, p. I, c. v. — Stapf, § 599. — P. Gaetano. *L'uomo apostolico*, c. xix: Prudenza in ordine alle confessioni generali.



2. quod hæc pœna temporalis per Christi merita redemi potest laboriosis pœnitentiæ operibus [1].

Prob. pars I[a]: *Remissa culpa, non semper tota remittitur pœna temporalis.* Id jam fuit definitum in Tridentino: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti... semper a Deo; satisfactionemque pœnitentium non aliam esse quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit* [2]. Merito autem id factum docet Augustinus, *ne scilicet culpa putaretur parva, si cum ea finiretur et pœna* [3]. Et Cyprianus ait: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus* [4]. Confirmatur: 1. exemplo Davidis; ipse quidem adulterii veniam a Deo fuit consecutus, ut patet illis Prophetæ verbis: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* [5]; sed in pœnam obiit ei filius ex adulterio susceptus, quem maxime diligebat: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui tibi natus est, morte morietur.* Igitur Dominus non amplius recordatur peccati mortalis remissi, sed quoad culpam et pœnam æternam; non autem quoad temporalem pœnam; — 2. perpetua Ecclesiæ praxi, quæ pro peccatis quovis tempore pœnas imposuit. Quare Tridentinum iterum habet: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad Regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit* [6]. Dictum est *non semper totam pœnam remitti*; nam aliquando vere tota remittitur, si nempe contritio ac charitas vehementissima sit. Quo enim est vehementior, eo magis satisfacit; nam ferventior ille actus est etiam meritorius, et accipit gratiam sibi correspondentem, uti docet Gonet ex Angelico [7].

[1] Hæretici docent satisfactionem quamcumque esse rem mere politicam, quæ inducta est ad aliorum exemplum, ad scandalum reparandum et mores probandos: simulque contendunt opera satisfactoria, etsi dura, non posse habere rationem satisfactionis proprie dictæ, quæ nempe Deum placare valeat: — 1. quia remissa culpa, nulla remanet pœna, sicut in Baptismo; negant iccirco Purgatorii existentiam, rejiciunt Indulgentiarum thesaurum et mortuorum suffragia contemnunt; — 2. quia offensa illata est infinita, ad quam nullam habent proportionem humanæ satisfactiones, quæ insuper censeri debent injuriosæ Salvatori, qui satisfactionem pro nobis omnibus obtulit infinitam.

[2] Sess. xiv, can. xii. — *V.* Billuart et Alasia.

[3] Tract. CXXIV in Joann.

[4] *De lapsis.* Alios Patres mittimus, cum ultro fateatur Calvinus sibi contrarios.

[5] II Reg. xii. — [6] Sess. vi, can. xxx. — [7] *De pœn.*, disp. ult. vi, a. 2.

Probatur pars II[a] : *Hæc pœna temporalis per Christi merita redimi potest laboriosis pœnitentiæ operibus, id est pœnis vel a Sacerdote inflictis, vel sponte a Pœnitente susceptis, vel a Deo immissis et patienter toleratis.* Hoc sane modo Ninivitæ a se ipsis cohibuerunt pœnam mortis et excidium urbis universæ [1]. Et in novo Testamento legitur : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* [2] *:... Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* [3]; atqui ridiculum esset laboriosa hæc pœnitentiæ opera tam vehementer commendare, nisi Deus per ea placari posset, et sic redimi pœna peccatis debita. *Neque vero*, ait Tridentinum, *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur : sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri; et per illum acceptantur a Patre* [4]. Et postea definit : *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, et jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus;... anathema sit* [5].

[1] Jonas III.
[2] Matth. III. — [3] Luc. XIII.
[4] Sess. XIV, c. VIII. — *V.* Liguori, *Opera Dogmatica*, etc.
[5] Ad Protestantium autem commentum contra *primam* conclusionem dicimus cum Angelico, in Baptismo non tolli quidem concupiscentiæ fomitem; sed certo remitti totam pœnam etiam temporalem, quia homo participat totaliter virtutem Passionis Christi; cum ei et commoriatur et consepeliatur et regeneretur ad vitam novam omnino. In Pœnitentia vero homo consequitur virtutem Passionis Christi tantum secundum modum propriorum actuum qui sunt materia Sacramenti (3 p., q. 86, a. 4). Et *sane*, ait Tridentinum (sess. XIV, c. VIII), *divinæ Justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare et Spiritum sanctum contristare non formidaverint.* Hinc illud Apostoli ad Coloss. I : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Ad illud, quod contra *secundam* conclusionem effutiunt, animadvertimus cum eodem Tridentino satisfactiones nostras esse quidem finitas, sed infinitas quoad valorem quodammodo evadere; quia a Christo, in quo satisfacimus, vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Ex quo illud etiam fit, ut non ei injuriam; sed gloriam afferant et honorem.



**54.** Q. 3. *An Confessarii debeant satisfactionem imponere?*

R. Affirmative : Confessarii possunt et debent satisfactiones pœnitentibus imponere, et hoc Tridentinum definivit : *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum ; et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi,... anathema sit* [1]. Hujus autem constantis Ecclesiæ praxis testes sunt inter cetera veteres pœnitentiales libri ac canones. Idque sub gravi a Confessario requirit triplex ejus qualitas, ministri, judicis et medici. Qualitas *ministri* expostulat, ut quantum in se est, Sacramenti integritati consulat ; ad hanc autem satisfactio pertinet. Qualitas *judicis*, ut pœnas delictis commensuratas infligat. Qualitas tandem *medici*, ut præscribat pharmaca, quæ idonea sint tam ad sanandos morbos contractos, quam ad eosdem vitandos in posterum : *Habeant autem præ oculis* (Confessarii), monet idem Tridentinum, *ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum ; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Attamen probabiliter contendunt (contra plures et graves auctores) Mazzotta, Lugo, et Salmanticenses Confessarium non peccare nisi venialiter ex parvitate materiæ, si nempe ob venialia, vel mortalia jam confessa et remissa levis pœnitentia esset imponenda, et Confessarius eamdem voluntarie omitteret ; etsi enim satisfactio sit pars Sacramenti, non est tamen pars essentialis, sed integralis. Neque defectus in materia levi videtur gravis irreverentia, ideoque gravis culpa.

**55.** Hic advertendum : ex praxi Ecclesiæ danda est absolutio sine pœnitentiæ impositione moribundo qui in ipso Confessionis actu subito amittit sensuum usum et cognitionem. Non tamen impositio satisfactionis potest omitti tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ ; contrariam sententiam Benedictus XIV reprobavit *tanquam laxiorem*, Encyclica *Inter præteritas*, dicens non posse putari verum pœnitentem qui hoc prætextu vult se eximere ab implenda satisfactione

[1] Sess. XIV, can. XV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 506.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sacramentali; nam Indulgentiæ conceduntur ad infirmitatis auxilium, non in negligentiæ fomentum. Deinde ut pœnitens posset se per Indulgentias liberare a satisfactione certo debita, certus esse deberet sese illas lucraturum; atqui sine speciali Dei revelatione hanc certitudinem habere non potest. Et licet certo quis Indulgentiam sit lucraturus; semper tamen debet aliquam pœnitentiam implere, ne Sacramentum mutilum remaneat[1].

**56.** Q. 4. *Quæ, quanta esse debet satisfactio, et quando imponenda?*

R. Ad 1: Ad qualitatem quod attinet satisfactionis, ea debet esse vindicativa et medicinalis; dicente Tridentino, satisfactiones esse imponendas *non solum ad novæ vitæ custodiam; sed etiam ad præteritorum vindictam et castigationem.* Satisfactio vindicativa seu pœnalis est quodcumque opus bonum injunctum in Sacramento, v. g., oratio, eleemosyna, jejunium, etc.[2]; nam in statu naturæ lapsæ quæcumque virtuosa actio habet rationem pœnæ, quia omnes post amissam justitiam originalem ad terrena et propria commoda proni sumus.

Satisfactiones vero medicinales sunt illæ quæ, ut verbis utamur Tridentini, *medentur peccatorum reliquiis; et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum*

[1] Quæ ratio demonstrat non posse imponi *totam* pœnitentiam sub conditione reincidentiæ; si enim pœnitens non ceciderit, mutilum erit Sacramentum: adde tunc nulla satisfactio vindicativa. Diximus *totam;* aliqua enim salutariter sic potest imponi pro evitando relapsu: « Mais il faut ici faire attention à deux choses: la *première*, c'est que les pénitences ne soient pas trop difficiles, parce qu'on ne les fait pas; et, une fois que le pénitent y a manqué, croyant avoir manqué aux engagements pris avec le confesseur, il se déconcerte et se remet à pécher sans retenue; la *seconde*, c'est que quelques-uns considèrent ces pénitences comme une amende, et, pourvu qu'ils payent le tribut de cette aumône, etc., ils continuent à pécher comme auparavant. Il faut donc ici user grandement de réserve et de circonspection pour apprendre aux pénitents la manière dont ils doivent se les rendre profitables. » Beato Leonardi, *Discorso mistico-morale da farsi dopo la missione per unire in sacra lega tutti i Confessori*, § 29.— Ferraris, *Bibl.*, vº Pœnitentiæ Sacramentum, art. 3.

[2] Per hæc tria Deo omnia damus: per *orationem* bona animæ; per *jejunium* bona corporis; per *eleemosynam* bona fortunæ.



*actionibus tollunt.* Audiatur S. Alphonsus: *Imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynæ pro peccatis avaritiæ, oratio pro blasphemiis,* etc. *Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti: quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentiam, orationem mentalem et eleemosynas; nihilominus praxis habet, has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirum aggregari ad aliquam congregationem: quolibet vespere (saltem ad tempus) actum doloris elicere; et quolibet mane propositum renovare dicendo cum S. Philippo Nerio: Seigneur, que vos mains restent étendues sur moi tout ce jour, pour que je ne vous trahisse point: visitare quotidie SS. Sacramentum, et imaginem quoque Mariæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando; Rosarii saltem tertiam partem recitare et ter Salutationem Angelicam mane, meridie et vespere dicendo: Ma mère, soutenez-moi aujourd'hui pour que je n'offense pas Dieu*[1]*; cum cubitum iverint, dicere in lecto: Maintenant je devrais être dans le feu de l'enfer;* vel etiam dicere: *Un jour je dois mourir dans ce lit. Qui vero legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibu sagentem*[2]. Cum vero inter vitia ferme semper sit

[1] Hanc tamen pœnitentiam ter recitandi Salutationem Angelicam cum prædicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare. Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 5 et 16; *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 54; et tract. XXI, l. VI, nn. 5 et 6, ubi remedia generalia et particularia scite assignat peritissimus Antistes, qui ea in sacro ministerio 50 annorum spatio probaverat. It. *Praxis confessarii*, nn. 11 et seqq.

[2] *V.* Pinamonti, *Il direttore*, ecc., c. VIII. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 514. Hic duo notanda: — 1. non sunt imponenda jejunia pueris, rusticis, opificibus continuo labore defatigatis; nec filiisfamilias qui nimiam jejunando admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent. Nec sunt injungendæ peregrinationes, aut prolixæ preces, aut eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis; nec pauperibus magno labore victum sibi comparantibus; — 2. non sunt imponendæ pœnitentiæ multis operibus diversis implicatæ; quia memoriter teneri non possent; nec ordinarie saltem, pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes; v. g., signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur

aliquod prædominans, ex quo cetera originem habent, in hoc Confessarius attente inquirat, et huic medicinam majori studio accommodet, ita ut ipso avulso, vitia cetera corruant.

**57.** R. Ad 2 : Quod pertinet ad quantitatem ac mensuram satisfactionis, præ oculis habendæ sunt tum criminum gravitas, tum facultas pœnitentium. Relate ad criminum gravitatem considerari debent eorum species, numerus et circumstantiæ : relate ad facultatem pœnitentium satisfactio accommodanda est eorum statui, sexui, ætati et conditioni. Monet Salesius, non esse gravandum pœnitentem multis rebus, maxime si diversis, ne confundatur et terrefiat. Ceterum pro praxi notamus cum Gury : « Illa censenda est pœnitentia gravis, saltem ex hodierno Ecclesiæ more, quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Hinc pœnitentia gravis erit et pro peccato gravi ordinarie sufficiens, Missam unam audire, uno die jejunare, recitare Rosarium (etiam solam tertiam partem), Officium parvum B. Virginis, Litanias Sanctorum, Psalmos pœnitentiales, Viam Crucis agere, meditari per tertiam horæ partem et similia. Non autem erit gravis pœnitentia, si Psalmus *Miserere* tantum imponatur, vel quinque *Pater* et *Ave* una vice tantummodo » (*H*).

**58.** R. Ad 3 : Ad tempus quod spectat satisfactionis imponendæ, etsi ea etiam post absolutionem possit imponi, ut docent communissime, quia in re non est essentialis, et statim ei unitur illam postea imponendo ; tamen ordo judicii et consuetudo generalis postulat, ut imponatur ante : sic etiam dispositio pœnitentis melius cognosci potest.

**59.** Q. 5. *An minui possit satisfactio Sacramentalis ?*

R. Sunt casus, in quibus Confessarius levissimam satisfactionem imponere debet, uti est percutio pectoris, invocatio Nominis Jesu : et sunt casus, in quibus non levissimam, sed culpis minorem potest injungere.

*Primo* levissimam imponet : — 1. si jam pœnitentem

pueris ut veniam petant a parentibus, vel ab aliis inobedientiam, irreverentiam, aut furtula ipsis facta, quia sæpe odiosam reddunt Confessionem, et plerumque omittuntur.



satisfecisse advertat, uti si eum inveniat vehementissime contritum ; — 2. si pœnitens sit impos mentis aut morti proximus aut valde debilis ; quia tunc major pœnitentia evadit moraliter impossibilis[1] ; — 3. si meticulosus sæpius redit inter eamdem horam cum levissimis culpis : ne nimia pœnitentia gravatus magis animo angatur in ea implenda.

*Secundo* potest Confessarius leviorem, licet non ita improportionatam injungere pœnitentiam, id est talem, ut dici quidem possit eam esse gravem in se, licet non secundum omnem mensuram : — 1. tempore Jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ ; nam et hoc modo bene solvitur pœna vindicativa ; — 2. ob ea verba, quæ in ipsa forma absolutionis exprimuntur : *Quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*, etc. Ita docet sententia longe probabilior et communior cum D. Thoma[2] ; non enim Ecclesia voluit hæc verba a Confessario frustra pronuntiari, bene vero, ut omnia bona opera pœnitentium, quamvis propria electione peragenda, ad satisfactionis Sacramentalis meritum eleventur ; — 3. ob prudentem timorem, ne pœnitens illam sit impleturus, uti ferme omnes affirmant. Licet enim, juxta divinæ Justitiæ rationem, exigatur satisfactio peccatis adæquata ; ex divina tamen Clementia ratio simul habenda est virium tam corporis quam animi pœnitentium. Id deducitur ex ipso Tridentino, quo præcipitur Confessario, ut satisfactiones quidem imponat *pro qualitate criminum :* sed etiam *pro pœnitentium facultate, quantum prudentia suggesserit.* Ad rem Angelicus : *Sicut medicus aliquando*

[1] Habet Rituale R. : *Ægris non esse injungendam gravem pœnitentiam; sed indicandam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant.* Quod si infirmus sit in mortis articulo aut sensibus destitutus, potest absolvi sine alia pœnitentia : at quando fieri potest, semper aliqua imponatur, ut osculari crucifixum, invocare nomina Jesu et Mariæ, saltem in corde, etc. Non autem expedit infirmo pro pœnitentia imponere, ut patienter incommoda infirmitatis sufferat ; hoc enim potest esse illi multorum scrupulorum occasio. Contra recte advertunt Salmanticenses, quod si infirmus possit satisfacere per eleemosynas, istas utique esse a Confessario injungendas, nam quilibet tenetur eam facere, quam potest, pœnitentiam. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 49.

[2] Quodl. 3, a. 28. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 507.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*prudenter non dat medicinam ita efficacem quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino inflatu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet et a pœnitentia totaliter recedat*[1].

Et ratio est, tum quia hoc Sacramentum non est forum iræ et pœnarum, sed veniæ et misericordiæ; tum quia satius est, quod pœnitens cum leviori pœna residuam luat in purgatorio, quam graviori pœna neglecta, damnetur in inferno. Iterum Angelicus: *Sacerdos non imponat pœnitentiam ita gravem, ut pœnitens totam dimittat; nec ita levem, ut contemnat peccatum... Tutius est imponere minorem debito, quam majorem; quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem*[2]. Idipsum docent Salesius ac Carolus addentes expedire, ut aliquando pœnitentes interrogentur, an talem pœnitentiam valeant exequi. Monendi tamen sunt de insufficientia satisfactionis injunctæ, ut ita quoad possunt pœnitentiæ operibus vacent. Imo sapienter addit S. Thomas de Villanova[3]: *Hoc judicio meo ita perficies, si facilem unam injunxeris, acriorem consulueris.*

**60.** Q. 6. *An pro satisfactione expediat imponere ingressum in Religionem, vel Matrimonium, vel Missarum celebrationem? An opus jam debitum, opus internum, opus pro defunctis; vel cessatio ab aliquo opere; vel satisfactio publica?*

R. Ad 1: Quoad ingressum in *Religionem* commune est, eum non posse pro satisfactione imponi; quia id esset nimis durum. Ita ex Angelico docent Navarrus, Sa, Sylvius et alii[4].

R. Ad 2: Utrum possit imponi ipsum *Matrimonium*, affirmant nonnulli pro casu, quo Confessarius cognoscat statum conjugalem esse pœnitenti remedium necessarium ad vitanda peccata. Sed melius cum Escobar, Laymano, etc., hoc reprobant alii; quia matrimonium requirit omnimodam libertatem, unde ipse pœnitens poterit quidem seipsum ad illud obligare; at aliter nonnisi illum hortari. Sane ea pœnitentia data, pœnitens esset ligatus, sed quid si postea velit ipse aliis mediis uti ad se continendum? tunc non esset in necessitate contrahendi, et proinde frustranea evaderet pœnitentia injuncta et mutilum remaneret ipsum Sacramentum.

[1] P. 3, q. 18, a. 3. — [2] Opusc. LXV.

[3] Sermo fer. VI post Dom. *Lætare.* Dicit Puteobonellus cum Giribaldo, quod pœnitens factus impotens in decursu ad satisfactionem quæ a principio erat rationabilis, si sufficiens scientia sit instructus, per interpretationem valet eam imminuere; nam interpretatio non est actus jurisdictionis, sed actus prudentiæ quo quis judicat se ad tantam non teneri. Sed consultius est confessarium adire.

[4] 2, 2, q. 62, a. 3.



R. Ad 3: Quoad *Missas* Benedictus XIV Confessarium hortatur, ne illas etiam sponte oblatas acceptet, si eas ipse imposuerit: idque ad avaritiæ suspicionem avertendam[1]. Imo recte monet D. Carolus, ut Missæ non imponantur, eadem de causa[2].

R. Ad 4: Negat Antoine posse pro sacramentali satisfactione imponi *opus jam debitum*, cum jam alio titulo sit illud a pœnitente præstandum. Verum Layman, Lugo, Sanchez, Sporer et Suarez affirmant communiter ac merito (si opus non sit eodem titulo satisfactionis sacramentalis præceptum); nam opus aliunde jam debitum aut præceptum, uti esset auditio Missæ in Festo, cum sit ex natura sua satisfactorium, bene potest *per claves Ecclesiæ* elevari ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis. Nonne qui audit Missam in Festo etiam ex voto debitam, duplex consequitur meritum, obedientiæ et pietatis? a pari qui implet opus jam præceptum, et simul etiam injunctum pro satisfactione sacramentali. Diximus *si opus non sit eodem titulo satisfactionis sacramentalis præceptum;* non enim potest denuo elevari ad sacramentalem satisfactionem quod jam elevatum est: hinc merito dicunt Palaus et Roncaglia cum Candido contra Croix, quod si pœnitens statim post absolutionem deferat aliud peccatum, non sufficit illi eamdem pœnitentiam impositam confirmare, novam non injungendo.

In praxi opus debitum ne imponatur, nisi spectata fragilitate pœnitentis; cum æquum sit, ut sentiat peccati pondus: et in casu pœnitenti significetur. Unde commune est, quod ubi Confessarius expresse non sit allocutus de opere alias debito aut præcepto, intelligatur impositum opus liberum,

[1] *Notificatione* XCII. — [2] Instr. *Ad Confessarios.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seu supererogatorium [1]. Quare pœnitens cui sit a confessario imposita eleemosyna pauperi largienda, non satisfaceret, si pecuniam pro eleemosyna destinata insumpsit ad alendam matrem pauperem, quia ad id jam stricte tenetur ex jure naturali pietatis. — Excipe nisi (ut satis communiter dicunt Antoine, Collet, etc.), aliud colligi possit in certis rerum adjunctis : v. g., si Confessarius imponeret auditionem Missæ per mensem non esset obligatio duas Missas audiendi in festo : nam sic recte præsumitur esse mens Confessarii.

R. Ad 5 : De *opere interno* nonnulli dubitant posse pro sacramentali satisfactione imponi eo, quod putent satisfactionem, cum sit pars Sacramenti, esse debere sensibilem. Sed sententia communis merito affirmat : nam sicut contritio licet per se tota interna sit, attamen fit sensibilis per Confessionem : ita opus satisfactorium, licet internum, fit sensibile per impositionem atque acceptationem.

R. Ad 6 : Communius et probabilius affirmant posse imponi *opus pro defunctis;* satisfactio enim in hoc casu stat ex parte bonæ voluntatis, quæ pœnitens opus suum applicat defunctis. Vel, ut docet Angelicus, satisfactio sacramentalis duplicem habet valorem : unum ex opere operato; alterum ex opere operantis. Primum sibi soli, alter etiam aliis prodesse potest[2]. Hinc Catechismus romanus : *Maxime convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot et definitis diebus orationi vacent; ac pro omnibus, et præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant* [3].

R. Ad 7 : Recte ac communiter affirmant posse etiam imponi *cessationem a bono opere*, v. g., a Communione, a jejunio; cessatio enim hæc potest esse aliquando actus virtutis, saltem ad servandam obedientiam Confessario. Regulariter tamen id non expedit, præsertim si periculum sit, ne alii judicent talem omissionem fuisse impositam in Sacramento, et sic odiosa reddatur Confessio.

R. Ad 8 : Si agitur de peccato occulto, certum est non

[1] Quare si Confessarius jejunium imponat, pœnitens debet monere Confessarium, si forte alio debito stricte teneatur ad jejunium, tali die. — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. VI, n. 513.

[2] Quodl. 3, a. 28. — [3] *De satisf.*, n. 79.



posse *publicam satisfactionem* imponi; id enim expresse Confessario vetat Rituale R. : *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat;* secus indirecte violaretur sigillum, uti ait D. Thomas[1]. Si vero agitur de peccato publico, confessarius non solum potest, sed aliquando tenetur publicam satisfactionem imponere, si nempe alia via occurri nequeat, v. g., scandalo dato, vel honori alicui detracto. Sed non est adstringendus pœnitens (prout recte observant Salmanticenses, Roncaglia aliique), si renuit, et aliter possit damnum æquivalenter reparare; tunc enim ex una parte infirmitati pœnitentis subvenitur, ex alia scandalum sufficienter alio modo tollitur, uti per publicam auditionem Missarum, Ecclesiarum visitationes, frequentiam Sacramentorum, ingressum in aliquam Congregationem, ubi publice pietatis opera exerceantur[2] (*I*).

61. Q. 7. *An satisfactio semel imposita mutari possit?*

R. Satisfactio semel imposita non potest valide mutari a pœnitente auctoritate propria ne in melius quidem; tum quia nulla satisfactio potest esse sacramentalis, nisi imponatur a ministro Sacramenti; tum quia reus non potest mutare sententiam judicis. Sed potest tam a proprio Confessario seu ab eo a quo pœnitentia illa imposita est, tam ab alio quolibet Confessario approbato :

1. A proprio Confessario, quia legislator semper valide potest propriam legem mutare, imo cum causa etiam licite, uti esset in casu nostro si pœnitens prævideatur non esse satisfacturus ob nimiam repugnantiam aut fragilitatem. Neque

[1] In 4, d. 14, q. 1, a. 5, q. 1.

[2] « Un homme, par exemple, a montré du mépris pour les devoirs de la religion : s'il assiste aux offices divins, s'il s'approche des Sacrements, la réparation du scandale est suffisante. » Gousset. Quod sane debeat scandalum publice reparare qui publice deliquit, non tam cadit sub præcepto satisfactionis quam sub præcepto charitatis. Hinc Fagnanus refert quod S. C. C. noluit declarare, an in foro sacramentali pro publicis peccatis publicæ pœnitentiæ essent imponendæ. Quod Tridentinum autem, sess. XXIV, c. VIII, indicat oportere, ut peccatori publico pœnitentia publica injungatur, intelligunt non sine aliquo fundamento de foro judiciali externo; nam Concilium addit quod episcopus publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 512.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tunc de novo danda est absolutio, cum jam peccata sint remissa : imo neque opus est Confessionem jam factam repetere, si adhuc Confessarius recordetur saltem in confuso de statu conscientiæ sui pœnitentis; tunc enim adhuc potest justam ferre sententiam. Notant tamen Lessius, Suarez et alii, quod, facta commutatione pœnitens iterum potest primam eligere; quia ex una parte commutatio est in illius favorem inducta, ex alia prima pœnitentia conveniens est et sacramentalis.

2. A quolibet alio Confessario approbato, quia quilibet alius Confessarius potest eamdem causam cognoscere, si pœnitens illius tribunali se submittat. Ut tamen alius Confessarius pœnitentiam mutet, docent probabiliter Castropalaus, Concina, Holzman, Layman et Lugo pœnitentem debere Confessionem suam repetere saltem in confuso, ut ejus status dignoscatur, et conveniens medicina et pœna ei injungatur. Verum multi cum Bonacina, Navarro, Sa, Toleto, etc., item probabiliter contrarium docent dicentes in hac secunda Confessione non agi de judicio ferendo super culpis delatis in præcedenti, cum jam illud completum sit, neque de nova danda absolutione, quæ jam est tributa; sed tantum de pœnitentia commutanda, ad quod sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, ut nova aliquo modo æquivalenter medicinalis et vindicativa imponatur [1].

Certum est autem, quod pœnitentia valide commutari non potest ab alio Confessario, extra pœnitentiæ tribunal; quia Confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. Ab eodem autem Confessario utique potest commutari extra Confessionem, juxta aliquos intra unius diei spatium a Confessione, imo etiam intra hebdomadam et amplius. At verius puto cum sententia communiori id tantum posse admitti, si fiat statim post absolutionem, antequam pœnitens discedat; quia tunc tantum censetur moraliter perseverare idem judicium, idque etiam videtur exigere reverentia Sacramenti.

[1] Hoc locum non haberet, si esset immutanda pœnitentia ob casus reservatos a superiore imposita ; quia inferior nulla in superiorem potitur auctoritate. Excipe nisi casus urgeat, et superior non possit adiri ; tunc præsumitur connivententia superioris. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 529.



**62.** Q. 8. *An pœnitens debeat acceptare, et exequi satisfactionem?*

R. Ex sententia communi et vera (quæ ex Vasquez est etiam de fide post Tridentinum) pœnitens tenetur sub gravi satisfactionem sibi impositam acceptare et exequi; si enim sub gravi tenetur Confessarius satisfactionem convenientem injungere, a pari tenetur pœnitens sub gravi eamdem acceptare et exequi. Obligatio videlicet imponendi satisfactionem et obligatio eamdem acceptandi et exequendi sunt duo correlata, quorum unum esse non potest sine altero, uti argumentatur Benedictus XIV, Bulla *Inter præteritas*. Unde peccat graviter pœnitens qui recusat acceptare pœnitentiam, quæ par est suis viribus, et quam potest facile adimplere, si ex mera desidia illam recusat [1].

Attamen docent communiter omittere pœnitentiam levem impositam pro venialibus aut mortalibus jam confessis, non esse nisi veniale; cum materia levis non sit capax gravis obligationis; aliunde Sacramentum jam completum est essentialiter [2]. Non tenetur autem pœnitens pœnitentiam implere, si fuit invalida Confessio; quia nullum adest Sacramentum integrandum. Idem est de imposita sine absolutione pœnitentia, ob eamdem rationem; attamen excipe, si pœnitentia sit medicinalis et ex præcepto confessoris agenda; vel si pœnitens ad eamdem Confessionem perficiendam pluries accedat, et Confessarius pœnitentiam singulis vicibus imponat hac intentione mitiorem ultima vice imponendi, uti sæpius fieri solet.

**63.** *Quid* (addes) *dicendum de circumstantiis satisfactionis?* Qui sine causa omittit circumstantiam satisfactionis, si, v. g., recitet quidem Rosarium, sed non flexis genibus, uti

[1] Si tamen ea sit justo gravior et nimis onerosa respectu ad suam imbecillitatem, tunc si Confessarius nollet eam moderari, posset pœnitens absque absolutione discedere, saltem sine gravi culpa, et alium quærere Confessarium.

[2] Item est veniale, si pars levis tantummodo gravis satisfactionis omittatur. Et hac in re censet Croix et Gobat cum aliis non esse mortale, si, v.g., ex decem Communionibus una omittatur. Verum huic non acquiescimus, ait S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VI, n. 516.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuerat eidem injuctum, peccat saltem venialiter; cum utique sit in præcepto hæc circumstantia. Sed utrum aliquando peccet mortaliter, id pendet a molestia gravi aut levi, quam affert illa circumstantia vel per se vel respective ad pœnitentem, prout significaverit Confessarius pœnitentiam imponens. Si, v. g., injunctum sit orare flexis genibus, censet Croix non esse mortale, si omittatur genuflexio : si vero injunctum sit orare brachiis expansis, dicit esse mortale, si hæc omittatur circumstantia; quia non primum, sed secundum in genere molestiæ grave est[1].

**64.** Q. 9. *An pœnitens oblitus satisfactionis debeat iterum confiteri?*

R. Alii cum D. Antonino affirmant pœnitentem debere iterum confiteri; quia pœnitens curare debet quantum commode potest, ut Sacramentum fiat integrum : qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, saltem tenetur præcipua repetere peccata. Alii vero communiter et valde ac forte magis probabiliter negant cum Layman, Roncaglia, Suarez, Vasquez, Viva, etc., et hoc valere dicunt Croix, Lugo et Navarrus, etiamsi pœnitens oblitus sit culpabiliter prioris satisfactionis; nam pœnitens non amplius tenetur ex una parte ad illius implementum, cum impossibile ei factum sit : ex altera non videtur extare obligatio repetendi Confessionem, cum nemo videatur teneri repetere peccata jam directe remissa; esset enim onus nimis grave.

Attamen si pœnitens putaret Confessarium reminisci posse pœnitentiæ impositæ, teneretur eumdem adire, si commode potest; cum ejus implementum adhuc sit moraliter possibile : et aliunde curandum sit, ne relinquatur mutilum Sacramentum[2].

**65.** Q. 10. *Quandonam satisfactio impleri debet?*

R. Certum est, quod satisfactio non est necessario præmittenda absolutioni (ergo tanto minus Communioni). Id constat : — 1. ex praxi a duodecim et amplius sæculis in utraque Ecclesia vigenti; imo etiam primis temporibus id

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 620.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 520.



fieri consuevisse pluribus exemplis probant eruditi[1]; — 2. ex Sisto IV, qui Petrum de Osma contra sentientem nota hæreticali confixit; ex Alexandro VIII, qui sub n. 16 contrariam propositionem proscripsit; ex Clemente XI qui item propositionem 87 Quesnelli diris devovit; tandem ex Pio VI, qui instauratum errorem in Synodo Pistoriensi propositione 35 iterum damnavit; — 3. ex ratione; nam satisfactio in actu non est pars essentialis[2].

Quoad tempus autem adimplementi præcise, dicimus, si tempus fuit a Confessario determinatum, patet tunc satisfactionem adimplendam esse : secus debet ea impleri quamprimum commode poterit; satisfactio enim est solutio debiti, et compensatio illatæ injuriæ, quæ diu differri non debent[3]. Quænam autem notabilis dilatio? dicimus : si pœnitentia sit levis, dilatio, quantacumque sit, nunquam erit gravis; cum tunc vel ipsa pœnitentiæ omissio probabilius non esset gravis. Si vero imposita pœnitentia sit gravis, conveniunt omnes, dilationem notabilem satisfactionis inferre gravem injuriam Sacramento; et ideo continere grave peccatum. Qua in re nos tenemus cum Croix et Mazzotta hoc principium generale : quod nempe habeatur ut notabilis dilatio illa quæ affert grave præjudicium rei præceptæ, v. g., si pro satisfactione medicinali imposita sit Communio singulis mensibus, et pœnitens ita eamdem differat, ut ex ea dilatione videatur oriri periculum relabendi in peccatum.

Vel in ipsis satisfactionibus vindicativis videtur nimis benigna sententia, quæ dilationem non reputat gravem, si ad sex menses non pertingat. Sicut nimis rigida quæ judicat

[1] Morinus, *De Pœnit.*, l. VIII, c. VIII. — Martenius, *De antiq. Eccl. ritib.*, l. I, p. XXVI, c. VI.
[2] Ergo Confessarius exigere non debet a pœnitente sufficienter disposito, ut pœnitentiam ante absolutionem impleat. Si autem prudenter judicet pœnitentem non esse sufficienter dispositum, pœnitentiam simul medicinalem et pœnalem ei injungat, eumque pro aliquo tempore remittat, ut melius disponatur : pœnitentia quam interea implebit, effectum non habebit ex opere operato, sicut et confessio, nisi eo instanti quo accedente absolutione, perficiatur Sacramentum. Ita *Deus.*
[3] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 57; et *Op. Mor.*, l. VI, n 521.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mortalem dilationem ad quindecim dies vel ad mensem, si adhuc possit pœnitentia recte impleri.

**66.** *Quid* (dices) *si præscripto tempore satisfactio non fuerit impleta?* Adhuc est implenda; semper enim a Confessario intenditur principaliter ipsum opus injunctum : tempus vero non intenditur, nisi accessorie. Atqui principale remanet, etiam deficiente accessorio.

**67.** Q. 11. *An satisfactio impleri possit per alium?*

R. Cum distinctione : vel agitur de satisfactione, quæ non sit imposita in Sacramento; vel de satisfactione Sacramentali. Si 1, potest per alium illa impleri; nam satisfactio est debiti solutio; potest autem unus pro alio debitum solvere. Unde Apostolus habet : *Alter alterius onera portate*[1]. Hoc tamen intelligendum, si agatur de mera debiti solutione; non autem si si satisfactio ordinetur ad medicinam, quæ non prodest nisi sumenti : *Ex jejunio unius*, ait Angelicus, *caro alterius non domatur*[2].

Si 2, non potest; tum quia ab Alexandro VII proscripta est hæc propositio sub n. 15 : *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat;* tum quia ex Tridentino materia Sacramenti sunt actus ipsius pœnitentis, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio : ergo sicuti unus non potest pro altero conteri vel confiteri, ita nec satisfacere[3].

*Sed* (quæres) *an possit cum alio satisfactio Sacramentalis impleri?* Alii absolute affirmant posse pœnitentem cum socio satisfactionem implere : quia hoc onus imitatur pondus Officii, quod utique potest recitari cum socio etiam ad illud non obligato. Alii vero affirmant si imponantur preces quæ ex usu fidelium vel Ecclesiæ alterne recitari soleant, uti rosarium. Alii tandem absolute negant negando paritates (et huic sententiæ consentanea est praxis); nam Officium et aliæ

[1] Gal. VI. — [2] Suppl. 3 p., q. 15, a. 1.

[3] Excipe casum, quo Confessarius id pœnitenti concedat, ut dicit Suarez cum D. Thoma; nam tunc non jam opus, sed ipse actus pœnitentis, quo satisfactionem ab altero pro se petit, locum tenet satisfactionis formalis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 526.



preces alternatim recitari solitæ non sunt pœna, ut eam peccator totam sustineat.

Ceterum contra Cajetanum atque Sylvium docent communissime Elbel, Filliucius, Sa, Sanchez, Sporer, Suarez, etc., quod pœnitentia bene potest impleri tempore, quo aliud impletur præceptum, puta in Missa de præcepto; nam duobus præceptis potest simul satisfieri : excipe nisi aliter statutum sit a confessario. Et sane in nostro casu Missa est quidem in præcepto, non tamen peculiares preces; hæc igitur determinari poterunt a pœnitente ipso.

**68.** Q. 12. *Quid de eo, qui satisfactionem implet in mortali?*

R. Communis et probabilior sententia, quam tenet Concina, Lugo, Roncaglia, Salmanticenses et Suarez docet, eum qui pœnitentiam implet in mortali, substantialiter satisfacere, etsi adhuc habeat affectum ad peccatum illud; nam ad implendum satisfactionis præceptum sufficit ponere opus præceptum, licet ejus finis non obtineatur. Tunc quidem non habebitur meritum et effectus satisfactionis injunctæ, nempe remissio pœnæ debitæ, quæ haberi non potest sine charitate (et hoc sensu intelligitur D. Thomas, qui contra objicitur); sed dici nequit ipsum non adesse satisfactionis implementum.

Attamen probabilius est eum qui implet in mortali satisfactionem, peccare venialiter, siquidem indigne suscipit partem integralem Sacramenti; at ponere obicem effectui partiali Sacramenti, nempe remissioni pœnæ, non potest ab aliqua culpa excusari; ita Layman, Wigand, Suarez, aliique plures[1].

## Corollarium. — *De Indulgentia et Jubilæo.*

**69.** Q. 1. *Quid est Indulgentia?*

R. Indulgentia definitur : *Condonatio pœnæ temporalis pro peccatis post Baptismum commissis et remissis adhuc Deo debitæ, facta a Superiore legitimo, extra Sacramentum, per*

[1] Putat Antoine cum aliis pœnitentiam actam in mortali effectum suum sortiri, et finem obtinere, sublato per justificationem obice.—*V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 522.

*applicationem thesauri Ecclesiæ fidelibus vere pœnitentibus et contritis, qui datas conditiones implent*. Dicitur : 1. *condonatio pœnæ temporalis;* nam pœna æterna remittitur una cum ipsa culpa, cum repugnet in æternum puniri, qui est Dei amicus; — 2. *pro peccatis post Baptismum commissis;* peccata enim commissa ante Baptisma ita per illud remittuntur, ut nullam relinquant pœnam, ne temporalem quidem postea luendam; — 3. *et remissis*, nam quandiu remanet culpa, non potest tribui pœnæ ei debitæ condonatio : unde quando dicitur per indulgentiam peccata remitti, nomen *peccati* pro pœnæ reatu usurpatur; — 4. *adhuc Deo debitæ*, sic excluditur error illorum qui volunt indulgentiam non remittere pœnam divinæ justitiæ debitam, sed tantum relaxare pœnitentiam a Confessario impositam aut imponendam juxta antiquos canones pœnitentiales; — 5. *facta a legitimo Superiore;* quia nulla potestas potest valide exerceri, nisi ab iis quibus ea legitime data est; — 6. *extra Sacramentum;* quia hic pœnæ remissio non fit virtute alicujus Sacramenti, sed fit nobis applicando satisfactiones Christi et Sanctorum ipsis superabundantes, ex quibus conflatur thesaurus Ecclesiæ; et ideo additur : *Per applicationem thesauri Ecclesiæ;* — 7. *fidelibus vere pœnitentibus*, etc., quibus verbis et subjectum et requisita indicantur indulgentiarum.

Ex quibus patet evidenter veram indulgentiam de sui natura liberare a laboriosis pœnitentiæ operibus; « *singulis tamen*, ait Benedictus XIV, *cardinalis Bellarmini doctrinam proponendam ducimus :* accipient prudenter Christiani Indulgentias, si simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus facere [1]. »

Indulgentia dividitur :

1. Ratione objecti cui inhæret : et alia est *localis*, quæ conceditur loco immediate, v. g., tali Ecclesiæ; alia *realis*, quæ conceditur immediate rei, v. g., coronis (utraque mediate personis, v. g., talem Ecclesiam visitantibus, tale rosarium gestantibus); alia *personali*, quæ personis conceditur independenter a loco et a re, v. g., communicantibus, orantibus, etc.

[1] *Notificatione* LIII. Perrone, *De Indulgentiis*, materiam erudite exsolvit. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica*. Opusc. XXX : valore delle Indulgenze; et X, *Storia Ecclesiastica*, § 12. — *Sermoni istruttivi di un vecchio Parroco della Toscana*, ecc. — Wiseman. *Conférence* XII. — Ferraris, v° Indulgentia. — Bellarminus; Liberius a Jesu; Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 533; *Homo Apost.*, tract. XVI. n. 62.



2. Ratione effectuum, quos producit : et alia est *plenaria*, quæ dicitur etiam *plena*, *plenior*, *plenissima*, juxta majorem vel minorem facultatem, quæ, præter totalem pœnæ remissionem, tribuitur absolvendi a censuris, dispensandi in votis, etc. Hæc remittit, juxta aliquos, totam pœnam, quam totis suis viribus expungere non potest fidelis; sed melius totam pœnam temporalem remittit, ut verbum ipsum sonat, et juxta fidelium persuasionem. Alia est *partialis*, quæ remittit dumtaxat aliquam pœnæ partem, v. g., dierum vel annorum, prout fuerit a superiore declaratum : tales sunt quadragenæ et septenæ, quarum illæ remittunt tantum pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, quantum per jejunium 40 annorum in pane et aqua remitteretur juxta veteres canones; istæ quantum deberetur per annos septem.

3. Ratione temporis ad quod extenditur : et alia est *perpetua*, alia *temporanea*, alia *indefinita*, prout conceditur in perpetuum, vel ad tempus, vel absque temporis limitatione.

**70.** Q. 2. *Quænam est catholica doctrina circa Indulgentias?*

R. Adversus Indulgentias insurrexerunt primo Montanistæ; dein Waldenses ac Wicleffitæ; postea Lutherus [1] et Calvinus, ac sectæ omnes ex his progenitæ. Tandem Janseniani, qui Indulgentias dicunt non esse nisi meræ relaxationes pœnitentiæ canonicæ in foro ecclesiastico tantum validas; thesaurum vero Ecclesiæ commentum esse a Scholasticis excogitatum. Contra hos omnes :

Dicimus 1 : est in Ecclesia potestas a Christo concessa conferendi Indulgentias, et earum usus est christiano populo maxime salutaris. De fide est sic a Tridentino definitum :

[1] Lutherus contra Leonem X ira excandescens quod Indulgentiæ publicationem commisisset Dominicanis, non Augustinianis, de quorum familia erat, in Indulgentias debacchatus est, et eas non erubuit appellare *Pontificum fraudes et imposturas.*

*Quum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*[1]. Id evincitur : — 1. ex Scriptura, in qua legitur : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*[2]. At si per ea verba *quæcumque alligaveritis* Ecclesia potestatem accepit peccatoribus laboriosa opera injungendi, dicenda erit per alia posteriora verba *quæcumque solveritis*, potestatem accepisse ab illis operibus eosdem solvendi : quod quidem per Indulgentias operatur; — 2. ex præscriptione : jam enim ab antiquis temporibus, nemine reclamante, Ecclesia Indulgentias elargita est : sic Innocentius I anno 416, S. Leo anno 451, Sergius II anno 847, Gregorius VII anno 1084, Urbanus II anno 1094, Paschalis II anno 1100 et alii longe ante protestantes, fidelibus eas concessere. Adde Concilium Nicænum I, Ancyranum, Illiberitanum, Arelatense, Laodicænum, etc. : adde usum qui per decem fere sæcula perduravit, ut feria v in Cœna Domini ab Episcopis absolverentur ab omni ulteriori pœna qui in capite quadragesimæ confessi fuerant[3]. Tandem nonne ipse Apostolus incestuoso Corinthio de rigore temporalis pœnitentiæ aliquid remisit, et quidem ex persona Christi[4]?

Quarum porro indulgentiarum usum esse populo *maxime salutarem*, ut ait Tridentinum, vel ex eo liquet, quia Indulgentiæ nonnisi rite dispositis ac pœnitentibus, nec nisi sub certis conditionibus, quæ pietatem foveant conceduntur.

[1] Sess. xxv, decr. *De Indulg.* — [2] Matth. xviii.

[3] *V.* Christianus Lupus, *Dissertat. de peccatorum et satisf. Indulg.* c. vii. — Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc., vol. III, p. 48. — Amort. *Dissert. apolog. de Indulgentiis.* — Franco, *Risposte popolari alle obbiezione più comuni contro la Religione.*

[4] I Corinth. v. — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, sess. xxv, nn. 50 e seqq



Ideo etiam patet, quam aptus sit indulgentiarum usus ad finem quem intendit Ecclesia, in eo situm (ex verbis Clementis IV Constit. *Unigenitus*) videlicet, *ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat*. Quod si aliqui indulgentiis abutuntur, hoc est vitium hominis, non autem rei.

Dicimus 2 : datur in Ecclesia Indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum[1]. Hoc est fidei proximum, ut constat ex Pio VI, qui propositionem 41 Synodi Pistoriensis contrarium innuentem damnavit : Pio VI præiverat tum Leo X contra Lutherum, tum Gregorius XIII contra Baium. Et sane negari non potest, quod sit in Ecclesia cumulus satisfactionum seu superabundantia : siquidem superabundavit satisfactio Christi utpote infinita ; satisfactio B. Virginis, quæ licet sine macula semper extiterit, et ideo nullum contraxerit debitum pœnæ, tamen tot passa est ; aliorumque sine numero Sanctorum, qui ab omni ferme culpa immunes tot tantaque sustinuerunt. Et quamvis Sancti fuerint abundanter remunerati de operibus proprie meritoriis per visionem Dei, tamen utpote satisfactoria eorum opera exhausta non fuerunt[2]. At numquid istæ uti simpliciter satisfactoriæ remanent otiosæ? Dicendum potius eas in Ecclesiæ thesaurum ingredi, cujus ipsa administrationem habet : *Ea autem, quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest*, ut ait D. Thomas[3]. Omnes porro

[1] Nos *meritorum* Christi et Sanctorum nomine significamus non merita in rigoroso sensu, quibus aliquis *sibi* meretur; sed quatenus hæc *satisfactoria* sunt, quibus quispiam aut pro se, aut pro se et aliis, aut pro aliis tantum divinæ justitiæ læsæ satisfacit. Sic Christus pro nobis tantum satisfactoria hæc merita posuit, sancti vero satisfecerunt pro se et pro aliis : dum itaque dicimus thesaurum Ecclesiæ constare ex meritis Christi et Sanctorum, significamus constare ex eorum meritis satisfactoriis, aut etiam, ut nonnullis placet, *impetratoriis*, quæ præstiterunt Sancti pro se, etsi superabundent etiam pro aliis. Adeoque improprie *meriti* nomen usurpatur. Ita Perrone.

[2] Etiam meritis Sanctorum adhuc viventium conflari potest hic meritorum cumulus, ut patet et docet Catechismus, p. II, c. v, n. 6.

[3] Suppl., 4 p., q. 25, a. 1

commembra sumus unius capitis Christi Jesu; ergo omnes homines de illis participare possunt. Esto quod vi Communionis hujusmodi omnes jam per se participent; at multo magis illi participare debent, quibus applicantur specialiter[1].

Neque injuriosa est Christo, si ad merita ejus infinita adjungantur Sanctorum merita: honor enim servorum redundat in dominum, cum sanctorum merita nonnisi ex Christi meritis habeant quod nobis prodesse possint.

Dicimus 3: Indulgentiæ a pœna liberant, seu remittunt pœnam pro peccatis debitam non solum coram Ecclesia, sed etiam apud divinam justitiam. Hoc est saltem proximum fidei, ut constat ex contrariis propositionibus censura notatis, nempe ex articulo 19 Lutheri a Leone X, et propositione 40 Synodi Pistoriensis a Pio VI damnata. Et talis semper fuit Ecclesiæ sensus[2]. Adde ex Angelico: si Indulgentiæ nudam importarent pœnæ canonicæ remissionem, *Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis*[3]; quod impium est dicere.

Dicimus 4: Indulgentia applicari potest *per modum suffragii* animabus purgatorii. Hæc propositio ad fidem pertinet juxta Sylvium; saltem fidei proxima est, id enim probat tum Ecclesiæ usus, siquidem omni tempore sic concessas legimus[4]; tum Sixtus IV, qui 1478 damnavit doctrinam Petri De Osma huic veritati oppositam; tum Leo X, qui 1520 damnavit contrariam Lutheri propositionem (nn. 22 et 23); tum Pius VI, qui aliam similem diris devovit Bulla *Auctorem fidei*, n. 42. Neque sane *est aliqua ratio*, inquit Angelicus, *quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos et non in mortuos*[5]. Id

[1] D. Chrysostomus, Homil. *In SS. martyres Juvenium et Maximinum* mentionem facit thesauri Ecclesiæ; non est ergo Scholasticorum inventum.

[2] *V.* Epist. XXX Cleri Romani ad S. Cyprianum; it. Epist. XII Cypriani ipsius.

[3] Suppl. q. 25, a. 1. — [4] *V.* Perrone, *De Indulg.*, n. 76.

[5] Suppl. q. 71, a. 10.



etiam evincit dogma de communione Sanctorum; *neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia*[1].

Addimus tamen *per modum suffragii;* nam cum animæ purgantes Ecclesiæ jurisdictioni non subdantur, ipsis Indulgentiæ applicari non possunt sicut vivis per modum absolutionis, vi cujus Ecclesia eorum delet pœnæ reatum. Sed tantum per modum suffragii, seu simplicis solutionis, quatenus nempe rogatur Deus, ut eas acceptare dignetur. Ad hoc autem necesse est: — 1. ut eo fine sit concessa Indulgentia, ut nempe etiam possit defunctis applicari: quæ quidem concessio a solo R. Pontifice fit; — 2. ut intentio saltem interpretativa sit in lucrante eas defunctis applicandi; nam superior dat tantum *posse*, non autem actu applicat eas huic vel illi; — 3. status gratiæ in eas lucrante saltem in ultimo opere, ut nobis verius videtur contra aliquos; neque enim quis potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius ipse eam fuerit lucratus; cum nemo possit alteri tribuere, quod non habet. Porro ad lucrandam Indulgentiam statum gratiæ omnino requiri declaravit Benedictus XIV Constitutione *Inter præteritas* (J).

**71.** Q. 3. *Quibus competit potestas Indulgentias concedendi?*

R. Cum Indulgentiæ sint bona communia Ecclesiæ, principium generale est, easdem concedi non posse nisi ab iis, qui jure divino Ecclesiæ ipsi actu præsunt. Hinc nec Abbates Religiosorum Ordinum, nec Vicarius generalis, nec Parochi possunt, nisi jure delegato, Indulgentias elargiri; nec etiam potest Episcopus qui sedem non habeat, cum tunc jurisdictione careat: *Dicendum quod Papa* (ait Angelicus) *habet plenitudinem pontificalis potestatis quasi rex in regno; sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis quasi judices singulis civitatibus præpositi, propter quod eos solos in suis litteris Papa* fratres *vocat; reliquos autem vocat* filios. *Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa qui potest facere quod vult, causa tamen existente legitima; sed in episcopis est taxata secundum ordinationem Papæ, et ideo possunt facere secundum quod eis taxatum est et non amplius*[2].

Ex quo principio sequitur, indulgentias concedi posse a Pontifice

[1] S. Augustinus, *De civ. Dei*, l. XI, c. IX.

[2] Suppl. q. 26, a. 3. — *V.* Ferraris, v° Indulgentia, a. 2, n. 19.

in toto orbe, ab Episcopis in propriis Diœcesibus : et quidem Pontifex concedere potest Indulgentias plenarias; Episcopi autem ex Lateranensis IV dispositione Indulgentias tantum unius anni in Dedicatione Ecclesiæ, quadraginta dierum in aliis causis[1] : et quidem in perpetuum, atque etiam extra propriam Diœcesim, modo cum suis subditis; cum hæc jurisdictio non sit contentiosa. Quod vero pertinet ad Archiepiscopos, Patriarchas ac Primates, eas omnes, quas possunt Episcopi, Indulgentias concedunt, et quidem per totam provinciam extra ipsam visitationem; cum hac de re jus indistincte loquatur. Tandem Cardinales ex usu introducto 100 dierum Indulgentias legitime concedunt Ecclesiæ cui tanquam Episcopi præsunt; imo in Ecclesis suorum titulorum eas ipsas concedunt, etsi Episcopi non sint[2].

**72.** Ad Indulgentiam valide concedendam requiritur causa; quia Papa et Episcopi non sunt domini, sed dispensatores thesauri Ecclesiæ : *Indulgentiæ*, ad rem Angelicus, *tantum valent quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte suscipientis charitas, et ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem*[3]. Attamen bene advertit Bellarminus, id non est subditorum judicare; sed ipsorum est grato animo beneficia, quæ a superioribus conferuntur, exosculari. Tanto magis, quod si aliquando non potest totum prodesse, poterit in parte : cum Indulgentia sit divisibilis.

**73.** Q. 4. *Quid requiritur ad Indulgentiam lucrandam?*

R. *In omnibus Indulgentiis* hæc requiruntur ad eas lucrandas :

1. Ut indulgentias lucraturus *intentionem* saltem virtualem habeat illas lucrandi : quod certum est, quoties indulgentia concessa sit cum certa intentione sibi proponenda, v. g., orandi pro felici Ecclesiæ statu. In ceteris casibus, an ista intentio necessario requiratur, affirmant plures cum Billuart; nam opus præscriptum dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum : hoc autem præstari nequit sine virtuali saltem intentione Indulgentiam lucrandi. At plures cum Lugo et Croix negant; nam si Indulgentia concessa est facienti

[1] Relat. in 6, *De pœnit. C. Romana fin.*, l. V, t. X. Indulgentiæ non expirant morte concedentis, nisi adsit clausula *ad beneplacitum nostrum*. Neque, habet Sa, ante ipsam notitiam revocationis.

[2] C *Nostro* xv *de pœnit. et remiss.* Usus tamen invaluit, ut Archiepiscopus taurinensis 80 dies concedat.

[3] Suppl. q. 25, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. n. 534.



tale opus, si fiat, jam totum positum est quod ponendum erat. In praxi tamen prima sententia est suadenda; ideo magis, quia in hac materia non major probabilitas, sed veritas effectum producit. Hinc laudanda piorum praxis, qui mane semper renovant propositum omnes per diem Indulgentias lucrandi.

2. Ut eas lucraturus sit *baptizatus ;* illi enim, qui minime est de Ecclesia, Ecclesiæ thesauri non aperiuntur. In *statu gratiæ*, saltem quando præstat ultimum opus præscriptum : pœna enim non remittitur, nisi simul remittatur, vel jam remissa sit culpa. *Immunis ab excommunicatione :* quia hæc tollit communionem bonorum spiritualium, *Subditus* illius, qui Indulgentiam personalem elargitur : quia agitur de veræ jurisdictionis exercitio, quæ non complectitur, nisi subditos. Diximus *personalem ;* si enim indulgentia concessa sit tali altari, cruci vel ecclesiæ, tunc etiam non subditi talia visitantes, indulgentias lucrabuntur ; est commune.

3. Ut adimpleat singula opera præscripta : non tamen officit, si pars minima operis injuncti omittatur, quia adhuc censetur opus quoad substantiam perfici. Pars autem minima respective ad totum opus sumenda est : sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave*, minima videtur ; secus vero si quinque *Pater* et *Ave* ad indulgentiam requirantur, et unum *Pater* et *Ave* omittatur.

Diximus in *omnibus Indulgentiis ;* ad plenarias enim indulgentias quod attinet, ordinarie hæc insuper requiruntur ad eas lucrandas[1] : 1. Omnium etiam venialium culparum

[1] Diximus *ordinarie ;* nam, ita R. Pontifice disponente, aliquando minus, aliquando plus requiritur : sic, v. g., ex Bulla Pii IV *Dum præclara* confirmata a Bulla *Nuper* 31 julii, 1679, Innocentii XI, confratres SS. Rosarii lucrantur Indulgentiam plenariam, si vere pœnitentes et confessi vel firmum propositum confitendi habentes Capellam SS. Rosarii visitaverint in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis et Præsentationis B. V. (vid. *Pregiutilissimi della divozione del SS. Rosario*, ecc. Torino, 1839). Sic e contrario ad lucrandam Indulgentiam plenariam in festis Patrocinii B. M. V.; at SS. nominum Jesu et Mariæ præter preces, Confessionem et Communionem, ex Innocentio XI et XII insuper requiritur, ut assistatur Missæ solemni. Ubi tamen defectu ministrorum nequeat Missa solemnis celebrari, sufficit ex Leone XII, si assistatur paro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*remissio;* quandiu enim aliqua remanet culpa, quoad illam non remittitur pœna ; — 2. *Confessio* quæ est necessaria, licet quis sola venialia habeat. Ita S. Indulg. C. 19 maii 1759, approbante Clemente XIII. Indulto tamen 9 decemb. 1765 et decreto S. C. Indulgentiarum 15 nov. 1841, statutum est, ut qui singulis hebdomadis confiteri solent, omnes Indulgentias per hebdomadam lucrari possint, ad quas lucrandas Confessio sacramentalis ceteroquin requireretur, modo tamen mortali non sint gravati. Imo decreto ejusdem S. C. approbato a Pio VII, 12 junii 1822, permissum est, ut Confessio etiam pro aliis sufficiat, qui singulis hebdomadis confiteri non solent, iis tamen in locis ubi adest inopia confessariorum[1], et quoad indulgentias quæ occurrunt infra hebdomadam ab ultima confessione[2]; — 3. *Communio:* hæc fieri potest etiam in pervigilio ex citato Decreto, si Indulgentia incipiat a Vesperis, ut est illa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum[3]; — 4. *Preces*, et quidem juxta intentionem concedentis: quæ si sint indeterminatæ, sufficit, ut dicunt, recitare quinque *Pater* et *Ave*, ut ait Mazzotta; vel sex cum *Gloria* et *Credo*, ut dicit Sporer; vel septem *Pater* et *Ave*, ut vult Holzman; vel alias similes orationes, sed vocales[4]. Hæ preces etiam cum socio alternatim possunt recitari ex alio Decreto S. C. Indulgentiarum dato 20 febr. 1820, Pio VII approbante.

**74.** Q. 5. *Quid Synodus Novariensis circa Indulgentias?*

R. Synodus Novariensis Parochis præcipit : 1. ut vim Indulgentiarum, utilitatem et dispositiones ad eas lucrandas populum edoceant;

chiali. Vid. *Synodus Novariensis*, pag. 338. — Liguori, *Op. mor.*, l. VI, n. 524, etc.

[1] Postulatum fuit idem privilegium, etiam nulla facta mentione inopiæ confessariorum ; at responsum fuit 12 martii 1855, Veronensi Episcopo, *non expedire.*

[2] V. *Ami de la Religion*, vol. XXXIII : et append. II in fine vol. I, *Indulgentia*, ubi etiam notantur indulgentiæ communiores, quas quisque de facili lucrari valet.

[3] Item in Novariensi Diœcesi quæ concessa est in Festo Protopastoris S. Gaudentii.

[4] Excipe surdos-mutos ex Indulto Pii IX. — V. *Appendix II* in fine vol. I, v° *Indulgentia.*



2. ut earum, quas obtinuerit, tabulas et monumenta caute observent; et novas Indulgentias nemo audeat promulgare, nisi prius in Curia Episcopali fuerint recognitæ ; 3. ut omni modo compescant vagos quosdam, qui Indulgentias numismatibus, oratiunculis aliisque pietatis signis adnexas jactant venditantque (pag. 141 et 331).

Hic operæ pretium est adnotare, quod ex Constitutione *Pia Mater* Benedicti XIV 5 apr. anno 1747, Episcopi ac Prælati inferiores jurisdictionem habentes concedere possunt benedictionem in articulo mortis cum applicatione Indulgentiæ plenariæ etiam per subdelegatos Sacerdotes sive regulares omnibus in propria Diœcesi existentibus. Ad Diœcesim Novariensem quod specialius attinet, ex peculiari apostolicæ Sedis privilegio facta est ab Episcopo omnibus Parochis ratione proprii officii facultas eam concedendi. Iisque permittitur etiam ut alium unaquaque vice deligant, si ipsi designato infirmo adesse nequeant. Alii qui ea uti volunt, ab Episcopo impetrare debent, qui eam elargiendi facultatem habet.

Vicarius Generalis, Capitularis aut Episcopalis hac de re nulla potitur facultate, nisi obtineat pontificium indultum.

**75.** Q. 6. *Quid est Jubilæum?*

R. Jubilæum definitur : *Indultum Pontificium, quo et plenaria Indulgentia et certa privilegia conceduntur definita opera exequentibus :* ad imitationem veteris Legis inductum est; in ea enim, definitis temporibus, gratiæ extraordinariæ dabantur. — Aliud est *ordinarium*, quod Bonifacius VIII 1300 constituit, ut quolibet anno centesimo redeunte celebraretur; Clemens VI reduxit ad annum quinquagesimum; Gregorius XI ad trigesimum tertium : Paulus II et Sixtus IV illud revocaverunt ad annum vigesimum quintum. Primitus Jubilæum nonnisi Romæ celebrabatur; at Bonifacius IX statuit, ut anno quo illud currit, Romæ celebretur; anno vero subsequenti extra Romam in toto orbe : Romæ per annum integrum perdurat (non ita extra) et en Jubilæum *anni sancti*, vel *Jubilæum majus.* — Aliud est *extraordinarium* (seu *ad instar*) quod tribuitur ob aliquam causam peculiarem, et dicitur etiam *Jubilæum minus.* — Aliud est *generale* quod conceditur universo orbi; aliud *particulare* quod conceditur tantum alicui provinciæ vel loco, et dicitur etiam *in forma jubilæi.*

Quoad Jubilæum particulare attendendum est ad Indulti tenorem : ordinarie tria tantum requiruntur, id est Confessio, Communio et Ecclesiæ visitatio; etsi quoad privilegia illud fere assimiletur ceteris Jubilæis. Ad Jubilæum autem *generale* sive majus sive minus hæc ordinarie præscripta sunt opera : 1. *Visitatio Ecclesiarum;* 2. *Confessio*, quæ pro Jubilæo semper requiritur etiam pro illis, qui a morta-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

libus sunt immunes et Confessionem frequentant : ideo dicitur *rite confessis;* 3. *Communio* nec sufficeret sacrilega, ut patet; 4. *jejunium,* quod alias non sit debitum, nisi sint a summo Pontifice nominati dies, in quibus jam jejunium alio titulo debeatur; 5. *eleemosyna,* quam probabilius etiam pauperes debent; cum nemo sit tam pauper, qui saltem unum obolum vel frustillum panis dare non possit. Quanquam consultius est, ut hoc opus pro pauperibus in aliud mutetur: pro subjectis vero in temporalibus eleemosyna fit a superioribus; 6. *oratio vocalis.* Dicunt autem plures graves auctores sufficere, ut ores in cœmeterio vel ante ostium, si ob multitudinem Ecclesiam ingredi nequeas, vel ea sit clausa.

Hæc vero præcipua privilegia in Jubilæo conceduntur : — 1. *Facultas in pœnitente sive sæculari sive regulari* eligendi confessarium quemcumque ab Ordinario loci approbatum, etsi ex propriis regulis habeat, ut debeat confiteri tantummodo confessario designato. Attamen Benedictus XIV Constitutione *Celebrationem* declarat, quod hæc facultas quoad moniales earumque novitias, intelligitur quidem de quocumque Confessario, sed de approbato ad moniales; — 2. *facultas in Confessario absolvendi ab omnibus casibus reservatis atque censuris* sive publicis sive occultis, etiam publicos Clericorum percussores, et alios nominatim excommunicatos, suspensos vel interdictos; non tamen potest absolvi externe et formaliter hæreticus, nec complex in peccato turpi, nisi de his expressa fiat mentio. Quoad censuras vero nominatim inflictas *ab homine,* absolutio est tantum ad effectum Indulgentiæ consequendæ; — 3. *facultas dispensandi ab irregularitate occulta;* quæ tamen facultas est tantum dispensandi ab iis irregularitatibus, quæ ob censuræ violationem incursæ sunt, et quidem dispensandi in ipsa Confessione; — 4. *facultas commutandi* (non dispensandi) *omnia vota simplicia,* intra Confessionem tamen : excipe semper tum vota quæ cederent in præjudicium tertii, tum vota sive castitatis perpetuæ sive ingressus in Religionem. Quando agitur de Jubilæo pro commutatione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit illa generalis, ob quam Pontifex motus fuit ad Jubilæum concedendum[1] (*K*).

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. n. 537, quærit. 4. — *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 64, etc.



## CAPUT TERTIUM

### DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ EJUSQUE EFFICACIA

**76.** Q. 1. *Quænam est forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

R. Forma Sacramenti Pœnitentiæ continetur illis verbis : *Ego te absolvo a peccatis tuis : in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Sic enim habet Tridentinum[1] : *Docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positum esse :* Ego te absolvo, etc., *quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur.* Preces autem hujusmodi, et methodum utendi prædicta forma sic Confessario exhibet Rituale romanum : « Cum pœnitentem absolvere voluerit injuncta et prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit : *Misereatur tui Omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deinde dextera versus pœnitentem elevata dicit : *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus Noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges*[2]. *Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* ✠ (efformet signum crucis) *et Filii et Spiritus sancti, Amen. Passio D. N. J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.* »

Hæc insuper monet Rituale : 1. vocem *suspensionis* omittendam esse cum laico, quia ejus censuræ incapax est ; 2. urgente mortis periculo, breviter sic dici posse : *Ego te absolvo*

[1] Sess. XIV, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 428. — Ferraris, vº *Absolvere.*

[2] Hæc absolutio censurarum est ad cautelam, quæ etiam non petenti, neque de ea suspicans impenditur, ut sic omnis illicitas et indignitas a subjecto tollatur.

*ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris*, etc. Imo communiter affirmant sufficere quoad validitatem, si dicatur: *Te absolvo a peccatis*[1]; quia hæc verba involvunt absolutionem a quocumque vinculo orto ex peccatis. Et nihil obstat, quin Confessarius dirigat intentionem suam ad absolutionem tum peccatorum tum censurarum etiam reservatarum, si eas absolvendi potestatem habeat. Item valida est absolutio, si Confessarius prius absolvat a peccatis, quam a censuris pœnitentem censura innodatum; quia censura non obstat validitati Sacramenti: etsi graviter peccaret, quia est contra gravem Ecclesiæ prohibitionem, quæ facit illicitam censuratis susceptionem Sacramentorum. Imo casu quo excommunicatus (qui ita absolvitur) sit vitandus, confessarius incurrit minorem excommunicationem, et interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si hoc fecerit scienter[2].

*An* (quæres) *omnia Ritualis verba in absolutione sint de essentia?* Certum est: 1. Verba *te absolvo* pertinere ad essentiam; cum secus neque præsentia pœnitentis determinari, neque ipsa vis absolutionis indicari valeat[3]; — 2. communissime ac probabilius negant cum D. Thoma et Catechismo romano, ad essentiam pertinere verba *a peccatis tuis*; nam iis etiam omissis, sufficienter verbo *te* materia determinatur atque forma per præsentiam pœnitentis, qui confessus est. Ea tamen omittere mortale est; tum quia est contra usum; tum maxime quia adhuc probabile est ea verba necessaria esse; nam revera Christus instituens pœnitentiam dixit: *Quorum remiseritis peccata:* unde vult Billuart absolutionem esse sub conditione repetendam, si ea verba fuerint omissa; — 3. verba *In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, Amen*, sententia vera negat esse de essentia; quia Christus in hujus Sacramenti institutione nullam fecit mentionem de hac explicita Trinitatis invocatione, sicut fecit in baptismo: imo omissio communissime non habetur, nisi ut venialis. Item neque est essentiale pronomen *ego*, ut patet; — 4. verba: *Misereatur, Indulgentiam* ad essentiam non pertinent: et dicunt communiter omitti posse sine ullo peccato. Idem dicunt de verbis: *Dominus Noster J. C.*, etc., dum Tridentinum dicit, quod, excepta forma, aliæ preces *laudabiliter adjunguntur*[1]. Verum Concina non sine ratione ait esse veniale, ea verba sine causa omittere; cum Rituale R. dicat: *In Confessionibus frequentioribus omitti potest* Misereatur, etc.; *et satis erit dicere:* Dominus Noster *usque ad illud* Passio, etc. (Usus tamen laudabiliter invaluit, ut nihil omittatur, nisi agatur de moribundo jam animam agente.)

[1] Quoad formam conditionatam V. *De Sacram. in genere*, disput. I, c. II.

[2] Cap. *Episcoporum de privil.*, in 6. Et si hoc interdictum violet celebrando in Ecclesia, evadit irregularis ex cap. XV, *Cui de sent. excomm.*, in 6.

[3] Volunt nonnulli pronomen *te* omitti posse, si dicatur *a peccatis tuis;* quia illud in hoc vocabulo *tuis* satis includitur. Hoc porro quamvis speculative loquendo probabilius videatur, in praxi tamen in Sacramentorum materia contrarium tenendum est.



Nemo certe dubitat, quin convenientius sit preces hujusmodi retinere, maxime illas: *Passio D. N. J. C.*, cum per eas ex Angelico omnia bona opera quæ pœnitens facturus erit, eleventur ad meritum satisfactionis Sacramentalis, quæ quidem pœnam remittit ex opere operato virtute ipsius Sacramenti per uberiorem applicationem meritorum Christi; ad differentiam satisfactionis extrasacramentalis, quæ nonnisi ex opere operantis remittit pœnam. Saltem consulit Holzman, ut ea verba dicantur, dum pœnitens recedit.

Manus elevatio, formatio crucis, et capitis aperitio in absolutione impertienda non sunt de necessitate: imo juxta graves auctores omitti possunt sine peccato, etsi præstet servare consuetudinem.

**77.** Q. 2. *An absolutio mitti possit ad absentem?*

R. Cum forma Pœnitentiæ ex Tridentino consistat in verbis, ea non aliter exprimi potest, quam voce; iccirco semper moraliter præsenti danda est absolutio. Constat: — 1. ex eodem Tridentino, quod docet, Christum peccatores *ante Tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluisse;* — 2. Ex D. Thoma, qui expresse tradit: *Utilius esse confiteri laico præsenti, quam Sacerdoti absenti, extrema necessitate;* quia confessio tunc facta laico, etsi non sacramentalis, tamen humilitatem fovet; at facta absenti confessario de se ad nihil prodest; — 3. ex propositione damnata a Clemente VIII anno 1602: *Licet per litteras, seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Imo præcepit Pontifex sub excommunicatione ipso facto incurrenda et reservata, ne illa damnata propositio *unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquomodo deducatur.*

[1] Sess. XIV, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 425 et seqq. V. t. I, decreta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ex quibus verbis recte inferunt, quod absolutio absenti in quocumque casu non solum datur illicite, sed etiam invalide; nam si Pontifex tantum illicitam eam intendisset declarare, ipsa, urgente necessitate, et valide et licite dari posset; cum leges ecclesiasticæ non possint obligare cum gravissimo damno, et tanto magis si illud sit spirituale. Unde si Pontifex voluit hujusmodi absolutionem in nullo casu esse licitam, consequenter declaravit in nullo casu esse validam. Paulus autem V anno 1605 damnavit quorumdam in prædictum decretum interpretationem, qua dicebant absolutionem mitti posse ad absentem, modo Confessio in præsentia præcessisset. Declaravit nempe Pontifex Clementinam prohibitionem esse intelligendam non modo cumulative; verum etiam disjunctive, id est non solum de confessione et absolutione simul acceptis; sed etiam de iisdem acceptis separatim ac divisim [1].

Præsentia autem moralis sufficiens pro absolutione reputatur illa, intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent. Eam iccirco nonnulli extendunt usque ad viginti circiter passus, præsertim quando pœnitens nondum egressus est ab aspectu Confessarii; non enim opus est, ut pœnitentes audiant, multominus ut intelligant verba absolutionis [2]. Imo sapienter consultum est, ut in præsentia

[1] Neque obstat, quod sententia in foro contentioso contra absentem valeat: judicium forense et sacramentale non undequaque comparari possunt, cum unum sit primario ad reconciliationem, aliud ad punitionem; in uno tantum audiatur reus, non in alio. — *V.* Guillois, *Le dogme de la Confession*, c. VI. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 429. — Ferraris, vº *Absens.* — Liberius a Jesu, etc.

[2] Hinc. 1. absolvendus est qui e tecto ruit, in flumen cadit, in mare submergitur, saltem si non procul a Confessario distet; — 2. si Confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum ex janua absolvere debet; — 3. si pœnitens recederet a Confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam. Ait Sporer: Recte fecit Sacerdos quidam oblitus absolutionem dare pœnitenti, postea intra Sacrum eumdem communicaturus, opportune recordatus, dum porrigit Hostiam secreto dixit prius: *Ego te absolvo a peccatis, tuis*, etc., et mox *Corpus Domini*, etc. Non valeret autem absolutio, si confessarius subito vocatus ad moribundum invisendum et adjuvandum



aliorum pœnitentium verba illa Confessarius submisse pronuntiet, ne si quis dimittatur sine absolutione, alii id percipere valeant.

**78.** Q. 3. *Quanta est absolutionis virtus et efficacia?*

R. Cum in protestantium doctrina sola fides peccata dimittat, ideo juxta ipsos absolutio sacramentalis est mera ceremonia, quæ fidem et peccata remissa esse declarat. Verum de fide est, Sacerdotem absolutionis verba pronuntiantem peccata vere et proprie remittere auctoritate sibi divinitus tradita. Id constat: — 1. Illis Christi verbis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [1]: quæ sensu obvio significant veram potestatem remittendi peccata Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus collatam. Aliud sane est dicere: *Quorum declaraveritis peccata esse remissa;* et aliud dicere: *Quorum remiseritis peccata;* — 2. Ex SS. Patribus: *Corporis lepram purgare*, unus audiatur Chrysostomus, *imo potius nullatenus purgare, sed purgatam probare, tantum Judæorum Sacerdotibus licebat. Hi vero* (Sacerdotes novæ Legis) *non lepram corporis, sed immunditiam animæ non purgatam probandi, sed prorsus purgandi, protestatem acceperunt* [2]. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, peccata esse remissa confitenti, modo tantum credat se esse absolutum,... anathema sit* [3]. Ex quo patet Sacerdotes non esse simplices executores, ut sunt judices sæculi, quorum tantum est declarare

qui sit in extremis, jam proximus illius ædibus vel intra domus januam pronuntiet formam metuens ne prius moriatur quam ad ipsius cubiculum ascendat et accedat; nam non censetur pœnitens ullo modo præsens.

[1] Joann. XX; Matth. XVIII; Joann. XX. Sane Pharisæi non murmurassent audientes Christum paralytico dicentem: *Remittuntur tibi peccata tua*, si per hæc verba intellexissent meram peccatorum jam remissorum declarationem; cum illi non ignorarent factum jampridem erga Davidem a Natan.

[2] L. III, *De Sacerd.* — Liguori, *Opera dogmatica*, sess. V, nn. 49 et seqq.

[3] Sess. XIV, can. IX. Esto quod peccatores absolvi non possint, nisi prius divina gratia excitati vivere incipiant per displicentiam peccati, propositum emendationis et conversionis desiderium; at vitam perfectam nonnisi per absolutionem obtinent. Hinc patet distingui duplicem vitam, inchoatam unam per gratiam excitandam; perfectam aliam per gratiam sanctificantem, quæ quidem absolutione tribuitur. *Cum audis*, ait Augustinus, *hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est* (Serm. II, in Ps. CI). — *V.* Perrone, *De gratia*, parte II, cap. II.

aliquem esse reum vel innocentem respectu legis; sed judices esse auctoritate suprema præditos, quos scilicet Christus Dominus *suos vicarios tanquam judices et præsides* constituit, ut ait Tridentinum (*L*).

### Art. unic. — De absolutione concedenda, neganda, differenda.

**79.** « Maxime optandum est, ut omnes Confessarii in deneganda vel differenda absolutione iisdem principiis insistant, ne quod alter colligit, alter dispergat. B. Leonardus a Portu Mauritio exemplum communitatis affert, quæ blasphemiis valde assueta; ast brevi tempore ab hoc vitio sanata fuit, postquam omnes ibidem et in confinibus Sacerdotes inter se convenerant, se tandiu nullum blasphemum absoluturos, donec sufficientia emendationis signa præbuisset. Quid si etiam nostro tempore cum alicubi certum vitium ingravescit, Sacerdotes tale inter se fœdus inirent? Id quod in conferentiis Sacerdotalibus facillime fieri posset. » Monet pius Stapf, § 621.

**80.** Q. 1. *Quibusnam concedenda est absolutio?*

R. Concedenda est absolutio generatim loquendo pœnitentibus bene dispositis; isti enim statim ac vere contriti sunt et integre confessi, sibi acquirunt verum jus ad absolutionem. Id exigit ipsa ratio judicii reconciliativi, vi cujus judex, audita causa, debet judicare et absolvere reum, quem invenit absolutione dignum: id exigit etiam pactum quoddam implicitum inter Confessarium et pœnitentem. Adde: negando absolutionem bene disposito, ipsum Confessarius sine justa causa exponeret periculo remanendi in peccato mortali; cum incertum semper sit, an elicuerit contritionem perfectam: item ipsum fraudaret magno bono, ac exponeret relabendi periculo.

Diximus *generatim loquendo*; nam certum et commune est, quod Confessarius differre possit absolutionem etiam disposito, imo etiam eam postulanti, si prudenter judicet dilationem futuram utilem ejus emendationi. Confessarius non solum est judex, sed etiam medicus et pater: atque ideo ut talis bene potest, imo debet absolutionem differre, quando existimat id pœnitenti profuturum.



*Quænam* (quæres) *in Confessario requiritur certitudo circa pœnitentium dispositiones ad absolutionem impertiendam?* Cum materia in hoc Sacramento sit moralis, posita nempe in actibus pœnitentis, sufficit iccirco in Confessario certitudo moralis seu judicium prudens, innixum videlicet motivo gravi, licet adsit aliqua de indispositione suspicio, alioquin vix ullus posset absolvi; nam quæcumque signa in hac re non præbent certitudinem omnino infallibilem: *Non oportet*, inquit Angelicus [1], *quod omnis mensura sit omnino infallibilis; sed secundum quod est possibile in genere suo.* Quod congruit cum Catechismo romano: *Si audita Confessione, judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.* Porro signa ordinaria sufficientis dispositionis sunt: 1. si pœnitens candide et humiliter confiteatur; 2. si asserat cordate se dolere de peccatis et firmum habere propositum non peccandi de cetero cum Dei gratia; 3. si omnia peccata etiam majora et turpia sincere declaret; 4. si ex aliquo pio motivo ad Confessionem libere accesserit, et maxime si ex desiderio conversionis jam a peccato cessaverit.

**81.** *Præstatne* (addes) *toties absolvere devotos, quoties confitentur?* Curandum ut personæ devotæ semel aut bis in hebdomada absolvantur, ut sic robur acquirant ad alacriter in perfectionem progrediendum. Sunt tamen pii Confessarii, qui illis benedictionem duntaxat impertiuntur cunctis aliis vicibus, quibus confitentur per hebdomadam, semel data absolutione in hebdomada ipsa; eas nihilominus ad Communionem admittentes, si videant naturales potius defectus, quam venialia peccata declarare. Alii vero non minus pii eas semper absolvunt quoties confitentur, modo peccata certa

[1] 1, 2, q. 19, a. 3. « Hinc (ait S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VI, n. 461) auctor *Istruzioni pei novelli Confessori* (p. I, c. xv, n. 360) cum Esparza sic loquitur: « Arrêtons-nous donc ici pour tirer cette conclusion, qui est la clef de toute cette question: que, pour administrer le sacrement de pénitence, il suffit de porter un jugement prudemment probable de la bonne disposition du pénitent. Par conséquent si les circonstances n'autorisent pas un doute prudent que le pénitent ne soit pas suffisamment disposé, le confesseur ne doit pas s'inquiéter ni inquiéter le pénitent pour avoir sur ce point l'évidence qu'il ne saurait avoir. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vitæ anteactæ saltem in genere confiteantur, ne Sacramentum frustretur[1]. Quidquid sit, sciendum Sacram Episcoporum Congregationem 1839 respondisse, *sacramentalem confessionem rite dispositis non esse, præsertim per modum regulæ, differendam, ne Sacramenti gratia priventur; licet fortasse nec gravia nec nova habeant; sed duntaxat peccata jam per sacerdotis absolutionem deleta iterum confiteantur*[2].

*Monitum:* hic increpandi confessarii illi, qui devotos ac devotas ægre audiunt, parvi faciunt vel forsan etiam vexant, nedum illas ad viam perfectam studiosa directione conducant: cum tamen Christi minister sit constitutus non tantum, ut evellat et dissipet, sed etiam ut ædificet et plantet. Et non raro cœlitus acceptum est, Deum respexisse ad preces istorum quos habemus in derisum, ad flagella sua avertenda; imo eorum intercessione ac meritis stetisse rempublicam.

**82.** Q. 2. *Quibus absolutio deneganda est?*

R. Sicuti absolutio concedenda est dispositis; ita neganda indispositis, contraria ratione. Habentur autem præcipue uti indispositi ex Rituali: — 1. qui nulla dant signa doloris, vel nolunt uti remediis necessariis ad emendationem; — 2. qui acceptam injuriam condonare nolunt, nec odia et inimicitias deponere juxta illud: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*[3]; — 3. qui rem alienam, vel honorem aut famam læsam, quum valent restituere, recusant, clamante Augustino: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*[4]; — 4. genitores et domini, qui filios et servos vitiis deditos corrigere negligunt, dicente Apostolo: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*[5]: infidelis enim induit viscera charitatis erga omnes suos; — 5. qui versantur in occasione proxima peccandi, quam possunt et nolunt dimittere, aut qui aliis occasionem

[1] Quoad *devotorum* directionem vid. infra in Adnotationibus. Probabiliter dicunt pœnitentem pium posse sub conditione absolvi aliquando nempe semel in mense, si aliquas tantum imperfectiones habeat de quibus dubitetur an pertingant ad venialia, nec possit materiam certam de vita anteacta præbere. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 432; *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 6.
[2] V. *Analecta juris Pontificii*, ann. 1862: De la fréquente Communion.
[3] Matth vi. — [4] Epist. CLIII et LIV ad Maced. — [5] I Tim., v.



illam præbent; — 6. qui ignorant res scitu necessarias necessitate medii ad salutem, ut patet ex propositione sub n. 64 ab Innocentio XI damnata[1].

**83.** Sed (quæres) *an possit denegari absolutio pœnitenti, qui suam vult sequi sententiam: cum tamen opposita Confessario videatur probabilior, imo sola probabilis?* Distinguendum est: vel agitur de opinione, quæ directe versatur circa pœnitentis dispositiones, v. g., an pœnitens sincere doleat, an proponat Deum non amplius offendere. Vel agitur de aliis opinionibus, quæ directe versantur circa ea, quæ a pœnitente aliunde agenda sunt, aut vitanda, de quibus nempe hinc inde disputatur a theologis. Si 1, Confessarius pœnitentem non debet absolvere; nam eo in casu pœnitens tenetur stare judicio sui Confessarii, cum Confessarius ideo sit constitutus judex, ut nempe de pœnitentis dispositionibus judicet. Si 2, communis et sequenda sententia, quam contra Concinam, Fagnanum et Gonzales tuentur vel ipsi rigidiores, ut Cabassutius, Pontas, Victoria et Alasia (cujus tamen exempla non probamus), aliique passim: hæc, inquam, sententia tradit prudentem Confessarium non solum posse, sed etiam teneri sub gravi talem pœnitentem absolvere; neque enim ipse judex est opinionum. Sane quando pœnitens, facta Confessione, bene dispositus est per cordis dolorem ac propositi firmitatem, jam habet strictum jus ad absolutionem[2]. Et Confessarius si eamdem denegaret, gravem ipsi faceret injuriam (saltem si Confessio facta fuerit de materia gravi); tum quia privaret eum gratia sacramentali; tum quia eum obligaret ad gravissimum onus subeundum, nempe ad repetenda sua peccata penes alium Confessarium (*M*).

Excipe, nisi opinio pœnitentis sit temeraria, vel omnino et evidenter falsa. Qua tamen in re ne etiam hallucinetur Confessarius; non enim opinio esset in se talis, si eam graves Theologi tueantur, vel hinc inde disputent circa ipsam (ut dictum est); esto etiam quod illa opinio confessario nullimode placeat.

**84.** Q. 3. *Quibusnam absolutio differenda est?*

R. Generale principium est in Scholis, quod absolutio differri debeat iis, quorum dispositio est dubia, vel quibus ea dilatio prudenter censetur profutura. Hinc etiam illis, qui venialia tantum habent, cum nulla apparet emendatio: et hoc magis si venialia proximius ad mortale disponant, ut sunt

[1] Quomodo isti dirigendi, diximus *De fide*.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 604. — Gousset, *Justification*, etc.

quædam affectiunculæ sensibiles, certa nimia tenacitas in proprio sensu, quotidianæ intemperantiæ, etc. : quod de illis pœnitentibus maxime currit, qui ratione proprii status studere debent perfectioni, ut sunt Ecclesiastici, Religiosi ac Moniales. Hæc generatim.

Præcipue autem absolutio iis est differenda : 1. qui negligunt discere necessaria etiam necessitate præcepti, vel ea a filiis aut domesticis ignorari patiuntur : item qui in iis addiscendis quæ sunt sui officii ac professionis continuam exhibent negligentiam ; 2. qui solent parum curare conditiones ad Confessionem requisitas, v. g., non bene seipsos examinando, neque se recollendo aut sine nulla fere displicentia Confessionem exsolvendo ; 3. qui versantur in occasione proxima, et dicuntur *occasionarii* : item qui in easdem culpas post Confessionem relapsi sunt, et sunt *recidivi*. Isti siquidem ex S. Alphonso nostro, *sunt duo magni scopuli, in quos major Confessariorum pars impetunt et deficiunt*[1].

## § I. — De occasionariis.

**85.** Q. 1. *Quid est peccati occasio et quotuplex?*

R. Peccati occasio generice sumpta est *objectum qualecumque, in quo peccandi periculum contineatur;* seu *est circumstantia quæ allicit ad peccatum*[2]. Duplex autem est peccati occasio : alia *remota*, alia *proxima*. Utraque vero subdividitur in *necessariam* et in *voluntariam*.

1. Occasio *remota* ea est, in qua constituti homines, ut

[1] *Homo Apost.*, tract. ult., n. 1 ; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 606. Confessarius rationabiliter distulit absolutionem pœnitenti, qui tempore definito redit ad alium confessarium et integre confitens : quid ? In omni culpa non vacat, si fiat sine justa causa ; nam non est ei absolute liberum et licitum Sacramentum inchoatum relinquere ac effugere justum judicium sacerdotis, cui jam se subdidit ; esset enim aliqualis injuria sacramento et judici. *Suarez* et *Duardus*.

[2] Si hæc circumstantia alliciens sit ad extra, dicitur suo proprio nomine *occasio*, vel etiam *occasio extrinseca ;* de qua præcipue erit in hoc paragrapho. Si vere sita ad intra, id est in ipso animo pœnitentis, dicitur *habitus* et *consuetudo*, vel etiam *occasio intrinseca*, de qua in sequenti.



plurimum, non peccant, et quæ non affert verum seu impellens peccandi periculum. Hanc non tenemur effugere ; alioquin deberemus omnes de mundo exire, cum mundus laqueis undique sit plenus, ut legitur in Scripturis[1].

2. Occasio *proxima* e contrario illa est, in qua constituti homines ut plurimum peccare solent : unde ad hanc occasionem constituendam non est necesse, ut homo in eam fere semper labatur ; sed sufficit, ut labatur frequenter. Hæc autem vel talis est *per se*, et *ex natura sua*, vel talis est *per accidens* et *respective :* insuper vel *præsens est*, et (sicut loquuntur) *in esse*, vel *absens* et *non in esse*. Occasio proxima *per se* est illa, in qua, inspecta communi hominum fragilitate, omnes, ut plurimum peccant. Occasio proxima *per accidens* et *respective* est quæ licet non sit apta de se ad homines communiter inducendos in peccatum ; tamen relate ad talem personam est aptissima, vel quia in tali occasione frequenter jam cecidit, vel quia considerata præterita ejus fragilitate, prudenter prævideri et timeri potest ipsius relapsus.

Occasio proxima, quæ dicitur *præsens* et *in esse*, est quam homo semper aut fere semper secum habet, quin eam actu quærat : ut si quis domi suæ teneret concubinam. *Absens* vero et *non in esse* est quam homo non semper secum habet, sed eam debet inquirere ; ut si quis cauponam ingrediatur, ubi solet inebriari, vel ubi frequenter inebriatur. Item est de illo, qui in ludo frequenter labitur in blasphemias, in rixas, iras, vel fraudes graves ; item de illo qui semper cum tali muliere peccat quoties accedit illius in domum, etsi ipse semel in anno accederet.

3. Occasio *voluntaria* vel *libera* ea est, quæ pendet a voluntate, et facile dimitti potest sine incommodo saltem gravissimo.

4. Occasio denique *necessaria* vel talis est *physice*, quæ scilicet nullo modo pendet a voluntate, ut deseratur : v. g., si quis carcere inclusus sit una cum muliere flagitiosa. Vel talis est *moraliter*, quæ nempe absolute quidem loquendo

[1] *Sap.* IV. *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l, VI, n. 452. — Careno, *Delle regole*, ecc. Es. VIII et IX. — Bolgeni, *Dissertazione sulle occasioni*. — Stapf, § 129.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pendet ab hominis voluntate, sed deseri non potest sine peccato vel sine gravi damno temporali, ut esset militia respectu militis, qui frequenter in ea peccat, sed abeundi licentia ei recusatur : iste nempe non potest eam deserere vel sine peccato inobedientiæ, vel damno gravissimo sui status, bonorum, vitæ. Idem est de filiis, qui deserere nequeunt domum paternam, ubi in aliqua proxima occasione versantur. Idem de collegialiter viventibus, qui consocium habent eos vehementer ad turpia impellentem.

**86.** Q. 2. *An ille possit absolvi, qui est in occasione proxima voluntaria?*

R. Certum est absolutionem esse denegandam ei, qui monitus non vult occasionem proximam voluntariam dimittere; quia diris devota fuit hæc n. 61 propositio ab Innocentio XI : *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere; quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Neque enim concipi potest, quomodo quis velit efficaciter finem, negligendo voluntarie media ad ipsum. Ad rem D. Bernardus : *Indicium veræ compunctionis est subtractio occasionis* [1]. — Quod currit, quamvis *causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrat* : et quamvis quis eam vellet *quærere directe pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi*, ut habetur ex totidem damnatis propositionibus [2]. Neque enim sub quacumque specie boni licet malum animæ velle aut ejus periculum ultro quærere. Pariter non possunt absolvi qui licet in occasione non peccent, aliis tamen scandalum præbent occasionem non deserendo; quia unusquisque ex gravi lege charitatis tenetur a proximo suo offendiculum avertere.

[1] Ser. I, in Pasc. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 452; *Praxis*, n. 64.

[2] Damnatæ propositiones sunt : ab Innocentio XI, n. 62 : *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* N. 63 : *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* — Ab Alexandro VII, n. 41 : *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regalo (est vox hispanica, quæ indicat dulcedinem, et oblectamentum maxime in cibis sumendis); *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.*



*Quid de eo, qui nondum occasionem proximam voluntariam dimiserit, sed sincero animo eam dimittere promittit : poteritne prima aut secunda vice absolvi?* Distinguendum cum S. Carolo : vel agitur de occasione absenti et non in esse; vel de præsenti et in esse.

Si 1, potest pœnitens, antequam experimento probet se cavere ab illa occasione, utique absolvi (sed non ultra bis aut ter). Ratio est, quia ex una parte pœnitens firmiter proponens se cauturum ab occasione, jam est dispositus : ex altera vero parte occasio, quæ absens est, non tantum difficultatis habet, ut ab ea nos abstineamus; cum ejus inquisitio positivum ac industrium actum importet.

Si 2, pœnitens, nisi prius occasionem reliquerit, ne prima quidem vice est absolvendus, quascumque faciat promissiones. Idque omnino tenendum, saltem ordinarie loquendo : ratio potior est, quia ablatio occasionis hujusmodi est res omnino ardua; cum enim ea sit *in esse*, et statim pœnitens eam invisere debeat, nonnisi per magnam violentiam ei resistere valebit ob suam propensionem. Porro hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato timore sine absolutione remanendi, de facili sibi suadebit, quod tentationi resistet : sicque occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum, prout quotidie experimento probatur. Et hoc maxime currit, si sermo sit de vitio turpi; ita enim occasionarii mentem solet excæcare hoc vitium, ut omnia bona proposita ab ejus mente prorsus omnino ejiciat.

Diximus *saltem ordinarie loquendo;* nam excipiendum est : — 1. si agitur de moribundo, cui non possit differri absolutio expectando, ut prius occasionem dimittat; — 2. si agitur de pœnitente, qui instructionis defectu nunquam advertit ad occasionem periculosam, neque ad obligationem eam deserendi. Tunc si aliunde sit dispositus, ipsi credi potest et una vice absolvi, antequam occasionem deserat, ut ait Billuart : — 3. quando pœnitens affert signa extraordinaria doloris; nam hæc indicant pœnitentem donatum uberiori gratia, qua merito speratur, quod in removenda occa-

sione constantior erit. Si tamen potest commode differri absolutio, adhuc differrem usque dum sit ablata occasio, ait S. Alphonsus; quia funiculus occasionis difficile rumpitur; — 4. quando pœnitens non amplius posset ad Confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus, vel nonnisi per longissimum iter. Tunc bene potest absolvi, si censeatur dispositus per sincerum propositum statim removendi occasionem; quoniam eo in casu periculum frangendi propositum remotum reputari potest, causa magni oneris quod ipse pœnitens deberet pati aut abscedendi sine absolutione, aut repetendi Confessionem apud alium Sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter cum ille sit in quadam morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus, ut statim absolvatur: dum enim hic non potest ante absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Excipe, nisi pœnitens jam ab alio Confessario fuerit admonitus, nec obtemperaverit; quia tunc jure merito haberetur uti recidivus [1].

**87.** *An* (quæres) *possit absolvi qui se exponit probabili peccandi periculo, id est periculosæ occasioni, in qua videtur esse tam fere probabile quod peccabit, quam quod non peccabit se illi exponendo?* Negativa sententia omnino tenenda est, nisi adsit justa causa occasionem illam subeundi; nam etiamsi tam probabile sit, quod pœnitens iste in actu peccabit, quam quod non peccabit; periculum tamen proximum peccandi certum est et formale: sed proximum periculum, cum potest, fugiendum est; et qui non fugit, peccat. Consentit Angelicus qui habet: *Infirmi in fide, de quorum salute probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione* [2]. — Imo in Confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit pœnitens, etsi de facto illud non admiserit; quia periculo se deliberate exponere peccatum patrandi, est revera illud velle et appetere; quodvis enim præceptum dum prohibet individuam sui transgressionem prohibet etiam in genere obire periculum illud transgrediendi.

[1] V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 5. — [2] 2, 2, q. 10, a. 9.



Diximus *nisi adsit justa causa;* nam ubi justa adest causa, non est obligatio tale periculum vitandi, nisi certo moraliter prævideatur lapsus in peccatum (ut esset, v. g., si quis in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et spes non effulgeat emendationis). Et sane Scriptura non dicit *qui est in periculo*, sed *qui amat periculum, in illo peribit* [1]. Sic excusantur chirurgi, qui periculo peccandi se exponunt in medendis feminis; cum aliquoties in præteritum ob talem occasionem jam lapsi fuerint. Sic Parochi qui in excipiendis Confessionibus eamdem miseriam fuerint experti. Sic etiam excusantur alii qui proprium officium, puta curialis, militis, cauponis, aut mercatoris, non possunt deserere sine gravi detrimento, etsi in tali peccandi periculo sint [2].

Ratio quia periculum de se proximum tunc fit remotum ratione circumstantiæ necessitatis et ratione simul mediorum præcaventium, quæ persona proponit (ut tenetur) adhibere, nempe diligenter avertendo animum a delectatione turpi vel ab alia passione: et insuper se muniendo piis cogitationibus, orationibus ac Sacramentorum frequentia. Quæ utique media, licet non sufficiant ad excusandum, ubi non adest justa causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo exponentes; bene tamen opem suam præstat ei qui ex justa causa occasionem non deserit, dum hic eo in casu non ex affectu ad peccatum, sed tantummodo ex quadam necessitate in illa occasione permaneat.

**88.** Q. 3. *Quid de iis, qui sunt in proxima occasione necessaria?*

R. Cum occasio proxima peccandi est necessaria, speculative loquendo, poterit absolvi pœnitens qui in ea versatur. Docent enim communiter et probabilissime cum D. Basilio, Anacleto, Concina, Laymano, Lugo, Holzman, Sanchez, Sporer, Viva, etc., eum minime teneri occasionem hanc derelinquere, si grave passurus sit damnum, modo tamen paratus interim sit uti mediis ad peccatum evitandum præscriptis: quæ sunt *major oratio*, *frequentior usus Sacramentorum*, *quotidiana ante Crucifixum renovatio promissionis de non*

[1] Eccli. III. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 65; et l. VI, n. 455.
[2] Hæc occasio a nonnullis *propinqua* dicitur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*amplius peccandi, mente sibi fovere præsentiam Dei, fugere quoad potest ab aspectu et societate complicis*, etc. Sane occasio peccandi non voluntaria neque est peccatum in se, neque affert necessitatem peccandi: ideo potest conciliari cum vera detestatione peccatorum et firmo proposito non peccandi de cetero.

Diximus *speculative loquendo;* nam in praxi omnes conveniunt longe magis expedire, imo nos dicimus Confessarium teneri ad differendam absolutionem, præsertim si occasio sit de materia turpi, et talis dilatio commode locum habere possit; nam qui experientia docti sunt, aperte testantur pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligere media præscripta, et sic facillime relabi. E converso vigilantius satagunt, ut remedia exequantur, atque tentationibus obsistant, quando absolutione privantur, timentes ne secus rursus id sibi eveniat. *Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit*, verba sunt Alphonsi nostri; *sed ego semper sic me gessi in praxi, et sic pergam me gerere cum iis, qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse pœnitentium saluti. Utinam et omnes Confessarii sic etiam se gererent: o quot peccata evitarentur, et quot aliæ salvarentur animæ!*

Idque magis tenet, si sermo sit de pœnitente in occasione necessaria, qui, licet adhibuerit remedia opportuna, semper eodem modo relapsus est, et modica superest spes emendationis. Iste nempe non poterit absolvi, nisi occasionem deserat, etiamsi occurrat ipsa quoque jactura vitæ; nam esto quod ob justam causam possit permitti peccati periculum, nunquam tamen ipsum peccatum formale; at cum nulla apparet spes emendationis, periculum et peccatum fiunt quid unum. Unde eo in casu *quidquid tandem evenire debeat*, ait S. Carolus, *deneganda prorsus est absolutio;* tunc enim urget illud Christi: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te*[1]. — Hinc collige cum Dens: 1. quod mulier debeat eligere potius præ penuria perire, quam frequentare domum ubi largas recipit eleemosynas, sed quæ semper degenerant in stipendium meretricium; 2. quod filia debeat deserere confessarium licet utilem, si ex ejus alloquio soleat consentire in delectationem impuram; 3. quod homo a multo tempore furax obligetur omittere officium dispensationis alterius; 4. quod gulosus debeat vitare convivia, ebriosus tabernas, libidinosus familiaria et privata consortia feminarum, etc.[1].

[1] Matth. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 438, 439; *Praxis*, c. v. — Stapf, § 128.



### § II. — De consuetudinariis seu habituatis, ac recidivis.

**89.** Q. 1. *Quisnam dicitur consuetudinarius seu habituatus*[2] *?*

R. Consuetudinarius seu habituatus in peccato nuncupatur *qui satis frequenter lapsus est in ejusdem generis peccata, de quibus nondum fuit confessus, adeo ut propensionem ad illa contraxisse merito dici possit.* Quandonam præcise censeatur contracta hæc prava consuetudo, una regula determinari non potest; alii enim plus facilitatis contrahunt ad aliquod peccatum paucis vicibus; alii non. Generatim loquendo peccatum sæpius repetitum brevi tempore facilius habitum inducit, quam si longioris temporis intervallo totidem vicibus repeteretur. Ceterum ut sit aliqua norma, ordinarie sufficiunt quinque lapsus in mense si sermo sit de peccato externo, modo tamen inter unum et alterum intercedat aliquod intervallum; secus videretur potius unius tantummodo peccati continuatio. Hinc qui quinquies in mense diversis et interpositis diebus tabernam ingreditur et toties inebriatur, dicitur habitum contraxisse. Sed in peccatis luxuriæ multo minor numerus potest habitum constituere: v. g., qui semel in mense fornicatur per annum, merito *habituatus* appellari potest.

Habituato bene potest concedi absolutio, quamvis nulla

[1] Quid si inde timeatur infamia scandalum, etc.? Tunc. vid. dicta, t. I.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 459; et *Homo Apost.*, tract. ult., n. 8.

emendatio præcesserit, modo eam serio proponat et velit serio laborare, ut consuetudinem vincat, uti docent communissime: nam pœnitens præsumitur dispositus, cum sponte ad Confessionem veniat. Et spontanea Confessio est signum contritionis, nisi obstet positiva præsumptio in contrarium; quis enim neget dolorem manifestari per Confessionem?

Excipitur tamen: 1. si habitus sit valde radicatus; tunc poterit Confessarius differre (ad breve tempus) absolutionem, si aliud non obstet, tum ut experiatur quomodo pœnitens remedia exequatur, tum ut ipse pœnitens de suo vitio majorem horrorem concipiat; — 2. et maxime si habituatus in peccato gravi sit Clericus, qui brevi vult ad sacros Ordines promoveri, ratione nempe positivæ bonitatis quæ illi nunc deest; sed necessario prærequiritur actu ad sublimem, sanctum ac perpetuum illum statum capessendum. Ipsa experientia docet, hac in re difficilem se exhibere idem esse ac causam tueri Ecclesiæ, fidelium, imo ipsius habituati. Hic nulla cautela satis, si expertis credere est[1].

Dices: *Contra habituatum stat positiva præsumptio in contrarium, in ipso nempe pravo habitu et mala peccandi consuetudine.* Sed falsum est; licet enim hæc reddant peccatorem propensiorem ad culpam: nullam tamen exhibent hic et nunc præsumptionem malæ voluntatis, cum nullus habeatur post absolutionem relapsus[2].

**90.** Q. 2. *Quisnam dicitur recidivus, et quid de eo?*

R. Recidivus est ille, *qui post Confessionem in eamdem culpam eodem vel fere eodem modo relapsus est.* Differt ab habituato, quia hic confitetur prima vice peccata sua; ideoque ignoratur, utrum postea relapsurus sit, an non. Porro sententia communis, quam sequimur cum Anacleto, Bonacina, Laymano, Lugo, Petrocorensi, Sanchez, Sporer, Suarez, Viva et aliis docet, quod recidivus rediens cum iisdem peccatis, quæ in aliis Confessionibus deposuerat, nec potest nec debet absolvi generatim loquendo, nisi simul etiam afferat signa extraordinaria suæ dispositionis, quæ solida sint et fundata.

[1] *V.* dicta fusius tom. I, *De oblig. Clericorum.*

[2] *V.* Liguori, *Praxis Confess.*, c. v. — Salvatori, *Istruzione*, ecc., par. II.



1. Diximus, quod *nec potest nec debet absolvi, si cum iisdem peccatis redeat.* Est contra Sancium atque Silvestrum. Constat ex damnatione hujus sub n. 60 propositionis ab Innocentio XI: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponat emendationem.* Sane quando pœnitens jam in alia Confessione admonitus eodem fere modo cecidit, nullo adhibito conatu et nullo impleto ex remediis præscriptis, adest profecto præsumptio, quod rite dispositus non sit: *Ille pœnitentiam digne agit*, inquit ad rem S. Isidorus, *qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat*[1].

2. Diximus *generatim loquendo;* nam recidivus etiam sola contritionis signa ordinaria præbens per se absolvi potest: imo debet quoties absolutio differri nequeat ex aliqua impellente circumstantia, ut si res sit cum moribundo, qui est adjuvandus omni modo[2].

3. Diximus *potest absolvi*, *si extraordinaria signa*, *quæ solida sint ac fundata*, *exhibeat.* Est contra Genetum ac Merbesium; nam relapsus anteactus, quamvis videatur præbere etiam pro præsenti præsumptionem indispositionis, non est tamen argumentum omnino certum; quia contingere potest, quod pœnitens vere habuerit firmam voluntatem non relabendi, et tamen vi pravi habitus relapsus sit. Quare quoties præbet signa fundata et extraordinaria doloris, toties præsumptio de indispositione cedit, cum ex adagio: *Præsumptio cedat veritati;* et Confessarius tunc poterit prudenter judicare pœnitentem bene dispositum, cum eum videat uberiori gratia donatum, qua nempe fit constantior. Neque

[1] L. II, sent. c. xvi. Quare nobis non arridet eorum doctrina, qui volunt recidivum redeuntem cum signis tantum ordinariis absolvi posse usque ad quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus sit, et nullum adhibuerit pro emendatione remedium.

[2] Quid si agatur de vitando scandalo, et aliunde recidivus non tribuat sufficientia indicia?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicas solam temporis probationem esse signum mutatæ voluntatis; nam hæc mutatio tota pendet a gratia divina, quæ non indiget tempore. Unde aiebat Chrysostomus[1]: *Temporis moram non quære, sed animæ correctionem; hoc itaque fac, ut demonstrent sintne compuncti*[2]. Et hæc semper fuit agendi ratio sanctorum Xaverii, Nerii, Avellini, beati Leonardi, etc.

**91.** Quænam autem sint signa extraordinaria, solida et fundata, sequentia assignant Auctores non solum valde eruditi et pii; sed etiam experientia edocti, ut sunt Anacletus, Croix, Layman, Lohoner, Lugo, Mazzotta, Millant, Salmanticenses, Segneri, Sporer, Wigandt, aliique plures et passim cum S. Alphonso nostro[3].

1. Major dolor patefactus per lacrymas insolitas, per suspiria, aut per talia verba, quæ ex animi compunctione oriantur: v. g., si effundantur post auditam concionem, vel post monitiones Confessarii præbentis aliquod compunctionis motivum; — 2. minor numerus peccatorum, cum pœnitens fuerit in iisdem occasionibus[4]. Vel si perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20 aut 25 dies, cum prius pluries in hebdomada prolaberetur. Vel nonnisi post magnum conflictum prolapsus sit; — 3. studium adhibitum ad emendationem, et implementum mediorum, quæ præscripta sunt: v. g., jejunia, eleemosynæ, orationes, fuga spontanea occasionum; — 4. Confessio spontanea, quæ nempe non oriatur neque ex obligatione præcepti Paschalis; neque ex impulsu Superiorum; neque ex usu se confitendi in certis solemnitatibus; sed a sola voluntate sese reconciliandi cum Deo. Ut esset in illo, qui pro Confessione peragenda notabilem adhiberet conatum, longum iter susciperet, se abstineret a lucro illius diei, magnum conflictum internum vel externum superaret: quod locum habet præsertim in juvenibus et viris, qui et seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad Confessarium accedant; — 5. si accedat ad Confessionem ductus motivo extraordinario, v. g., mortis amici, vel timore infortunii vel ex audita concione, ut esset maxime

[1] Hom. xiv, in II ad Cor.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 460.

[3] *V.* Segneri, *Il Confessore istruito*, c. iv. — Andreucci, *Diss. Theol.*, de recidivis. — Faure, *Dubitationes theol. de judicio practico circa recidivos.* — Salvatori, *Riflessioni*, ecc., p. II. — *Riflessioni sulla santità e dottrina del Liguori.* Torino, 1839.

[4] « Ce qui doit s'entendre d'une diminution sensible; car, en morale, *parum pro nihil.* » Ita Gousset, *Justification de la Théologie morale de S. Alphonse*, c. ix.



tempore exercitiorum, missionis, etc.; — 6. si prius confiteatur peccata culpabiliter omissa; vel restituat ablatum; vel reparet famam proximi læsam; vel post peccata significet se ad Confessarii monitionem adeptum fuisse novam cognitionem suæ iniquitatis, aut periculi suæ damnationis (*N*).

### Scholium. — *De absolutione et assistentia præstanda moribundis.*

**92.** Q. 1. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum moribundo?*

R. Si moribundus det aliqua pœnitentiæ signa Sacerdoti præsenti, non est dubium, quin sit absolvendus absque ulla conditione. Imo expedit, ut toties absolvatur, quoties præstat hujusmodi signa; adest enim in hoc casu materia sufficiens, uti sunt omnia peccata illius sub ratione generica peccati et offensionis Dei, eamque materiam exhibet infirmus per illa ipsa signa. Adest etiam cognitio causæ meliori modo quo potest, licet non plena.

Si vero infirmus jam sit sensibus destitutus, an sit absolvendus, distinguendum: vel aliqua doloris signa dedit adstantibus, v. g., postulando confessionem et absolutionem, et adstantes de hoc testimonium ferre possunt. Vel non dedit, neque unus testis haberi potest.

1. Si dedit signa aliqua, sententia communis atque tenenda cum D. Thoma docet moribundum absolvendum, licet fuerit habituatus in peccatis, et confessus adhuc non sit[1]. Hoc probat Concilium Arausicanum I[2], S. Leo Papa[3], ac Rituale R.; per testationem enim factam ab aliis satis sensibilis fit confessio, saltem bona voluntas[4]. An autem talis absolutio debeat dari absolute communius affirmant cum Lugo et Viva; nam in necessitate sacramenta debent absolute

[1] Opusc. vi, *De Sacr. Unct.*

[2] In can. *Qui recedunt*, caus. 26, q. 6.

[3] In c. *Is qui*, causa 26, q. 6.

[4] Clemens autem VIII damnans Confessionem factam absenti expresse declaravit, se noluisse casum hunc comprehendere, ut testantur Bellarminus, Suarez et Lessius.

conferri, quoties de materiæ valore probabilitas habetur. Sed Suarez, Croix cum S. Antonino tenent dandam esse sub conditione *si es capax*, ut sic etiam Sacramento consulatur, si fortasse invalidum sit. Quæ opinio nobis videtur tuta, cum non satis videatur vinci posse dubium, an signa data sufficientia sint, præsertim si agatur de rudibus.

2. Si nulla signa dedit, negant moribundum absolvendum esse (ne sub conditione quidem) Abelly, Busembaum, Layman ac Lugo. Sed probabilior, et hodie etiam communior sententia cum Billuart, Cardenas, Concina, Croix, Juvenin, Merbesio, Molina, Pontas, etc., contrarium tuetur, quamvis moribundus non ita christiane vixerit. Clare id docet Augustinus: *Quæ Baptismi, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia*[1]. Tunc enim prudens adest dubium, quod infirmus vel ante sensuum destitutionem, vel post in aliquo lucido intervallo advertens damnationis suæ periculum velit et petat absolutionem signis vere sensibilibus, uti sunt suspiria, motus corporis, anxietas respirationis, oculorum elevatio, constrictio manus, etc.; licet a præsentibus non percipiantur, quod quidem aliquando contigisse narrant[2].

Imo etsi ageretur de eo, qui sensibus destitutus sit in ipso actu peccati, v. g., duelli, furti, grassationis, adulterii, satis probabiliter eum aiunt adhuc esse absolvendum sub conditione, modo constet fuisse catholicum; quia de quolibet potest esse præsumptio, quod si unquam rationis usu donetur, petat meliori quo potest modo Confessionem.

**93.** Q. 2. *Quoties moribundo absolutio renovanda est?*

R. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa sta-

[1] L. I, *De adul. conj.*, c. XXVIII. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 36; *Op. Mor.*, l. VI, n. 480.

[2] In tali ac tanta necessitate hæc signa profecto sufficiunt; cum, dicente eodem Augustino, *Sacramenta sint propter hominem, non homo propter Sacramenta; et satius sit dare nolenti, quam negare volenti.* Adde: Per appositam conditionem satis reparatur injuria Sacramenti. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VII, c. XV. — Ferraris, v° Moribundus.



tum gratiæ securus reddatur, si forsam præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat; sed moneat, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet; si rursus tentatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. — Si tamen infirmus jam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur: unde tunc opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet.

Verum in hoc Sacerdos ex ipsa conscientia (quam noverit infirmi) se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest: sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si jamjam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signo aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum ipsi conferri vult, v. g., oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet et similia. Confessarius autem diligenter hujusmodi signa exploret et perscrutetur (*O*).

Ad dignoscendum instans mortis dat indicia *Summula* Raymundi:

*His ægrum signis morientem nosce quaternis:*
*Fronte rubet primo, pedibus frigescit ab imo,*
*Albescit nasus, dexter lacrymatur ocellus.*

---

## CAPUT QUARTUM

### DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MINISTRO

**94.** Q. 1. *Quisnam est legitimus Pœnitentiæ minister?*

R. Waldenses et Wiclephitæ Pœnitentiæ ministerium bonis laicis tribuebant; negabant Sacerdotibus pravis. Protestantes vero maxime lutherani, dicunt quemlibet fidelem hanc potestatem accepisse a Domino.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed dicimus 1 : de fide est solos Sacerdotes esse Pœnitentiæ ministros; Christi enim verba, quibus hæc innititur facultas, ad solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores pertinere universa antiquitas uno consensu semper agnovit. Hujus veritatis testes sunt omnia latinorum ritualia, omnes græcorum et orientalium liturgiæ. Itemque Patres; S. Ephrem ait : *Absque venerando et divino Sacerdotio remissio peccatorum mortalium non conceditur*[1]. Et S. Ambrosius : *Jus hoc solum permissum Sacerdotibus est*[2]. Et sane absurdum est, ut omnes in societate judices sint ac magistratus : porro absolutio actus judicialis est ac supremæ auctoritatis; — 2. de fide item est pravitatem Sacerdotum non officere, quominus ipsi valide absolvant; nam Sacramentorum virtus est ex meritis solius Christi[3].

Utrumque Tridentinum definivit[4] : *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum :* Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata, etc., *anathema sit* (*P*).

**95**. Q. 2. *An quilibet Sacerdos possit Confessiones rite excipere?*

R. Negative; ad validam enim pœnitentiæ administrationem requiritur ulterius, ut Sacerdos approbetur ac donetur jurisdictione, nisi de casu extremæ necessitatis agatur. — Ad administrationem vero utilem insuper necesse est, ut Confessarius eas dotes obtineat, quæ hujus muneris sunt : et si quos admiserit defectus, corrigat[5].

[1] Orat. *De Sacerdotio*. — [2] *De Pœnit.*, l. I, c. II.

[3] *V*. De Sacramentis in genere, ubi *de valida administratione*.

[4] Sess. XIV, can. X. *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 540. Unde quando Jacobus ait : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra :* per *alterutrum* non intelligitur quilibet; sed Sacerdos seu homo homini. Patet ex particula *ergo*, quæ hunc versiculum connectit cum antecedenti, in quo Apostolus Sacerdotes dixerat esse vocandos ad ungendos infirmos. Adde non pauci textum illum explicant de humili tantum Confessione, qua quis nempe se dicit esse peccatorem, ut alios ad orandum pro se moveat.

[5] An gravis sit obligatio Confessiones audiendi, *V*. t. I, quoad Parochos quoad ceteros.



### Art. I. — De Confessarii approbatione et juridictione.

**96**. Q. 1. *Quid est Confessarii approbatio?*

R. Confessarii approbatio est *juridicum testimonium, quo Episcopus fidem facit, se talem Sacerdotem judicare idoneum ad Sacramentales fidelium confessiones in sua Diœcesi audiendas*. Quibus ex verbis deducitur ad talem approbationem non requiri de rei essentia examen, si adsit judicium prudens de sufficientia et idoneitate.

Ubi viget disciplina Concilii Tridentini, nullus Sacerdos potest Sacramenti Pœnitentiæ ministerium exercere, nisi aut habeat Beneficium parochiale, aut ab Episcopo loci, in quo Confessarii munus exercere cupit, sit approbatus[1]. Ait enim : *Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium*[2], *etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut habeat parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus*[3]. Hinc sequitur approbationem petitam et negatam minime sufficere; sed requiri ut reapse concedatur.

Approbatio dari debet ab Episcopo loci, in quo Confessiones excipiuntur; non ab Episcopo pœnitentis. Ita fert universalis praxis, et constat ex Bulla Innocentii XII *Cum sicut*, et Benedicti XIV *Apostolica indulta*. Hanc approbationem Episcopus etiam per alios potest tribuere, cum non sit actus Ordinis (*Q*).

[1] Nomine Episcopi venit Vicarius capitularis, Sede vacante; cum sit in ejus locum.

[2] Dicit *sæcularium :* nam regulares pro suorum confratrum regularium Confessione excipienda indigent sola generalis vel provincialis approbatione.

[3] Sess. XXIII, c. XV, de R.; patet autem Concilium loqui de consuetudine ac præteritis privilegiis; non de iis quæ obtinere possunt in futurum; ut revera plura obtinuerunt, nemine reclamante. — *V*. Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVI. — Ferraris, v° Approbatio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**97.** Q. 2. *Quid penes Novariensem Diœcesim notandum venit circa approbationem?*

R. Hæc præcipua : 1. eos qui actu Parochi sunt et Coadjutores Titulares, id est possessionem adepti, approbari in tota Diœcesi absque facultatis renovandæ necessitate; sed ceterorum Sacerdotum neminem approbari sine præcedenti idoneitatis periculo; 2. singulos sive regulares sint sive sæculares, non approbari, nisi ad anni spatium : iccirco, eo evoluto, omnes teneri prorogationem expostulare, exhibendo intra mensem octobris patentes Litteras proprio Vicario foraneo, vel Secretariæ, vel Cancellariæ episcopali, si sint sæculares; Superiori autem Monasterii, si sint regulares. Hoc si fecerint ad totum usque mensem decembris facultas prorogata censetur, etiam ante acceptum prorogationis decretum : si vero neglexerint, ultima octobris die expirabit[1]; 3. hoc prorogationis decretum Sacerdotibus sæcularibus non concedi, nisi prius exhibeant testimonium proprii Confessarii de Confessione singulis hebdomadis peracta; et attestationem Parochi de morum honestate, de cura in divinis officiis, in catechesibus tradendis, et in collationibus casuum conscientiæ frequentandis; 4. Patentes approbationis et prorogationis litteras extendi quidem pro Confessariis omnibus ad totam Diœcesim; sed *per se* non complecti facultatem absolvendi a reservatis; neque ad Confessiones Monialium aut mulierum quarumcumque in Monasteriis, Collegiisve degentium (*pag.* 117).

**98.** Q. 3. *Quid de Confessarii jurisdictione?*

R. Nomine *jurisdictionis* hic intelligitur *potestas illa, qua Sacerdos in subditum fert sententiam, in foro tamen conscientiæ.* Proprie loquendo hæc approbationem supponit, licet nunc cum illa videatur confundi, quia una simul tribuitur; nam hodiernis moribus statim ac quis denuntiatur idoneus, Litteris patentibus donatur, quarum vi jam potest confessarii munus in Diœcesi exercere, sub limitationibus tamen in ipsis litteris expressis.

Duplex est Confessarii jurisdictio : ordinaria et delegata. *Ordinaria* est quæ alicui competit ratione officii, quod ei fuit demandatum, cuique adnexa est animarum cura : ut sunt Papa, Episcopi, sede vacante Vicarii capitulares; Archiepiscopi cum visitant subditos suffraganeorum; Prælati Religionum, ac Parochi. — *Delegata* est quæ alicui vel tacite vel expresse legitime confertur ab habente primam, id est ordinariam. Excipe Parochos, qui etsi possint suos parochianos etiam in aliena Diœcesi confiteri ex declaratione S. C. C. 3 dec. 1707 : non tamen possunt aliis conferre facultatem confessiones audiendi neque in ipsa Parœcia. Nam eorum ordinaria jurisdictio non est omnimoda, cum sit tantum pro foro pœnitentiali : pro foro autem externo non habeant nisi jurisdictionem limitatam et secundum quid, nempe relate ad nudam administrationem[1] (*R*).

[1] Hodie tamen constitutum est, quod *Litteræ Patentes* debeant consignari intra mensem decembris. Ad totum tamen martium perdurant, etsi non consignentur.



Hæc autem delegata jurisdictio acquiritur tum ab homine, tum a jure. *Ab homine*, quando Ordinarius illam alteri committit, vel alteri licentiam concedit Confessarium sibimet eligendi. *A jure*, quando jus vel legitima consuetudo certis personis permittit, ut absolvant, aut ut ab electo Confessario ubique absolvantur. Qui tamen permissionem habent eligendi Confessarium, non possunt eligere, nisi approbatum vel Parochum. Hanc autem permissionem seu privilegium habent : 1. ex consuetudine Reges et Principes; sed pro se tantum, et modo supremo gaudeant dominio. Item domestici Pontificis : item Cardinales, qui præterea Romæ degentes possunt non sibi tantummodo, sed etiam propriæ familiæ Confessarium eligere; 2. ex jure Episcopi omnes, etsi sint tantum titulares et quamvis nondum consecrati, modo sint confirmati. Item Prælati minores exempti, et Superiores regulares locales[2]. Episcopi autem possunt secum conducere Confessarium jam approbatum, et ei confiteri etiam in aliena Diœcesi[3].

Amittitur vero hæc confitendi delegata potestas : — 1. per

[1] *V.* Bouix, *De parocho*, p. I, c. v, ubi multis probat nomen *pastoris* improprie parochis tribui, cum hæc indicet potestatem gubernandi cum jurisdictione proprie dicta et legislativa; revera tota antiquitas solos Episcopos hac denominatione designabat.

[2] Non tamen Parochi : et contraria propositio damnata est ab Alexandro VII, sub n. 16. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 544 et 565.

[3] Verum si Episcopi eum non conducunt, confiteri debent approbato ab Ordinario illius loci, ut declaravit S. C. C. ac confirmavit Gregorius XIII, 1 dec. 1582.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

revocationem superioris qui illam tribuit; per quas causas enim res nascitur, per easdem solvitur; — 2. morte delegantis (vel ejus cessatione ab officio), si tamen delegatio sit de audienda tantum alicujus personæ confessione aut sit tantum pro casu particulari, nec hæc confessio adhuc sit incœpta, ut jure constitutum est[1]. Si enim delegatio sit generalis a Papa proveniens, communis sententia et praxis est, eam non extingui per delegantis mortem; nam *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum*[2]. Imo etsi ab Episcopo proveniat delegatio generalis, adhuc ea non extinguuntur, quamvis confessio nondum cœpta sit, nisi vel a successore revocetur, vel præfixum tempus elabatur. Hoc certe firmatur tum a vulgari adagio : *Gratia facta non expirat per mortem concedentis*[3], tum a consuetudine generali et praxi. Et revera, Episcopo defuncto, vel cessante e suo officio, adhuc Confessarii antea deputati in suo munere et officio perseverant in Confessionibus audiendis usque ad tempus ab illo Episcopo definitum.

Quæres : *An Vicarius generalis episcopi habeat jurisdictionem ordinariam etiam in foro sacramentali, ita ut possit audire confessiones, et aliis eas audiendi potestatem concedere ?* Aliqui pauci negant cum Soto et Ledesma, ex eo quod mortuo episcopo, cesset ejus jurisdictio, hæc porro non cessaret, si esset ordinaria. Attamen verior, communior et recepta sententia cum Fagnano, Sylvio, Filliucio, Bossio, Sanchez, etc., affirmat. Ratio quia vicarius generalis, supposita nominatione episcopi, jurisdictionem habet ordinariam tam in civilibus quam in spiritualibus, non jam ab episcopo, sed a canone qui dicit illum facere unum tribunal cum ipso episcopo[4]. Confirmatur ex Tridentino; nam quando vult Concilium excludere vicarium a facul-

[1] Ex *Decreto* Greg., l. I, t. XXIX : *De Off. et potest. jud. deleg.*, c. XIX et XX.

[2] Cap. *Si super grat.* IX, de off, deleg. in 6. Excipiunt nisi sit facta his verbis : *Usque ad beneplacitum nostrum*, vel *ad arbitrium nostrum*, et similibus. quia *voluntas morte vel renuntiatione finitur*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 198.

[3] C. *Si super grat.* IX, de off. deleg. in 6. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 82.

[4] Ex c. II, *De consuet.* in 6; et c. *Romana* de appell. in 6.



tate absolvendi ab hæresi, id exprimit[1]; ergo supponit facultates episcopi, nisi expresse a jure restringantur, intelligi communitates etiam vicariis generalibus. Quod si mortuo episcopo, vicarii jurisdictio cesset, ideo est quia deficiente episcopo, ipse cessat esse vicarius; non quia ejus jurisdictio non sit ordinaria : quandiu enim ille vicarius est, ordinaria jurisdictione gaudet, adeo ut liberum sit episcopo Vicarium non eligere, non tamen ejus jurisdictionem quam tenet a jure communi, coarctare, semel ipsum elegit.

**99**. Q. 4. *An jurisdictio necessaria sit ad Pœnitentiæ Sacramentum?*

R. Nonnulli sub finem sæculi XVIII cum Aloysio Litta et Joanne Guadagnini contendere ausi sunt, tum approbationem Episcopi ad Confessiones valide excipiendas non consistere in jurisdictione, sed in solo idoneitatis testimonio; tum Confessarios omnes vi Ordinis ab omni casu reservato valide, si non licite, absolvere posse. Verum certum omnino est, imo fidei proximum ad valide absolvendum præter potestatem Ordinis requiri potestatem jurisdictionis : id eruitur ex Concilio Florentino, ubi in Decreto ad Armenos de hoc Sacramento legitur : *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem ordinariam, vel ex commissione.* Et Tridentinum ait : *Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*[2]. At absolutio *nullius momenti*,

[1] Sess. XXI, c. VI, de R. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 558. — Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. XXII.

[2] Sess. XIV, c. VI. Addatur proscriptio thesis 37 Pseudosynodi Pistoriensis lata in Bulla *Auctorem fidei*, ubi doctrina illius Conciliabuli hac in re *sic intellecta, quod ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam*, proscripta fuit ut *falsa, temeraria, erronea, perniciosa, Concilio Tridentino contraria et injuriosa*. Et valet licet tantum agatur de absolvendo a venialibus, vel a mortalibus jam remissis, ut merito docet ex Decret. Innocentii XI Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVI, n. 7, et Constit. *Apostolica*. Sane esto quod istorum Confessio sit libera; absolutio tamen semper est sententia judicialis, quæ ferri debet in designatos subditos.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non tantum illicita, sed etiam invalida debet existimari. Ratio est : Pœnitentiæ ministerium exercetur ad modum judicii forensis; sed in causis forensibus sententia nequit valide pronuntiari, nisi ab eo judice qui in litigantes habet jurisdictionem.

Ex Synodo Novariensi excommunicatio ipso facto incurritur, a Sacerdote, qui *non approbatus hoc sibi ministerium vindicat extra necessitatem* (pag. 117).

*Sed* (dices) *nonne Sacerdotes in ipsa ordinatione accipiunt omnes potestatem absolvendi a peccatis, sic dicente Episcopo consecrante :* Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt? — R. Potestas Ordinis est omnino distincta a potestate jurisdictionis : *Duplex est spiritualis potestas*, ait D. Thomas, *una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis est quæ per aliquam consecrationem confertur; omnes autem consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re quæ consecratur; et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus, quandiu vivit, sive in schisma sive in hæresim labatur... Potestas autem jurisdictionalis est quæ ex hominis injunctione confertur, et talis potestas non immobiliter adhæret*[1].

**100.** Q. 5. *An valida sit absolutio data a Confessario cum jurisdictione tantum probabili; vel solummodo præsumpta; vel si ea ex errore credatur adesse, cum tamen revera non adsit?*

R. Ad 1 : Quando est sub opinione, an Confessarius in tali casu habeat jurisdictionem, et hinc inde militant solidæ rationes, adeo ut jurisdictio in seipsa spectata remaneat æque probabilis seu dubia, tunc aliqui pauci cum Antoine et Concina absolute negant validam esse absolutionem, quia ex propositione ab Innocentio XI damnata, non licet *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore :* certo autem sacramenta exponerentur periculo frustrationis in nostro casu. Unde qui amplectitur opinionem probabilem Doctorum asserentium, v. g., in hoc vel illo casu Confessarium habere jurisdictionem absolvendi a reservatis, vel privilegium quod habebat, nondum esse revocatum, et illi innixus absolvit, illicite et invalide facit. — Alii vero communiter illam absolutionem universe valere affirmant cum Croix, Filliucio, Lessio, Lugo, Viva, etc.; quia est consuetudo universalis (ut ipsi dicunt) sic absolvendi in Ecclesia. Et

[1] 2, 2, q. 39, a. 3 — *Prælectiones juris Can. in Semin. S. Sulpit.* Parisiis, 1859, t. I.



merito, ne scilicet Confessarii sæpius sint anxii circa veritatem jurisdictionis : porro consuetudo tribuit jurisdictionem.

Sed nos cum Barbosa, Elbel, Gobat, Holzman, Sporer, Suarez et aliis distinguimus : vel aliqua tunc adest causa gravis necessitatis aut magnæ utilitatis, vel non. Si causa non adest, non licet sacramentum administrare; quia licet Ecclesia ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere; tamen non præsumitur, nulla rationabili causa accedente, velle connivere meræ libertati confessariorum, quidquid tandem ipsi credant ac operentur. Si vero gravis causa adest, tunc fas est uti jurisdictione speculative tantum probabili; cum enim adsit in Ecclesia consuetudo universalis (ab Ecclesia non ignorata) ferme omnium Confessariorum absolvendi pœnitentes cum tali jurisdictione, et agatur de re, quæ ab Ecclesia ipsa suppleri potest, certo suppleri præsumitur in dicto casu gravis necessitatis aut magnæ utilitatis ob bonum animarum, ne dicamus ipsam tolerare sententiam quæ nimium vergit in fidelium perniciem : quod nefas suspicari. Eo igitur in casu Confessarius noster in praxi non absolvit cum sola opinione probabili; sed cum sententia moraliter certa, non quidem directa, sed reflexa. Nec obstat propositio damnata; nam illa loquitur de opinionibus circa ea, in quibus nihil potest Ecclesia, id est circa Sacramentorum materiam et formam; non vero circa jurisdictionem, quæ ab Ecclesia tribuitur quando et quoties et quibus ipsi libuerit.

Censetur autem gravis causa adesse : 1. si urgeat præceptum annuæ Confessionis, nec alius adsit Confessarius qui certa gaudeat jurisdictione; 2. si pœnitentes indigeant auxilio talis Confessarii; 3. si pœnitens deberet complicem patefacere alium adeundo; vel secus remanere debeat in mortali; 4. si Confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem tantum, timeat ne secus pœnitens apud alium sacrilege confiteatur[1].

R. Ad 2 : Si præsumptio consensus illius qui jurisdictionem tribuere potest, fundatur in signis, quæ indicant consensum præsentem, v. g., si Sacerdos, quem constat non habere jurisdictionem, Confessiones excipiat, præsente vel sciente nec contradicente Episcopo (qui facile valeat obsistere) sufficit; esset tacite concessa. Si vero indicant tantum consensum de futuro, non sufficit, v. g., si certo scias superiorem consensurum, si nesciret te confessiones audire; quia consensus futurus non præbet jurisdictionem pro tempore præsenti. Neque illa potest postea rata haberi; quia valor Sacramentorum nequit suspendi. Item neque sufficit solus internus consensus, cum jurisdictio sic com-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 573.

municari non possit hominibus; sed est manifestanda cui tribuitur [1].

R. Ad 3 : Si error, quo creditur talem Sacerdotem habere jurisdictionem, sit communis et conjungatur cum titulo colorato, certum est apud omnes, Ecclesiam jurisdictionem supplere : et ipso jure probatur [2]. Ratio est, quia alias multæ animæ perirent; ideoque rationabiliter præsumitur Ecclesia supplere. Diximus : 1. si error sit *communis*, id est omnium vel fere omnium in loco, ubi excipitur Confessio; alioquin non metuendum publicum damnum. Neque ideo Ecclesia jurisdictionem suppleret : Ecclesia enim ut provisor generalis non censetur supplere, nisi ratione boni communis; nam gubernator universalis ad solum bonum generale societatis attendit; 2. cum *titulo colorato*, quod evenit, quando titulus est quidem nullus, sed vere existens coram hominibus, id est collatus a legitimo superiore, et ideo præ se ferens speciem veri tituli; sed ob aliquem latentem defectum invalidus, uti si quis revera obtinuerit titulum Parochi, sed invalide ob latentem simoniam.

**101**. *Sed quid* (quæres) *si error sit quidem communis, sed titulus sit tantum existimatus, fictus, præsumptus, seu putativus; id est si a fidelibus titulus reputatur quidem adesse et a proprio superiore credatur collatus; sed nullus omnino extet, cum nullum dederit superior?*

R. Plures cum Bonacina, Lugo, Lessio, et Suarez tuentur (merito probabiliter, ratione spectata) Ecclesiam adhuc supplere jurisdictionem; quia cum adest error communis, recurrit eadem ratio, quod nempe Ecclesia pro bono fidelium præsumitur jurisdictionem supplere; cum eadem adæquata ratio communis boni æqualiter urgeat pro solo errore communi, et pro titulo colorato. Attamen communior sententia (hodie in praxi admissa) cum Alasia, Busembaum, Roncaglia, Concina, Sylvester, Sporer, etc., negat sufficere solum errorem sine titulo : et ita decisum referunt a S. C. C. 11 dec. 1683 [3]. Et sane ordo publicus obstat quominus in societate recte constituta quis publico fungatur ministerio, si nullam a superiore delegationem aut titulum habuerit. Hinc qui in aliquo officio falsis litteris intruditur, qui delegatam jurisdictionem exercet ultra tempus adsignatum, qui titulum a non superiore (vel a superiore, sed extra limites sui juris) obtinet, in hac sententia nulliter agit (S).

[1] Aiunt tamen illum valide absolvere, qui mittit nuntium Episcopo pro confirmatione facultatis, et eo tempore quo certo præsumit obtentam facultatem, absolvit licet nondum redierit nuntius; quia hic illius personam repræsentat. Agit tamen illicite, cum Sacramentum nullitatis periculo exponat, posset enim Episcopus ex causis sibi notis confirmationem negare; vel ex aliquo accidenti contingere nondum potuisse episcopum inveniri. Aliter esset, si certo sciat Patentes renovatas esse; tunc valide et licite Confessiones audit, etsi illas nondum acceperit.

[2] L. *Barbarius ff. de off. Præl.*, et cap. *Infamis*, q. 7. Sunt qui titulum *putativum* idem esse dicunt ac *coloratum ;* sed communiter illum cum existimato et ficto confundunt. Ceterum hæc non est, nisi lis de nomine.

[3] En declaratio S. Concilii Congregationis data 11 dec. 1683. Nempe interrogata, an Cappuccini, qui in Patavina Diœcesi Confessiones exceperant sine licentia Episcopi illius Diœcesis, valide absolvissent, quia aliqui ex his erant in aliena Diœcesi approbati, alii vero ab Episcopo quidem Patavino ad annum, sed jam elapsum, S. Congregatio respondit : *Illicite et invalide Confessiones excepisse, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen si ipsi confessi hoc resciverint vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare Confessionem.* Ubi vides aperte errorem communem, nempe omnium fidelium putantium illos religiosos veros esse confessores; sed titulus approbationis episcopalis per litteras patentes, quam fideles adhuc adesse credebant, cessaverat. Respondit autem *non esse inquietandos qui in bona fide*, né inde scandala et perturbationes orirentur; aliunde si in bona fide per aliam confessionem justificantur, si forte indigeant. — *V.* Benedictus, *Notificatione* LXXXIV, ubi declaratio per extensum habetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 572.



**102**. Q. 6. *Quotupliciter quis subditur alteri quoad Pœnitentiam?*

R. Per Pœnitentiam quis alteri fit subditus :

1. Ratione *domicilii* vel *quasi-domicilii*. Sic qui in aliena Diœcesi in perpetuum vel majore anni parte habitare intendunt, cum fiant subditi, valide absolvuntur a Confessariis in illa Diœcesi approbatis.

2. Ratione *privilegii status;* sic qui alicui familiæ uniuntur, eorum jurisdictioni subduntur, qui eidem familiæ præsunt. Hoc contingit Novitiis et familiaribus Regularium; si tamen Monasterii expensis, inter illius septa et sub eorum obedientia actu inserviunt, prout limitant sacri canones.

3. Ratione *consuetudinis*, quatenus hæc est indicium consensus a superiore præstiti. Constat etiam ex ipso jure canonico per legitimam consuetudinem veram jurisdictionem tribui [1]; et ex facto quotidiano. Sic ex consuetudine qui per-

[1] Cap. *Cum contingat 1 de foro comp.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 573. In hoc casu non nuda consuetudo jurisdictionem tribuit; sed superior est qui consuetudinem illam sciens acceptat, qui enim non renuit in eo renuere potest et debet, consentire censetur in illo; ex dictis *de consuetudine.*

gunt in alienam Diœcesim etiam sine animo contrahendi domicilii aut quasi-domicilii, a quolibet Confessario ibidem approbato absolvi possunt a peccatis, nisi adsit fraus vel censura.

4. Ratione *erroris communis cum titulo colorato;* quia tunc jurisdictionem supplet Ecclesia ob bonum commune.

5. Ratione *articuli mortis,* ne scilicet aliquis pereat hac ipsa occasione : et quod in bonum fidelium inductum est, cedat in eorum perniciem. Imo id valet (in sententia veriori et communissima) etiam quando agitur de solo mortis periculo : quamvis enim physice loquendo non sit eadem res articulus et periculum mortis[1]; attamen quoad præsentem casum nulla in jure occurrit distinctio, dicente Rituali R. : *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.*

**103**. *Quid* (dices) *si tunc adsit vel adesse possit, si vocetur, Confessarius approbatus?*

Docent plures sacerdotem simplicem, id est non adprobatum ad confessiones, posse valide absolvere moribundum, etiam præsente confessario adprobato; ait enim Tridentinum : *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt*[2].

[1] « *Articulus mortis* (ait Stapf, § 588) ille [dicitur quo mors certo, vel saltem probabilius proxime secutura prævidetur. *Grave periculum* adesse censetur, dum prudens timor, seu solidum dubium mortis proxime secuturæ occurrit, eo quod in ejusmodi casibus frequenter accidat, e. g., in gravi morbo, difficili partu, in prælio, in longa navigatione, in operatione chirurgica ardua (idem dic de illo qui est in probabili periculo incidendi in amentiam; et de captivis apud infideles cum exigua spe libertatis, si credantur nullos alios sacerdotes habituros). Generatim animarum pastor in determinando gradu periculi non sit anxius : sufficit justus timor, ne morbus iste progrediatur in mortem : moneat etiam populum, ut in casu infirmitatis SS. Sacramenta mature petant, ne morbo ingravescente, ægroti, ut fieri solet, minus dispositi inveniantur. » Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 561.

[2] Sess. XIV, c. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 562.



Attamen communissime negant tunc simplicem Sacerdotem absolvere posse; nam cessat tota ratio, ob quam ipsa facultas data est. Ab hac sententia per se loquendo nos judicamus non recedendum maxime ob auctoritatem Ritualis R. inquientis : *Si periculum mortis immineat approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest... absolvere.* Ex his verbis fluit conclusio : *Ergo quilibet Sacerdos non potest absolvere, si adsit Confessarius approbatus.* Tridentinum autem, ut patet ex contextu, non loquitur de simplici sacerdote, qui nullimode ad confessiones audiendas probatus est; sed de sacerdote qui et confessor est, sed non habet facultatem quoad peccata reservata; cui quidem in articulo mortis datur, ut ab illis quoque absolvat moribundum, etiam præsente confessario adprobato pro ipsis reservatis; cum tunc omnis reservatio cesset omnino ex antiqua consuetudine et canonico jure[1].

Diximus *per se loquendo;* nam simplex Sacerdos potest et valide et licite absolvere tempore mortis, etiam præsente Confessario approbato : 1. si approbatus nollet, vel non posset facultate sua uti, vel non esset approbatus in illa Diœcesi : tunc idem est ac si non adesset; 2. si approbatus sit excommunicatus vel suspensus vitandus : tunc certo præferendus est simplex Sacerdos; quia approbatum eo in casu prohibet Ecclesia; 3. si approbatus sit complex in peccato turpi cum pœnitente ex Benedicto XIV[2]; 4. si moribundus ita horreat manifestare sua crimina Confessario illi, ut sit in periculo confitendi sacrilege, v. g., si sit inimicus, consanguineus, aut objectum peccati : tunc profecto videtur adhuc vigere illud : *Ne hac occasione aliquis pereat,* uti docent Collet, Croix, Mazzotta ex D. Thoma; 5. si approbatus superveniat, Confessione incœpta apud non approbatum; quia judicium semel inchoatum compleri debet[3].

[1] Can. *Presbyteri,* caus. 26, q. 6, c. *Inter cunctas,* § *Incendiarii de privileg.* et alibi.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 562. — P. Pavone, *Spicilegio,* etc., nn. 500 et seqq.

[3] C. *Gratum;* c. *Relat.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 562.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Item probabiliter dicunt, quod si Confessio facta Sacerdoti simplici sit invalida, bene potest infirmus huic Sacerdoti iterum confiteri, etiam superveniente approbato; nam ille habuit revera jurisdictionem ad priorem illam Confessionem, quæ non censetur finita. Item potest hodie simplex Confessarius iterum excipere Confessionem infirmi, qui heri ob morbi gravitatem non potuit integre confiteri, etsi hodie jam expiraverit ejus facultas audiendi Confessiones: causa enim incepta et non finita, durat delegati potestas donec terminetur. Aliter est, ut communiter dicunt, si talis Confessarius hodie, jam expirata facultate, velit audire confessionem alicujus, qui heri penes ipsum confessus est, et absolutus, sed inculpabiliter omiserit aliquod mortale; nam illa esset nova confessio, et actus novi judicii; neque hesterna confessio potest dici suspensa et incompleta.

**104.** *Quid* (dices) *de Sacerdote intruso, hæretico, schismatico, excommunicato aut suspenso?* Certum est, quod intrusus, hæreticus, schismaticus; item nominatim et publice excommunicatus, aut suspensus (si suspensio sit totalis; vel a jurisdictione; vel ab officio, cum hæc respiciat usum tum Ordinis tum jurisdictionis) invalide absolvit extra necessitatis casum; cum ipso jure jurisdictione privetur [1]. At si agatur de necessitate, nempe de moribundo absolvendo (alio sacerdote deficiente), non obstante contraria quorumdam sententia, dicimus ipsum quoque (si verus sacerdos) licet vitandum, in hoc casu absolvere posse valide et licite; semper enim urget ratio ne quis pereat. Refert cardinalis Albitius hanc quæstionem fuisse propositam Innocentio XI, atque ab eo definitam, ut non amplius dubitari possit, quin pœnitens in articulo mortis licite et valide absolvi queat a sacerdote intruso, hæretico, schismatico et excommunicato, deficiente altero Sacerdote: quod etiam declaravit Pius VI 1 apr. 1794 [1]. Et vero ita aperte tradit Rituale romanum dicens, quod tunc absolvere potest *quilibet Sacerdos*.

[1] Si parochus sit ab officio personaliter et nominatim suspensus, non tamen nominatim et publice ut talis fidelibus denuntiatus ac publicatus per decreti affixionem solitis locis factam (vel Romæ vel in Parochia delinquentis, prout vel a romana congregatione vel a diœcesano episcopo suspensio lata est), ex Toleto, Sayro, Henriquez, Monacelli et Giraldi, valide et licite possunt parochiani ab eo petere sacramenta, et ipse absque incursu in irregularitatem ea tunc conferre, etiam citra necessitatem.



### Art. II. — De Reservatione et proprii complicis absolutione.

**105.** Q. 1. *Quid est Casuum reservatio?*

R. Reservatio nihil aliud est, quam *limitatio jurisdictionis alicui concessæ pro excipiendis fidelium confessionibus.* Casus porro reservati dicuntur quædam crimina atrociora, quorum absolutionem concedere nequit Sacerdos, qui communi dumtaxat jurisdictione et approbatione præditus est; neque ipse Pœnitentiarius cathedralis Ecclesiæ, quamvis in tota Diœcesi ceteroquin valeat vi potestatis suæ Confessiones excipere, ut declaravit S. C. Congregatio 6 julii 1647.

Hæc lex adeo gravis est, ut Sacerdos qui scienter absolvit a reservatis in Bulla *Cœnæ*, excommunicationem ipso facto incurrat, sed nemini reservatam, uti constat ex ipsa Bulla. Si quis vero prætextu privilegiorum (etiam Regularis) præsumit absolvere a dictis casibus Bullæ *Cœnæ*, et ab aliis sex casibus extra Romam et intra Italiam Papæ reservatis, vel a casibus reservatis Episcopo, præter nullitatem absolutionis et culpam gravissimam, illico incidit in excommunicationem Papæ reservatam ex decreto Clementis VIII 1602, et Pauli V 1617. — Sex hi casus a quibus nequeunt vel ipsi Regulares, vi ullius privilegii, absolvere intra Italiam et extra urbem (Romam), sunt: 1. *immunitatis Ecclesiasticæ violatio quoad confugientes ad Ecclesiam*; 2. *violatio clausuræ Monialium ad finem libidinosum*; 3. *injectio manus violentæ in Clericum*; 4. *provocatio ad pugnam in duello*; 5. *simonia realis scienter contracta*; 6. *confidentia beneficialis*.

[1] Apud Bouvier. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 92; *Op. Mor.*, l. VI, n. 560.

Dividitur reservatio in *Papalem*, *Episcopalem* et *Regularem;* prout casus reservantur Papæ vel Episcopo, vel Superioribus regularibus. Iterum reservationi vel excommunicatio adnectitur, vel non : si 1, casus dicitur reservatus *ratione censuræ;* si 2, *ratione sui* tantummodo[1].

**106.** Q. 2. *Quot sunt casus Papales?*

R. Casus Pontifici reservati ratione sui duo sunt : — 1. est in eum, qui Sacerdotem innocentem falso insimulat de crimine solicitationis apud judices Ecclesiasticos, sive per se impie calumniando, sive sceleste procurando, ut ab aliis id fiat : ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV ; — 2. est in illum, qui dona accipit a Regularibus utriusque sexus (exceptis rebus medicinalibus, aut devotionis : item quæ sunt in remunerationem ob præstita servitia, si tamen cum debita licentia tribuantur ; remunerare enim pertinet ad virtutem). Porro statim ac donum pertingit ad materiam gravem ideoque ad mortale peccatum, casus est reservatus, a quo tunc tantum Confessarius potest absolvere (nondum realiter facta restitutione), quando pœnitens nullimode valet eam de præsenti adimplere, promittit tamen ex corde eamdem quamprimum poterit, peragere.

Quod si possit restituere ? tunc a nemine neque a majori Pœnitentiario potest absolvi nisi prius totum restituerit, si dona valeant pluris decem scutorum romanorum. Quod si valeant minoris, tunc auctoritate obtenta a Pœnitentiario majori pœnitens potest absolvi, si saltem partem restituat ad arbitrium S. Pœnitentiariæ. Ita Bulla *Religiosæ* Clementis VIII; *Nuper* Urbani VIII ; *Pastor bonus* Benedicti XIV[2].

**107.** Casus latæ sententiæ ac Papæ reservati ratione censuræ præter eos, quos jam supra adnotavimus, plurimi sunt. En præcipuos : nempe censuram reservatam incurrunt : — 1. absoluti in articulo mortis a censura Papæ reservata, se postea Papæ non præsentantes (cap. *Eos qui, de sent. exc.* in 6); — 2. apostolicæ Sedis Legatos vel Nuntios,

[1] *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 578. — Pavone, *La luce*, ecc., diss. XI. — Ferraris, v° *Reservatio* casuum.

[2] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 580.



item Archiepiscopos vel Episcopos offendentes (Bulla *Cœnæ*); — 3. appellantes a Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores. Appellantes vel aliter recurrentes ad laicam Potestatem a Decretis Judicis ecclesiastici (Bulla *Cœnæ*); — 4. personis ecclesiasticis vel ecclesiasticis bonis onera, tributa, taxam, suprataxam imponentes, exigentes, vel recipientes (Bulla *Cœnæ;* excipe si quæ sint Concordata, vel legitimus usus); — 5. bona Ecclesiastica usurpantes, vel usurpata recipientes, vel usurpatoribus efficaciter consentientes aut cooperantes : item bona Ecclesiæ vel loci pii alienantes, vel alienari consulentes : vel effringentes et spoliantes Ecclesias ; item Montium Pietatis bona usurpantes (Tridentinum) ; vel eos Montes concionando impugnantes (Leo X); — 6. Causas spirituales vel spiritualibus adnexas a Judicibus ecclesiasticis advocantes vel impedientes eorumque fautores (Bulla *Cœnæ*, et *Pastoralis regiminis* Benedicti XIV, 30 mart. 1742); — 7. judices qui, quovis colorato prætextu, efficaciter trahunt, vel trahere faciunt ecclesiasticos ad suum laicale tribunal (Bulla *Cœnæ*). Item judices, officiales, laici ac ecclesiastici trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale etiam in rebus civilibus, ex Martino V Bulla *Ad reprimendas* 1 febr. 1428; et si sit Capitulum vel alius conventus ecclesiasticus, suspensionis et interdicti pœnam incurrit ipso facto (sed excipe semper, nisi id permissum sit ex Concordatis vel ex legitima consuetudine); — 8. domini temporales censuras violari facientes (Clementin. *Gravis, de sent. excomm.*); — 9. duellantes eorumque fautores (Bulla Gregorii XIII, *Ad tollendum :* et Clementis VIII, *Illius vices ;* et Benedicti XIV, Bulla *Detestabilem*); — 10. examinatores, qui aliquid recipiunt pro examine ad Parochiam (Trident. *sess.* XXIV, *cap.* XVIII, *de R.*); — 11. Scripturam sacram prædicantes, vel explanantes contra sensum ab Ecclesia approbatum (Bulla Leonis X, *Supernæ Majestatis*); — 12. Societatis Jesu Institutum impugnantes vel mutari procurantes (Bulla Gregorii XIII, *Ascendente*)[1].

**108.** Q. 3. *Quot sunt casus Episcopis reservati ?*

R. Casus Episcopis reservati ratione sui vel censuræ, alii sunt ipsi reservati jure Communi ; alii in Synodo Diœcesana ;

[1] Plures alios casus vid. *De censuris in particulari*. Item a Pio V, Bulla *Admonet*, 29 martii 1569 (confirmata ab Urbano VIII, anno 1623), est excommunicatio lata ac reservata in eos qui per se vel per alios ex animo R. Pontifici insinuant ac suadent magis utile esse et expediens R. Ecclesiæ et Sedi, si aliquæ civitates, terræ, oppida, etc., ejus Sedis in feudum, gubernium, vicariatum, etc., in perpetuum vel ad tempus cederentur, etc. Quæ item Bulla, anno 1862, confirmata fuit a Pio IX (V. *Armonia*, anno 1862, n. 214).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alii extra Synodum. Casus jure Communi ob censuram episcopis reservati sex numerantur hisce versiculis :

*Clerum percutiens, animati fœtus abortus,*
*Participans crimini criminoso, excommunicatus*
*Occultus, quisquis Papam non possit adire.*

Nempe incidunt in Episcopalem reservationem : — 1. percussores Clericorum, si agatur de levi percussione, quando ea est publica; imo etiamsi agatur de mediocri et enormi, quando percussio est occulta ; 2. Procurantes abortum, ipso effectu secuto ; nam si abortus de facto non sequatur, nulla est censura, ideoque nulla reservatio ; — 3. participantes in crimine criminoso, id est in delicto, ob quod quis fuit censuratus ; — 4. excommunicati ab episcopo per sententiam particularem seu personalem ; qui enim specialius ligat, ipse vel ejus specialis delegatus solvat necesse est ex juris determinatione[1] ; — 5. incidentes in casus papales, si tamen occulti sint, neque deducti ad forum contentiosum, ex Tridentini concessione[2]. Sed magna quæstio est, an hæc facultas respiciat etiam casus post Tridentinum a SS. Pontificibus reservatos, si quando occulti sint : plures cum Bea, Delbene, Mazzotta, Sanchez et Suarez, affirmant ; nam Tridentinum indefinite et sine ulla temporis limitatione hoc privilegium tribuit episcopis : per clausulam autem generalem non derogatur speciali privilegio a concilio Tridentino maxime (quod omnium celeberrimum est, præ omnium manibus ac decretorium) expressis verbis concessum. Neque sane est coarctandum privilegium quod conceptis verbis non coarctatur. Alii vero cum Fagnano, Florono, Garcia, etc., id negant ; nam nova Bulla, novum jus inducit ; nos primam sententiam defendimus, si nova post Tridentinum Bulla nullam contineat derogatoriam clausulam anteactæ facultatis ; secundam vero amplectimur opinionem, si Pontificia Constitutio vel expresse vel æquivalenter privilegiis deroget ; hoc si quidem posse Pontifices nemo inficiabitur. Et ideo in veriori et tenenda sententia hodie episcopus nequit amplius absolvere ab hæresi et aliis casibus, etsi occultis, Bullæ *Cœnæ* ubi viget, propter ejus clausulam *non obstantibus decretis cujusvis Concilii*[1] ; item neque monialem frangentem clausuram ab excommunicatione occulta reservata Pontifici ob Bullam *Decori* Pii V, quia in ea habetur, illam ab alio non posse absolvi, *nisi in mortis articulo*[2]. Neque obstat quod per clausulam generalem non revocetur facultas maxime per Concilium œcumenicum specialiter concessa ; nam id locum habent (uti commune est cum De Luca et Fagnano) quando derogatio fit per rescripta, non vero per Constitutiones Pontificias quæ universales sunt atque firmissimæ ; et ipsum Tridentinum derogavit pluribus decretis Conciliorum generalium sine illorum mentione[3].

6. Incidentes in casus papales sive occultos sive publicos, etiam in hæresim, sed quoad eos tantum qui impediuntur Romam adire, uti commune est et universaliter receptum a canonistis ac theologis : imo qui perpetuo impediuntur, ne-

[1] Constit. Leonis X *Dum intra ;* Clementis VIII *Quæcumque ;* ex Clementis X *Suprema*.

[2] Ex cap. *Liceat*, sess. XXIV, c. VI. Ex quo ab hæresi occulta poterat episcopus absolvere per se tantum ; ab aliis censuris vero etiam per delegatum. Non ideo tamen possunt episcopi a casibus occultis reservatis ab aliis episcopis sine vel cum censura, absolvere, quia habent facultatem a papalibus absolvendi ; patet ex declaratione *Pias* 21 augusti 1752 Benedicti XIV. — *V.* Liguori, *Opera Moralia*, l. VI, n. 594, quær. 8. Etsi autem crimen sit in uno loco publicum, potest adhuc absolvi ab episcopo loci, ubi occultum est ut probabiliter affirmant Sanchez, Continuator Tournely, Piasecius et Barbosa, modo locus ubi crimen est notum ita distet, ut non sit timor ne publicetur ubi est occultum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 78 ; l. VI, n. 593.



[1] Ex Benedicto XIV, *De Syn.*, l. IX, c. IV ; ex Sacræ Congregationis Concilii decretis ; et propositione 3 damnata ab Alexandro VII. — *V.* Liguori, *Opera Moralia*, l. VII, nn. 82, 84, 76. Ex quibus concluditur, quod hodie solummodo episcopus ut delegatus apostolicus hæreticum notorium absolvere poterit pro foro externo ; sed postquam ab episcopo est sublata excommunicatio, a quolibet confessario hæresis peccatum absolvi poterit. Attamen etsi nequeat episcopus ex Bulla *Cœnæ* absolvere ab hæresi occulta, potest tamen dispensare ab irregularitate ob hæresim occultam contracta.

[2] Hinc inspiciendæ Bullæ, si derogantem clausulam includant, ut ordinarie evenire solet. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 594.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 83.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

que tenentur Romam petere per epistolam vel procuratorem, prout tenent probabilius ac communiter Alasia, Azorius, Cardenas, Milant, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Tamburini, Viva et alii plurimi contra Bonacinam et Lugo[1].

Hæc omnia de jure communi, et quidem ratione censuræ Episcopo reservantur, qui proinde vel per se vel etiam per alios, omnes suos subditos ab illis potest absolvere[2]. Imo etiam non subditos, si agatur de papalibus occultis (quæ non possunt auferri nisi in Confessione, prout refert Fagnanus declaratum fuisse a Gregorio XIII); nam tunc peregrini ratione Confessionis constituuntur subditi[3].

**109.** De jure vero Diœcesano, in Synodo postrema Novariensi (habita diebus 11, 12 et 13 julii anno 1827 ab Episcopo præclarissimo Cardinali Josepho Morozzo felicissimæ et sanctæ recordationis) hæc reservantur ratione sui. Quæ quidem memoriæ juvandæ causa hisce versibus exprimi possunt :

*Blasphemans; Sacra contemerans; homicida; parentes*
*Cædens; infantem perimens retinensve cubili;*
*Horrendum sodomiæ scelus; congressio bruti;*
*Concubitus simul; incestus; violatio fictis*
*Promissis innuptæ, per vim extorta metumve;*
*Consensusque virorum consensusque parentum;*
*Sollicitans; falsum jurans; sacrique retentor.*

1. *Blasphemia in Deum, vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit. Et blasphemia hæreticalis, nemine etiam audiente prolata.* Reservatæ blasphemiæ reus est qui jurat per falsos Deos. Illæ autem voces auditu nequissimæ: *Corpus* vel *anima Dei, Christe Domine, Sacramentum, Sanguis Christi, tu es Diva* vel *anima mea,* aut *idolam meam, per vitam Dei ita est, hoc tam verum est quam ipsum Evangelium,* non reservantur. Item neque factum execrandum Dei, B. V., et Sanctorum effigiem vel simulacrum pedibus proterentis, aut manibus discindentis, utpote blasphemiæ proprie dictæ rationis expers. Incurritur vero

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 89; l. VI, n. 563; et tom. I, ubi notantur conditiones.

[2] Quod dictum est de episcopis, idem valet de Vicario capitulari et ceteris episcopalem expeditam jurisdictionem habentibus. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 593, etc.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 593; l. VII, nn. 79, 90.



reservatio, licet a pueris audita sit blasphemia, si tamen sint doli capaces. *Synodus.*

2. *Quæcumque superstitiones cum abusu rerum sacrarum, aut cum expressa dæmonis invocatione.* Nomine *Sacrarum rerum* veniunt quæcumque benedictione vel consecratione ecclesiastica indigent, vel sacra sunt, ut species consecratæ, sancta Olea, verba Scripturæ, templa, aqua lustralis, signum crucis, cœmeteria, vestes sacræ, sacræ imagines, etc. Ita *Synodus.*

3. *Homicidium voluntarium, quod quis directe sive per se, sive per alium perpetraverit. Abortus quoque fœtus sive animati sive etiam inanimati, licet irrito effectu tentatus.* Incurritur reservatio, licet quis metu fuerit ad occisionem inductus vel vehementi iræ motu, si adhuc sit usus rationis sufficiens ad mortale. Item incurritur, etsi adsit error facti, v. g., si quis occidat Caium putans occidere Titium. Ex pluribus qui aliquem sauciaverint, si ignoretur auctor vulneris lethalis, omnes reservationem incurrunt. Si quis autem lethaliter sauciato novum et atrocius vulnus intulerit unde citius intereat, non prior sed posterior incurrit reservationem. Mandans vero occisionem, si sufficienter se retractavit, liberatur a reservatione. — Qui animo abortum curandi, etsi insufficientem causam invexerit, propinaverit, hauserit, paraverit, consuluerit aut applicuerit, reservatione innodatur. Non eam incurrit mater, si saltando, adsportando, etc., causam abortus præbeat, modo illum directe non intenderit. Confessarius deputatus ad absolvendum ab hoc casu, est etiam ab Episcopo deputatus ad absolvendum ab excommunicatione lata a Gregorio XIV in reos abortus fœtus animati. *Synodus.*

4. *Injuriosa legitimorum parentum, patris nempe vel matris percussio :* unde qui vitricum vel novercam suam percuteret, non incurreret reservationem. Hæc autem reservatio obtinet, etsi patris vel matris percussio ex odio vel ira procedat, quamvis in se levis sit; nam æstimatur gravis ex personæ qualitate. Item reservatur repercussio facta a filiis, licet injuste verberatis. Item impulsio vel repulsio, qua pater et mater parieti allideréntur, vel in terram dejicerentur. Non tamen reservatur brachium in parentes minaciter extendere, vel in illos expuere, aut aqua ipsos aspergere. *Synodus.*

5. *Suffocatio, imo et retentio infantis in lecto, anno expleto minoris, omissa cautione cunarum vel alterius firmi repaguli.* Casum incurrit non solum mater aut nutrix, sed et maritus, si ejus quoque consilio illa retentio facta sit : imo solummodo maritus, si uxor vi vel metu ad id a marito inducta fuerit. Hæc pœna incurritur sive noctu sive interdiu, sive in cubili, sive alio quovis in loco sopori carpendo apto parvulus, qui annum integrum nondum exegerit, absque

opportuno repagulo secum collocetur. Non erit vero reservatio, si mater aut nutrix sedendo in lecto eumdem susceperit, ut lactet vel soletur, in cunas deinde statim reclinandum, atque interim somno correpta ipsum oppresserit. Item *Synodus*.

6. *Horrenda sodomiæ perfectæ tam activæ, quam passivæ: bestialitatis et concubinatus scelera*[1]. Ad concubinatum quod spectat, non refert, si concubinarii sint soluti vel matrimonio ligati; sed satis est si constituant simul (perinde ac si conjuges essent) libidinose vivere, et sic vivant per annum quadam actuum frequentia delinquentes, etsi una simul non cohabitent. — Quoad bestialitatem autem non refert, si commercium cum bruto extra vas naturale compleatur. — Tandem sodomia debet esse perfecta et completa ad reservationem. *Synodus*.

7. *Incestus inter consanguineos sive in primo sive etiam in secundo gradu* (*lineæ tam rectæ, quam transversalis*). *Inter affines in primo gradu; et inter cognatos spirituales.* Error facti, quo incestuosus vel putat talem non esse sibi propinquam, cum sit; vel putat esse propinquam, cum non sit, liberat a reservatione. Flagitium hoc a matrimonio junctis patratum cum consanguineis alterius conjugis, privat etiam jure petendi debitum conjugale. Porro quoties alicui generatim jurisdictio datur absolvendi ab incestu, non includitur facultas in pristinum jus restituendi incestuosos conjuges; sed hæc facultas singulis vicibus est expostulanda. Item *Synodus*.

8. *Copula carnalis cum innupta vi, metu aut ficta promissione dotis, vel matrimonii extorta.* Item *inter sponsos ante matrimonium* (pro innupta intelligenda videtur etiam vidua honesta). Sufficit ad reservationem gravis timor incussus alicujus gravis mali aut damni mulieri vel ejus parentibus inferendi. Ficta autem promissio dotis vel matrimonii, sive agatur de proprio sive de alieno matrimonio, semper reservatur, si ideo copula extorta sit. Sed dissolutis sponsalibus legitime, aut invalide initis, vel carnali facinore minime completo, non est reservationi locus. *Synodus*.

9. *Consensus dictis vel factis libere omnino præstitus a marito vel parentibus, patre videlicet aut matre; vel ab avo, avia; tutore et curatore, ut uxor, vel filia, vel puella respective alteri sui co-*

[1] Hic observat Fulco in suis *Instit. Theol.*: « Ut habeatur concubinatus jure Canonico requiritur: — 1. ut sive domo viri, sive alibi retineatur mulier, vir habeat ad eam facilem accessum; — 2. ut habeatur pluralitas copularum, seu habeantur quatuor saltem copulæ; — 3. ut habeatur animus perseverandi in tali congressu; — 4. ut mulier non habeat cum alio viro non suo commercium carnale. »



*piam faciat.* Ut sit reservatio, copula interesse debet. Nec refert si filia sit naturalis, vidua, aut mulier divortio separata. Qui non impedit carnalem lapsum, vel dat consensum absque omnimoda libertate, non incurrit reservationem. Item neque vir qui alimenta uxori negando causa esset illius prostitutionis, eam incurrit, nisi directe et expresse hoc medio uxorem suam adducere intenderet ad hoc flagitium. *Synodus*.

10. *Execrandum Confessarii pœnitentem ad turpia sollicitantis crimen in actu, vel prætextu vel occasione Confessionis.* Item *quicumque obsceni actus inter Confessarium, et filiam spiritualem seu Confessionis*[1]. Adhuc est reservationi obnoxius Confessarius sollicitans, licet pœnitens ad turpia extimulatus non consentiat. Item est, si pœnitens prior sit qui Confessionis prætextu ad turpia provocet Confessarium, qui tamen consenserit. Item est, si Confessarius occasione Confessionis cum pœnitente inhonestos sermones habeat, ets agat longo tempore post auditam Confessionem. — *Obsceni actus* sunt qui objective mortalem præ se ferunt turpitudinem contra sextum, etsi per jocum fiant: qui reservati sunt tam pro Confessario, quam pro pœnitente. Si tamen pœnitens suo Confessario relicto, alteri Confessario jam ab anno confiteatur tunc si cum illo primo inhoneste peccet, non incurrit in reservationem, quia tunc non amplius habetur ut ejus filia spiritualis; sed excipe nisi hoc fine, nempe ad reservationem eludendam, abstinuerit per annum a Confessione illa. Amplexus et oscula, quæ ex veneris impulsu procedunt, reservantur; non tamen reservantur amatoriæ collocutiones, actusque alii de se minime obsceni, etsi eos ignotæ libidinis affectio forsan comitetur. *Synodus*.

11. *Jurata falsi in judicio depositio, aut veri reticentia facta ab accusatore vel teste.* Item *inductio falsi testis jurati in judicium.* Qui non leviter dubitant de rei veritate, et eam juramento ut i indubiam affirmant; aut qui jurant tanquam testes de visu, cum sin tantum de auditu; aut qui utuntur æquivocationibus, amphibologiis,

[1] Ex ipsa rei natura unusquisque est *pœnitens* illius, penes quem confitetur, etsi ei primum et semel confiteatur. Sed juxta communem intelligendi morem, ut quis habeatur uti *filius* (vel *filia spiritualis*) seu *confessionis*, insuper requiritur, ut ter quaterve eidem Confessario confessus sit; vel si semel tantum ei sit confessus, ab eodem tamen in posterum audiendus fuerit acceptatus, tanquam confessionis filius vel filia (dicitur nempe confessionis filius, si masculus; filia si femina). Ita Rulfus in celebri suo *Commentario manuscripto in casus reservatos* (quod extat in Biblioth. *Seminarii Novariensis*): ex hoc patet, quod prima pars nostri casus magis extenditur, quam secunda.

vel restrictione mentali, reservationem incurrunt. Non eam tamen incurrit si falso juramento deponens vel reticens sit reus ipse et de facto proprio agatur. Item neque ille, qui verum jurat, quod ex errore credebat vel dubitabat esse falsum, licet sit perjurus ob conscientiæ reluctantiam. *Synodus.*

12. *Retentio et occupatio scripturarum, bonorum immobilium, aliorumque jurium ad Ecclesias et loca pia spectantium* [1]. Item *piorum legatorum solutio diutius anno protracta.* Item *Notariorum negligentia a notitia obitus defuncti legata ipsa, aliasque pias testatorum dispositiones intra sex menses ecclesiastico superiori non denuntiantium.*

Nomine *scripturarum* veniunt etiam scripturæ privatæ, licet in foro interno tantum obligent. — Nomine *Ecclesiarum* veniunt non tantum sacræ ædes; sed et Beneficia et Capellaniæ ecclesiastica auctoritate in iis erectæ. — Nomine *piorum locorum* veniunt quæcumque domus quavis auctoritate exstructæ et ad Dei cultum destinatæ, vel ad ejus ministros educandos aut sustentandos, vel ad excipiendos alendosque pauperes. Scripturæ censebuntur retentæ, cum habentur etiam sine animo eas retinendi; sed delentur vel celantur, vel immutantur ex magna parte. Facta scripturarum restitutione refectisque damnis, cessat reservatio. — Tandem *piorum legatorum* nomine veniunt omnia, quæ ad pias causas fuerunt relicta (etsi nondum acceptata ab Ecclesia), v. g., Missæ, Officia sacra, sacræ preces, eleemosynæ aut Ecclesiæ, aut pauperibus, aut puellis dotandis, aut captivis distribuendæ, etc. Reservationem incurrunt qui studiose non agnoscunt hæreditatem sibi delatam, ne piæ testatoris voluntati satisfacere adigantur, vel ideo malitiose hæreditatis possessionem differunt : vel post possessionem culpabiliter se impotentes reddunt ad solvendum. Hi tamen licet honesta parcimonia curare teneantur solutionem, si tamen, absolutione rite obtenta, propositum violaverint, reservatio

[1] An autem qui fundum Ecclesiæ conduxit, si annuum locationis pretium culpabiliter non solverit, incurrat in hanc reservationem, tanquam iniquus Ecclesiæ jurium retentor, sunt aliqui qui affirmant, quia pretium illud est revera *jus ad Ecclesias pertinens*. Verum negandum videtur; tum quia in communi æstimatione *jurium* nomine proprio sensu non venit pretium rei locatæ, sed potius ratio seu fundamentum per quod fructus et redditus possunt exigi : quod quidem eruitur etiam ex ipso textu; tum quia nomen *retentionis* et *occupationis* locum habet ex sensu auctorum, quando res apprehenditur, retinetur, et in ea insistitur tanquam in re propria : hoc autem de conductore qui differt pretium locationis solvere, generatim loquendo, nonnisi improprie prædicaretur. Neque etiam dici posset debitor legatorum, cum nonnisi sit morosus debitor fructuum.



non reviviscit. Hac lege devinciuntur etiam curatores, tutores, executores testamentarii, ac debitores quicumque legatorum, atque administrantes bona, quæ hoc onere gravata sint. Facta autem etiam post annum piorum legatorum solutione, reservatio cessat. Ita *Synodus Novariensis* [1].

Extra Synodum, in Novariensi Diœcesi, unus est casus Episcopo reservatus, sine censura tamen : Accessio ad protestantium cœtus seu conventus, in quibus de religione tractetur, etiam sola curiositatis causa; ita in novis *Litt. Patentibus* datis anno 1860. Quæ omnia semper verificantur etsi conventus habeatur in platea, ubi aliquis de eorum secta ex proposito hæretice dogmatizet.

110. Q. 4. *An Ecclesia habeat potestatem casus reservandi?*

R. Affirmat Tridentinum dicens : *Magnopere... ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Postea addit : *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit* [2].

Addimus damnationem thesis 44 Pseudosynodi Pistoriensis Bulla *Auctorem Fidei*, ubi legitur : « *Propositio Synodi asserens reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*, falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva. » — Et hæc reservatio antiquitate

[1] Pag. 315 et seqq. Hi casus cum eorum expositione diligentissime sunt memoriæ mandandi, ac firmiter retinendi, ne contingat errare in re gravissima et necessaria omnino.

[2] Sess. XIV, cap. VII, et can. XI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 578.

commendatur, cujus quidem rei exempla suppeditant Thomasinus, Martenius, Morinus et Chardonius[1] : ex quibus etiam jansenistæ arguuntur, qui toties provocant ad venerandam antiquitatem. — Utique Christus illimitate contulit omnibus Sacerdotibus absolvendi facultatem : sed aliud est facultas, aliud facultatis exercitium; ut enim facultas exerceatur et personæ et causæ et modi designandi sunt, prout fit in ipso foro civili.

Habent autem facultatem reservandi qui ordinaria potestate gaudent, ut sunt Papa, Episcopi, Prælati Religionum, quique potestatem quasi Episcopalem habent, uti declaravit S. C. C., referente Fagnano[2]. Non tamen Parochi; neque enim ipsi sunt *maximi ac summi Pontifices*, quibus tantum reservatio tribuitur.

**111.** Q. 5. *Quale esse debet crimen, ut reservetur?*

R. Episcopi casus seu peccata quæcumque valide sibi valent reservare (etiam sine justa causa, ut verius dicunt, quamvis tunc peccent), nempe negando jurisdictionem; cum eorum imperio Sacerdotum jurisdictio subsit. Ne tamen Sacramenti administratio nimis difficilis reddatur, non debent sibi reservare, nisi peccata : 1. *Atrociora et graviora*, quibus nempe conjuncta sit Ecclesiasticæ disciplinæ pernicies : ideo non peccata venialia, nisi tamen hæc, attento fine superioris, sint in aliquo casu gravia : sic Franciscus Salesius sub excommunicatione prohibuit esum et potum tempore divinorum officiorum in taberna, quamvis per se id non sit mortale; 2. *in genere suo completa*, non vero simplicem eorum attentationem, nisi id aliquando expedire censuerint : hinc non reservatur nuda homicidii tentatio, nisi etiam illud revera sequatur; nec incestus tentatus, sed minime completus; 3. *externa*, ne infinitis anxietatibus locus aperiatur, cum pœnitentes sæpe nequeant dignoscere circa interna, an mortalia sint necne; 4. *peccata quæ jam non sint specialiter reservata* Sedi Apostolicæ ex S. C. C., 26 nov. 1600; 5. *peccata certo commissa;* reservatio etenim est stricte interpretanda, et ideo debet intelligi de peccatis certo perpetratis[1].

[1] *V.* Perrone, c. v, *De Pœnit.*

[2] In c. *Cum olim de præscr.*, n. 24.



**112.** *Quid* (quæres) *si pœnitens certus quidem sit se peccasse, et illud genus peccati, quod commisit per se esse reservatum, sed dubitet, an in eo committendo revera mortaliter peccaverit : puta defectu advertentiæ aut causa gravis metus. Vel si certus quidem sit pœnitens se mortaliter peccasse; sed dubitet Confessarius, an in illud mortale peccatum lata revera sit reservatio, necne?*

R. Primum dicitur dubium *facti*, secundum dubium *juris*. Porro in primo casu reservatio non adest : quia hæc est res strictæ interpretationis, ut omnes fere pro certo habent cum Concina, Sanchez, Suarez et aliis; ideo debet intelligi de peccatis certe gravibus. Imo docent communiter Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Viva, etc., quod si pœnitens confessus sit simplici Confessario tale peccatum, omnino liberatur a reservatione, quamvis postea illud agnoscat uti mortale. Unde quamvis teneatur pœnitens, cum recordatur peccati certi prius confessi ut dubii, illud iterum tanquam certum confiteri, ut sic suppleat integritatem illud exponendo uti erat in conscientia, ejusque cognitam gravitatem Confessario manifestet; tamen non tenetur amplius se sistere superiori pro ablatione reservationis, quia ablato peccato, ablata est etiam omnis reservatio[2].

In secundo vero casu docent Antoine, Concina et Wigandt, reservationem adesse; quia cum dubitatur, an peccatum quod vere commissum fuit, sit reservatum : dubitatur etiam an Confessarius habeat facultatem illud absolvendi; atqui Confessarius uti non potest facultate dubia. Sed communiter et probabilissime Anacletus, Elbel, Filliucius, Hurtadus, Sa et Viva cum aliis tenent contrarium sive dubium sit negativum sive positivum, nisi lex etiam casus dubios expresse complectatur; tum quia reservatio est strictæ interpretationis, tum quia *in dubio melior est conditio possidentis :* atqui Confessarius in hypothesi facultatem absolvendi jam in genere possidet; neque enim proprie dubitatur an Confessarius habeat jurisdictionem, sed potius an peccatum sit subtrahendum a jurisdictione qua Confessarius ille potitur. Adde : cum hæc sententia sit communis et fundata, certum est Ecclesiam supplere jurisdictionem, si forsan talis opinio esset falsa.

[1] Monet Benedictus XIV, Bulla *Quo primum*, Parochorum potestatem, cum ordinaria sit, non adeo coercendam, et in Synodo potius imminuendam, ut sic omnis querelæ occasio adimatur. Ita *De Syn. Diœc.*, l. V, c. iv, n. 5. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 579.

[2] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, nn. 142 et 143; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 600.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**113.** *An* (quæres) *cadat sub reservationem peccatum externe leve, si interne sit grave?* Verius et communiter negant cum Alasia, Ciera, Lugo, Suarez, Sanchez et aliis; quia licet actus externus imbibat totam malitiam actus interni et totam mereatur pœnam æternam; attamen quoad reservationem diversa currit ratio; quia superiores id non intendunt. Hinc posito quod impudicitia cum moniali sit reservata, qui ejus manum simpliciter tanget cum affectu libidinoso, reservatione non esset innodatus; quia actus externus per se non est mortalis culpa.

**114.** *Quid* (dices) *de fideli, qui committit peccatum reservatum, sed reservationem ignorans?* Sententia, cui subscribimus communior, imo communissima negat absolvi posse ignorantes reservationem; nam reservatio casuum respicit potius Confessarios quos privat jurisdictione, quam pœnitentes: et ideo non est pœna pœnitentes ipsos respiciens, sed jurisdictionis restrictio respiciens Confessarios. Nec videtur dubitandum, cum Tridentinum dicat absolute Confessarios super reservatos *nihil posse*. Adde: finis reservationis non est tantum, ut fideles a culpis gravioribus absterreantur; sed etiam ut recipiant a Superioribus pœnitentias, monita et remedia opportuniora, quæ non expedit dari, nisi a peritioribus. Et ideo cum in ignorantibus non cesset adæquate finis reservationis, nec ipsa reservatio cessat[1].

Si autem casui reservato sit adnexa censura, an tunc a reservatione incurrenda excusetur pœnitens, qui reservationem ignorat, affirmandum est, si casus sint papales (modo tamen duos excipias in quæstione secunda relatos); quia casus Papales principaliter reservantur propter censuram, in qua spectatur præcipue ratio pœnæ, quæ in contumaces tantum infligitur. Hinc in his casibus, reservata censura, etiam peccatum remanet reservatum: e contrario, sublata censura, v. g., eo quod ignorata fuit, nec est reservatum peccatum; quia sublato medio reservationis, id est censura, jam peccatum non remanet reservatum[2].

Negandum vero pro casibus, quos non quidem in jure Communi, sed sibi ipsi reservant Episcopi: quia in his principaliter et per se reservatur casus, eique superadditur censura ad hoc, ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccato absterreantur. Et ideo in tabella Casuum reservatorum ab Episcopo sic illi adnotari solent: *Casus reservati, quibus est adnexa excommunicatio*. Quare hisce in casibus, ex veriori sententia, corruente censura ob ignorantiam, non ideo corruit reservatio[1].

[1] Sess. XIV, c. VII. Neque obstat dicere: *Si reservatio non subsistit, cum adest dubium, multo minus debet subsistere cum adest ignorantia; nam ignorare minus est quam dubitare*. R. In casu nostro diversa res est; quando enim dicimus *ignorare*, supponimus pro certo adesse et a Confessario cognosci peccatum reservatum, sed tantum illud ignorari a pœnitente. Et contra quando ponimus *dubitare*, incertum est an revera adsit peccatum reservatum: unde hic minus est dubitare, quam ignorare.

[2] Ex cap. II, *De constit.*, in 6. Si quis autem sciens censuram ignorat illam esse reservatam, ab ea incurrenda non excusatur; quia is jam consentit in pœnam censuræ; adeoque implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus, licet ignoratos.



**115.** Ceterum hac in re videantur etiam uniuscujusque Diœcesis constitutiones. Ex Synodo Novariensi, ut peccatum sit reservatum, oportet: 1. ut sit externum; 2. ut sit mortale ex objecto, et completum in genere suo, nisi aliud exprimatur; 3. ut tanquam reservatum cognitum fuerit a pœnitente. Hodie tamen qui indigent Litteris Patentibus, nequeunt amplius a reservatis absolvere pœnitentes hac ratione quia ignoraverant reservationem: cum hæc exceptio in earum renovatione non amplius inveniatur (hæc igitur restrictio non tenet Parochos neque Coadjutores titulares neque illos, qui non indigent, vel non donantur hisce Litteris); 4. ut certum sit esse commissum ac subjici reservationi; 5. ut sit clare expressum; neque enim fit argumentatio de casu ad casum; 6. ut sit patratum a persona, quæ jam decimumquintum ætatis annum expleverit[2] (pag. 130, 315).

**116.** Q. 6. *Quinam a reservatis queunt absolvere?*

R. Generatim a reservatis possunt absolvere non tantum ipse reservans, ejusque Superior in jurisdictione spirituali, ac ille cui reservans, vel ejus Superior facultatem hanc delegaverit; sed etiam quilibet confessarius simplex (qui scilicet non

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 581. In Novariensi Diæcesi sunt quidem censuræ reservatæ per se, uti videre est in tractatu *De censuris*, in fine; at nullus est proprie dictus casus cum excommunicatione ei adnexa neque in Synodo neque extra, si excipias casum abortus fœtus animati, quem Episcopus sibi reservat, et cui Pontifex adnectit excommunicationem ipsi Episcopo reservatam; sed obtenta facultate absolvendi a tali casu, eo ipso est data facultas absolvendi a censura, ut habet Synodus.

[2] Qui confitetur post adeptam pubertatem peccatum in impubertate commissum, potest a quolibet Confessario absolvi, quia superveniens ætas non inducit in actionem præteritam illud gravitatis genus, quod plectere voluit superior. Ita Alasia pro iis Diœcesibus, in quibus ad reservationem pubertas requiritur. Hoc tamen negat Possevinus quia in absolutione reservatorum respicitur tempus quo datur absolutio, cum reservatio directe ipsum afficiat Confessarium. Ita etiam *Resolut. casuum* sub Prospero Lambertini, qui postea fuit Benedictus XIV.

obtinuerit a suo superiore facultatem absolvendi a dictis casibus reservatis), in hisce rerum adjunctis :

Et 1. confessarius simplex etsi non delegatus, etiam præsente superiore, potest omnes directe absolvere in articulo ac periculo mortis; in eo enim, dicente Tridentino, *nulla est reservatio, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt*. Unde si infirmus ab inferiori Sacerdote absolutus iterum convalescat, non amplius tenetur recurrere ad Superiorem, ut iterum absolvatur; cum tunc perinde se habeant peccata reservata, ac si reservata non essent. — Excipe si peccata illa habeant adnexam censuram : tunc si pœnitens convalescat, debet se præsentare Superiori; idque præcipitur in jure, non quidem ut iterum absolvatur, quia jam a censuris et peccatis absolutus fuit ; sed ut se ostendat absolutum, obedientem et paratum ad majorem pœnitentiam accipiendam, si Superiori videbitur : quod si pœnitens neglexerit, reincidit in censuram[1].

2. Confessarius simplex directe potest absolvere illum extradiœcesanum, qui ligatus sit peccatis in propria quidem Diœcesi reservatis, non autem reservatis in Diœcesi Confessarii. Reservatio enim directe afficit Confessarium, non pœnitentem : unde cum non sit ligata Confessarii jurisdictio, illa uti valet etiam in peregrinum ex universali consuetudine. Excipitur : — 1. ex Bulla *Superna* Clementis X, si pœnitens e sua in aliam migraret Diœcesim *in fraudem reservationis*, nempe (uti probabilius ac communius explicant Lugo, Roncaglia et Viva), si pœnitens eo unico fine principali proficiscatur, ut alibi facilius absolvatur, et proprii pastoris judicium aufugiat[2] : tunc elusoria redditur lex; — 2. cum eodem Roncaglia et Wigandt (contra alios) si casus cognoscatur innodatus censura reservata; nam censura directe afficit pœnitentem ut pœna, quæ ideo eum ubique comitatur : unde

[1] C. Eos qui *de sent. exc.*, in 7; et *Decr.* Greg., l. V, t. XXXIX, *De sent. exc.*, c. XIII.

Unde bene absolvi potest, si abcesserit ob aliquem honestum finem, v. g., negotii, Indulgentiæ lucrandæ; vel ut confiteatur cum minori incommodo; vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui suæ tranquillitati melius consulat, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 589.



simplex Confessarius non potest illum absolvere, cum in censuris reservatis nihil possit. Imo neque Episcopus qui non sit Ordinarius pœnitentis; quia Episcopi sunt independentes alii ab aliis, et unus non potest valide ingredi provinciam alterius quoad facultates et statuta propriæ Diœcesis.

3. Confessarius simplex potest absolvere pœnitentem illum, qui adire non potest Superiorem (neque per epistolam), vel alium qui hac facultate gaudet; si tamen causa urgeat, v. g., ut vitet scandalum vel infamiam, ut satisfaciat præcepto paschali, aut si alias diutius perseverare debeat in mortali. Ita communiter Castropalaus, Concina, Coninchius, Elbel, Layman, Salmanticenses, Suarez, Vasquez, Wigandt, Viva : et hoc quidem, quamvis peccatum sit reservatum cum excommunicatione. Sane cum Tridentinum dicat reservationem esse *in ædificationem, non in destructionem*, necessitatis casum merito præsumitur Superiorem excepisse : idque confirmat Benedictus XIV, ut refert Panzuti. — Quia tamen Tridentinum declaravit Confessarios simplices *extra articulum mortis nihil posse in reservatis;* ideo dicendum in hoc tertio casu absolutionem nonnisi *indirecte* tribui. Et proinde, cessante impedimento, teneri pœnitentem sic absolutum se præsentare Superiori, ut etiam directe absolvatur[1].

**117.** Hæc generatim loquendo : ad Novariensem enim Diœcesim quod attinet, facultas absolvendi ab omnibus casibus reservatis conceditur Vicariis, Pro-Vicariis foraneis; Parochis vero conceditur pro semper facultas absolvendi a casu posito sub n. 5 : pro ceteris casibus absque restrictione a Dominica *Passionis* usque ad Dominicam *In Albis*

[1] Sess. XIV, c. VII. *V.* Panzuti, *De pœnitentia*, n. 365. Tunc *indirecte* tribuitur absolutio, quando peccatum expresse non declaratur, vel si declaratur, in illud tamen Confessarius per se jurisdictionem non habet. Si pœnitens non habeat nisi reservata, nequit absolvi a supradicto confessario, nisi submittat clavibus Ecclesiæ peccatum aliquod saltem veniale vitæ præteritæ; secus nulla daretur Sacramenti materia. Est autem commune cum Gury, quod valide absolvitur qui bona fide accusat reservatum simplici confessario, aut illius sine culpa obliviscitur, si aliquod non reservatum peccatum clavibus subjiciat, quia confessarius non caret potestate in peccata non reservata, quamvis reservata directe absolvere nequeat. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 585.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inclusive : ab omnibus item casibus facultas conceditur die quo Congregatio habetur, pro iis nempe Parochis vel Coadjutoribus titularibus, qui ad Confessiones tunc temporis audiendas fuerint deputati a Vicario vel Pro-Vicario foraneo. Ceteris vero Confessariis hæc in reservatis facultas conceditur absque limitatione : — 1. erga ægrotantes in Nosocomiis; degentes in Gynæceis, Collegiis, Carceribus et Monasteriis (si ad Monasteria patentes Litteræ extendantur); — 2. erga infirmos, qui domo exire nequeunt judicio prudentum; — 3. erga sponsos qui intra hebdomadam inituri sunt matrimonium; — 4. erga eos, qui aliunde bene dispositi, absque scandali aut gravis probri periculo absolutione privari nequeunt judicio prudentis Confessarii; — 5. erga eos, qui inculpate alicujus peccati reservati in Confessione obliti fuerint : vel bona fide illud confessi sint Sacerdoti, qui reservationem minime advertens eosdem sine facultate imprudenter absolverit; — 6. *erga eos, qui non minorem quinquennio confessionem emittunt ex quadam utilitatis vel necessitatis ratione : non vero eo tantum fine, ut a reservatis absolvantur*; — 7. *erga eos, qui tempore admissi criminis reservationem non affectate ignoraverint* (attamen qui facultatem confessiones excipiendi habent tantum per Litteras Patentes quæ confessariis tribui solent, nequeunt amplius eos absolvere qui quinquennalem confessionem omittunt, vel reservationem ignorarunt; cum numeri 6 et 7 expuncti fuerint in illarum Litterarum renovatione jam ab anno 1843); — 8. erga illos, de quorum culpa Confessarius dubitat, num in reservatione comprehendatur; — 9. erga illos, qui confitentur tempore quadraginta Horarum, vel Missionis aut Exercitiorum Spiritualium octo saltem dies perdurantium, et intra illius Parœciæ fines : vel demum occurrentibus Festis Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis, et eorum pervigiliis [1].

In Encyclica autem *Quanta nos* 23 sept. 1833 (præfixa Kalendario anni 1834) hæc insuper notantur :

1. Facultates Parochis concessæ quoad casus in Synodo reservatos extenduntur etiam ad Coadjutores titulares, ad Pro-Parochos et Vice-Coadjutores Ecclesiarium vacantium : et quidem ad totum tempus Paschale, etiamsi hoc fuerit a Superiore anticipatum vel ampliatum : quæ ampliatio etiam Parochis intelligitur data.

2. Facultas concessa pro Nosocomiis extenditur etiam in favore omnium Communitatum, quæ a Superiore vel Superioribus determinatis reguntur, dummodo tamen in earum Oratoriis vel ædibus confessione excipiantur.

[1] Pag. 37 et 131. — Si facultas alicui conceditur a reservatis absolvendi, hodie ab Episcopo Novariensi fere semper excipiuntur casus 5 et 10.



3. Confessarii, licet semel tantum delegati ad absolvendum a reservatis sive casibus sive censuris, absolvere possunt pœnitentem, qui in eumdem casum vel censuram relapsus sit, ipsa jam obtenta delegatione (non tamen exercita); et quamvis in petitione certus numerus fuerit expressus culparum aut censurarum. Item cessat reservatio, si absque nullius sibi propositæ fraudis vitio confessionem integram fecerit pœnitens Confessario opportunis facultatibus prædito, ab eoque absolvatur; tametsi confessio illius culpa, ex quovis alio capite, invalida sit.

4. Hebdomada, qua licet sponsos absolvere a reservatis, complectitur spatium dierum septem supputando a die confessionis inclusive.

5. Nomine Dedicationis ac Titularium Ecclesiæ parochialis intelliguntur tantum Festa et anniversaria Dedicationis propriæ Ecclesiæ parochialis, ac titularis principalis Parœciæ : ac propterea hæc facultas non amplectitur omnes Dedicationes, quæ in quibusdam locis celebrantur; neque omnes Titulares, ubi plures coluntur. Quoties vero hæc Festa occurrunt feria secunda, facultas vigebit etiam sabbato et dominica præcedentibus.

**118.** *An pœnitens* (quæres) *confessus Superiori vel delegato a Superiore, si inculpate obliviscitur reservati possit postea de illo peccato a quovis Confessario directe absolvi, illud ei declarando?* Communissime affirmant cum Lugo et Sanchez; nam præsumitur, quod habens facultatem in reservata velit pœnitentem recte dispositum liberare ab omni vinculo peccatorum pro ejus posse; idque videtur confirmari illis verbis quæ absolutioni præmittuntur : *In quantum possum et tu indiges*, etc. Licet hæc sententia videatur probabilis, probabiliorem tamen censemus sententiam Sylvii, Navarri, Bonacinæ et aliorum plurium, qui negant; ratio valde urgens est, quia ad auferendam reservationem requiritur, ut non tantum peccatum subjiciatur judicio superioris, ita ut absterreantur pœnitentes; sed etiam ut convenientem ab eo medicinam ac pœnitentiam recipiant : excipe 1. cum Concina, si aliquibus indiciis rite præsumi possit, voluisse superiorem auferre omnem reservationem, v. g., si expresserit se velle pœnitentem liberare a quocumque tandem detineatur vinculo; 2. cum Suarez si pœnitens ad hunc finem adierit superiorem vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit; 3. si pœ-

nitens confessus sit in Jubilæo; quia tunc pœnitens habet, ut possit absolvi a quocumque Confessario.

**119**. *An* (addes) *tollatur reservatio per Confessionem nullam factam Superiori, vel delegato a Superiore, in qua tamen declaratum fuit peccatum reservatum?* Si confessio pœnitentis est inculpabiliter nulla, uti si inculpabiliter erretur in absolutione, tunc tollitur reservatio ex communi ac probabiliori sententia; nam ex una parte Superior intendit actualiter et absolute pœnitentem liberare tam a peccato, quam a reservatione; ex alia pœnitens subjecit Superiori peccatum, et ab eo pœnitentiam recepit. Excipe casum Jubilæi, quia tunc ad auferendam reservationem positive requiritur Confessio valida.

Si vero confessio sit culpabiliter nulla seu sacrilega, negant alii valde probabiliter cum Concina et Roncaglia reservationem tolli; neque enim præsumendus superior velle ut pœnitens ex sua iniquitate commodum reportet, id est a reservatione liberetur. Alii vero cum Suarez, Viva, etc., adhuc tolli reservationem communius et non improbabiliter affirmant; quia aliud est finis confessionis, qui est remittere peccatum; alius est finis principalis et directus reservationis, qui est subjicere peccatum Superiori vel delegato, ad pœnitentiam et redargutionem; qui si ex voluntate interpretativa nollent, tamen voluntate actuali jam reservationem auferunt. Excipe 1. si pœnitens non habeat animum vitandi reservatum, vel ejus pœnitentiam implendi; tunc nimis directe faceret contra ipsam reservationem; 2. si agatur de Jubilæo, quia facultas absolvendi reservata tunc conceditur ad finem, ut fideles Jubilæum lucrentur; non autem lucrarentur, si confessio esset sacrilega [1].

**120**. *Quomodo* (dices) *se gerere debet Confessarius audiens reservatum, si absolvendi careat facultate, nec casus urgeat?* Confessarius iste, statim audito peccato reservato, quin ultra pœnitentem audiat, ipsum mittat ad facultatem habentem;

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 598. Ideo si ob sacrilegium non remittatur peccatum, tollitur utique reservatio : est autem per accidens quod hoc commodum reportet pœnitens.



neque se debet offerre ad licentiam postulandam, ne finis reservationis destruatur, qui est tum ut difficultate absolutionis retrahantur homines a gravioribus peccatis, tum ut graviores morbi a peritioribus medicis curentur. Excipe nisi aliter suadeat charitas, ut ipse veniam petat a superiore : quo in casu reliqua audiat peccata ac implebit Confessionem, tum ut congrua remedia præscribat, tum ut videat, an alia habeat peccata reservata. Dein eum absolvendi facultatem sibi a Superiore comparabit : qua obtenta, Confessarius non utatur, quin prius pœnitenti patrati sceleris gravitatem ostendat et salutarem satisfactionem eidem imponat [1] (*T*).

**121**. *An* (inquires) *peregrinus peccans in aliena Diœcesi, ubi casus est reservatus cum censura, utramque incurrat?* Erit iste ligatus reservatione tantum, si ibi velit confiteri; cum reservatio afficiat Confessarium. Quoad censuram adnexam non videtur per se loquendo eam incurrere; quia censura non potest ferri, nisi in subditos; et peregrini etsi constituantur subditi ratione Confessionis, non tamen tales constituuntur ratione censuræ incurrendæ [2].

**122**. Q. 7. *Quid de Confessario complicem suum absolvente?*

R. Absolvere complicem extra luxuriæ materiam non est invalidum, si adsint omnia requisita, nempe verus dolor in pœnitente et jurisdictio in Confessario; siquidem nulla est lex prohibens : imo neque illicitum, si absit omnis periculosa occasio. Diximus *extra luxuriæ materiam;* nam Benedictus XIV, Constitutione *Sacramentum*, declaravit Confessarium carere jurisdictione ad absolvendum complicem suum (sive masculum sive feminam) in peccato contra sextum Decalogi præceptum; eumque incurrere ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, si illius *confessionem excipere audeat et ipsum absolvere, excepto articulo mortis, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, licet simplici* (verba sunt Pontificis).

Attamen Pontifex, ut conscientiarum tranquillitati consu-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 591. *Praxis*, n. 80.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 584.

leret, ita hæc per subsequentem Constitutionem *Apostolici muneris* temperavit, ut tunc quoque alius Sacerdos deesse censetur, cum adest quidem; sed vocari nequit sine scandalo aut infamia. Quod si quis hoc incommodo non urgente, vel eo quidem urgente, sed de industria non antea impedito, *opportuna scilicet adhibendo media, unde fiat ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque nullius infamia vel scandalo audiendæ*, complex in articulo mortis absolvere audeat, valide quidem absolvat, ne quis illius culpa pereat; pœnam tamen incurrat in priori Constitutione statutam.

Nomine autem peccati turpis huc venit omne peccatum *externum*, *grave*, *certum* et *formale* contra sextum Decalogi præceptum, uti habet Benedictina Constitutio : — 1. *externum;* quia ad reservationem inducendam non sufficit sola culpa interior etiam gravis; — 2. *grave*, quia hic non comprehenduntur peccata inhonestatis venialia, sive talia sint ex parvitate materiæ, sive ex defectu advertentiæ aut consensus; cum nulla sit obligatio manifestandi venialia. Attamen sufficit, si sit solus obscenus tactus vel obscenum colloquium, modo ad mortale attingat (uti tenemus cum Griffinio, Giannardinio, Staidellio et pluribus doctis contra Amort, Ithurriaga et Scarpazza); tum quia verba generalia generaliter accipienda sunt; tum quia leges etiam pœnales sunt in sensu proprio et naturali interpretandæ. Porro hæc verba Bullæ : *In peccato turpi atque inhonesto contra sextum præceptum* in sensu naturali quæcumque peccata turpia sine dubio comprehendunt; — 3. *certum*, quia juxta communem sententiam non censentur Superiores reservare peccata dubia, nisi expresse declarent. — 4. *formale*, id est ut ex utraque parte complicitas sit mortalis et externata : unde non haberetur ista externa complicitas, puta si quis vi turpiter Confessarium tetigerit renuentem, esto forsan quod hic interne consenserit. Nihil tamen refert, si Confessarius uti complex non sit in Confessione a pœnitente cognitus, si verificetur se complicem vere esse, et Confessarius illum talem esse sciat, et audeat absolvere.

Hic autem notamus, quod si complex de peccato turpi



fuit jampridem ab alio Confessario valide absolutus, et illud nunc iterum confiteatur Confessario complici uti materiam sufficientem, sed non necessariam, absolutio valet, si aliunde cetera necessaria non desint; cessat enim omnino in hoc casu indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur jurisdictionem Confessario abstulisse [1].—Si vero nondum fuerit de eo peccato valide absolutus, absolutio certe irrita est etiam quoad alia peccata; cum aut omnia aut nullum remittat oportet. Idque inferimus ex Bulla : *Atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino est* (*U*).

### Corollarium. — *De Monialium Confessario.*

**123.** Q. *Quid notandum circa Confessarium Monialium?*

R. Hæc præcipue notanda : — 1. omnes Confessarii, ut valide Moniales confiteantur, indigent speciali electione et approbatione Episcopi loci, etiam pro Confessione venialium : ita S. C. C. Si vero agatur de Monialibus exemptis, tunc Confessarii præsentantur a propriis Superioribus, sed adhuc debent ab Episcopo de necessitate approbari; et approbatus pro Monialibus unius Monasterii non censetur approbatus pro Monialibus alterius Monasterii. Ita Bulla Gregorii XV *Inscrutabili* anno 1623, Clementis X, *Superna* 1670, Benedicti XIII *Pastoralis* 1726, tandem Benedicti XIV *Pastoralis curæ* 5 aug. 1748, quia omnia in hac re constituta de veris monialibus cum clausura, vult esse intelligenda etiam de illis qui clausuram non habent, itemque de omnibus mulierum puellarumque communitatibus; — 2. generatim unus duntaxat pro singulis monasteriis confessarius deputandus, in quo sit ætatis maturitas, morum integritas et prudentiæ lumen [2]. Post autem elap-

[1] Verum, si quis pudor maneat in Sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit etsi jam remissum, si quis honor Sacramento debitus, nunquam in posterum complicis Confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis pœnitentis facile subire potest. Avertendi igitur sunt fideles quoad fieri potest, ne unquam in posterum, secluso necessitatis casu, illum adeant Confessarium, a quo semel sollicitati fuerint. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. IX, c. XIV. — Gousset, *Théol. Mor.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 553. — Ferraris, v° *Confessarius.*

[2] Ex pluribus decretis S. C. C. nequeunt deputari Vicarii generales, quia moniales de ipsis non confiderent; neque Pœnitentiarii, Parochi aut Regulares, nisi Episcopi justis de causis expedire censuerint, nec eorum of-

sum triennium ab officio suspenditur, nisi confirmationem obtinuerit a Congregatione Episcoporum et Regularium, ut declaravit S. C. C. 4 maii 1696. Advertunt tamen non pauci posse Episcopos sinere, ut ultra triennium in munere adhuc perduret, si Sacerdotibus idonei deficiant; — 3. bis vel ter in anno assignentur Confessarii extraordinarii; et Moniales omnes teneantur ad extraordinarios accedere vel pro confessione facienda, vel pro accipiendis salutaribus monitis, ut etiam Tridentinum ait [1]. Insuper Monialibus facultatem fecit ad Pœnitentiarium recurrendi, si extraordinarios Episcopus non adsignet. Monet quoque, ut episcopus in hac ipsa re se facilem exhibeat, si Monialis aliqua extraordinarium petat. Est etiam concedendus a superiori extraordinarius moniali quæ illum expostulat, si graviter ægrotet; si experiatur ingentem repugnantiam in confitendo confessario ordinario; si tandem adsit vera ratio spiritualis consolationis et profectus; — 4. quo tempore extraordinarius officio suo fungitur, *confessor Ordinarius* (ait Benedictus XIV confirmando plures Synodales constitutiones et edictum Clementis XI) *nullum ipsi impedimentum afferre audeat multoque minus præsumat per id temporis alicujus monialis sive superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, neque demum alterius cujuscumque personæ intra septa monasterii aut piæ domus commorantis sacramentalem confessionem audire;* et episcopi invigilare debent contravenientes pœnis coercendo. Attamen et ipse extraordinarius, semel officio suo impleto, ulterius ad monasterium accedere non debet, neque sub ullo prætextu commercium continuare, sub pœnis latis in clausuram violantes; — 5. confessionalia debent amoveri a locis occultis: et ita constitui, ut evitetur omnis aspectus Confessarii et Monialis. Ita iterum S. Concilii Congregatio (*V*).

Hic etiam præ oculis habendum, quod præscribit Conventus Episcoporum Vercellensis 18 nov. 1849: *Quum nonnullæ ex Monialibus quæ in stricta clausura non degunt extra Monasterium aut puellarum scholis, aut infirmorum in nosocomiis servitio incumbant, quocumque illæ nomine donentur Monialium, aut Sororum, decernunt Præsules neminem Confessariorum, etsi sit in Diœcesi probatus, ipsorum confessiones excipere debere, nisi ad id fuerit speciatim ab Episcopo deputatus.*

ficia detrimentum caperent. — *V.* Bouix, *De jure regularium*, pars V, sec. V, c. II. — Ferraris, v° *Monialis approbatio*, art. 3. *Capellanus Monialium, Confessarius*, art. 4.

[1] Sess. XXV, c. X, *De regul.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 576, 602.



## Art. III. — De Confessarii dotibus et officiis.

**124.** Q. *Quænam sunt dotes Confessarii?*

R. Omnes Confessarii dotes eo respiciunt, ut recte exerceat quadruplex munus quo præditus est, nempe patris, medici, doctoris et judicis. Pater est Confessarius; sit ergo charitate plenus, ut animos erigat pœnitentium. Medicus est; malis ergo congruo remedio occurrat, ne contingat inopportune mederi. Doctor est; custodiat ergo scientiam ac prudentia et exemplo præfulgeat, ne cæcus cæcis ducatum præstet. Judex est; causæ igitur momenta fideliter cognoscat et fortis sit, ut jus legitimum dicat. Huc etiam venit modus, tempus, locus atque habitus, quo Confessarius debet Confessiones excipere, ut rite suo munere fungatur [1]: qua in re habet S. R. C. 29 aug. 1628: *Potest episcopus cogere sacerdotes sæculares, ut audiant confessiones cum cotta et stola* (violacea), *et regulares cum stola tantum.* Nunc de præcipuis hisce versiculis comprehensis (*X*).

*Sit pius et fortis, patiens et amore repletus,*
*Sit doctus Confessor, prudens atque fidelis.*

### § I. — De pietate, fortitudide, patientia, charitate et scientia.

**125.** Q. 1. *Quid de Confessarii pietate?*

R. Confessarii pietatem sic describit D. Carolus (*Instru-*

[1] *V.* Synodus Novariensis ubi hæc omnia traduntur, pag. 119 et 120. — Audisio, *Lezioni di eloquenza*, par. II[a], lez. XIV. Hic duo notamus cum Careno (Esame XVII): « 1° On doit entendre les confessions (quoad potest) non debout, mais assis, parce qu'il est de la dignité du ministre de Jésus-Christ de siéger et non de se tenir debout (Conc. Prov., VI, c. VII); 2° il faut réfléchir sur l'inconvénient qu'il y aurait à entendre les confessions dans une pièce éloignée de l'habitation curiale, parce qu'il peut n'y avoir pas toujours en cela sécurité parfaite pour le confesseur, surtout s'il s'agit de pénitents étrangers ou d'une conduite suspecte : on a vu des cas où cela était dangereux. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ctione Confessariorum) : Confessarius ita sancte vivere studeat, ut pœnitentes non verbis solum, sed exemplis quoque ad virtutum officia erudire possit, neque ejus dicta a factis ullo modo dissentiant.* Hoc necessarium est tum ad Dei gloriam promovendam; tum ad se ipsum a peccatorum occasione custodiendum; tum ad proximos utiliter dirigendos. *Habeantur boni Confessarii* (ad rem aiebat Pius V), *et cito habebitur omnium Christianorum omnimoda reformatio.*

Cum vero dicimus Confessarii pietatem, non intelligimus solam habitualem et negativam, quæ consistit in nihil mali peragendo, vel in simplici statu gratiæ (sine qua tot gravia peccata confessarius patraret, quot pœnitentes absolveret); sed vere positivam, quæ consistit in agendo bono positive et ex animo, ut sic fideles sibi persuasum habeant se tutam sequi viam, cum eam et sequantur eorum Directores. *Has tamen partes*, ait Alphonsus noster, *nunquam assequetur Confessarius ille, cui oratio non est perfamiliaris, et meditatio quotidiana; etenim alia via lucem et gratias huic tanto numeri... necessarias obtinere nemo potest.* Studeat præsertim, ut devotionem erga Sanctissimum Christi Cor in se et pœnitentibus foveat; sic enim expresse allocutus est Christus ipse venerabilem Alacoque : *Quicumque cor meum coluerint et late colendum curaverint mira potientur arte ipsorum peccatorum corda vel durissima emolliendi*[1].

**126.** Q. 2. *Quid de Confessarii fortitudine, patientia ac charitate?*

R. ad 1. : Confessarii fortitudo in eo consistit, ut ipse, abjecto et conculcato quolibet humano respectu, dicat cuicumque pœnitenti, si opus est etiam Regi, cum Præcursore : *non licet tibi*, memor quod agit causam Dei et animarum. Unde docent unanimiter, si nolit a fortitudine excidere Confessarius, ne plausus sibi nobilium et matronarum exquirat; ne existimationem in populo, aut pœnitentium copiam atque frequentiam appetat; ne munera a pœnitentibus sibi oblata recipiat, quia *munera excæcant oculos sapientum*[2].

R. ad 2. : Patientia est Confessario necessaria, et maxime

[1] De devotione SS. Cordis Jesu et Mariæ mira Galliffet, Doureville, Baudrand, Liguori, Borgo, Fumel. It. Opus *Sui SS. Cuori di Gesù e Maria.* Roma, 1849. It. Franco, *Della divozione al Cuore Santissimo di Gesù, e delle sue eccellenze.* Torino; Speirani, 1860. — *V.* Stapf, § 505.

Deuter. xiv. — *V.* Careno, *Delle regole*, ecc. Es. xvi.



cum quibusdam fastidiosis pœnitentibus, timidis, scrupulosis, rudibus, inurbanis, in narratione prolixis et recidivis, si eos lucrari velit. Impatiens omnia præcipitat, animabus est offendiculo, et exercite ostendit potius velle ab officio se liberare, quam illud recte implere. Hinc illud : *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam*[1]! E contrario qui patienter audit ac sustinet, dominatur sibi, nullo fastidio movetur ac salutare opus perficit, adeo verum est, quod *patientia opus perfectum habet*[2].

R. ad 3. : Confessarius viscera charitatis induet, si meminerit cujus vices gerit; vocat enim D. Ambrosius Confessarios *vicarios amoris Christi*. 1. Igitur Confessarius charitatem magnam præ se ferat in omnes benigne excipiendo sive pauperes sive divites; siquidem nulla apud Deum est acceptio personarum[3]; — 2. majorem charitatem ostendat in pœnitentem audiendo : caveat, ne se exhibeat impatientem, aut appareat admiratione percelli de peccatis quæ narrantur. Unde Apostolus : *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans teipsum, ne et tu tenteris*[4]; — 3. maximam habeat charitatem in bene disponendo pœnitentem, efficiendo ut percipiat gravitatem peccatorum, ac miseriam sui status : « J'ai vraiment horreur, aiebat S. Alphonsus[5], de la conduite de certains confesseurs qui, sans chercher à éclairer ou à émouvoir leur pénitent, le chassent impitoyablement avec ce mot : *Je ne puis vous absoudre*. N'est-ce pas comme si l'on disait à un aveugle : *Marche et tombe dans le précipice?* » — 4. studium impensæ charitatis huc demum insumat, in adjuvando (si necesse sit) pœnitentem ad doloris actum efformandum. Et si dispositus sit, opportunis correctionibus adhibitis, remediis suppeditatis, ac data congruenti satisfactione, eum absolvat. Quod si sit differenda absolutio,

[1] Eccl. ii. *V.* Stapf, § 622. Unde aiebat expertus quidam : « Ceux qui veulent obtenir vingt-cinq degrés de science et cinquante de prudence, doivent en demander cent de patience.

[2] Jac. i. — *V.* Liguori, *Praxis Confessariorum.*

[3] Deuter. i. — [4] Gal. vi.

[5] *V.* Tannoja, in ejus *Vita*, l. III, c. xxx. — Liguori, *Praxis Confessar.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eum dulcibus verbis dimittat assignans diem, quo regredi debeat[1] (*Y*).

127. Q. 3. *An in Confessario requiratur scientia?*

R. Ut Confessarius recte ac utiliter ministerium suum exerceat, requiritur in eo scientia; si enim est judex, oportet ut cognoscat quousque ejus extendatur potestas; si medicus, diversas infirmitates, atque remediorum species scire debet; si doctor, quæ danda consilia; si minister, quomodo honor ac valor Sacramenti curandus. Graviter ergo peccant et in statu damnationis sunt tum illi Confessarii, qui sine sufficienti scientia huic ministerio se ingerunt; tum illi Superiores, qui tales Confessarios sine necessitate constituunt vel tolerant: contra utrosque sic merito exclamatur: *Væ vobis duces cæci*[2]!

Qua in re toto errant cœlo qui non erubescunt asserere, quod pro addiscenda Theologia Morali sufficiat vel tenere principia generalia, vel percurrere aliquam summulam ex tot iis, quæ in tantæ facultatis dedecus et præjudicium circumferuntur. Nemo ignorat Moralem Theologiam et valde necessariam esse Reipublicæ christianæ, cum ab ea pendeat bonum regimen animarum; et esse valde extensam ac difficilem, tum quia respicit notitiam saltem generalem aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas materias complectitur; tum quia magna ex parte constat tot legibus positivis, quæ sine gravi studio addisci nequeunt; tum demum quia innumeræ contingunt casuum circumstantiæ, ex quibus resolutionum pendet variatio, nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia.

Ex quo patet hoc studium nunquam intermitti debere; cum ex tot rebus inter se disparibus constet, multa quamvis memoriæ commissa, quia rarius contingunt, temporis progressu facile e mente dilabuntur: *Et tale est ingenium nostrum, ut*

[1] « Hæc est via (concludit S. Alphonsus), qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest charitate. Alioquin si ipsi in Confessarium incident qui cum eis inclementer agat, a Confessione horrebunt, confiteri negligent et effrenate in perditionem ibunt. » *Op. Mor.*, l. VI, n. 608; *Praxis*, nn. 3 et seqq.

[2] Matth. XXIII. *V*. Benedictus XIV, *Notificatione* XXXII. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 627. *Praxis Confessar.*, n. 17.



*torpescat, si usus destituerit lectionis*, ait Augustinus[1]. Hanc autem necessariam scientiam usus et experientia non supplent, sed juvant tantummodo.

*Sed* (inquires) *quantanam requiritur in Confessario scientia?*

R. *Optandum sane esset* (ait Encyclica *Apostolica constitutio* Benedictus XIV), *ut quilibet confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellant; verum cum hæc dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus*. Erit autem ista scientia competens in Confessario, si prudens judicium ipse ferre possit in hoc foro; *judiciaria enim potestas hoc exigit, ut quod debet judicare, discernat*[2]. Debet ergo scire: 1. quæ peccata mortalia et venialia saltem ex genere suo: et species et circumstantias peccatorum necessario explicandas; 2. quæ spectant ad restitutionem bonorum spiritualium, et temporalium; 3. casus reservatos: item excommunicationes, censuras et irregularitates saltem communiores; 4. matrimonii impedimenta et communes statuum obligationes; 5. quæ in pœnitente dispositiones, et quæ remedia peccatis opportuna.

Ceterum pro praxi speciatim animadvertere juvat: — 1. sufficit, si Confessarius prædictas res ita mediocriter sciat, ut saltem bene intelligat quæ frequentius contingunt (quæ tamen pauca non sunt), et de aliis sciat dubitare; nam per dubitationem suspendit judicium et veritatem inquirit: *Scientia summa non requiritur* (inquit Lacroix): *Imo per accidens sæpe est minus utilis, quam mediocris conjuncta cum naturali judicio et praxi. Qui enim ita subtiliter omnia vo-*

[1] *Quæst.* CXX, *ex utroq. mix.* Quod quidem si valet de studiosis et ætate provectis, quid erit de illis qui dum viget ætas, dum nondum canis spargitur caput, antequam subeant morbi tristisque senectus, occupationes fastidiunt, novis semper solatiis student, studiosos vexant, perturbant, ut ignaviæ socios habeant; vel ita leviter doctrinæ attendant, ut vix uno vel altero die permaneant in iis quæ didicerunt, quasi nempe agatur scientia supervacanea, ad nostram populorumque salutem minime conducente? — *V*. Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, nn. 96 et seqq.

[2] Cap. I, *De pœnit.*, d. 6, § 3. — *V*. Liguori, *Operette varie*: domande che possono farsi ai Sacerdoti che vogliono prendere la Confessione: vid. App. III, in fine hujusce voluminis.

*sunt revocare ad apices theologicos, sæpe seipsos et alios implicant scrupulis aliisque difficultatibus;* — 2. non semper eadem scientia in omnibus requiritur; sed major vel minor pro diversitate locorum et pœnitentium : sic major requiritur pro audiendis Confessionibus in urbe, quam in pagis : major pro audiendis Episcopis, Sacerdotibus et Clericis, quam laicis et agricolis; — 3. in dubiis magis implicatis non solum sunt consulendi alii viri docti et majoris experientiæ, debita venia; sed maxime Episcopus est audiendus, si tempus suppetat, ut securius procedatur.

**128.** *An* (quæres) *præter scientiam Theologiæ moralis necessaria sit scientia Theologiæ asceticæ ac mysticæ?* — R. *Asceticæ* nomine hic intelligimus illam Theologiæ partem sane præstantem, quæ regulas suppeditat perducendi animas ad perfectionem per vias ordinarias : quæ quidem non in sola extirpatione vitiorum, sed etiam in virtutum exercitio consistunt. Nomine vero Theologiæ *mysticæ* intelligimus scientiam, quæ de spirituali contemplatione agit, quæ nempe dirigit pœnitentes circa dona supernaturalia, extraordinaria ac quasi mysteriosa (ex quo nomen *mysticæ*), quibus aliquando a Deo donantur animæ nonnullæ.

Hoc posito, dicimus :

1. Non est dubitandum, quod Confessarius *asceticam* callere debeat : si enim est *medicus*, non solum debet cognoscere remedia pro sanandis morbis, sed etiam artes, quibus salus recuperata conservetur; si *pater*, non solum debet a filiis omne præjudicium removere, sed etiam omne bonum iisdem procurare. Hæc autem non consequetur; nisi aliquam etiam asceticæ scientiam habuerit : gravissimam sane daturus erit rationem Confessarius, qui animas sublimioris virtutis capaces negligit.

2. Quod pertinet ad *mysticam* sunt qui illam ejusdemque tractatores, licet doctissimos, rident passim, aliquo modo accedentes ad Protestantes inter quos vix credibile est quot injuriis mysticam ac mysticos prosecutus sit Moshemius, ut refert Bergier. Verum nedum spernenda, imo tanquam utilis et necessaria hæc scientia habenda est; nam cum dentur animæ illis mysteriosis donis a Deo donatæ, requiritur in Confessario (aliquis saltem) circa eadem scientia, ut erga pœnitentes suos etiam in his magistri doctoris et patris officio fungatur (Z).

**129.** Q. 4. *An aliquando excusetur Confessarius minus idoneus?*



R. Excusatur Confessarius minus idoneus, si tamen satis idoneus, et adsit necessitas, quando nempe pœnitens aliter carere diu deberet Confessione, uti contingere solet in parvis oppidis, in triremibus, etc. Tunc est commune, quod si haberi nequeunt Sacerdotes valde docti, possunt deputari etiam minus docti, modo semper admoneantur de gravissima obligatione, qua tenentur, assidue studendi.

*Quid de Confessione acta penes Confessarium ignarum?* Vel bona fide eam egit pœnitens, si nempe nesciebat talem esse Confessarium : vel fide mala, si scienter ad Confessarium ignarum accessit. Si 1. Confessio probabilissime valida est, quia defectus scientiæ non tollit jurisdictionem, et vix contingere posse videtur, ut absolutio nulla sit hujus defectu; nam supposita materia legitima ac jurisdictione, aiunt communiter ex parte ministri satis esse quoad validitatem, ut peccata sub generali notione offensæ Dei cognoscat. Attamen si agatur de difficili aliquo casu, ut securius incedat pœnitens, præstat ut illum docto iterum manifestet. Si 2, pœnitens mortaliter peccat ac sacrilegus efficitur; quia scienter cooperatur peccato Confessarii, et malæ administrationi Sacramenti[1].

## § II. — De Confessarii prudentia.

**130.** Q. 1. *An prudentia Confessario necessaria sit?*

R. Prudentia aliarum virtutum oculus est, quatenus omnes illuminat, dirigit ac perficit. Hanc Confessariis necessariam esse satis declarat Lateranense IV : *Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere*[2]. Confessarius autem prudentia maxime indiget in opiniones eligendo, in pœnitentem disponendo, corrigendo,

[1] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 626; et nn. 499 et 500.
[2] *Decr.* Greg., l. V, t. XXXVIII, *De pœn. et remiss.*, c. XII, *omnis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

docendo ac interrogando, habita ratione indolis, status ac conditionis ipsius pœnitentis (*AA*).

**131**. *An* (quæres) *melius sit Confessario uti sententiis rigidioribus, an benignioribus?* R. Si pœnitens ostendat se paratum ad sequendum quod est tutius, per se loquendo, tenetur Confessarius eum dirigere juxta sententias tutiores, etsi rigidiores appareant; cum id sit majoris perfectionis et meriti. Dicimus *per se loquendo;* quia aliquando nedum id sit tutius, imo contingit esse pluribus pœnitentibus periculosius, quia supra modum gravati exterrefiunt totum pondus projiciendo : idcirco ad prudentiam Confessarii spectabit id attente perpendere.

Quod si non ita pœnitens paratum se sentiat, tunc ad sententias benigniores recurrere debet Confessarius [1], cum hac advertentia : ut caute inter sententias benigniores distinguantur illæ, quæ et speculative et in praxi vere probabiles sunt et pœnitentem inducunt ad vitandum peccatum, ab illis quæ licet speculative videantur probabiles; tamen in praxi sunt valde periculosæ, et pœnitentem potius inducunt ad peccatum, uti sunt in materia contra sextum quædam opiniones de tactibus et osculis, quædam affectiunculæ cor nimium occupantes, item aliæ in materia simoniæ atque justitiæ. Has Confessarius non debet sustinere in suo pœnitente, cum ad peccatum trahant; illas vero permittere, cum in illis sententiis nullum inveniatur periculum : nam homines ordinarie suavitate magis, quam severitate devinciuntur [2]. En quo sensu benignum potius volumus Confessarium.

**132**. Q. 2. *An Confessarius debeat pœnitentem ignorantem monere?*

R. Vel pœnitens obligationes suas ignorat ex ignorantia vincibili et mortaliter culpabili; vel ex ignorantia invincibili et inculpabili. Si 1, Confessarius tenetur eum admonere : alias nec Sacramento, nec pœnitenti consuleret, cum hic sit plane indispositus. Si 2, adhuc obligatio viget correctionis casu,

[1] Etiam in dubio, an pœnitens sit paratus ad rigidiora, benigne agendum. Hinc Tridentinum (sess. XIII, c. I, de R.) : *Sæpe plus erga corrigendos agit benevolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus charitas, quam potestas.*

[2] *V.* Binet, *Quel est le meilleur gouvernement?* Hunc italice eleganter reddidit P. Bresciani e S. J. — It. Opus a Pio VI commendatum, *La lega della Teologia moderna colla Filosofia ai danni della Chiesa di Gesù Cristo svelata*, ecc. Novara, tipog. Miglio, 1831, p. 41 et seqq. — *V.* Liguori, *Praxis*, n. 114; *Op. Mor.*, l. VI, n. 605.



quo fructus speretur; tenetur enim Confessarius bono sui pœnitentis consulere ipsum de suis omnibus obligationibus instruendo; cum etiam sit doctor.

Quod si ex monitione fructus certo non speretur, communis ac vera sententia (quam tuentur Anacletus, Antoine, Coninchius, Habert, Lugo, Palaus, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Suarez aliique innumeri contra paucos) docet Confessarium per se loquendo teneri monitionem omittere et pœnitentem relinquere in sua bona fide. *Mallem aliquando*, inquit S. Bernardus, *tacuisse et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem* [1]. Ipsa ratio clamat de duobus malis minus esse permittendum, ut evitetur majus : imo in nostro casu non permitteretur malum formale, sed materiale tantum, quod proprie malum non est, neque Deum offendit. Hinc si Confessarius noverit pœnitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiæ, scandali, aut incontinentiæ si nullitatem manifestet, debet illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio. Item omittenda est monitio de restitutione facienda, si Confessarius prævideat quod pœnitens qui est in bona fide, non parebit.

Diximus *si fructus certo non speretur;* si enim dubium est an monitio sit profutura, necne, Confessarius debet pensare gradum timoris et spei, et eligere quod judicat præponderare, Dubio autem perseverante, monitio videtur omittenda, nam mala formalia potius evitanda sunt, quam materialia [2].

Diximus *per se loquendo;* nam monitio facienda est a confessario, etsi non speretur fructus :

1. Quando ea omissa, damnum redundaret in bonum com-

[1] Serm. XLII, *In Cantica*. Et quamvis ipse Confessarius sit doctor; non ideo tamen semper veritatem aperire debet, sed, ut loquitur Angelicus (2, 2, q. 43, a. 7), *secundum congruentiam temporis et personarum*. Et sic respondetur illis qui assertionem nostram dumtaxat extra Confessionem admittunt. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 610; *Praxis*, n. 8.

[2] Ipse Concina de correctione fraterna docet in dubio, an profutura sit an nocitura, eam omitti debere; quia dubius imprudenter operationi morali manum admoveret.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mune; quia bonum publicum semper præferendum est bono privato. Nec obstat quod hic et nunc inutiliter fieri videatur: nam talis pœnitens, cum videat se a nemine absolvi, emendabitur aliquando. Hinc omnino monendi Principes, Gubernatores, Episcopi, Parochi, Confessarii, parentes, domini qui maxime quoad sibi subjectos officio suo desunt; etenim ignorantia istorum difficulter erit invincibilis (cum quisque teneatur scire obvias sui muneris obligationes); et si erit, semper damnum afferret communitati, saltem ob scandalum, dum alii facile putant sibi licere, quod vident factitari a superioribus. Hac ratione docet Benedictus XIV Bulla *Apostolica* (26 jun. 1749), etiam eos esse monendos, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, ne scilicet alii ab iis pravum sumant exemplum.

2. Quando pœnitens interrogat: tunc Confessarius debet veritatem patefacere, non plus tamen respondendo quam a pœnitente interrogetur. Nec potest dissimulare; quia cum pœnitens jam incœperit laborare ignorantia vincibilia, dissimulatio esset erroris approbatio; et pœnitens ex sententia confessarii amodo faciet, quod prius agebat ex suo judicio.

3. Quando pœnitens, etiamsi in principio non acquiescat, tamen quam citius monitioni obsecuturus prævideatur; fieri enim quandoque solet, ut pœnitens initio conturbatus animo, salutarem monitionem respuat, postea vero mente sedata, eamdem cum fructu recipiat. Si secus, erit expectandum tempus opportunius.

4. Quando pœnitens, tacente Confessario, in proxima versatur occasione peccatorum, quibus solitus est assentiri. Tunc ne in malo discrimine relinquatur, monendus est, quod necessario debet fugere occasionem, si velit fugere peccatum.

5. Quando pœnitens ignorat necessaria necessitate medii; nam, iis licet invincibiliter ignoratis, non est absolutionis capax, uti tradit idem Benedictus XIV Constitutione *Etsi minime* (7 feb. 1742).

**133.** Q. 3. *An Confessarius debeat pœnitentes interrogare?*

R. Affirmative, si Confessarius deprehendat pœnitentes non integre confiteri, sive quoad numerum, sive quoad species peccatorum, sive quoad circumstantias explicatu necessarias, uti sunt præcipue famuli, aurigæ, muliones, satellites, caupones et alii hujus generis, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentem, et procul a concionibus et Ecclesia. Nihil sane facilius est, quam pœnitentem absolvere postquam obiter ac generatim se de illa vel hac peccati specie incusavit; sed nihil damnabilius pro ipso pœnitente, qui in re præcepta, atque ad salutem necessaria deficit; nihil terribilius pro Confessario, qui illum deficere patitur, Sacramenti necessariam integritatem contemnit, ac perfunctorie rem adeo gravem prosequitur. Hinc Rituale: *Si pœnitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat: præsertim juniores utriusque sexus, vel alios de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant.* Quæ gravis interrogandi obligatio urget etiam quoad obligationes status ipsius pœnitentis, in quo quidem non pauci deficiunt Confessarii.



Ceterum hæc notamus pro praxi:

1. Rustici, qui putantur non satis examinati, ne dimittantur ut melius se examinent; vix enim paratiores unquam redibunt. Imo difficultate conscientiæ examinandæ territi non amplius accedent: ita agere P. Segneri dicit *errorem intolerabilem*[1]. Sed adjuvandi sunt in examine, ut hic et nunc queant absolvi; ipsos tamen monendo, ut aliis vicibus se rite præparent, modum etiam præparationis eos docendo. Advertat autem Confessarius, se non teneri tam minute hos interrogare: interroget tantum de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate. Et si pœnitens videatur sufficienter esse instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio modo rudis), tunc Confessarius de alio non tenetur interrogare.

[1] Segneri, *Il confessore istruito*, cap. II.

2. Nulla est obligatio interrogandi eos qui videntur jam satis instructi, et diligentes in peccatis suis dicendis cum propriis circumstanstiis ; hoc enim inutile esset, ac molestum pœnitentibus.

3. Interrogationes aliæ ante Confessionem sunt faciendæ, ut sunt quæ respiciunt tempus ultimæ Confessionis, satisfactionis implementum, pœnitentis conditionem, etc.; sed istæ paucæ sint, ne pœnitens offendatur. Aliæ in ipsa Confessione, ut sunt quæ respiciunt, v. g., circumstantias, species ac numerum peccatorum, ne differendo Confessarius iis obliviscatur; sed istæ moderatæ sint, ne confusio ingeneretur. Aliæ demum fiant, peracta confessione, uti si, v. g., dubitetur aliquid essentiale fuisse omissum, vel an pœnitens sit rite dispositus: sed hoc debito modo fiat, ne dolor forte evanescat.

4. Quoad peccata luxuriæ magna cautela necessaria est in interrogando, ne juniores præsertim doceantur ea, quæ salubriter ignorant. Unde si quid prudenter timeatur, melius est tacere ac permittere, ut aliquid integritati materiali desit. Confessarius interrogabit primum de cogitationibus, dein de desideriis, postea de verbis; in omnibus semper caute. Unde si in his pœnitentes videat innocentes, ne progrediatur : sin autem, ultro inquirat de tactibus ac de opere consummato. Aliquando tamen cum rudibus ab externis actibus incipiendum ut deveniatur facilius ad internos. Item juvat interrogare, an a sociis ad turpia fuerint sollicitati, an turpes tactus admiserint, etc. [1].

**134.** *Quomodo exquirendus numerus peccatorum a consuetudinario?* Confessarius non debet esse nimis anxius in inquirendo peccatorum numero a consuetudinariis; quia sæpe est impossibile eumdem habere, maxime si agatur de peccatis internis. Adde, quod isti pœnitentes plerique ad interrogationum importunitatem declinandam solent divinando respondere, *centies, millies*. Quare cum non potest haberi numerus certus peccatorum eorum qui pravo habitu tenentur, curet

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 120 ; et *Op. Mor.*, l. VI, nn. 466 et 478; *Praxis*, n. 20.



Confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est. Deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem quoties circiter peccaverit in die aut in hebdomada aut mense? proponens ei plures numeros, v. g., ter aut quater, octies, vel decies, ut videat cui numero potius ille adhæreat. Et si pœnitens numero majori adhæreat, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc Confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum ; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat apprehendendo peccata quotquot sunt coram Deo.

**135.** Ceterum quando pœnitens nesciens numerum certum peccatorum, dicit se illa commisisse *aliquoties* vel *sæpius*, vel puta *circiter* tria vel quatuor, hæ clausulæ non comprehendunt quemlibet numerum et excessum. Notat Voit, quod illud *aliquoties* se tantum extendit ad duo vel tria; illud *sæpius* ad quinque vel sex; illud vero *circiter* diversimode sese extendit, habita relatione ad numerum certum : nempe relate ad tria excessus modicus est unum, relate ad decem, sunt duo; relate ad triginta, tria; relate ad centum, decem vel juxta alios quinque. Unde si quis, v. g., confitetur se commisisse decem mortalia *circiter* vel *plus minus*, et postea certo recordetur ea fuisse duodecim, non ideo tenetur excessum hunc confiteri : nam omnia duodecim sunt directe remissa, quia in illo *circiter*, ex communi loquendi modo includitur etiam numerus duodecimus. Aliter esset, si numerus esset excessivus, ut si dixisti : peccavi decies *circiter*, et vicies peccaveris; tunc teneris excessum aperire [1].

*Quid de illo qui notabiliter exaggeravit numerum suorum peccatorum? debetne errorem suum corrigere?* Negative, si bona fide numerum istum notabiliter majorem expresserit; nam integre satisfecit obligationi Confessionis; verus numerus in majori fuit comprehensus ac remissus.

**136.** *Quid* (dices) *si Confessarius certo sciat, aut prudenter suspicetur aliquod peccatum, quod pœnitens omnino malitiose sileat?* Vel Confessarius peccatum illud novit ex Sacramentali alterius confessione; vel extra confessionem, et ex

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 466 et 478 ; *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 120.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

certa scientia: v. g., si ipse furtum committentem aspexerit vel blasphemantem audierit.

Si 1, non poterit specialiter pœnitentem de peccato illo interrogare sine expressa licentia alterius personæ ob periculum revelationis; vel nisi sint tales interrogationes, quæ communiter fieri soleant. Poterit tamen interrogare generatim, modo caveat, ne sit nimius in hisce interrogationibus repetendis ob dictum periculum. Quod si videat obstinate peccatum negari, alii dicunt absolute dandam esse absolutionem; quia Confessarius non potest uti alterius confessionis notitia. Alii dicunt dandam esse sub conditione. Alii melius cum Croix, Suarez, Viva, etc., sentiunt eam nullimode dandam, sed aliquam orationem esse usurpandam ad illam occultandam: sic nec revelatur peccatum alterius, nec pœnitenti injuria fit, nec Sacramentum temere usurpatur; sed justa de causa ejus administratio legitime tegitur.

Si 2, de peccato interrogabit etiam specialiter, neque absolutionem impertietur, si neget; modo non adsit prudens dubium, an alteri jam fuerit confessus, vel an justam habeat tacendi causam. Neque obstat axioma: *Credendum est pœnitenti tam pro se, quam contra se dicenti;* hoc enim valet in re dubia, non in re moraliter certa. Ita Billuart, Concina, Layman, Lugo, Suarez aliique passim[1].

### § III.—De Confessarii fidelitate, seu de sigillo Sacramentali.

**137.** En munus illud gravissimum, quo Confessarius obstringitur omni fidelitate curare, ne quid minimum manifestet Confessionis. Quod quidem semper, jam ab initio sanctissime custoditum fuit, Tertulliano et Sozomeno inter ceteros testantibus[2].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 466 et 478; et *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 120; et *Praxis*, n. 20.

[2] Tertulianus, l. I, *De pœnit.* Sozomenus, l. VII, *Histor.*, c. XVI. Olim quidem quorumdam occultorum confessio fuit publica, suadente vel permittente, non vero cogente confessario ad aliorum utilitatem vel pœnitentium; at nunquam fuit in præcepto, ut ex historicis monumentis constat. *V.* Alasia, Billuart, Continuator Tournely, etc.



Q. 1. *Quonam jure oritur obligatio sigilli Sacramentalis?*

R. Oritur sigilli obligatio: 1. ex *jure naturali:* hoc enim jure tenetur quilibet servare famam proximi, non prodere secretum sibi commissum vel alteri promissum, et mendacium non proferre. At qui peccata in Confessione audita revelaret, famam proximi læderet, frangeret Religionem secreti tam promissi pœnitenti, quem sibi ab eodem commissi; ac mentiretur pandens ut homo quod scivit ut Deus, id est ut Christi minister; 2. *ex jure divino:* quia Confessio (utique juris divini) sine secreto esset nimis odiosa, ideo moraliter impossibilis: qui autem præcipit finem, censetur etiam præcipere media ad ipsum; 3. *ex jure ecclesiastico:* nam in Lateranensi sub Innocentio III habetur: *Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdoti officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*[1].

Certum est obligationem sigilli: 1. esse strictissimam in omni casu et obligare, licet ex non usu majus damnum pœnitenti sequatur, ex decreto S. Congregationis generalis Inquisitionis dato 1682 de mandato Innocentii XI; licet manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, quin ullo modo pœnitens advertat, ex decreto Clementis VIII 1594; licet agatur de unius venialis revelatione; licet aliter integra Confessio fieri non possit (puta si nequeat fieri Confessio, quin vox attollatur); licet agatur de vitanda morte nostra vel aliorum; licet periclitaretur totius Regni salus. Nam una semper ac suprema ratio urget, periculum videlicet homines a Confessione retrahendi; — 2. eamdem vigere etiam post mortem pœnitentis; nam quilibet etiam post mortem vult bene haberi; — 3. ejus violationem secum importare malitiam *sacrilegii*, quia est contra Sacramentum, et semper est grave; *gravis infidelitatis* contra onerosam promissionem servandi secretum, quæ intercedit ex parte pœnitentis quantumvis tacita; *detractionis*, si peccatum jam non sit publicum.

[1] *De pœn. et rem.*, c. XII, *Omnis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 615; et l. IV, n. 251.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Imo qui sigillum frangit per errorem putans non graviter obligare, est denuntiandus uti de hæresi suspectus.

**138.** *An* (quæres) *detur parvitas materiæ in sigilli violatione?* Negative, quia materia etiam levissima hic includit totam rationem præcepti. Excipe si periculum revelationis sit parum probabile; nam si revelatio tunc sequeretur, ex casu fortuito censenda foret (*BB*).

**139.** Q. 2. *Ex quanam Confessione oritur obligatio sigilli Sacramentalis?*

R. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola Confessione Sacramentali, quæ nempe dirigitur aliquo modo, etiam indirecto, ad obtinendam peccatorum remissionem in Sacramento, et virtute clavium. Ex *omni*, quia tunc adest tota ratio præcepti; et *sola*, quia sola Confessio sacramentalis includit rationem hujus præcepti: idque valet, ut commune et certum est cum D. Thoma[1], etsi non sequatur absolutio sive ex parte pœnitentis, quia est indispositus; sive ex parte Confessarii, quia caret debita jurisdictione (quem tamen pœnitens credit adprobatum). Et hoc valet etiamsi pœnitens, antequam confiteatur, suas culpas committat Sacerdoti propter Confessionem in posterum ei faciendam; nam talis manifestatio est quædam inchoata Confessio, dum pœnitens tunc præmittat suam culparum manifestationem, ut citius postea Confessionem expediat. — Qui vero de certo ficte Confessionem ageret, eamque dirigeret vel ad furandum vel ad Sacerdotem illudendum aut seducendum vel ad se conquerendum; cum ne inchoative quidem sacramentaliter confiteretur, hoc jus non acquirit, etsi adhuc ex prudentia tacendum esset. Diximus *de certo;* nam in dubio semper præsumendum in favorem Confessionis, ne reddatur ullo modo odiosa.

**140.** *Quid* (dices) *si Confessio contigerit penes laicum?* Si pœnitens eum uti laicum agnovit, Confessio sacramentalis non esset ex parte neque pœnitentis neque audientis, ideo nulla sigilli obligatio; cum non sit in potestate alicujus facere sacramentale, quod ex natura sua

In 4, d. 21, q. 3, a. 1. — Ferraris, vº *Sigillum Sacr.* — *Analecta juris Pontificii*, t. V.



tale non est. Si vero pœnitens eum non agnovit uti talem, tunc cum Confessio ex parte illius sit sacramentalis oritur sigillum[1].

**141.** Q. 3. *Quænam cadunt sub sigillo sacramentali?*

R. Generale principium est, cadere sub sigillo ea omnia, quæ cognoscuntur per Confessionem, et quorum revelatio potest Confessionem ipsam reddere odiosam. Hujus generis sunt: — 1. *peccata omnia* pœnitentis tam mortalia quam venialia, tam futura quam præterita, tam occulta quam manifesta, modo in Confessione vere sacramentali deposita sint. Ideo frangeret sigillum Confessarius qui aperiret aliquod Titii peccatum etiam veniale illud nominando; cum materia sigilli parvitatem minime admittat[2]; — 2. *peccatorum circumstantiæ*, quas pœnitentium interest taceri, etiamsi dictæ sint post absolutionem; — 3. *peccatorum objecta*: v.g. si quis se confiteatur matrem suam odisse, quia adulterium commisit, quia fratrem noluit de furto corrigere: adulterium et furtum cadunt sub sigillo; — 4. *peccata complicis*, etiam imprudenter manifestata: una ratio semper est, quod secus redderetur odiosa Confessio sacramentalis; 5. *pœnitentia imposita*, nisi sit minima, ea scilicet quæ plerumque solet imponi pro veniali levissimo (imo aliqui neque si agatur de minima, id permittunt, quia potuit tantum confiteri ad petendum consilium, ut dicunt); — 6. *omnia* quæ, attenta sæculi nequitia, pœnitentem irrisionibus exponunt, atque fideles a Sacramento avertere possunt.

**142.** Q. 4. *Quinam tenentur ad sigillum sacramentale?*

R. Tenentur omnes, ad quos pervenit quomodocumque notitia Confessionis sacramentalis: qui nempe vel mediate

[1] Contra non promotos ad presbyteratus Ordinem missam celebrantes aut confessiones sacramentales excipientes vid. Constit. Benedicti XIV, *Sacerdos*, 20 apr. 1744; ex qua isti tanquam Ecclesiæ misericordia indigni (ab Ordinibus ecclesiasticis si quos habuerint rite degradatis) tradendi sunt curiæ sæculari graviter puniendi.

[2] Quid si dicatur tantum, pœnitentem esse confessum unum veniale in genere? Alii dicunt tunc non violari sigillum; quia quisque si confitetur, censetur habere materiam sufficientem. Sed alii contrarium sentiunt, ipsum potuisset enim confiteri jam remissa, vel ad petendum consilium solummodo. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 638, 642, etc.

vel immediate, licite vel illicite ex tali Confessione notitiam habent rei sub sigillo cadentis; secus semper redderetur Confessio odiosa. Tales sunt:

1. Non tantum Confessarius, qui peccata pœnitentis audit; sed etiam Superior, cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia a reservato absolvendi; nam id ordinatur ad absolutionem. Item interpres, ut docent probabilius contra aliquos, qui censent hunc teneri quidem ad sigillum arctissimum, sed non ad sacramentale.

2. Qui furtive vel casu aliquid audit, licet inculpate, nisi pœnitens ipse ad majorem sui confusionem velit publice confiteri. Sic pariter tenentur adstantes in quorum præsentia Confessio fit ex necessitate, v. g., in naufragio vel conflictu. Item quibus aliquid sacrilege revelatum est, qui de hoc neque possunt inter se verba facere. Item laicus, qui pro Sacerdote a pœnitente habitus sit.

3. Doctor vel alius, qui cum venia pœnitentis a Confessario consulitur, saltem in sententia communiori et probabiliori, quam expresse docet D. Thomas [1]. Ratio est quia consensus pœnitentis de tali consilio petendo facit, quod consiliarius habeat talem notitiam non tantum ratione Confessionis; sed etiam quodammodo participet de actu clavium cognoscendo causam pœnitentis et coadjuvando Sacerdotem in ordine ad Sacramenti consummationem; ideoque notitia quam habet, proveniat ratione Sacramenti jam inchoati [2].

4. Qui rogatus, puta a rude, ejus Confessionem scripsit; nam proxime concurrit ad Confessionem, estque tanquam medium et canalis, qui nempe proxime influit. Non tamen (ut probabilius ac communissime docent Elbel, Layman,

[1] In 4, d. 21, q. 3, a. 1; et a. 2, ad 4. — Stapf, §§ 377 et seqq.

[2] Non tenetur probabilius ad sigillum Sacramentale qui consulitur ab ipso pœnitente, si consulatur circa modum confessionem alteri faciendi, ut docent Suarez, Billuart, etc.; quia obligatio sigilli oritur ex sola confessione Sacramentali, in qua pœniteus manifestat peccata in ordine ad absolutionem. Quapropter ob manifestationem peccati, quæ fit a pœnitente apud consiliarium, cum ipsa non fiat in actu confessionis, neque ad obtinendam ab ipso absolutionem, tenebitur quidem gravissime consiliarius ad secretum aturale, non autem ad sigillum sacramentale. — *V.* Liguori, *Op. Mor.* l. VI, n. 649.



Sotus, Suarez, Viva, etc.), ad sigillum tenetur qui chartam legit, ubi pœnitens scripsit peccata, quamvis eam manifestando gravissime peccet proximum infamando; nam sigillum non contrahitur in præparatione ad Confessionem, sed tantum in ipsa Confessione actuali, aut proxime jam inchoata, ut docent omnes cum D. Thoma. Excipe, si talis scriptura actu legatur, quo quis per eam confitetur Confessario præsenti; quia tunc revera legens habet notitiam Confessionis ex Confessione ipsa. Item cadit sub sigillo scriptura, si esset jam consignata Sacerdoti, ut eam legat pro Confessione: vel si postea in Confessionali relicta esset. Item si esset epistola ad Superiorem scripta pro obtinenda facultate reservatorum; nam petitio illa est quædam inchoata Confessio, quatenus ordinatur ad absolutionem obtinendam.

**143.** Pœnitens autem probabilius non tenetur, nisi secreto naturali relate ad res in Confessione sibi dictas a Confessario si nempe earum revelatio possit quoquomodo Confessario, irrisiones, aut damnum quodcumque afferre. Sigillum enim Sacramentale inductum est in favorem pœnitentium, non Confessariorum.

**144.** Q. 5. *An Confessario liceat aliquando uti scientia Confessionis?*

R. Confessario tunc tantum licet uti scientia Confessionis, quando adest licentia pœnitentis. Rationem affert Angelicus: *Potest pœnitens facere ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit dum eum licentiat ad dicendum: et ideo si dicat, non frangit sigillum.* Hinc fatentur omnes Confessario nefas esse de peccatis sibi in Confessione revelatis extra Confessionem loqui etiam cum ipso pœnitente ad quemcumque bonum finem; quia id semper redderet Confessionem odiosam et pœnitenti ruborem afferret: quapropter sacerdos post confessionem ita se gerat cum pœnitente, ac si illi nunquam sibi fuisset confessus. Excipe, nisi pœnitens licentiam tribuat; sigillum cum sit in favorem pœnitentis inductum, ipsius est illi cedere.

Hæc tamen licentia esse debet 1. *formalis* et *expressa*, unde præsumpta, tacita, interpretativa et virtualis, etsi cederet in bonum pœnitentis, non sufficeret; 2. *libera* ac omnino *spontanea*, unde non sufficeret si esset vi, injuria, dolo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel precibus importunis, aut metu reverentiali extorta; 3. *non revocata* hanc enim pœnitens pro suo libitu, etiam sine causa potest revocare. Ratio horum est, quia agitur de re admodum odiosa, in qua non ita facile licentia dari solet[1]: quare pro praxi dicimus hac in re non licere eas opiniones sequi, quæ etsi sint probabiles, non est tamen certum, quod ex earum usu nullum sit pœnitenti gravamen obventurum: proximus enim jus certum possidet, ne occasione suæ Confessionis aliquod patiatur onus.

**145.** Quæ tamen pœnitentis licentia non est necessaria, ut Confessarius in actu Confessionis loqui possit cum ipso de culpis, quas in aliis Confessionibus ab eodem audivit; nam ad munus Judicis ac Medici, quo fungitur Confessarius, pertinet recolere peccata Confessionum præcedentium ad pœnitentem ipsum melius corrigendum. Discreta tamen sit hæc Confessarii locutio circa præterita pœnitentis, ne ipsum offendat. Item commune est licitum esse Confessario loqui de auditis in Confessione cum pœnitente statim post absolutionem antequam ille discedat; quia licet Sacramentum sit completum, judicium adhuc moraliter perseverat.

**146.** Item commune est contra Concinam posse Confessarium uti notitia Confessionis in sui utilitatem ad se cautiorem reddendum in re familiari, ad socordiam suam excutiendam, ad diligentius iuvigilandum super gregem suum, ad mores proprios reformandos. Sed tunc hæc debent concurrere: 1. ut nulla detur suspicio peccati auditi in Confessione; 2. ut nullum gravamen pœnitenti sit obventurum; 3. nullum odium nec irreverentiæ periculum Sacramento immineat. Porro cum conditiones cohonestantes non tam facile simul et conjunctim haberi queant, nemini iccirco dubium est, quominus in omni casu Confessarius procedere debeat cautela maxima, et potius in sigilli sacramentalis favorem quæstiones omnes occurrentes resolvere.

**147.** Q. 6. *Quomodo violari potest sigillum sacramentale?*

R. Dupliciter violatur sigillum sacramentale: directe et indirecte. *Directe*, si expresse reveletur aliquid cognitum ex

[1] Ideo nonnisi urgente gravi necessitate licentia a Confessario petenda est, et nonnisi quando potest certo præsumi quod lubenter consentiat pœnitens; constat enim ordinarie, Sacerdotem qui extra tribunal sua peccata pœnitenti revocat, ei graviter molestum esse et confessionem ipsi reddere odiosam. Vid. infra de *Defectibus corrigendis*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 659.



sola Confessione. *Indirecte*, si quid fiat vel dicatur, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum pœnitentis, aut aliquem ejus vel aliorum defectum, aut quævis per Confessionem cognita, ex quibus pœnitenti vel aliis pudor, molestia, dedecus, damnum aut gravamen quodcumque evenire possit, etsi audiens hæc sciat aliunde; hisce enim omnibus Confessio redditur odiosa. Hac in re nulla cautela satis; et ideo imprudenter agit Confessarius ille, qui peccata in specie nominans dicit: *Hæc ego audivi olim in Confessionibus*; etsi enim sigillum non violetur, laici tamen scandalizantur. Imo quandoque etiam periculum esse potest, ne ex circumstantiis peccati, personæ, loci, etc., et ipse pœnitens de facili ab auditoribus dignoscatur, prout aliquando probavit eventus non sine ingenti animarum detrimento ac fidelium scandalo.

Hæc una sit semper consuetudo nostra, ut nihil, nihil omnino, neque anecdota ulla, imo nec ipsum nomen *Confessionis* (maxime si sit coram sæcularibus) in solatio, in mensa, etc., nominemus (*CC*).

**148.** Q. 7. *Quid Confessarius agere debet rogatus de peccato audito?*

R. Confessarius rogatus de peccato audito respondere debet: 1. indirecte objurgando interrogantem his vel similibus verbis: *Quænam interrogatio est, quam facis? miror vehementer te sic me alloqui!* 2. poterit etiam respondere directe, et dicere absolute etiam cum juramento, se nescire. Rationem affert Angelicus: *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; et ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus*[1]. — Quod si Confessarius interrogetur, an dederit absolutionem, respondere potest: *Functus sum officio meo*. Vel erit melius huic a similibus interrogationibus dicere exprobrando: *Suntne interrogationes faciendæ?* ut sic omnem suspicionem auferat denegatæ absolutionis. Quod quidem tenet, etsi agatur de publico peccatore.

[1] In 4, d. 21, q. 3, a. 1. Hoc tenet, etiamsi rogetur tanquam Dei Minister, prout dicunt Croix, Layman, Suarez et Vasquez: imo etiamsi requiratur ad respondendum sine æquivocatione. Nam in primo casu semper verum est Confessarium nescire ullo modo peccatum scientia, qua possit uti ad respondendum; in secundo semper respondet sine æquivocatione, nempe sine illo æquivoco, quod prohibetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 646.

**149**. *Quid* (dices) *si Confessarius requiratur de schedula Confessionis a studiosis, aulicis, etc., poteritne eam exhibere etiam non absolutis?*

En verba S. Alphonsi : « Diversæ adsunt sententiæ, sed communior et probabilior cum Laymano, Roncaglia, Croix, Sporer, Elbel, Holzman, etc. (contra Bonacinam et Lugo), ita distinguit : si schedula loquitur de sola Confessione, illa non debet negari; quia si negaretur, ex una parte revelaretur pœnitentis indispositio : ex alia si concederetur, non jam testificaretur absolutio data, sed tantum Confessio facta, quæ jam revera facta est[1]. Secus autem, si Confessarius deberet scribere schedulam, quod pœnitens sit absolutus; quia tunc non obstat sigillum, sed mendacium est, juxta omnes intrinsece malum, et ideo in nullo casu dicendum (unde talem schedulam non faciat, sed pro omnibus scribat : *Audivi N.;* vel *N. confessus est mihi*). Attamen si schedulæ essent jam impressæ, et ibi assereretur jam absolutio data (quod a Prælatis permitti nunquam deberet), tunc mihi videtur probabile cum aliis, quos consului, licite posse eam præberi etiam non absolutis, saltem cum palam eam petunt[2]; quia tunc Confessarius nec dicit nec scribit aliquod mendacium, sed tantum ponit illam actionem materialem præbendi schedulam, quam ceteroquin negare non potest, quin ipsam pœnitentis indispositionem manifestet. »

**150**. *Quid* (inquies) *si Confessario actu quo Missam celebrat, interrogetur a serviente, an Particulam ponere debeat pro Communione pœnitentis vix antea confessi, quem Confessarius meminit dimisisse inabsolutum?*

Ad declinandum quodcumque revelationis periculum respondere debet : *Interroga ipsum an velit communicare*. Hoc generatim observandum est, maxime, quando, agitur de paucis confessis, ad præcavendam omnem revelationem. Hinc Capellanus qui infirmum in periculo invenit indispositum ad absolutionem, si aliud non sit subterfugium, potest parocho respondere : nunc infirmum posse communicari, si ipse velit (vel nunc disponendum ad communionem). Et talis infirmus poterit extra Confessionem interrogari, si velit Viaticum suscipere, et si affirmative respondeat, fiat; cum enim sit occultus peccator et publice petat, jus habet ut communio ei publice ministretur.

[1] *V*. Benedictus XIV, *Notificatione* XLI. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 639; *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 162.

[2] Quod valet, etsi pœnitens se tantum præsentet Confessario, quin ei confiteatur.



## Corollarium. — *De electione Confessarii et Directoris.*

**151**. Q. 1. *Quid notandum circa electionem Confessarii et Directoris?*

R. Si sermo sit de Confessarii electione ad simplicem Confessionem et sacramentalem absolutionem valide habendam, quilibet approbatus eligi poterit, cum id satis sit ad jurisdictionem exercendam valide; quanquam semper curandum sit, ut Confessio nostra apud illum expleatur, qui doctrina et pietate præstat. — Verum si agatur de eligendo Confessario, qui simul Directoris munus exerceat, qui scilicet animam ducat in difficili, sed valde pretiosa via devotionis, tunc omni studio ac sollicitudine opus est; agitur enim de ea re, in qua non erratur sine periculo æternæ salutis. Etenim Directori omnes animi nostri sinus, latebras, propensiones aperire debemus : quod quidem non semper debemus, quoties alio Confessario confitemur.

**152**. Quare in Directoris electione hæc præ oculis habenda : — **1**. curandum, ut pœnitens *unum eligat inter mille*, prout ait P. Avila : imo (si possibile est) *unum inter decem milla*, prout dicit Salesius. Si tamen vivat in communitate, ne anxius sit; quem ei dedit superior, dedit Deus : ei totus ipse se committat; — 2. in tali electione præ oculis habendas esse doctrinam, pietatem ac experientiam : siquidem in doctrina veritas, in pietate profectus, in experientia autem prudentia, atque inde securitas. Ubi tamen agatur de prælatione facienda, ea est concedenda experto; experientia enim est rerum magistra. Inter doctum vero et pium, concedenda erit docto; pietas enim suppleri potest a pœnitente, non item doctrina, nisi agatur de mediocriter docto : quo in casu præferendus est pius ob deceptionis periculum; — 3. Directorem semel electum non ita facile esse mutandum; secus enim agere inconstantiæ signum esset atque superbiæ : *Confessarius non est variandus sine gravi ratione*, ait peritissimus Salesius[1].

**153**. *Quænam* (quæres) *sunt optimi Directoris dotes præcipuæ?*

Animarum Director oportet, ut sit super omnes alios Confessarios :

1. *Doctus* et *expertus* in discernendo spiritus, suggerendo media ad perfectionem, et in animas adjuvando quoad ea omnia, quæ in arduo sanctitatis curriculo occurrere solent : unde si ceteris Confessariis sufficit aliqualis notitia asceticæ Theologiæ, quoad ipsum requiritur maxima : libros ideo hac de re, ne pigeat continua versari manu[2].

[1] *V*. Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 43; et *Praxis Confess.* — Stapf, §§ 624, etc., ubi plura.

[2] Huc faciunt Liguori, *Praxis*. — S. Fr. de Sales, *Lettres spirituelles*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. *Pius* et *humilis*, tum ut exemplo doceat quod verbis insinuat, et ne quid una manu ædificent, alia destruat: hinc reprehendendi qui extra confessionem leves, loquaces insulsitatibus indulgent vel coram ipsis pœnitentibus; tum ut auxilium postulet a Deo in tempore opportuno: *Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laborat qui ædificat eam*[1]. Sciat qui alios dirigit, et ipse pro se ipso directione opus habere; etsi enim unus sit magister noster, nempe Deus; vult tamen Deus omnes homines nonnisi per idoneos ministros dirigere. Hinc licet Christus Saulo immediate spectandum se dederit, attamen ipsum ad Ananiam misit, qui diceret quod illum oporteret facere[2].

3. *Prudens* et *cautus*, maxime si res sit cum mulieribus: non terat tempus ad inania, vana, vel temporalia divertendo; videat ne dicteriis causam tribuat, et quod pejus est, ne devotio quæ spiritu cœpit, desinat in carnalem. Ideo ab omni inordinata affectione erga pœnitentem abstineat, neque acceptator sit personarum, cum aliis nimis dure, cum aliis nimis blande agendo. Ad rem S. Alphonsus: *Ipse regulariter in confessionario sit potius rigidus quam suavis cum mulieribus junioribus, nec permittat illas ante confessionariam accedere, ut sibi loquantur, et multo minus ut manus deosculentur. Extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in Ecclesia, omnemque familiaritatem devitet; abstineat a recipiendis munusculis, et præcipue ad illorum domus nunquam accedat, uno excepto casu gravis infirmitatis, et tunc nonnisi vocatus accedat, et magnam adhibeat diligentiam in audiendis illis: unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi possit videri ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat*[3] (*DD*).

Ut vero spiritualis director munere suo rite defungi possit, ex parte pœnitentis tria potissimum requiruntur, sine quibus nullus in pietate verus ac solidus progressus; nimirum *larga fiducia, animi candor* et *humilis subjectio*.

**154.** Q. 2. *An in directione spirituali permittendum sit, ut etiam aliorum consilium pœnitens possit quærere?*

R. Beatus Joannes a Cruce appellat tyrannum Confessarium, qui licentiam alios Confessarios consulendi denegat pœnitentibus; cum hæc et aliquando utilis et aliquando necessaria sit. Item aliquando præstat, ut Confessarius ipse pœnitentes suos excitet ad consilium aliorum ex-

— Sᵉ Térèse, *Œuvres.* — Castelvetere, *Direttorio.* — Scaramelli, *Direttorio ascetico e mistico.* — Olier, *L'Esprit d'un directeur des âmes.*

[1] Ps. cxxvi, 1. — [2] Act. ix.

[3] *V.* Liguori, *Praxis*, n. 119; et *Homo Apost.*, tract. ult., n. 54. — P. Gaetano, *L'uomo apostolico*, c. xxvii: Riflessioni pel Confessore in qualità di Direttore. — *Metodo per la direzione delle anime.*



postulandum, ut sic vel dubia, si quæ sint, omnino tollantur; vel in suscepta devotionis methodo fiant firmiores; vel saltem illius æquitatem et intentionis rectitudinem videant.

Quod monitum curare debent omnes superiores Communitatum et maxime Parochi, qui in locis remotis atque campestribus morantur; non pauci enim suorum Parochianorum erubescunt ipsis certa graviora peccata aperire; cumque aliunde non eis sit facilis occasio alium Confessarium inveniendi, ideo proprio Parocho confitentur quidem, sed sacrilege, ea scilicet peccata reticentes. Præstat ergo, ut interdum aliquos Confessarios ignotos accersant, tempore opportuno populum monentes, et curent ut omnes ad eos libere accedant: nec ipsi Confessiones tunc audiant, caute etiam matribus insinuando ut hac de re omnem filiis suis, et maxime filiabus libertatem linquant. Extraordinarii autem Confessarii pœnitentes, de quibus justa potest esse suspicio (uti sunt rudes, mulieres, pueri) paterne, industrie, sed prudenter interrogent, utrum anteactæ vitæ scrupulum habeant, eos animando ad omnia aperienda. Hac via solent liberari plures animæ a sacrilegiis, experientia teste[1] (*EE*).

## Art. IV. — De effectibus a Confessario corrigendis ac de sollicitatione.

Defectus corrigendi sunt vel circa valorem Sacramenti; vel circa integritatem Conversionis; vel circa restitutionis obligationem.

**155.** Q. 1. *Quid si Confessarius erravit circa valorem Sacramenti uti si absolutionem non protulit vel si eam dedit carens jurisdictione?*

R. Distinguendum est: vel erravit inculpabiliter, vel culpabiliter.

Si erravit inculpabiliter, conveniunt omnes Confessarium non teneri cum gravi incommodo honoris, famæ aut bonorum pœnitentem admonere de defectu commisso; nam cum ipse non sit in culpa ratione administrationis Sacramenti, non tenetur ad monendum, nisi generali lege charitatis; sed charitas non obligat cum gravi incommodo. Recte tamen excipiunt: 1. si pœnitens esset in periculo mortis, vel in

[1] *V.* Liguori. *Praxis Confessarii*, nn. 22 et 201. — Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, n. 388.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

periculo non amplius se confitendi; tunc omni modo salus æterna proximi curanda est; 2. si Confessarius sit Parochus: cum enim iste ex justitia teneatur bono studere animarum suarum, videtur etiam ex justitia teneri ad reparandum grave damnum spirituale a seipso iisdem parochianis etiam sine sua culpa illatum.

Si erravit culpabiliter, non desunt qui adhuc Confessarium liberant ab onere defectum suum emendandi. Nos tamen dicimus cum Sporer, Viva aliisque eumdem tunc teneri, et quidem sub levi, si illius culpa levis sit: sub gravi, si defecerit graviter. Quamvis enim Confessarius in hypothesi onus audiendi Confessionis susceperit ex charitate; postquam audivit, tenetur ex officio, vel ex quasi-contractu cum pœnitente tacite inito rite eidem ministrare Sacramentum. Si ergo illud invalide administravit sua culpa, tenetur de errore pœnitentem admonere. Sed pro modo culpæ; nam excusatur Confessarius ab hac obligatione, si inde ei obveniat damnum nimium præponderans.

Ceterum in omni casu, de quocumque errore corrigendo agatur, Confessarius semper primo tenetur petere licentiam a pœnitente, *si permittas*, etc.; secus sigillum violaretur. Hinc etiam deducitur, quod si ex monitione gravis prævideretur offensio in pœnitente futura, probabilius tunc Confessarius non tenetur monitionem facere: imo debet eam omittere, ne sigillum quomodocumque lædat [1].

**156.** Q. 2. *Quid resolvendum, si Confessarius erraverit circa integritatem Confessionis?*

R. Si Confessarius in hoc culpabiliter erravit, quod negative se habuit, id est neglexit interrogare de speciebus et numero peccatorum, non tenetur errorem reparare, nisi intra ipsam Confessionem, si nempe pœnitens apud ipsum

[1] Item gravissimis Theologis videtur probabile, quod si pœnitens vel jam alteri se iterum confessus sit (cum tunc certo moraliter præsumatur justificatus); vel Eucharistiam susceperit (nam ex D. Thoma Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta primam gratiam confert per accidens), tunc non tenetur Confessarius cum gravi incommodo eum monere de nullitate primæ Confessionis, etsi id evenerit Confessarii ipsius culpa. — *V.* Liguori *Op. Mor.*, l. III, n. 360; l. VI, n. 619.



Confessarium redierit: nam obligatio faciendi Confessionem integram afficit directe pœnitentem, non vero Confessarium qui licet in Confessione teneatur interrogare de speciebus et numero peccatorum, ut efformet judicium rectum de statu causæ; finito tamen judicio, cessat in eo omnis hujusmodi obligatio.

Si vero culpabiliter in hoc erravit, quod positive pœnitentem induxit, dicendo, v. g., non oportere explicare aliter numerum, species aut circumstantias peccatorum, tenetur errorem reparare etiam extra Confessionem, prævia pœnitentis licentia; nam ex jure naturali quisque debet tollere casum mali, quem positive et voluntarie posuit. Hoc tamen intellige, modo sine gravi suo damno et scandalo ceterorum id possit; sicuti enim damnum grave excusat pœnitentem ab integritate Confessionis, ita etiam excusare debet Confessarium.

Dicimus *culpabiliter;* si enim id fecerit fide bona, aut si levis tantum negligentiæ sit reus, non tenebitur monere extra Confessionem; quia id sine incommodo et rubore facere non potest. Et aliunde hic error regulariter nulli nocet. Idem dicunt casu quo Confessarius oblitus sit pœnitentiam imponere; nihil enim defuit valori Sacramenti [1].

**157.** Q. 3. *Quid agendum erit, si Confessarius erravit circa restitutionis obligationem?*

R. Vel Confessarius in hoc erravit, quod de restitutionis obligatione pœnitentem non monuerit; vel in hoc erravit, quod positive restitutionem impediverit, pœnitentem nempe absolute deobligando.

*a.* Si Confessarius in hoc erravit, quod de restitutionis obligatione cum pœnitente siluerit, videndum erit an inculpabiliter id egerit, an vero id egerit culpabiliter. Si 1, non tenetur cum gravi incommodo pœnitentem monere, quia non est in culpa: tenebitur tamen cum incommodo aliquali, petita licentia, ipsum monere; quia charitas obligat quemcumque ad reparandum grave damnum proximi sui, si cum levi incommodo potest. Si 2, patet Confessarium ad monitio-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 620.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem teneri pro culpæ gravitate: quod si monitionem omittat, sunt qui docent Confessarium ipsum ad restitutionem teneri si Parochus sit, non vero si simplex Confessarius; nam ille quidem, non vero iste obligatur ex officio proprio impedire, quominus subditi sui damnum aliis inferant.

Nos tamen cum sententia communissima (quam tuentur Cabassutius, Concina, Croix, Dens, Sanchez et Suarez) dicimus etiam in hoc casu Confessarium, sive delegatus et simplex sit, sive Parochus, ad restitutionem non teneri; nam Confessarius non tenetur, nisi curare bonum spirituale suorum pœnitentium; et quidem si sit Confessarius simplex, ex sola charitate; si Parochus, etiam ex justitia [1].

*b*. Si in hoc erravit, quod a gravi restitutione pœnitentem deobligaverit (vel etiam obligaverit, cum non esset obstrictus), tunc si ita se gessit cum sua culpa gravi, omnes dicunt Confessarium teneri ad monitionem pœnitenti faciendam etiam cum gravi incommodo, vel intra Confessionem, si brevi pœnitens sit rediturus; vel extra Confessionem (petita venia), si non redeat. Alias (si id non agat, vel id amplius agere nequeat, quia pœnitens mortuus est: vel si agat tardius, id est postquam pœnitens factus sit impotens ad restitutionem) restituere tenebitur ipse Confessarius, in hypothesi, qua pœnitens si fuisset prius admonitus, restituisset. Sane in hoc casu Confessarius suo consilio fuisset causa immediata, actualis, efficax et directa damni proximo illati.

Si vero Confessarius ita se gessit absque culpa gravi, sed ex levi negligentia, tenebitur monere pœnitentem cum incommodo levi; quia pro modo rei debet esse obligatio. Quod

[1] Adde, quod ad inducendam in aliquo obligationem restitutionis requiritur positivus influxus in damnum aliorum, sive Confessarius sit delegatus et simplex, sive sit Parochus; et etiamsi eorum silentium, de quo agitur, culpabile sit; nam silere non est positive influere. Neque dicas, quod etiam non manifestans et mutus tenentur de restitutione, quando non loquuntur, cum debeant: nam hoc tunc tantum valet, quando manifestatio fieri debet non quidem ex sola ipsa charitate (ex cujus violatione nulla oritur obligatio restituendi), sed etiam ex justitia. Porro hic non est casus; quia Confessarius nulla speciali justitiæ lege adstringitur erga extraneum, ut teneatur curare hac manifestatione illius temporale bonum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 621.



si admonere nequeat vel pœnitentem inveniat inhabilem ad restituendum, non ipse tenebitur Confessarius restituere, cum non deliquerit graviter contra justitiam [1].

**158.** Q. 4. *Quid intelligitur nomine sollicitationis?*

R. Sollicitationis vocabulo in Sacramento Pœnitentiæ intelligitur *invitatio, incitatio, provocatio ad res venereas facta a Confessario sub datis clausulis*. Infandum scelus, quo Confessarius et gravem Sacramento injuriam irrogat eo abutens ad rem adeo turpem, et lethale pœnitenti infert damnum, ei pro medicina venenum porrigens. Imo recte advertit Elbel, Parochum in hoc delinquentem contra justitiam specialiter peccare; cum ex justitia vi officii sui graviter teneatur oves suas et verbo et exemplo pascere.

Habemus hac de re quatuor Constitutiones summorum Pontificum: 1ª est Pauli IV; 2ª Pii IV; 3ª Gregorii XV; 4ª Benedicti XIV, quæ ultima incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, quæque confirmat omnes Constitutiones omniaque anteacta Decreta, mandans *omnibus Inquisitoribus et locorum universi orbis Ordinariis*, ut inquirant et procedant contra omnes Sacerdotes (tanquam suspectos de hæresi) cujuscumque dignitatis sint, conditionis et præeminentiæ, si suos pœnitentes ad turpia sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habuerint, sive litteris sive nutibus sive tactu, uti sunt oscula, amplexus impudici, aliaque signa libidinosa, quibus uti solent amantes ut alliciant ad amorem inhonestum.

Nihil refert sollicitatus femina sit an vir; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus [2]. Quod valet sive

[1] Quod si Confessarius leve incommodum culpabiliter vitet et suæ obligationi non faciat satis, communius et verius docent tunc ipsum sub gravi de restitutione teneri. Monet D. Carolus ne eos confessarios imitemur qui ubi agitur de restitutione, usque ad finem confessionis, de ea facienda cum pœnitente loqui differunt, unde postea non recordantur. Ceterum cautus sit confessarius in dando consilio circa materiam justitiæ, et si casus implicatus efferatur, pœnitenti aliud tempus designetur, quo consultis interim solidis auctoribus eidem respondeatur. Et interim poterit absolvi, si tamen ad faciendam omnem justitiam sincere paratus sit. *Stapf*, § 460.

[2] Si sollicitans sit laicus qui simulet se Confessionem audire, adhuc denuntiandus ex Decreto S. Inquisitionis (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 688).

quis mulierem tentet ad hoc, ut inducat aliam ad secum peccandum, ut habet Bulla Gregorii; sive ut ipsa cum alio peccet, ut ait Bulla Benedicti. Hi omnes denuntiandi sunt, ex citatis Bullis, etsi longum tempus a sollicitatione effluxerit. Et de hac obligatione pœnitentes monendi sunt, licet non prævideantur obtemperaturi, cum de communi bono agatur.

Gravi culpæ correspondet gravis pœna. Nam ex Decreto Benedicti XIV 5 aug. 1745 sollicitantes præter suspensionem ab executione Ordinis in genere, et privationem beneficiorum ac dignitatum (quæ tamen pœnæ non sunt, nisi ferendæ sententiæ), specialiter et statim incurrunt perpetuam inhabilitatem ad Missam celebrandam, at post sententiam criminis declaratoriam, si videlicet eam pœnam non possit reus exequi sine infamia[1].

**159.** Ex Synodo Novariensi reservatur *execrandum Confessarii pœnitentem ad turpia sollicitantis crimen in actu, vel prætextu, vel occasione Confessionis.* Item reservantur *quicumque obsceni actus inter Confessarium et filiam spiritualem seu Confessionis.* Eadem Synodus ad peccatum hoc præcavendum statuit: 1. ut Confessio mulierum non alibi excipiatur præterquam ad crates sedis Confessionalis, neque ante solis ortum, vel post occasum: crates autem confessionarii velatæ sint, et sedes ipsæ confessionales in loco patenti; 2. ut quoties mulier ratione infirmitatis domi audienda est sive decumbat in lecto, sive non, pateant quoad potest, cubiculi fores et aliæ debitæ serventur cautelæ, ac decenti in loco fiat; 3. si quis sæcularis vel regularis Sacerdos nulla cogente necessitate, mulieres audire præsumpserit extra dictam sedem, suspensionem a Confessionibus audiendis ipso facto incurrit (*pag.* 120 [2]).

Hic notandum: Alexander VII hanc damnavit sub n. 7 propositionem: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

[1] Videtur posse affirmari, quod probabiliter ab ea incurrenda excusat ignorantia invicibilis; quia hæc inhabilitas habet rationem pœnæ, et quidem pœnæ extraordinariæ (imo generatim refert Panzuti, *De Pœnitentia*, ad n. 380, illam inhabilitatem esse ferendæ sententiæ ex declaratione sacræ Pœnitentiariæ, 10 febr. 1785: quod iterum declaravit 22 martii 1832). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 705; et l. I, append. II, nn. 53 et 191.

[2] Ad omne etiam seductionis periculum amovendum, non statim solet ab Episcopis una cum facultate audiendi viros facultas tribui auscultandi mulieres in Confessione; sed majorem requirunt in subjecto experientiam, gravitatem, ætatem, etc. « S. Alphonse se réglait non sur l'âge, mais sur le caractère: « Ce ne sont pas, disait-il, certains dehors qui rendent habiles ou « maladroits : il y a des vieillards décrépits qui ne méritent pas un tel em« ploi, tandis que des hommes encore tout jeunes en sont dignes. » Tannoja, in ejus *Vita*.



**160.** Q. 5. *Quænam clausulæ Constitutionum Apostolicarum?*

R. Sunt quatuor clausulæ quoad solticitationem, ut ea dicatur intervenisse: ut fiat aut in actu sacramentalis Confessionis; aut immediate ante vel immediate post; aut occasione vel prætextu Confessionis; etiam Confessione non secuta.

1. Sollicitatio habet locum *in actu sacramentalis Confessionis*, quando Confessarius, incœpta Confessione, apponit media quibus postea sollicitat. Nec refert quod ponat medium apparenter indifferens, si tamen postea cognoscatur appositum ad sollicitandum, uti esset imponere mulieri, ut eum domi expectet: vel eam interrogare ubi habitet, an sola moretur, et postea Confessarius illuc se conferat et sollicitet.

2. *Immediate ante vel immediate post;* hoc stricte intelligendum uti communius docent, ita ut nullum intervallum intercedat inter sollicitationem et Confessionem. Sic qui mulierem ante pedes genuflexam ad confitendum sollicitat (etsi nondum se crucis signo munierit), dicitur *sollicitare immediate ante;* licet Confessio postea non sequatur. Qui vero statim finita Confessione (alio non interposito negotio) ducit, v. g., puerum in cubiculum et sollicitat, dicitur sollicitare *immediate post.*

3. *Occasione vel prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta.* Occasio dicitur de Confessione vere petita, uti esset si Confessarius rogatus a muliere ad ejus Confessionem audiendam, ad alia divertit, et differendo ad aliud tempus Confessionem, interim eam sollicitet; esto nondum ipse sederit pro tribunali, nec mulier fuerit genuflexa. Item est probabilius, si ob fragilitatem in Confessione auditam, mulierem ipsam in via sollicitet; vel accedat domum ejus ad illam sollicitandam; vel litteris ipsam sollicitet; impulsus enim provenit ab ipsa Confessione. Item denuntiari debet Confessarius, in

nostra sententia, qui rogatus a femina ut ejus Confessionem cras excipiat, eam nunc sollicitat; nam sollicitatio verificatur facta occasione Confessionis [1].

*Prætextus* vero *Confessionis* est de Confessione quæ fingitur: hinc denuntiandus est Confessarius qui ex pravo fine ficte incitat mulierem ad Confessionem, et deinde illam sollicitat. Secus vero qui licentiam a Superiore peteret, ut in domum mulieris se conferat prætextu Confessionis, sed finis esset simpliciter eundi ad eam tentandam, ut dicunt Salmanticenses, Roncaglia, Bordonius et Tancredus; quia tunc Confessionis prætextus non est respectu pœnitentis, sed Superioris. Item probabilius non est denuntiandus Confessarius qui cum pœnitente convenit, ut se infirmam simulet, et prætextu Confessionis, ad se eum advocet; quia non est quod tunc fiat sollicitatio prætextu Confessionis, sed sub tali prætextu executioni mandatur eorum indigna conventio; adeoque prætextus non inservit ad sollicitandum, sed ad domesticis illudendum, ne de malo suspicentur.

Aliter dicendum, si Confessarius mulierem sollicitasset, licet extra Confessionem; sed illa repugnante ob timorem ne detegatur, Confessarius ei insinuaret, ut se simulet ægrotam, et tali prætextu illum ad se advocet. Tunc verificatur, quod prætextu Confessionis sit motivum quo ille ad sollicitandum pergat et consensum mulieris obtineat. Etiam puto denuntiandum Confessarium vocatum a matre ad audiendam Confessionem filiæ, et ipse ad cubiculum accedat cum pravo fine ad alloquendam puellam de Confessione, nempe eam interrogando an velit confiteri, vel dicendo se advocatum fuisse ad audiendam ejus Confessionem, et deinde sollicitet; quia tunc etiam sollicitaret prætextu ipsius Confessionis.

4. *Vel extra occasionem Confessionis in confessionali, sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione ibidem Confessionem audiendi.* Ex Decreto Sacræ Inquisitionis 11 febr. 1661 (quod interpretatur et explicat Bullam Gregorii) colligitur quod simulatio Confessionis, ut sit denuntiandus Confessarius, debeat intervenire, etsi

[1] V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 168; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 678.



sollicitatio fiat in confessionali. Attamen dicunt, quod ex alio S. I. Decreto ab auctoribus relato, adhuc debet denuntiari Confessarius ille, qui sine simulatione Confessionis aut sollicitat aut tractat de turpibus in confessionali; in eo enim præcipitur denuntiatio omnium illorum, *qui abusi sunt Sacramento Pœnitentiæ, Confessionem seu confessionarium adhibentes ad fines inhonestos.*

Si tamen sollicitatio non contingat in confessionario, sed in alio loco ad Confessionem pro audienda illa pœnitente electo, tunc requiritur Confessionis simulatio: quæ habetur, quando Confessarius ita se gerit, seu talia efficit, ut merito credi possit ipsum actu audire Confessionem.

**161**. *Quid si Confessarius sollicitans fuerit vel jam emendatus, vel jam judicatus ac punitus; si sit vir bonæ famæ; vel jam defunctus?*

R. Si Confessarius sit certo emendatus, censent Freita, Lugo, Sotus, Zenardi et alii, non amplius ipsum esse denuntiandum, cum cesset tota ratio hujus præcepti; si tamen sola sollicitatione sit reus; aliter enim esset, si Confessarius pœnitentem hæretica docuerit ad illum seducendum. Verum nos absolute putamus probabilius cum Azorio, Salmanticensibus, Suarez aliisque pluribus in omni casu Confessarium esse denuntiandum; nam Pontifices non magis intendunt sollicitantis emendationem, quam ejus punitionem ad damnum Ecclesiæ reparandum, et fidelium scandalum. Hinc constituerunt denuntiationem esse faciendam, nulla etiam præmissa correptione fraterna. — Item si jam judicatus atque punitus fuit, casu quo agatur de nova sollicitatione, viget adhuc profecto obligatio, uti patet. Imo etsi agatur de eadem, adhuc longe probabilior est sententia affirmativa; nam mulier non eximitur ab obligatione denuntiandi, quia alia persona denuntiavit; cum obligatio hæc afficiat unamquamque personam, sive sint sive non alii denuntiantes. Si vero sit vir bonæ famæ et occultum delictum, adhuc denuntiandus sollicitator: ex decreto Alexandri VII; res enim est de bono publico. — Attamen si sollicitator sit defunctus, negatur probabilius adesse tale onus; nam tunc cessat omnino totus legis finis. Excipe si agatur de hæretico formali, qui ex legis præ-

scripto esset denuntiandus etiam post mortem ad reparandum damnum aliis forte irrogatum.

**162.** Si pœnitens sollicitet Confessarium, non est denuntiandus; leges pœnales non sunt extendendæ de casu ad casum. Imo oriretur gravis suspicio revelationis sigilli, si Confessarius pœnitentem eo casu denuntiaret [1].

**163.** Q. 6. *Quinam tenentur ad denuntiationem?*

R. Præter ipsos sollicitatos (etiamsi impuberes, modo rationis sint compotes) tenentur ad denuntiationem ceteri omnes, qui sollicitationem certo sciunt, etsi nequeant illam juridice probare, etsi crimen occultum sit et a longo tempore commissum; agitur enim de causa gravissima pertinente ad bonum publicum. Imo etsi crimen sciatur sub secreto naturali; cum agatur de reparando damno communi. Secus si agatur de secreto consilii; nam propalatio hujus secreti semper vergeret contra publicum bonum [2]. Imo omnes etiam qui sollicitationi consenserunt, ut ait Benedictus XIV: neque necesse est, ut quis ideo dicat suam turpitudinem, neque de hoc potest interrogari.

Qui autem tenentur ad denuntiationem, tenentur etiam *ad eam cito faciendam;* nec sunt absolvendi a Confessario nisi prius denuntient: neque facile promissionibus acquiescendum est, quas postmodum difficulter solvunt. Ceterum bene potest absolvi pœnitens ante denuntiationem, si adsit justa causa illam differendi, v. g., si ministri tribunalis longe distent, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum, vel ob lucrandum jubilæum et possit credi personæ quod certo sit denuntiatura. Ita ex Bulla Benedicti XIV.

Nemo tamen tenetur seipsum denuntiare, ideo neque pœnitentem a seipso sollicitatum de denuntiandi obligatione monere: id natura refugit. Si vero sollicitator sponte compareat, gaudebit beneficio sponte comparentium, id est salutaribus tantum monitis ac pœnitentiis punietur, nisi forte jam fuerit ab aliis denuntiatus; tunc pœna solum imminueretur [3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 684, 686, 696, etc.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 693. — Alasia. — *Analecta juris Pontificii,* anno 1859.

[3] S. Congr., 24 nov. 1624. — *V.* Benedictus, *De Syn. Diœc.*, l. VI, c. XI



Diximus: *ad eam cito faciendam*, id est intra mensem ex Decreto S. Inquisitionis 18 martii 1677. Ceterum facta denuntiatione, licet post mensem, cessat censuræ reservatio; et ideo a quolibet Confessario ab ea pœnitens absolvi potest: ita S. Pœnitentiaria 22 martii 1832.

Forma autem juridica et ordinaria pro denuntiationibus peragendis hæc est, ut ab ipsa persona sollicitata semper adeantur Ordinarii locorum vel Inquisitores, et ibi publici Notarii opera assumatur. Sed pro casibus peculiaribus, ut si persona sollicitata induci nequit ad denuntiationem personaliter peragendam, quia vel timet vel rubore afficitur; vel ægrotat, vel alio impedimento aut gravi incommodo detinetur, id agere debet (et verius) per epistolam vel internuntium, proprium nomen, et cognomen subscribendo. Ceterum ex Indulto S. Inquisitionis, annuente Pontifice, facta est facultas Episcopis et Inquisitoribus delegandi ad denuntiationes excipiendas quemcumque Confessarium, qui bene instruatur et juramentum emittat *de silentio servando, et fideliter sibi munus commissum exercendo* [1] (*FF*).

**164.** Q. 7. *Quid sentiendum est de dubiis sollicitationibus?*

R. Ne simus nimis festini in imponendo pœnitenti onus denuntiationis; unde in dubio an illa fuerit velne sollicitatio, tale onus ne injungatur: tum quia verba in partem meliorem accipienda sunt; tum quia in dubio nemo privandus est fama, quam possidet. Excipe:

1. Si accedant indicia vehementia de vera sollicitatione: quia hæc licet evidentiam non producant, fundant tamen certitudinem moralem. Esset probabilius, si Confessarius in Confessione, aut immediate post, vel occasione aut prætextu Confessionis, vel extra occasionem Confessionis in confessionali, aut in alio loco ad Confessionem audiendam electo, aut etiam simulando Confessionem, dicat: *Tecum nuberem, si essem sæcularis.*

2. Si verba in confessione dicta præ se ferant sollicitationem, nimis excitativa ad venerem, et solum dubitetur an Confessarius ad malum finem ea protulerit; præsumptio enim de-

[1] Qui modus traditur in Synodo Novariensi postrema, pag. 512.

sumitur ex communiter contingentibus. Ut si confessarius dicat: *Veniam in domum tuam et promitte mihi facere quod voluero;* vel *expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum loqui :* vel *veni sola in domum meam*, etc., et inde veniendo revera locum habeat sollicitatio. Nam esto quod ea verba de se sint indifferentia; at per actus subsequentes jam satis determinatur qua mente fuerint pronuntiata. Idem est si Confessarius dicat mulieri nihil mali esse in mutuis amoribus (vulgo *galanteries*), et postea domum veniens eam sollicitet; nam per ea verba prolata sat patefecit pravam intentionem, quam animo gerebat [1] *(GG)*.

---

## CAPUT QUINTUM

### DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTI EFFECTIBUS

**165.** Q. *Quotnam sunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Pœnitentia hos habet effectus, qui sequenti versiculo includuntur :

*Abluit, absolvit, sanat, corroborat, ornat.*

Nempe abluit culpam; absolvit ab æterna pœna; sanat animæ vulnera; roborat gratiæ auxiliis; tandem ornat virtutibus ac meritis. Videlicet effectus sunt: — 1. *remissio omnium peccatorum* tum quoad reatum et imputationem, tum quoad pœnam æternam; et totalis eorum deletio ab anima, etiam quoad rem et naturam ipsam peccati : hic enim est hujusce institutionis scopus ac ratio. Peccata autem semel remissa non amplius reviviscunt : *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei*; — 2. *collatio gratiæ* tum sanctificantis, cum peccata remitti nequeant sine illius infusione, qua nempe efficimur amici Dei; hinc Tridentinum : *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel*

[1] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 702. It. Concina, Roncaglia, etc.



*sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur atque illis inhæreat... anathema sit;* tum Sacramentalis, propriæ nempe huic Sacramento, quæ nempe nos roborat ad perseverandum; — 3. *reviviscentia virtutum et meritorum*.

Ac primo certum est, virtutes infusas ob peccatum deperditas restitui per pœnitentiam; cum hæ sint proprietates gratiæ habitualis. Hinc paterfamilias resipiscenti filio jubet reddi stolam primam, annulum et calceamenta [1], id est gratias et virtutes infusas, ut interpretantur Patres. Secundo certum pariter est, merita seu bona opera per peccatum mortificata per pœnitentiam reviviscere; legitur enim in Scripturis : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* [2]; at noceret, si merita anteacta non reviviscerent. Hinc D. Ambrosius : *Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit* [3].

Diximus *opera mortificata*, quæ nempe facta fuerunt in gratia, quæque desierunt meritoria esse per lapsum in peccatum; nam certe non reviviscunt *opera mortua*, quæ scilicet, licet in se bona, non merentur tamen; cum hæc ea sint, quæ sunt facta in statu peccati : porro cum nunquam vitam habuerint, nequeunt reviviscere. — Item notamus : hic non est sermo de *operibus vivis*, quæ non indigent reviviscere; cum hæc ea opera sint, quæ facta sunt in statu gratiæ, nullo peccato subsequente. Multo minus de operibus *mortiferis :* hæc enim sunt ipsa peccata, quæ potius per pœnitentiam destruuntur (*HH*).

[1] Luc. xv. — [2] Ezech. xxx. Fuse Billuart.
[3] L. II, *In Luc.* In quonam autem gradu merita reviviscant, non conveniunt; tenet Billuart cum D. Thoma ea reviviscere gradu proportionato pœnitentiæ intensitati. Hoc videtur conformius Tridentino, cum dicat : *Quod unusquisque recipiat justitiam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem* (sess. vi, c. vii).

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# DISPUTATIO SECUNDA

## DE EXTREMA UNCTIONE

**166.** Q. 1. *Quid est Extrema Unctio?*

R. Extrema Unctio definitur : *Sacramentum Novæ Legis ex olei benedicti Unctione et Sacerdotis oratione constans, a Christo Domino institutum, per quod homini christiano graviter infirmo salus animæ confertur, et etiam sanitas corporis, si saluti animæ expedierit.* — Diversis autem nominibus donari solet ; præcipue dicitur : 1. *Extrema Unctio;* tum quia infirmis in extremo vitæ periculo administratur ; tum quia, cum multæ sint in Religione unctiones sacræ, hæc revera est omnium earum postrema ; 2. *Unctio infirmorum, Sacramentum exeuntium;* quia ex Tridentino hæc unctio *facienda est infirmis, illis præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti esse videantur ;* 3. *Oleum sanctum ;* quia ejus materia in oleo sita est, quod Ecclesiæ precibus ac benedictionibus consecratur.

Calvinus Extremam Unctionem vocat *Sacramentum fictitium et histrionicam hypocrisim*. Lutherus eam inter Scholasticorum figmenta amandabat. Idem docent ceteri Protestantes. Sed de fide catholica est, Extremam Unctionem esse verum novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1. Ex Scriptura. S. Jacobus habet : *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio fidei salvabit infirmum ; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei*[1]. Jam vero : Sacramentum novæ Legis proprie dictum est *ritus sensibilis, a Christo institutus, habens vim gratiæ conferendæ ;* atqui ex Scriptura istas conditiones

[1] Ep. c. v. *Oratio fidei* dicitur, tum quia hoc Sacramentum fidem exigit, ut suscipiatur cum fructu ; tum quia innititur Ecclesiæ fidei. — *V* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 706.



in se complectitur Extrema Unctio : 1. est ritus sensibilis ; talis est unctio olei et oratio adjuncta : *Orent super eum ungentes cum oleo ;* 2. vim habet gratiæ conferendæ ; quia remittit quidquid infirmo superest peccati : *Et si in peccatis sit, remittentur ei ;* 3. a Christo fuit instituta ; nam ipse solus potuit certis elementis et verbis alligare gratiæ vim[1].

2. Ex Patribus. Chrysostomus sæculo IV aiebat : *Neque Sacerdotes tantum, quum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt ; nam infirmatur quis*[2], etc. Idem sæculo V docuit Cyrillus Alexandrinus[3]. Et sæculo VI Gregorius M. fuse prosequebatur quæ hujus Sacramenti administrationem spectant[4].

3. Ex Ecclesiæ universalis præscriptione ; nam Ecclesia universa semper et ubique tenuit Extremam Unctionem esse verum Sacramentum, uti patet ex antiquioribus Latinorum et Græcorum Ritualibus : imo ex sectis omnibus antiquis, quæ adhuc illam agnoscunt et servant. Hinc Tridentinum : *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a beato Jacobo promulgatum ; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit*[5]. Tot argumentis compulsi non pauci moderni protestantes, uti Leibnitzius, Ammon et alii, referente Perrone, hunc ritum commendant et inter Sacramenta recensent.

Notandum : unctiones licet multæ, omnes tamen unum constituunt Sacramentum ; quia omnes unam habent terminationem, medelæ scilicet interioris et spiritualis[6].

[1] Docent Layman, Suarez et alii illam a Christo institutam post resurrectionem, tempore quadraginta dierum, quibus locutus est discipulis suis de regno Dei, sive de rebus Ecclesiæ, et quibus (dicente S. Leone) *magna sunt confirmata sacramenta*. Verosimilius autem illam instituit post Pœnitentiæ Sacramentum, cujus Extrema Unctio est perfectio et consummatio.

[2] L. III, *De Sacerdotio*.

[3] De Adorat. *in Spir. et Verit.*, l. VI. — [4] Lib. Sacramentorum.

[5] Sess. XIV, can. I. Hoc sacramentum fuit adumbratum ex eodem Tridentino in illis Marci VI verbis : *Ungebant oleo multos ægros et sanabant ;* non tamen institutum, cum hic non repromitteretur gratia animarum, sed corporis salus tantummodo tribueretur.

[6] Utrum autem quælibet unctio suam gratiam partialem conferat, affir-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**167**. Q. 2. *An Extrema Unctio sit necessaria et sub gravi sumenda?*

R. Duæ sunt sententiæ. Prima communis et satis probabilis negat cum Estio, Navarro, Palao, Salmanticensibus, Sylvio, Suarez et Tamburini adesse gravem obligationem; tum quia certo non constat de præcepto, cum auctores illud Jacobi intelligant de consilio; tum quia infirmus aliis mediis potest sibi providere. His adhæret D. Thomas[1].

Verum secunda sententia etiam probabilis, quæ omnino suadenda nobis apparet, contrarium docet cum S. Bonaventura, Habert, Concina, Merbesio, Roncaglia et Soto : nam infirmus licet possit aliis mediis se munire absolute loquendo; attamen negari certo nequit, quod in eo statu ipse nimis debilis est, ut bonis actibus sibi prospicere possit; et dæmonis insidiæ sunt vehementiores. Unde videtur se exponere gravi salutis periculo qui robur illud ideo institutum negligit.

Omnes tamen conveniunt, quod per accidens potest esse grave peccatum Extremam Unctionem non suscipiendo. Hoc evenire poterit : 1. ratione peculiaris necessitatis moralis, uti si infirmus sit in peccato mortali, nec possit rite suscipere Pœnitentiam, quia, v. g., sensibus impeditus; 2. rationes scandali, ut si omittendo susceptionem grave scandalum sit oriturum, aliis suspicantibus infirmum esse incredulum; 3. ratione contemptus, dicente Tridentino : *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere esse potest*[2].

**168**. Q. 3. *Quinam sunt effectus Extremæ Unctionis?*

R. Tridentinum definivit : *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmum; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit*[1]. Sunt ergo effectus : — 1. *Gratiæ collatio*, quæ primario sanat animam, ut ait Florentinum. Unde patet hanc esse gratiam vivorum; neque enim mortuus sanatur : est nempe gratiæ sanctificantis augmentum, tribuens etiam jus ad gratias speciales, pro tentationibus videlicet superandis in eo difficillimo vitæ exitu; — 2. *peccatorum remissio :* sed primario quoad reliquias peccatorum, uti communissime et probabilius docent Thomistæ; quia primario hoc Sacramentum non est ad peccata delenda institutum. Hinc B. Jacobus dicit : *Et si in peccatis sit*[2]; — 3. *infirmi allevatio:* quam quidem de fide est tam de corporali, quam de spirituali allevatione accipiendum esse; habet enim Tridentinum : *Et sanitatem corporis interdum ubi saluti animæ expedierit, consequitur*[3]. Dicitur *ubi saluti animæ expedierit*; nam hoc Sacramentum ad spiritualem utilitatem fuit institutum; et ideo patet quare pauci sanitatem recuperent, quia non expedit : porro ex Angelico *ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem*. Hinc versus :

*Ungor in extremis, ut fiat gratia major;*
*Et morbus levior; et mea pœna minor.*

Synodus Novariensis jubet, ut Parochi populo explanent hos præstantissimos effectus; et evellant a quorumdam animo funestum illud præjudicium, quo nempe putant sibi quam cito moriendum esse, si Extrema Unctione muniantur[4].

**169**. Q. 4. *Quænam est materia remota Extremæ Unctionis?*

mant multi cum Soto quia quælibet forma habet suam gratiam significantem. Negat D. Thomas (Suppl. q. 30, a. 1) dicendo totam gratiam non conferri, nisi in ultima unctione, nulla enim partialis unctio per se Sacramentum est, et ideo nihil confert, quousque cum debita forma compleatur unctio ultima. Utraque sententia est probabilis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 607.

[1] In 4, d. 23, q. 1, a. 1. — *V.* Ferraris, v° *Extrema Unctio*.

[2] Utrum vero qui sciens et volens negligit hoc Sacramentum, dicendus sit illud contemnere, communius et probabilius negatur. Nam ille tantum dicendus est ex negligentia contemnere, qui illud negligit, quia floccifacit; non vero qui illud simpliciter recusat vel ob quamdam repugnantiam, vel quia putat non esse de præcepto. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. n. 733.



[1] Sess. xiv, can. v.

[2] Peccata tamen remittit per consequens; quia si in anima ea reperiantur, non possunt abstergi ipsorum reliquiæ (nempe imbecillitas interna, horror mortis, pronitas ad malum, etc.) quin prius remittantur peccata ipsa. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 731.

[3] Sess. xiv, c. iii.

[4] *V.* Scotti, *Catechismo medico*, ubi contra medicum Frank veritatem catholicam valide pro more suo doctissimus Episcopus propugnat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. Materia remota Extremæ Unctionis est *oleum ex olivis expressum, et speciali benedictione ab Episcopo consecratum*: quod ex Clemente VIII singulis annis in Cœna Domini renovandum est, veteri exusto [1]. Congruenter oleum fuit designatum; *nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere perficit; ita sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit* (ait Catechismus R.); *oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.*

1. Quod sit *oleum*, constat ex Apostoli verbis: *ungentes eum oleo;* et quidem de necessitate sacramenti *ex olivis* expressum; quia communi usu nomine *olei* hoc tantum intelligitur. Hinc Gregorius M. in *Sacramentario* et Eugenius IV in Decreto Fidei ad Armenos expresse nominant *oleum olivarum.* Debet autem esse *purum*, id est sine alia liquoris admixtione; idque saltem ex præcepto Ecclesiastico, ut docet Benedictus XIV [2].

2. Quod oleum debeat *ab Episcopo benedici*, probatur ex iis Tridentini verbis: *Intellexit Ecclesia materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum*: et ita semper veneranda antiquitas tenuit. Utrum vero hæc benedictio sit de necessitate Sacramenti, communissime affirmant cum D. Thoma; Concilium enim in hoc est dogmatice locutum. Et ita declaratum fuit a Paulo V 13 jan. 1611; et a C. S. Of-

[1] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXI. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 610.

[2] *De Syn.*, l. VIII. « J'aurais ici plusieurs anecdotes curieuses à raconter de deux célèbres docteurs (du collége d'Oxford), Pusey et Palmer. L'un d'eux, assistant dans ses derniers moments une pauvre vieille moribonde, se mit à réciter le passage de saint Jacques sur l'Extrême Onction. Mais il n'avait pas avec lui l'huile sainte qui n'est pas en usage parmi les anglicans. La pauvre vieille, entendant le texte en langue vulgaire, dit au docteur: « Avez-vous l'huile? — Non. — Mais le texte dit qu'il faut l'*huile et la* « *prière.* » Et elle congédia le fameux docteur, qui revint chez lui méditer son texte. » (*Civ. Catt.*, ser. IIa.)



ficii, confirmante Gregorio XVI 14 sept. 1842, et Pio IX 10 jan. 1850 [1].

3. Quod oleum debeat ad validitatem ab episcopo benedic *speciali benedictione*, id est in ordine ad Extremam Unctionem negant Layman et Suarez; quia adhuc verificatur sine illa specialitate esse oleum ab episcopo benedictum. Affirmant vero Aversa, Barbosa, Bellarminus, Valentia, etc.; sicut enim Chrismatis benedictione deputatur materia pro Confirmatione; ita benedictione olei infirmorum deputatur materia Extremæ Unctionis, unde non potest valide dari Sacramentum hoc cum oleo Confirmationis vel Cathecumenorum. Utraque sententia est probabilis; sed prima non potest in praxim deduci, cum res sit de sacramentis, nisi in casu necessitatis, in qua Unctio est ministranda sub conditione, et postea repetenda, si habeatur verum oleum infirmorum, uti præscripsit etiam S. Carolus [2].

Si intra annum oleum benedictum deficiat, neque aliud simile haberi possit, ex Rituali fas erit eidem adjungere etiam oleum non benedictum, *dummodo sit in minori quantitate, quam vetus* [3].

**170.** Q. 5. *Quænam est materia proxima Extremæ Unctionis?*

R. Cum proxima Sacramentorum materia sit applicatio materiæ remotæ, cumque oleum benedictum infirmis applicetur per unctionem, patet hanc unctionem esse materiam proximam Extremæ Unctionis. Hæc autem unctio ex Decreto Eugenii IV facienda est in septem corporis partibus, nempe in *oculis propter visum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum vel locutio-*

[1] Ex delegatione tamen R. Pontificis ea benedictio fieri potest etiam a simplici Sacerdote, ut sentiunt omnes ex decreto Clementis VIII. Et in orientali Ecclesia mos viget a mille et amplius annis, ut Presbyteri cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum benedicant; ex tacita ac certo præsumpta Pontificum Romanorum concessione.

[2] *Act. Med. Eccl.*, p. IV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 709.

[3] Quæ adjunctio pluries iterari potest, quamvis consideratis omnibus adjunctionibus sit major quantitas olei non benedicti; modo tamen ea in unaquaque adjunctione sit minor. Ita S. C. C. 25 sept. 1682: et Pius VI, 1 apr. 1794, referente Bouvier.

*nem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum; in renibus propter delectationem ibi vigentem.* Ad renes autem quod attinet, ait Rituale : *Renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest* (hôdie tamen in omni casu et quoad omnes solet omitti).

Quod si quis careat aliqua parte, quæ inungi debeat, *pars loco illi proxima inungatur. Dum Sacerdos paria membra inungit, caveat ne formam prius absolvat, quam ambo perunxerit. Manus, quæ aliis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur* (ob reverentiam consecrationis). *Si dum inungitur, infirmus moriatur, ne ultra procedat; si dubitat, inungat sub conditione si vivit.* Rituale R.

**171.** *Quomodo* (quæres) *fieri debet hæc unctio?* Ex Rituali R. unctio fieri debet, intincto pollice in Oleo sancto, in formam crucis, aptando crucem et verba in unctione cujuscumque partis semper a dextera incipiendo. Pars linita abstergi debet ab ipso Sacerdote (vel alio ministro si est in Sacris) gossypio, quod postea comburendum est, ac cineres in sacrarium projiciendæ. Certum est, non esse de necessitate Sacramenti, quod unctio fiat per immediatum manus contactum : quare, peste grassante, ad unctionem potest adhiberi virgula oleo inuncta; adhuc enim vera unctio habetur.

Item certum est, neque unctionem renum, neque pedum (etsi pedes ex præscripto sint inungendi); nam pedes cadere possunt sub sensu tactus; renes autem sub aliis quinque sensibus, qui ex D. Thoma *sunt uti principia agendi, ita principia peccandi.* Item neque geminam unctionem in geminis partibus; cum jam satis per unius partis unctionem fomes peccatorum indicetur : unde urgente necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc. Item neque ordinem Ritualis servare in sensu inungendo; cum inversio non impediat Sacramenti significationem.

**172.** Quæres : *An unctiones quinque sensuum* (una videlicet pro quolibet sensu) *sit de sacramenti necessitate?*

R. Prima sententia (speculative merito probabilis) cum Merbesio, Tournely, Natali Alexandro, etc., negant; nam ex



D. Jacobo simplex unctio præcipitur, et in Tridentino de una tantum unctione fit mentio illis verbis : *Hæc sacra unctio*, unde videtur sufficere quod homo in una tantum parte ungatur, ut dicatur unctus. Verum communior, et tutior sententia (sub gravi in praxi tenenda prout Rituale præscribit) affirmat unctiones simplices quinque sensuum esse de Sacramenti necessitate; ita D. Bonaventura, Bellarminus, Valentia, Elbel, et omnes fere antiquiores scholastici. Sic enim colligitur ex usu Ecclesiæ, et communi sensu Doctorum, qui sic explicant verba Jacobi et Tridentini.

Unde nonnisi in necessitate, ac sub conditione adhiberi debet una unctio in aliquo sensu magis obvio, et consultius in capite (id est in fronte), ut notat cum Benedicto XIV; nam omnium sensuum nervi descendunt e capite. Tunc autem dicit Tournely sufficere si dicatur : *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per sensus*, uti habet Rituale parisiense; sed alii requirunt ut exprimantur quinque sensus, nempe : *Quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti.* Sed melius erit dicere : *Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum;* præmittendo verbum *deliquisti*, quia si proferatur in fine, et interim æger moriatur, nullum est Sacramentum. Si autem moribundus supervivat merito ait Croix repetendas unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas[1] (*II*).

**173.** Q. 6. *Quænam est forma Extremæ Unctionis?*

R. Forma Extremæ Unctionis est *deprecativa* in utraque Ecclesia, et quidem in communi et veriori sententia talis sit oportet de necessitate sacramenti; nam ex verbis D. Jacobi patet orationi tributam esse efficaciam hujus sacramenti. Quam formam (in latina ecclesia) sic pronuntiare debet Sacerdos actu, quo diversas peragit unctiones ex præscripto

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. III. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 710. Possunt etiam in necessitate unctiones quinque sensuum brevissimo tempore fieri, celeriter tangendo unum oculum, aurem, nares, os, et pro tactu maxillam (cum sensus tactus sit diffusus per totum corpus), idque sub unica forma omnes sensus exprimente. *Dens.*

Ritualis R. : *Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum*, dum unguntur oculi ; per *auditum*, dum unguntur aures, etc.

Verbum *deliquisti* vel aliud simile Tournely, Salmanticenses, Billuart, Scarpazza cum communi merito dicunt contra aliquos esse de essentia ; secus non exprimeretur in forma unus ex principalibus effectibus hujus sacramenti, qui est remissio peccatorum, quique non satis significatur per illud *indulgeat*, tum quia multas alias habet significationes, tum quia non minus de pœna quam de culpa intelligi potest[1]. — Item illud *unctionem*, quia aliter non exprimeretur actio ministri seu confectio sacramenti, esto quod minister de facto ungat. Sicut in baptismo si minister omitteret verba *ego te baptizo*, esto ablueret, sacramentum tamen non faceret ; ita Salmanticenses, Suarez. etc. Huic tamen opponunt cum Drouen formam græcorum, in qua nulla unctionis mentio habetur. Attamen observant Billuart et Continuator Tournely, quod unctio implicite et æquivalenter a græcis exprimitur, dicunt enim *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana*, etc. : porro medicus sanat per remedia quæ ejus jussu applicantur. Est autem communius et probabilius contra Suarez ad validam unctionem unam olei guttam sufficere ; quia qui ungit una stilla olei vere ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundantur : attamen in praxi cum agatur de valore Sacramenti, curandum ut abundantius diffundatur. — Item verbum *Dominus* essentiale omnino est ; indicat enim causam principalem, quæ per Sacramentum operatur. — Item est ex Dens et aliis de pronomine *tibi*, cum illud subjectum determinet ; quanquam juxta alios id satis contineatur in verbo *deliquisti*. — Item illud *indulgeat* ; secus non indicaretur ratio Sacramenti.

Illud tamen *sanctam* non est de essentia : cum in Tridentino et Florentino non exprimatur. Imo longe probabilius et longe communius nec ista alia : *Per suam piissimam misericordiam*, ut docent Layman, Roncaglia, etc. ; nam eo ipso quod dicit Sacerdos, *Indulgeat tibi Dominus*, jam orat divinam misericordiam. Sed omnes conveniunt ea omittere mortale esse ; cum sit contra usum Ecclesiæ in re gravi.

**174.** Q. 7. *Quinam est Minister Extremæ Unctionis?*

R. Solus ac quilibet Sacerdos potest Unctionem valide conferre[2] :

[1] *Indulgeo* seu *obsequor, consentio, inservio, facile concedo, plus æquo remitto*. Ita Calepinus.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 711.



Diximus 1. *solus Sacerdos* ; nam S. Jacobus ait : *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum* ; atqui *Presbyterorum Ecclesiæ* nomine non possunt intelligi nisi Sacerdotes. Firmatur ex Patribus, ex omnibus Ritualibus, ex constanti et universali praxi : est contra Basnagium et Launoium qui a Diaconis, imo a laicis hoc Sacramentum administratum fuisse contendunt. Si quæ enim aliquando unctiones narrantur factæ a laicis, illæ erant devotionis causæ frequentatæ, non sacramentales, uti probant eruditi : unde nil mirum, si ideo etiam infantes illo oleo ungebantur ad corporalem salutem[1]. Hinc Tridentinum : *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate ; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit*[2].

Diximus 2, *quilibet Sacerdos* : hinc etiam Sacerdos excommunicatus ; quia, quum non sit institutum hoc Sacramentum per modum judicii ut Pœnitentia, sufficit ad illius collationem potestas Ordinis.

Diximus 3, *valide conferre potest* ; nam licite hoc Sacramentum non a quolibet Sacerdote, sed a proprio tantum Pastore ministratur, ut ait Tridentinum. Imo Regulares illud sine licentia ministrantes incurrunt excommunicationem papalem ac reservatam[3]. Si tamen Parochus absit (et ejus Vicarius), aut non velit, tunc quilibet in necessitate Sacerdos potest illud administrare ; imo ex charitate debet sub gravi illam administrare, si urgeat ægroti necessitas, et ratione scandali quod adesse possit in administrationem recusando[4].

Unus tantum in Ecclesia latina est adhibendus Sacerdos, ne graviter delinquatur contra vigentem disciplinam. Unde illud Jacobi : *Inducat Presbyteros*, sic est accipiendum, quod

[1] S. Thomas, suppl. q. 31, a. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 722. — Renaudotius, etc.

[2] Sess. XIV, h. t. can. V. — [3] *Clem.* I *de privileg.*

[4] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, c. IV. Et probabilius idem currit, s Parochus sit suspensus, vel excommunicatus : ex Suarez.

ad solos Sacerdotes, *non ad alios non Sacerdotes*, sit recurrendum : neque inusitatum est tum in sacris litteris, tum apud Patres, tum apud ipsos hæreticos, ut ponatur (per figuram *permutationis*) numerus pluralis pro singulari, prout multis probat Berti. Qui ungit, debet etiam verba proferre : cum tamen omnes unctiones suam habeant formam et quælibet forma suam completam significationem, valet Sacramentum, si tot sint Sacerdotes quot fiunt unctiones : si Græci tres vel septem Sacerdotes vocant.

**175.** *An* (quæres) *sit mortale unctionem dare sine vestibus sacris, stola, superpelliceo, precibus et lumine?* R. Si non urgeat necessitas, certum est vestes sacras, stolam ac superpelliceum omittere grave esse ; nam in administratione hujus Sacramenti servanda sunt sub gravi, quando servari possunt, omnia præscripta in Rituali ; cum id exigat illius reverentia [1]. Item omittere preces ministro in Rituali præscriptas est grave ; cum agatur de re gravi ; at preces tunc ab adstantibus recitandæ probabilius sunt tantum de consilio. Demum Unctionem ministrare sine lumine extra ipsam necessitatem, vel sine ministro, vel omissis crucibus, est tantum veniale juxta plures. Hic autem notandum S. Rituum Congregationem prohibuisse Extremam Unctionem solemniter gestare ac deferre ad modum Viatici.

**176.** Q. 8. *Quisnam est subjectum Extremæ Unctionis?*

R. Subjectum Extremæ Unctionis est solus *homo baptizatus, infirmus, qui peccati capax aliquando fuerit.*

1. *Baptizatus*, quia Baptisma est janua omnium Sacramentorum ; attamen utrum statim post Baptismum graviter infirmo ea dari possit, aliqui negant, quia huic per Baptismum jam fuerunt abstersæ omnes reliquiæ peccatorum. Sed communiter et recte affirmant alii cum Suarez ; tum quia verius

[1] Imo, etiam urgente necessitate, id volunt tenere nonnulli, dicentes reverentiam Sacramenti præferendam esse cuilibet utilitati privatæ. Alii tamen, hoc non obstante, probabiliter contrarium docent ; quia casu quo vestes sacræ deessent, et infirmus jam moreretur, non præsumitur Christus voluisse infirmum in ultimo vitæ agone pugnantem tanto bono privari ob solum vestium sacrarum defectum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 726 ; *Homo Apost.*, tract. XVII, n. 15.



per Baptismum non absterguntur reliquiæ culparum actualium commissarum ante Baptismum, prout sunt torpor ad bonum et pravitas ad malum ; tum quia primarius effectus Unctionis non tam est remissio culparum, quam corroboratio infirmi contra dæmonis tentationes, uti colligitur ex verbis *alleviabit eum Dominus* [1].

2. *Infirmus*, dicente S. Jacobo : *Infirmatur quis in vobis?* Et quidem non omnis infirmus, sed solum graviter ; vox enim græca, quam scriptor latinus vertit *infirmatur*, significat morbum gravem, ut linguæ græcæ peritis compertum est. Hinc Concilium Florentinum dicit esse dandam *infirmo, de cujus morte timetur.*

3. *Qui peccati capax aliquando fuerit* ; alioquin frustra adhiberentur verba illa : *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.*

**177.** *Quid* (inquies) *si Unctio conferatur homini sano, vel infirmo quidem sed morbo laboranti minime gravi?* Si conferatur sano, tenendum est cum communi Sacramentum esse invalidum ; tum quia Jacobus expresse ait : *Infirmatur quis in vobis?* omnes autem hunc textum de vera infirmitate corporis intelligunt ; tum quia in Tridentino Concilio legimus : *Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam.* — Idem est ex sententia communiori, si morbus non sit gravis : 1. quia ex Eugenio IV *hoc Sacramentum dari non debet nisi infirmo, de cujus morte timetur* : ubi verbum *non debet*, non tantum præceptum, sed veram etiam importat necessitatem ; cum declaret subjectum Sacramenti ; 2. quia finis hujus Unctionis ex Tridentino in eo consistit, ut *ea finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio, munire valeat* [2].

**178.** Q. 9. *An puero sit danda Extrema Unctio?*

R. Si puer non sit sufficienti rationis usu donatus, sententia communis et vera negat eidem valide posse Unctionem ministrari, dicente Rituali R. : *Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui ad usum rationis pervenerint.* Sane ex Angelico : *Pueris non competit forma hujus Sacramenti, eo quod non peccaverunt per visum et auditum, ut in*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 721.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 712 et seqq. — Perrone, *De Extrema Unctione*, n. 45.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*forma exprimitur*[1]. Secus esset, si puer habeat usum rationis, uti communius et probabilius dicunt, etsi adhuc non sit Communionis capax. Id docet Benedictus XIV approbans Rituale Argentinense, in quo expresse declaratur, non esse denegandam eam *pueris septennibus, ac iis, in quibus malitia supplet ætatem, etsi ad septennium non pervenerint*[2].

Quod si dubium sit, an puer habeat rationis usum, Parochus interrogabit parentes, ut dubium deponat. Et si adhuc deponi nequeat, probabilius docent ipsum ungendum esse sub conditione, *si es capax;* quia sic ex una parte satis salvatur reverentia Sacramento, ex altera non privatur puer fructu tam salutari, si forte sit capax[3].

**179.** *Quid* (dices) *de muliere laborante in partu?* Si hæc mulier doloribus laboret communibus et ordinariis, non debet dari Unctio Extrema, etiamsi prima vice pariat, aut alias fuerit in vitæ periculo; tunc enim non laborat infirmitate periculosa. Sic in Concilio Mediolanensi II præscriptum est; neque enim illa dolorum acerbitas est infirmitas, sed effectus naturalis partus[4]. Secus esset, si laboret doloribus extraordinariis; tunc debet inungi, cum jam infirmitas periculosa sit, et adsit verum mortis periculum.

**180.** *Quid* (addes) *de amentibus et phreneticis? De infirmis sensibus destitutis, vel ebriis? De impœnitentibus, excommunicatis, vulneratis in rixa? De mutis, surdis et cæcis a nativitate? De capite plectendis, vel prælium aut periculosam navigationem inituris, ac senibus?*

R. Ad 1 : *Amentes*, si perpetuo tales sint, judicantur incapaces Extremæ Unctionis ; cum æquiparentur pueris[5]. Secus vero, si aut delirent tantummodo, aut Sacramentum petierint mente sana, aut lucida haberent intervalla ; cum tunc

[1] Suppl. q. 32, a. 4. — [2] *De Syn. Diœc.*, l. VII. c. XXI.
[3] Synodus Novariensis hoc confirmat.
[4] Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. VI.
[5] Æquiparantur, at non sunt : ideo amentes (ut aiunt) si ætate jam matura moriuntur, non sunt sepeliendi more infantium. Rituale Romanum enim loquitur de parvulis in re et veritate, cum nominet *corpuscula*, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 718 et seqq.



forma Sacramenti ipsis bene conveniat. In dubio ungendi erunt sub conditione.

*Phreneticos* dicimus paritate rationis ungendos, ac ubi resistant, tenendos et etiam ligandos, ut tollatur irreverentiæ periculum.

R. Ad 2 : *Infirmi sensibus destituti*, si pii animi significationem dederint, aut christiane vixerint, ut probabile sit eos Unctionem petituros, si mente valerent, ungendi sunt. Idem est de *infirmis in ebrietate*, nisi positive omnino constet eos esse in mortali.

R. Ad 3 : *Impœnitentibus notoriis*, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et *excommunicatis* Unctio neganda est. Idem est de *vulneratis in rixa*, nisi præsumantur conteri[1].

R. Ad 4 : Qui sensu vel videndi vel audiendi vel loquendi semper caruerunt, ungendi sunt, ut commune est cum D. Carolo ; et quidem in ipsa parte ; peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra respondent. Quid vero si quis sit surdus, mutus et cæcus (hæc tria simul) ? Si post usum rationis casu vel morbo talis evaserit, Extrema unctio illi danda est; imo (ait Croix) non video cur dari non possit etiam eucharistia pro Viatico, si aliud non obsit. Si qui vero a nativitate sit et cæcus et mutus et surdus omnia una simul, juxta alios habetur uti perpetuo amens ; cum non videatur ullo modo edoceri posse res sacras, adeoque nullum Sacramentum est ipsi concedendum præter Baptisma. Juxta alios est utique ungendus, sed in iis sensibus quos habet; non autem videntur necessariæ illorum sensuum unctiones quibus caret ; qui enim caret aliquo sensu, non potest per illum peccare; quod si peccavit, non peccavit peccato talis sensus. Attamen alii melius contendunt ipsum ungendum esse sicut ceteros, saltem sub conditione ; quia quamvis non habeat membra expedita, habet tamen potentias animæ quæ utique illis membris debentur, saltem in radice ; et interius peccare potuit per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius[2].

[1] Hac de re recole quæ supra dicta sunt quoad *moribundos*.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 732. — D. Thomas, suppl. q. 32, a. 7. — Natalis Alexander, Croix, Dicastillus, Diana, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. Ad 5 : *Capite plectendis*, vel *prælium* aut *periculosam navigationem inituris* non est danda Unctio ; nam actu nulla corporis infirmitate laborant. Est ad differentiam illorum, qui difficilem Chirurgi operationem sunt subdituri ; quibus Unctio est donanda, cum actu morbo intrinseco laborent ac periculoso.

R. Ad 6 : Unctio est danda *senio deficientibus*, cum judicio medicorum virium debilitas sit vera infirmitas. Et ita præscripsit S. Carolus. Item danda est *veneno infectis ;* cum ipsi jam sint graviter infirmi [1].

**181**. Q. 10. *Quænam dispositio requiritur ad Extremam Unctionem?*

R. Si infirmus adhuc rationis sit compos, ex generali Ecclesiæ consuetudine, Extremæ Unctioni Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ præmittenda sunt. Imo si infirmus est in mortali, pœnitentia est de necessitate, cum Unctio gratiam supponat. Si tamen tempus et infirmi ejusdem conditio aliud requirant, poterit Unctio administrari etiam ante Viaticum ; cum *consuetudo præmittendi Viaticum non sit recepta saltem sub gravi obligatione*, referente Benedicto XIV [2]. Item requiritur intentio vel expressa, vel tacita, vel præsumpta Unctionem suscipiendi.

Ceteræ dispositiones uti vivæ fidei, firmæ spei, perfectæ subjectionis, etc., sunt ad uberiorem fructum percipiendum.

**182**. Q. 11. *Quandonam infirmo tradenda est Extrema Unctio ?*

R. Aliquando dari debet Extrema Unctio et aliquando dari potest :

1. *Dari debet*, cum urget periculum mortis proximæ ; quia ex Conciliis subjectum hujus Unctionis est infirmus, *de cujus morte timetur*. Tunc vero non expectandum ultimum vitæ momentum, dicente Catechismo R : *Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Ratio est, quia alioquin privaretur infirmus uberiori fructu, quem certo

[1] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 712 et 732.
[2] V. *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. XXIII.



reciperet, si adhuc sui compos Sacramentum susciperet ; item spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni ; et forte etiam corporis sanitate, si tempore congruo datum fuisset. Licet enim hoc Sacramentum (si expediat) operetur etiam salutem corporalem, non tamen per modum miraculi eam operatur; sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adjuvando.

2. *Dari potest* valide et licite statim ac prudenter judicatur infirmus laborare periculo mortis, etsi adhuc non proximæ, uti docent Coninchius, Layman, Palaus, Salmanticenses, Suarez, Tournely et alii ; nam tunc jam est timor mortis. Id clarius firmat Benedictus XIV, dum Bulla *Ex quo* ait : *Ne Sacramentum Extremæ Unctionis ministretur bene valentibus, sed iis duntaxat, qui gravi morbo laborant.* Unde recte dicit Castropalaus : *Quoties Viaticum infirmis ministratur, statim et ministrari Unctionem posse et expedire ; quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere.* — Diximus *statim ac prudenter judicatur ;* nam in dubio, an infirmitas sit periculosa necne (nisi adsit vera et solida probabilitas), non erit Unctio administranda ; cum præceptum sit, *ne aliis quam vita periclitantibus ministretur.*

**183**. *An* (quæres) *Extrema Unctio possit iterum infirmo ministrari?*

R. Si agatur de diversa infirmitate, fatentur omnes Extremam Unctionem posse iterum infirmo ministrari, quia characterem non imprimit: *Cum hoc Sacramentum ordinetur ad sanandum, toties iterari potest, quoties infirmitas iteratur*, ait Angelicus [1]. Si sermo sit de eadem infirmitate Rituale præcipit : *In eadem iufirmitate hoc Sacramentum iterari non debet nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.* — Unde deducitur quod in morbo diuturno, qualis solet esse ethica et hydropisis, si post Unctionem infirmus certo manserit in eodem periculo mortis, non poterit iterum ungi. Diximus *certo ;* nam si positive dubitetur, an morbi status mutatus sit, v. g., si per notabile tempus puta per mensem infirmus se melius habuisset, tunc ex Benedicto XIV standum magis erit pro iteratione. Quia id ex una parte magis videtur conformari cum veteri Ecclesiæ disciplina ; ex altera novum subsidium infirmo suppeditat [2]

[1] L. I, *Contra Gent.*, c. LXXIII. — [2] *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. XXIII.

# ADNOTATIONES

## AD TRACTATUM DECIMUM

—

### (A) Page 18.

**184**. Nonnulla pro praxi de contritione.

*a.* Confessarius « curet (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 9) si pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero, determinando tamen aliquam materiam quoad genus, v. g., *me accuso de peccatis superbiæ, luxuriæ*, etc.) ut habeat materiam certam, super qua inniti possit absolutio. Alioquin etiam huic pœnitenti per aliquod tempus differri oportet absolutio. » Hæc agendi ratio, aliquod certum peccatum vitæ anteactæ confitendi, in iis maxime est curanda, qui sola venialia habent, et in eadem sunt recidivi : quia merito tunc potest de illorum dispositione dubitari.

Ceterum si Confessarius plane agnoscat aliunde pœnitentem, ut ex recenti totius vitæ confessione, etc., et sciat illum intendere accusare de peccatis sibi jam notis, tunc satis erit si pœnitens dicat : *Me accuso de omnibus peccatis jam tibi notis*, vel simpliciter, *de omnibus peccatis vitæ præteritæ*. Gury.

**185**. *b.* Peccatum veniale probabilius (docet D. Thomas, 3 p., q. 86, a. 4) remitti nequit, non remisso mortali conjuncto; quia quæcumque remissio culpæ fundatur in amicitia Dei et gratia sanctificante : inde consequitur, quod in damnatis culpa venialis in qua mortui sunt, perseveret in æternum. Practice interim certum est, nullum posse sacramentaliter absolvi ab uno veniali, manente culpa mortali, ob incompatibilitatem gratiæ sanctificantis cum peccato mortali; etsi possit peccator deponere affectum unius peccati et manere in affectu alterius peccati. Dens.

**186**. *c.* Quamvis peccator magis dolere debeat de suo peccato, quam de alio malo quocumque, attamen urgendus non est, sed consolandus, si ita se dolere non sentiat; uti si, v. g., magis se sentiat dolere de morte patris, filii, etc., quam de offensa Dei. Sicut e contrario reprehendendi sunt Confessarii, qui practice descendentes cum pœnitente ad



mala particularia, eumdem tentant, utrum velit potius suspendi, capite obtruncari, comburi flammis, quam Deum offendere. Nam cum sensibilia magis hominem moveant, quam spiritualia, periculum erit, ne tentationi succumbat. — *V.* Salvatori, *Istruzioni*, ecc., p. 2ª, c. 8. — Careno, *Delle regole*, ecc. Es. 1, 2, 3 e 4.

Item ad veram contritionem non requiritur ulla intentio vel duratio temporis : *non intensitas*, gradus enim doloris seu affectus et conatus major vel minor non est de contritionis essentia. *Non diuturnitas*, hæc enim non pertinet ad essentiam actus. Quare etsi præstat ut caveamus a nimia festinatione, ne leviter dolor concipiatur et insufficiens; attamen neque cum anxietate huic insistendum est. Ad rem Salesius in suo *Direct. Spirit.*, c. XLIII : « Il ne faut que très-peu de temps pour bien faire un acte de contrition, puisqu'on n'a qu'à se prosterner devant Dieu en esprit d'humilité et de repentir de l'avoir offensé. »

*d.* Quando quæritur, an præceptum contritionis obliget statim post peccatum mortale commissum, sub novo peccato, quæstio non est de deponendo affectu peccati, qui certe deponendus illico est, secus peccator pergit semper actualiter peccare. Sed quæstio est de casu, quo deposito affectu peccati, remanet solum peccatum habituale sive macula peccati. En quæstio in qua scinduntur Doctores. Attamen quidquid sit fere semper peccatores (maxime rudes) excusantur a peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam : atque ideo Confessarius neque seipsum neque suos pœnitentes angariare debet ad hanc temporis dilationem nimium pensitandam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 437.

### (B) Page 26.

**187**. Neque juvat opponere, quod amor iste non sit benevolentiæ, sed concupiscentiæ, quo nempe peccator diligit Deum propter bonum sui ipsius; et ideo refert Deum ad se, non se ipsum ad Deum. Nam respondet Salesius, quod si quis diligeret Deum propter bonum suum, et ita animo affectus esset, ut si nihil ab eo speraret, eum nullo modo diligeret, utique peccaret. Quia actualiter et formaliter excluderet charitatem, neque converteret se ad Deum; sed potius se magis ab ipso averteret, ordinans non se ad Deum, sed Deum ipsum ad se. At qui Deum diligit tanquam summum bonum sibi, et simul excludit omnem voluntatem peccandi, iste elicit actum bonum et supernaturalem, provenientem scilicet ex charitate bene ordinata erga seipsum; et ideo aliquo modo se convertere incipit ad Deum, quod sufficit in Sacramento (*De amore Dei*, c. XXVII). *V.* Ferraris, vº *Pœnitentiæ Sacram.* in appendice.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Si, comme le prétendent plusieurs théologiens (ad rem card. Gousset), un confesseur ne pouvait absoudre un pécheur qu'autant qu'il remarque en lui la charité parfaite à un certain degré, ou un commencement d'amour parfait, il ne pourrait presque jamais l'absoudre. En effet, qu'on lui demande pourquoi il se convertit; le plus souvent il répondra que c'est la crainte de Dieu, la crainte de ses jugements et de l'enfer, qui l'a fait renoncer au péché. Qu'on lui demande s'il éprouve quelque sentiment de la charité parfaite, il n'osera vous répondre. Demandez-lui s'il a au moins un commencement d'amour, de cet amour qu'on distingue de celui qui accompagne l'espérance; il ne vous comprendra pas. » — *V.* Francolinus, *De dolore ad Sacram. Pœnit.*

**188.** Sententiam de attritione solide ac fuse tuetur Opus, *Dell' attrizione quasi-materia, e parte del Sacramento della Penitenza secondo la dottrina del Concilio di Trento*, ecc., di mons. Conte Giuseppe Benaglia, vol. II, Mil. Wilmant 1846. Observat inter cetera, illud *diligere incipiunt*, quod opponunt adversarii, non inveniri in Tridentino, nisi *sess.* 6, ubi agit Concilium de justificatione in genere. Non vero *sess.* 14, ubi agit de Pœnitentia uti est Sacramentum : et in qua sessione tantum ait, se daturum esse *pleniorem et exactiorem definitionem.* Adde illa verba desumpta esse ab Angelico (3 p., q. 85, a. 5), ubi sermo est de justificatione extra Sacramentum ; in Sacramento porro facilior esse debet se justificandi via.

« Dans le chapitre v (audiatur *Amico Cattolico*, Giornale Religioso, ecc., vol. XXVIII, ubi laudatum Opus sic in parte contractum habetur), l'auteur s'ingénie à prouver que la nouveauté dont on accuse sa doctrine est plutôt imputable à la doctrine contraire. Le P. Charles de l'Assomption, dans son livre *de la Contrition*, publié sous le pseudonyme de G. Philélète, réunit les noms de cent opposants, mais, comme l'observe Platel, professeur à l'université de Douai, sans citer une ligne d'aucun d'eux, pour ne pas être convaincu de fausseté. Ainsi en est-il arrivé à l'égard d'un autre opuscule intitulé : *sur la Probabilité*, où il avait introduit des textes mutilés et altérés, extraits d'un livre mis à l'index et condamné au feu, *les Provinciales*, de Pascal. — Au contraire (d'après Lacroix), Pinthereau, dans son livre *de Attritionis sufficientia*, donne un catalogue de cent auteurs, dont il cite les paroles, et les endroits d'où elles sont tirées ; tous ces auteurs, à partir du treizième siècle, sont pour la suffisance de l'attrition pure; parmi eux il nomme Guillaume de Paris, Denys et Ludolphe, chartreux, Gerson, Tostat, Turrecremata, Durand, Capreolo, Adrien, devenu pape, Ferrarius, Eckius, S. Vincent Ferrier, S. Bernardin de Sienne, S. Antonin, archevêque de Florence, S. Thomas de Villeneuve, archevêque de Valence, auxquels il faut ajouter dix-neuf théologiens, présents au concile de Trente. Le Dent (toujours d'après Lacroix), dans son livre de l'*Attrition*, rapporte le nom des auteurs antérieurs au concile de Trente, et dans son livre *Responsio ad Xenium*, ceux qui vinrent après, et tiennent aussi pour la doctrine de la suffisance. Enfin Gormaz (encore d'après Lacroix) énumère par ordre alphabétique, avec les renvois aux pages, cent soixante auteurs postérieurs au Concile et partisans de la même doctrine, parmi lesquels deux papes, huit cardinaux y compris saint Charles, six évêques, six conciles particuliers, six catéchismes accrédités. Il faut y joindre encore l'autorité du décret de Gratien, de l'Inquisition d'Espagne et de la faculté de théologie de Paris.

« Veut-on connaître les qualifications données par les divers auteurs à cette doctrine, on verra, dans Lacroix, qu'elle est appelée par Sporer, la doctrine de *presque tous les théologiens;* par Platel, celle de la *majorité* du concile de Trente ; par Puteanus et Bécan, *commune;* par Gonet, celle de *presque tous les thomistes;* par Bosco, celle de la *plupart des scotistes;* par Amici et Esparza, *indubitable;* par Arsdekin, professeur de théologie à Louvain, *si sûre, qu'on ne peut plus en douter;* par Tanaro, *suffisamment certaine;* par Prada, Salac, Viva, *moralement certaine;* par Suarez, Lessius, Raynaldus, Fernandez, Diana, Martinon, Perez, Mendoza, Castropalao, Dicastillo, *absolument certaine;* par de Lugo, Bosco, *commune et certaine;* par Filliuci, Sternin, Francolin, *certaine en pratique;* par Aversa, *sûre* depuis le concile de Trente ; par Gormaz, *pratiquement et indubitablement certaine;* par Estrix et Cardenas, *certaine et tout à fait sûre;* par Léandre, du Saint Sacrement, Séraphin de la Concession, Paolo Palacio, *très-certaine;* par Bonasperanza et Arriaga, *presque de foi;* par Stoz, *certaine par foi catholique;* par Medina, Ledesma, Bellarmin, Requesta, Fagundez, Abelly, Sanchez, Pasqualigo et d'autres, avec Moya, *définie dans le concile de Trente;* par Binsfeld, *approuvée dans le concile de Trente;* par Sylvestre de Prieras, *doctrine des saints et spécialement de S. Thomas;* par Gabriel de S. Vincent et Merazzi, *doctrine du sens commun catholique;* par Cano et P. de Saint-Joseph, *doctrine du sens commun de l'Église;* par Henriquez et Rhodez, *doctrine qu'on ne peut maintenant nier sans témérité et sans erreur.* Le cardinal Brancato va jusqu'à traiter d'*hérétique* la doctrine contraire. Bonasperanza appelle également celle-ci hérétique, et son livre est approuvé par le maître du sacré palais. Ces dernières notes paraissent trop fortes à notre auteur ; mais, en considérant le petit nombre des défenseurs de la doctrine opposée, on comprend qu'il est impossible d'y adhérer au moins sans imprudence.

« Si de pareilles autorités ne suffisaient point à déterminer une conviction raisonnable, à qui s'en rapportera-t-on? Cette conviction est déterminée en nous par quelques-uns des adversaires eux-mêmes qui, comme Juénin, Berti et Gazzaniga, font voir combien ils comptent peu sur leur sentiment en altérant les citations qu'ils apportent, ainsi qu'il a été démontré. » — *V.* Muzzarelli, *Du bon emploi de la logique en matière de religion*, opusc. I : *Pensées sur les écrits religieux* : post medium.

Objicies : *Peccator non potest ad Deum converti, nisi per charitatem formalem et actualem; atqui talis charitas non est in attritione.* Utique peccator non potest ad Deum converti nisi per charitatem formalem et actualem extra Sacramentum ; quia sicut per peccatum actuale et formale, quod est Deum contemnere, homo a Deo ipso avertitur ; ita per amorem formalem et actualem debet ad ipsum converti, si in ejus amicitiam se cupit restitui. Sed aliud est de peccatorum remissione intra Sacramentum : nam cum Sacramentum habeat virtutem delendi peccatum, et nequeat producere hunc effectum, nisi per infusionem gratiæ, quæ est ipsa charitas habitualis ; sufficit ad gratiam obtinendam, ut peccator per attritionem sit dispositus ad Sacramentum recipiendum, virtute cujus etiam sine charitate actuali convertitur ad Deum ; sicuti per charitatem actualem converteretur ad Deum extra Sacramentum.

*Nonne* (addes) *aliquod saltem principium dilectionis requirit Tridentinum ad omnem justificationem? ergo etiam ad Pœnitentiam.* Requirit utique ; cum declaret, quod peccatores dum ad justificationem disponuntur, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt ; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* Sed qualis est iste amor inchoatus? *principium amoris*, sicut loquitur Concilium? hoc non negamus : nempe Tridentinum non requirit actum, quo perfecte diligamus, sed quo incipiamus perfecte diligere ; atqui incipimus perfecte diligere per actum cujuscumque virtutis, quo Deum ut finem ultimum nobis concupiscimus : unde sicuti *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, non quod ille timor sit sapientia, sed quia ducit et disponit ad sapientiam, ita actus omnis virtutis dicitur esse initium perfectæ dilectionis ; hinc de actu timoris expresse dicitur *Eccli.* XXV, 16 : *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Et idem est de spe beatitudinis. Hoc manifeste significat *Tridentinum* ibidem : addens nos debere incipere diligere Deum, non dicit tanquam summum bonum in se, sed tanquam *omnis justitiæ fontem*, id est, gratiæ nobis dandæ, sicque diligimus Deum ut bonum nobis, et disponimur ad diligendum ut in se bonum : hinc S. Thomas (1, 2, q. 40, a. 7) ait : *Ex hoc, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare ;* ergo cum omnis attritio nostra sit spes vel fundetur in spe, etiam est actus quo incipimus diligere Deum. Notat card. Pallavicini (*Storia del Concilio di Trento*, l. VII), quod Patres aliqui contendebant, ut iis verbis *diligere incipiunt*, adderentur hæc alia : *Per actum charitatis ;* concilium autem restitit et voluit, ut non aliud poneretur, quam illud *diligere incipiunt.* Quare? nisi quia judicavit ad justificationem in Sacramento non requiri charitatem *formalem et actualem* prædominantem et super omnia.



**189.** *Quid* (quæres) *fluere potest ad praxim pro Confessario hæc controversia?* Plurimum fluit ; nam si actus pœnitentis sunt materia proxima Sacramenti, et si in actus pœnitentis debet inquirere Confessarius, ut certus fiat de eorum existentia ad absolutionem ; debebit profecto inquirere in ipsam contritionem : ac proinde qualitates, elementa ac naturam ejus perspicere, ut integritati Sacramenti prospiciat.

Ex quo patet diversa via tenenda ab utriusque opinionis auctoribus. *Contritionista*, si suis principiis velit esse conformis, attente perpendere debet non solum, an dolor de peccatis conjungatur in pœnitente cum fide et spe veniæ ; sed etiam an ille oriatur ab amore Dei saltem initiali, et quidem proveniente a charitate prædominante et super omnia : quæ inspectio difficilis est, et anxietatibus plena et Confessario et pœnitenti, maxime rudi. *Attritionista* e contrario non aliud debet inquirere, nisi an adsit dolor proveniens a fidei motivo, et cum spe veniæ conjunctus : quæ duo facillime inquiruntur, tum a Confessario pœnitentem interrogando, tum a pœnitente in seipsum reflectendo. His semel admissis, jam sponte sua et per se necessario præsumitur, et sequitur aliquis Dei amor inchoativus quin ultra inquiramus ex quo motivo proveniat ; nam ex hoc, quod per aliquem speramus bona, jam ipsum diligere incipimus. Esto quod etiam ipsa contritio sit curanda ; attamen non de necessitate Sacramenti, unde si non adest, nec inquietare nec inquietari debemus : et tanto minus pœnitentem ut indispositum rejicere.

**(C) Page 27.**

**190.** Quam facile de attritione ad contritionem progrediatur, exemplo probat S. Alphonsus (*Praxis Confessarii*, c. I, n. 100) : « Post debitas correctiones, sive monitiones, præstat, ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi. Quocirca monitos esse volo Confessarios, perpaucos esse illos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de quelque fin dernière, tous les jours, pendant une demi-heure ; pour quelqu'un de forte constitution, et qui n'est point empêché, le *jeûne* du samedi, pendant un temps déterminé ; pour un chef de famille, le soin de faire réciter le *Rosaire*, chaque soir, par toute sa famille ; pour un blasphémateur, un certain nombre de signes de croix à faire par terre avec la langue ; pour un ivrogne, la cessation de l'*usage du vin*, ou du moins du vin pur. Pour des personnes grossières, il y a des pénitences qui sont utiles, parce qu'elles ont quelque chose de plus frappant, comme de réciter quelques *Pater* et *Ave* sur une tombe, en songeant que bientôt il leur faudra mourir ; mais il ne faut pas perdre de vue l'observation faite plus haut, savoir, que le confesseur doit toujours s'appliquer à éviter de donner des pénitences extravagantes et indiscrètes qui puissent éloigner les pénitents du tribunal sacré et discréditer le saint ministère. »

Ex omnibus his deducere est, quam imprudenter se gerant, qui imponunt satisfactiones magnas, vel ad longum tempus aut etiam pro tota vita duraturas, etsi forte prævideant pœnitentes non esse eas impleturos. Putant videlicet se posse peccatores indispositos, qui sunt vel in proxima peccandi occasione, vel recidivi, a peccatis suis curare istas graves satisfactiones imponendo. Sed experientia docet, tales pœnitentes acceptare quidem prædictas satisfactiones, ut absolutionem carpant; verum eas postea non implentes, misere cito ruere in easdem culpas, et satisfactionum gravitate deterritos a Confessione abhorrere; sicque in peccatis suis omnino tabescere. Ad rem Chrysostomus: *Multos recensere possem in extrema mala deductos, quod ab eis pœna peccatis par exposceretur. Neque enim temere ad peccatorum modum oportet et pœnam adhibere; sed peccatum propositum explorandum est. Ne dum quod scissum est, consuere vis, deteriorem scissuram facias; ne dum lapsum emendare studes, majorem ruinam pares.* De Sacerdotio, l. II. — *V.* Liguori, *Opus. Mor.*, l. V, n. 510. — *Civiltà Catt.*, ser. III, vol. X, pag. 303, etc.

**200.** *An* (quæres) *pro culpis gravibus possit imponi satisfactio quidem in se gravis, sed sub obligatione levi?* Negant Bonacina et Coninchus ; nam Confessarius non agit, nisi ut simplex minister, nomine nempe Dei, qui proinde debet obligationem materiæ proportionare. Sed communior sententia cum Filliucio, Segneri, Suarez, Viva, etc., affirmat; quia in hoc Sacramento Sacerdos non simplicis ministri officio fungitur, sed est verus judex ac legislator a Christo constitutus cum facultate et solvendi a peccatis et ligandi per pœnitentiam : unde hujus obligationis gravitas oritur non ex vi Sacramenti, sed ex præcepto Confessarii. Hæc secunda sententia per se loquendo valde probabilis mihi videtur : sed non probarem, si Confessarius ex



hac doctrina vellet pro peccatis gravibus totam pœnitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis ægritudinis aut intensissimæ contritionis, vel alio casu rarissimo, in quo omnino videretur expedire ad salutem pœnitentis ; censeo enim ex præcepto Tridentini teneri semper Confessarium injungere aliquod grave opus sub obligatione gravi, licet sit leve respective ad numerum et gravitatem peccatorum. Præfata ergo sententia deservire poterit ad hoc tantum, ut Confessarius postquam imposuit aliquam pœnitentiam gravem, aliam graviorem injungat sub levi, ut si pœnitens illam implebit sacramentaliter, satisfaciat ; si vero negliget, non gravetur culpa gravi. Et sic puto recte se gerere Confessarium.

*Quid* (dices) *si pro venialibus, vel mortalibus jam confessis pœnitentia imposita sit gravis? an sit grave peccatum illam omittere?* Probabiliter et communius affirmant cum Lugo et Roncaglia ; cum gravitas obligationis videatur desumenda non ex peccato, pro quo imponitur, sed ex materia quæ præcipitur. Verum negant satis probabiliter alii cum Laymano, Navarro, Sporer et Suarez ; sicut enim Confessarius non debebat illam imponere sub gravi, ita nec sub gravi illam tenetur acceptare pœnitens ; gravitas enim est commensuranda peccato. Excipe cum Roncaglia, nisi peccata illa nimis disponant ad mortale, vel si de illis mortalibus jam quidem confessis nondum sit condigna pœnitentia peracta.

### (*I*) Page 79.

**201.** Ecclesiæ disciplina circa *pœnitentiam publicam*, quæ olim pro gravioribus itemque publicis criminibus imponebatur, ut communiter tradunt eruditi, in tres veluti epochas dividi potest. (Sunt tamen qui censent, quod etiam pro delictis occultis gravioribus imponebatur publica pœnitentia. *V.* Liguori, *Risposta apologetica sulla Communione frequente:* et AA. infra citandos.)

1° A tempore Apostolorum protrahitur usque ad Montanum versus dimidium sæculi II ; et mitissima erat ita, ut fere statim omnis pœnitentia remitteretur. Quod patet exemplo Apostoli, qui incestuosum restituit publicæ communioni paulo post excommunicationem.

2ª Producitur usque ad Novatum et Novatianum circa finem sæculi III. Disciplina primitus erat, ut reconciliatio usque ad vitæ finem differreretur ; dein mitigata fuit, atque adeo, ut illam indulgentiam exprobrarent vel ipsi hæretici : ex quo factum, ut iterum evaserit austera.

Ab eo tempore incipit 3ª epoca, in qua nempe distincti pœnitentium

gradus, *flentium*, *audientium*, *prostratorum* et *consistentium* inducti sunt; et gravioribus criminibus sua pœnitentia assignata, quæ quidem ex tunc *canonica* seu *cæremonialis* dicta fuit (*V.* Storia della Chiesa dalla sua fondazione sino al Pontificato di Gregorio XVI. Torino, Marietti 1843; pag. 158 et seqq. *liber parvæ molis, sed non parvæ eruditionis.* — Wiseman, *Conférences*, etc., conf. XII. — Salzano, *Storia Eccl.* l. V. — Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Église*, etc. — Porro, *De re Sacramentaria*, etc.

Unde accurate loquendo triplex est pœnitentia distinguenda: 1. *sacramentalis*, quæ a Christo præcepta est, et semper est de necessitate; 2. *publica*, quæ omnibus publicis criminibus imponebatur, quæque ab ipsa Apostolorum ætate sub aliquo respectu viguit; 3. *canonica*, quæ nonnisi sæculo tertio labente inducta est; neque tamen pro omnibus peccatoribus, neque pro omnibus delictis: ea enim erat maxime ad coercendam idololatriam, mæchiam atque homicidium.— *V.* Natalis Alexander, *Dissert.* III *in sæc.* III. — Petavius, *in l.* VIII *de Pœnit.* — P. Perrone, *de Pœnit.* nn. 209 et seqq. — Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. X: *Storia Eccles.*, § 8. — Stapf, § 138.

Pœnitentiæ canonicæ, quæ olim imponebantur, nunc omni carent auctoritate; cum jam a sæculo IV in Oriente, in Occidente vero a sæculo VII obsoleverint. Quia tamen valde proficuum esse potest pœnitentibus, ut facilius inducantur ad majorem pœnitentiam acceptandam, et fortius a peccatis absterreantur, eis indicare hasce pœnitentias pro aliquibus criminibus præscriptas, ut monent Catechismus Romanus, D. Carolus et D. Antoninus. Ideo principaliores referre juvat.

### *Canones pœnitentiales.*

*Circa I præceptum.* — 1. Qui a fide desciverit, pœnitentiam aget *annis decem;* — 2. Qui auguriis, et divinationibus servierit quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit *annis duobus;* — 3. Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit *annis septem;* — 4. Respiciens futura in astrolabio, pœnitens erit *duos annos;* — 5. Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit *annos quinque*.

*Circa II Præceptum.* — 1. Quicumque sciens pejeraverit, 40 *dies* in pane et aqua, et *septem* sequentes *annos* pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur, et post hæc communionem percipiat; — 2. Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget *annos decem;* — 3. Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ *diebus dominicis septem*, in manifesto dum Missarum solemnia agun-



tur, stet; ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus *feriis sextis* in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis *tres aut duos aut unum pauperem* pascat si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiæ ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura; 4. Qui votum simplex violaverit, pœniteat *tribus annis*.

*Circa III Præceptum.* — 1. Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget *tres dies* in pane et aqua; — 2. Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, pœditentium aget *dies viginti* in pane et aqua; — 3. Qui in Quadragesima jejunia violaverit, pro uno die pœnitentiam aget *dies septem;* — 4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non *communicet;* ac præterea a carne abstineat.

*Circa IV Præceptum.* — 1. Qui parentibus maledixerit, *quadraginta dies* pœnitens sit in pane et aqua; — 2. Qui parentes injuria affecerit, *tres annos;* — 3. Qui percusserit, *annos septem;* — 4. Si quis contra Episcopum, Pastorem et patrem suum insurrexerit, in Monasterio *omnibus diebus* vitæ suæ pœnitentiam aget; — 5. Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit vel irriserit, pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane et aqua.

*Circa V Præceptum.* — 1. Qui Presbyterum occiderit, pœniteat 12 *annis;* — 2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino, dum vixerit; jejunet *secunda*, et *quarta* et *sexta feria;* — 3. Si quis hominem occiderit, ad *januam Ecclesiæ* semper erit, et in obitu Communionem recipiet; — 4. Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, pœnitentiam aget 40 *dies* in pane et aqua, cum septem sequentibus annis; — 5. Si quæ mulier abortum fecerit, pœnitentiam aget *annos tres;* si nolens *Quadragesimas tres;* — 6. Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget *dies* 40 in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore *dies totidem*. Deinde pœnitens erit *tres annos* per legitimas ferias; tres præterea Quadragesimas in anno observabit; — 7. Qui sceleris occultandi causa filium necavit, pœnitentiam aget *annos decem;* — 8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitentiam aget *annos tres;* — 9. Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget *unum annum* per legitimas ferias; — 10. Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, *triduo* pœnitentiam aget in pane et aqua.

*Circa VI Præceptum.* — 1. Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit *tres annos;* — 2. Qui turpiloquio, aspe-

ctuque polluitur negligens, pœnitentiam aget 20 *dies;* — 3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40 *dies;* — 4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filium spiritualem violaverit, *perpetuam pœnitentiam* aget; — 5. Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit *duodecim annos;* — 6. Qui monialem violaverit, pœnitens sit *annos decem;* — 7. Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget *annos tres;* — 8. Si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere *duodecim annos*. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12 *annos* pœniteat et postea *monasterium intret* tota vita sua moraturus ibidem; — 9. Pro adulterio *septennii* et *decennii* pœnitentia imponitur. Pro osculo seu amplexu impudico *triginta dierum* pœnitentia statuitur.

*Circa VII Præceptum.* — 1. Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget *unum annum;* — 2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ suppellectili vel thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit *annos septem;* — 3. Qui decimam sibi retinuerit aut dare neglexerit, *quadruplum* restituet, et pœnitentiam aget *dies* 20 pane et aqua; — 4. Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget *annis tribus* et *uno* in pane et aqua.

*Circa VIII Præceptum.* — 1. Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit *annos quinque;* — 2. Falsarius in pane et aqua pœnitentiam agat *quandiu vivit;* — 3, Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit *dies septem* in pane et aqua.

*Circa IX et X Præceptum.* — 1. Rem alienam nefarie concupiscens avarusque, pœnitens erit *tribus annis;* — 2. Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit *annos septem;* si Presbyter, *quinque;* si diaconus vel monachus, *tres;* si clericus aut laicus, *duos*.

### (J) Page 91.

**202.** Pontas exemplo explicat differentiam inter Indulgentiam *per modum suffragii* et Indulgentiam *per modum absolutionis*. « Lex vult e carceribus emancipare duos subditos detentos, quorum unus in proprio dominio, alter Byzantii. Quomodo primo libertatem donabit? Hoc fiet ejus propria et suprema auctoritate, pronuntians gratiam *per modum absolutionis*, absque auxilio et concursu potestatis extraneæ. Sed pari modo nequit alterum liberare, quia non potest suam Jurisdictionem exercere extra limites suæ ditionis absque consensu Principis, sub cujus Imperio et Dominatu moratur in carcere. Non potest igitur ultimum in libertatem vindicare, *nisi per modum suffragii*, intercedendo pro eo apud Sultanum, cujus est captivus, vel mancipium, et solvendo ejus redemptionem. *In hoc distinguitur Indulgentia* (per modum absolutionis) *a modo juvandi per suffragia, quod hic privata auctoritate fieri possit, non illa*, subdit clarissimus Sylvius. »



Ita pariter se gerit Ecclesia in largiendis Indulgentiis; respectu enim vivorum fidelium, qui proprie sunt ejus subditi, his eas applicat *per modum absolutionis;* ob hanc rationem Martinus V concedens Indulgentiam in terminatione Concilii Constantiensis, *dicit se absolutionem concedere*, ut iisdem verbis Sylvii utamur, addentis hanc esse locutionem eamdem sancti Thomæ: *Et beatus Thomas, q.* 27, *art.* 2, *docet, quod Indulgentiam facere, sit remittere pœnam cum potestate jurisdictionis*. Verum respectu Defunctorum, qui in Purgatorio detinentur, eos respicit tanquam extra suam jurisdictionem et potestatem, sicut declarat Gelasius I in quodam Canone decreti Gratiani: ob hoc non applicat illis Indulgentias, nisi per modum suffragii, orando Deum, ut dignetur per suam infinitam misericordiam suscipere, et acceptare satisfactiones superfluentes Jesu Christi, et Sanctorum pro solutione pœnarum, quarum sunt divinæ Justitiæ debitores.

**203.** Thesaurum meritorum quoad indulgentias ac jubilæa et fructus inde provenientes increduli et hæretici passim rident. Verum talia blasphemando ne sani quidem hominis characterem sustinent.

1. Fundamentum veritatis catholicæ de *meritorum thesauro* Deus ipse posuit in ratione et conscientia generis humani, nec ulla hominum perditorum nequitia potest aboleri; nulla siquidem existit societas sine aliqua bonorum et meritorum communione. Audiatur De Maistre: « Il n'y a pas de père de famille protestant qui n'ait accordé des indulgences chez lui, qui n'ait pardonné à un enfant punissable, par *l'intercession et par les mérites* d'un autre enfant, dont il a lieu d'être content. Il n'y a pas de souverain protestant qui n'ait signé cinquante *indulgences* pendant son règne, en accordant un emploi, en remettant ou commuant une peine, etc., par les *mérites* des pères, des frères, des fils, des parents ou des ancêtres. Ce principe est si général et si naturel, qu'il se montre à tout moment dans les moindres actes de la justice humaine. Nos frères séparés nous ont contesté ce principe comme si la rédemption qu'ils adorent avec nous était autre chose qu'une *grande indulgence accordée au genre humain par les mérites infinis de l'Innocence par excellence, volontairement immolée pour lui!...* Comme la rédemption n'est qu'une grande indulgence, l'indulgence, à son tour, n'est qu'*une rédemption diminuée.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

La disproportion est immense, sans doute, mais le principe est le même, l'analogie incontestable... Quel superbe tableau que celui de cette immense cité des esprits avec ses trois ordres toujours en rapport! Le monde qui *combat* présente une main au monde qui *souffre*, et saisit de l'autre le monde qui *triomphe*. L'action de grâce, la prière, les satisfactions, les secours, les inspirations, la foi, l'espérance et l'amour, circulent de l'un à l'autre comme des fleuves bienfaisants. Rien n'est isolé, et les esprits, comme les lames d'un faisceau aimanté, jouissent de leurs forces propres et de celles de tous les autres. » (*Soirées de Saint-Pétersbourg*, X[e] entret.)

2. Quod pertinet ad miros *effectus*, illi et personales et sociales sunt. *Personales*: quid sane excellentius sub cœlo optari potest illo justitiæ statu, qui vacat omni malo pœnæ et culpæ, hominemque Deo facit sub omni aspectu acceptissimum? beneficium hujusce remissionis illæ animæ duntaxat æstimare possunt, quæ in purgatorio pœnas dare coguntur excedentes omnem captum humanum. *Sociales*: soli Deo bona nota sunt, quæ societas domestica et civilis percipit ex perfecta hominum cum Deo reconciliatione: ita quippe societas liberatur a malis moralibus quæ opus sunt vitiorum, et a plerisque malis physicis quæ sunt pœna simul et medicina divinitus inflicta vitiis. Multiplicando sanctos indulgentiarum usus multiplicat sanatores mundi: *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum* (Sap. 6): sic pluries habemus in vita Sanctorum, illorum meritis stetisse rempublicam, ut legitur inter ceteros de S. Laurentio Justiniano. Adde saluberrimam commotionem toti catholicæ familiæ incussam promulgatione indulgentiæ generalis et præcipue Jubilæi; prædicatione frequenti, supplicationibus crebris, aliisque publicis operibus tunc mire excitantur peccatores ad conversionem, tepidi ad fervorem, fervidi ad perseverantiam. Quot gratiæ in populis diffunduntur! Quid enim Deus denegare poterit universitati pastorum et fidelium uno ore precantium, suffragante tota cœlituum Aula? Si adeo valuerunt supplicationes et merita Moysis et David ad redimendas coram Deo iniquitates gentis suæ, quid dicendum de precibus, de meritis et supplicationibus totius familiæ filiorum Dei sub uno capite Christo et sub matre Maria? Quod adeo verum est, ut Voltairius de jubilæo sui temporis evidentia coactus dixerit: « Ce Jubilé nous a fait reculer d'une moitié de siècle; encore un autre, et notre cause est perdue! » — *V.* Martinet, *Instit. Theol.*, vol. IV, l. IV, a. 7. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, par. II, leç. 55.

**204**. Si populus christianus tam miris effectibus non ita moveatur, sed vix aliquæ de devoto femineo sexu quoad illos sollicitæ sint, videamus ne culpam in nos conferat Deus; cum et ipsi nos forsan parvi faciamus indulgentiarum lucrum, et cursim illas in Ecclesia annuntiantes, earum vim et utilitatem fidelibus non aperiamus, neque ipsorum animos excitemus. Id etiam curandum, ut falsas, et indiscretas quæ non raro circumferuntur, a fidelium manibus removeamus; cum hæ fidem veris et genuinis auferant. Qua in re Tridentinum *sess.* 21, *c.* 9, *de R.*, *et sess.* 25 *decr. de indulg.*; item Pontifices pluribus decretis, ultimo decreto generali S. Congregationis Indulgentiarum a Pio IX 14 apr. 1856 adprobato, mandant Ordinariis ut invigilent, recolentes maxime quæ tradit Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XVIII.



Sunt: — 1. indulgentia, quæ exprimit etiam culparum remissionem, uti suspectæ sunt habendæ, nisi congrua interpretatione nomen *culpæ* pro pœna accipi possit; — 2. incredibiles ac plane improbabiles habendæ sunt indulgentiæ mille annorum, vel tot annorum quot arenæ grana simul junctæ hominis manus continere possunt et hæc similia; — 3. Clemens VI, qui Pontifex creatus est anno 1342, primus fuit qui Annum Sanctum a centenario ad quinquennarium annorum curriculum contrahens, in ipsa indulgentiæ concessione usurpavit hoc verbum *jubilæum*. Itaque si aliqua proferatur indulgentiæ concessio inscriptam habens hanc *jubilæi* denominationem, eaque enuntiatum tempus antevertat, poterit utique Episcopus suspectam illam habere. Illud insuper accedit a Clemente VIII (Pontifice renuntiato anno 1592) aliisque Pontificibus abrogatas fuisse indulgentias *in forma jubilæi* concessas; quare quicumque sibi facultatem asserit indulgentiam aliquam publicandi in forma jubilæi, debet omnino exhibere concessionis litteras, et insuper ostendere eas datas fuisse post pontificatum Clementis VIII, qui mortuus est 3 mart. 1605, et post alia decreta ejusmodi gratias abrogantia (vid. P. Theodorus a S. Spiritu, *De Indulgentiis*). Quod si adhuc circa genuinitatem alicujus indulgentiæ dubium sit, recurrendum erit ad S. Congregationem laudatam. — *V.* Ferraris, *Bibl.*, v° Indulgentia, a. 4, n. 14, ubi legitur Decretum *Delatæ* Innocentii XI circa falsas indulgentias, 6 mart. 1678.

### (K) Page 96.

**205**. A. *Quæstiones de Indulgentiis.*

I. Indulgentia quam episcopus absolute concedit facienti tale opus, durat etiam post ejus mortem; sed successor nequit eidem operi de novo addere indulgentiam, ut ideo ea dupla sit. Potest tamen id Archiepiscopus, nempe tribuere Indulgentiam pro eodem ipso opere, pro quo jam eam Episcopus suffraganeus elargitus est. *Bouvier*.

II. Vicarius generalis Episcopi sine speciali Episcopi sui delegatione



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non potest Indulgentias conferre. Ita communissime. Neque Vicarius capitularis. *S. C. I.*

III. Se prosternere coram R. Pontifice solemniter benedicente, vel Episcopo de facultate Papalem benedictionem largiente, etsi id opus non sit pœnabile, est tamen sufficiens ad Indulgentiam, etiam plenariam; quia id valde confert ad obsequium exhibendum erga Ecclesiam, atque ad reverentiam erga Pontificem : hic porro finis oculis fidei gravis est.

IV. Quando Indulgentia omnibus generatim conceditur, quamvis opus præscriptum sit pro singulis quid parvi, non ideo tamen erit insufficiens; quia totum simul inspiciendum est. Talis est plenaria Indulgentia concessa pro recitantibus quinque *Pater* et *Ave* ad hæreticorum conversionem, etc. *Bouvier.*

V. Si defectus causæ casu nullam faciat Indulgentiam, adhuc valent privilegia si quæ eidem adnexa; quia eorum concessio a superioris voluntate solummodo pendet. Ita omnes docent.

VI. Tridentinum (*sess.* XXII, c. IX) præscribit, ut Indulgentiæ ac ceteræ gratiæ spirituales ab apostolica Sede concessæ examinentur ab Ordinariis, adhibitis duobus de Capitulo, et solum per ipsos debitis temporibus publicentur. Hæc dispositio quoad adhibendos Canonicos in Gallia non est in usu (neque apud nos). Sed Episcopi non permittunt Indulgentias publicari, neque facultates exterius exerceri Romæ obtentas, nisi certi facti sint de earum authenticitate. Quæ præscriptio laudatur a Benedicto XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XVIII.

VII. Indulgentia non cessat per cessationem causæ, ob quam ea primitus data est. Est communis sensus Theologorum ac Canonistarum penes Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v° Indulgentia, a. 3, n. 54.

VIII. Quando conceditur Indulgentia ei, qui tale opus egerit per mensem, mensis debet esse usualis, non dimidium unius et dimidium alterius. *Bouvier.*

IX. An opera quæ jam aliunde fieri debent ex præcepto vel voto, ad Indulgentiam inserviant quin repetantur, si hæc eadem sint, quæ in Indulgentiæ concessione præscribuntur, respondeo negative, si agatur de Jubilæo ex Benedicto XIV, *Notificatione* LIII et Bulla *Inter præteritas* anno 1749. Imo idem videtur dicendum si agatur de aliis Indulgentiis; nam opera præscripta sunt *onerosæ conditionis;* si porro illa jam fiunt alia necessitate, in eis nihil est onerosi quoad Indulgentiam. In praxi igitur opera illa repetenda sunt, cum agitur de Indulgentia lucranda. Verum etiam quando ex præcepto vel voto ea ponuntur, præstat ut habeatur intentio Indulgentiam lucrandi, si quæ forte adest — Ceterum hoc non valet pro operibus in Congregationibus vel Communitatibus præscriptis, quæ cum per se non obligent sub culpa, ne-



que sint in rigoroso præcepto, bene inserviunt pro Indulgentiis. *Bouvier.*

X. Qui alicui Congregationi nomen dederunt, si omittant opera injuncta per diem, non peccant : imo participant de piis operibus quæ in illa fiunt. Non tamen acquirunt Indulgentias certis temporibus concessas; quia hæc concessio est sub conditione illarum operarum. *Bouvier.*

XI. Indulgentiæ *tantum valent, quantum verba sonant;* unde hic non licet argumentari; nec eam supplet error communis, si nempe communiter existimatur tali opere adnexam esse indulgentiam, cum tamen de facto nulla sit. Ita passim auctores.

XII. Qui aliis concedit potest et sibi ipsi indulgentias applicare; qui enim de thesauro disponere potest, potest utique sumere de illo et pro aliis et pro seipso. *S. Thomas.*

XIII. Licet effectus Indulgentiarum pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro defunctis; cum pro eis nulla adsit promissio : unde Deus ipsas acceptat ad suum beneplacitum. Ceterum tenendum omnino, ut plurimum prodesse, ne dicatur Ecclesia agere quid inutile, has frequenter defunctis applicando. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 534.

**206.** B. *Quæstiones de Jubilæo.*

Jubilæum a *jubilare* dicitur, vel potius ab hebraico, *jobel, hobel,* vel *jubel.* Porro *jobel* cornu indicat, quia nempe ad talem solemnitatem buccina vocabantur quæ cornu figuram referebat ; *hobel* indicat revocare, quia tunc omnia ad pristinum dominum revocabantur; *jubel* est sonitum reddere. — *V.* Ferraris, *Biblioth.*, v^is Annus sanctus, Jubilæum. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 64; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 535. — *Del Giubileo*, narrazione storica. Torino, 1824. — Viva, *De Jubilæo et Indulgentiis.* — Wiseman, *Conférences*, etc., conf. XII. — Scotti, *Teoremi*, ecc. — *Il Giubileo e pratiche divote.* Torino (Letture Cattoliche).

Jubilæum aliud est extraordinarium, ut diximus; aliud particulare. *Extraordinarium.* Tale fuit quod concessit Pius PP. IX, 17 nov. 1846, ad divinam gratiam atque subsidium in hac nostra temporum calamitate implorandum. Generatim determinatio temporis ad Jubilæum pro unaquaque Diœcesi committitur Ordinariis, quorum porro est illud et determinare, et determinatum variare juxta particularium locorum circumstantias; facultas enim data est ad effectum Jubilæi. — *Particulare :* tale est illud, quod olim a Pio IV (anno 1565) perpetuo concessum fuit oppido Olegii Diœcesis Novariensis : omnes videlicet qui in Festo tum Corporis Christi tum Omnium Sanctorum vere pœnitentes et confessi, seu statutis a jure temporibus firmum confitendi propositum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

habentes, altare Sanctissimi Corporis Christi situm in Ecclesia SS. Petri et Pauli, a primis vesperis usque ad occasum solis dictorum dierum, devote visitaverint, aliquas ibi preces fundendo pro felici R. Ecclesiæ statu et fidei exaltatione, plenariam Indulgentiam consequuntur animabus purgantibus applicabilem. Facta Confessariis approbatis facultate tum absolvendi ab omnibus casibus et censuris, exceptis reservatis in Bulla *Cœnæ;* tum commutandi vota in alia pietatis opera, exceptis votis visitationis Luminum Apostolorum, et S. Jacobi Compostellani; item religionis atque castitatis votis.

Quæstiones de Jubilæo præcipuas in unum congessit Benedictus XIV, const. 25 nov. 1749 *Convocatis*, et maxime *Inter præteritas* 1749, 3 dec. Nos nonnulla hic referimus pro praxi; nam juxta illas res est resolvenda, nisi sit derogatum per posteriores Bullas : hinc cum die 16 feb. 1852 propositum fuerit dubium, *an in Jubilæo tum ordinario tum extraordinario servandæ sint omnes regulæ a Benedicto XIV traditæ, quibus non adversatur Bulla Jubilæi*, responsum fuit a S. C. Indulgentiarum, *affirmative* (It. vid. Constitutio *Cum nos nuper* ubi de suspensione Indulgentiarum et facultatum eo tempore vertente, 17 mart. 1749. It. aliæ *Vere pœnitentibus; In hac; Paterna; Celebrationem*, omnes ejusdem Pontificis constitutiones anno 1749, 1750 datæ). Hic de præcipuis.

I. Proposito dubio circa *Communionem paschalem*, an satis esset etiam ad lucrandum Jubilæum, sic S. C. E. respondit Vicario capitulari mediolanensi 6 martii 1847, ut videre est in *Amico Cattolico*, v. XIII : « Au doute que vous avez proposé, si avec la *Communion pascale* on peut satisfaire aussi à la communion prescrite pour gagner le jubilé, la sacrée congrégation des évêques et des réguliers répond *négativement*, et vous informe que Sa Sainteté n'a pas cru devoir consentir à la prière de plusieurs évêques qui demandaient avec instance qu'une seule communion pût satisfaire au précepte pascal et à l'œuvre prescrite pour gagner le jubilé. — Afin qu'à l'avenir il ne reste aucun doute relativement *aux jeûnes*, la même congrégation, en vertu de pouvoirs spéciaux, permet que dans ce diocèse le jubilé puisse avoir son effet, nonobstant la coïncidence du Carême, et qu'en conséquence on puisse avec les jeûnes du Carême satisfaire à ceux du jubilé. Il est, du reste, bien entendu que, dans les trois jours de jeûnes prescrits pour gagner le jubilé, on ne fera pas usage d'aliments défendus d'ailleurs, mais qui sont permis dans le Carême courant par un indult spécial du Souverain Pontife. »

II. Jubilæi facultate non gaudent qui parati non sunt ad illud lucrandum, et ad operibus præscriptis satisfaciendum. *Benedictus XIV*.

III. Per clausulam *ad beneplacitum nostrum et Sedis apostolicæ*,



non cessant Indulgentiæ morte Pontificis; secus si tantum dicantur *ad beneplacitum nostrum*. Et circa suspensionem Indulgentiarum, quando in Indulto Jubilæi dicitur, *omnes et singulæ*, etiam plenariæ Indulgentiæ suspenduntur. Ita *Benedictus XIV*.

IV. Qui habens veram intentionem lucrandi Jubilæi, fuit absolutus a censuris, aut dispensatus in voto, non reincidit, si ille postea, mutata voluntate, Jubilæum non lucretur, vel etiam culpabiliter. *Benedictus XIV*. — An autem qui hoc agit cum culpabili negligentia, peccet mortaliter, disputant.

V. Facultatibus Jubilæi semel tantum quis gaudere potest; sed Indulgentias qui opera præscripta repetit, utique pluries lucrari potest. Excipe nisi illa Indulgentia concessa sit visitantibus præscriptis diebus aliquam Ecclesiam; tunc unica tantum Indulgentia acquiritur. Ita *Benedictus XIV*.

VI. Ad *Jubilæum majus*, omnino in alterutra hebdomada omnia opera præscripta perfici debent; tum quia talis est usus; tum quia talis videtur semper esse Indulti sensus; imo Ecclesiarum visitatio uno die est perficienda; sufficit tamen si ea fiat etiam *a primis vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum*, uti dicitur in Bulla. Probabilissimum tamen est Confessionem et Communionem posse fieri tam in prima, quam in Dominica immediate sequenti. Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 537. — Quoad Jubilæum autem minus (nisi aliud exprimatur) satis est, si opera fiant decurrente toto Jubilæi concesso tempore, etiam ipsa Ecclesiarum visitatio; ita Pius Papa IX in Jubilæo concesso 20 nov. anno 1846, post suam videlicet ad Pontificatum exaltationem; et in ceteris Jubilæis annorum 1851, 1854, 1858. *Gury*.

VII. In Bulla Jubilæi solet præscribi visitatio plurium Ecclesiarum ejusdem civitatis aut loci; sed plurimis in locis unica est Ecclesia. An in hoc casu Episcopus possit visitationem ceterarum Ecclesiarum in aliud opus pium commutare; vel etiam Capellam, altare, crucem aliumque pium locum Ecclesiarum loco visitandum designare? — S. C. I. decrevit *supplicandum a Sanctissimo, ut per decretum generale facultatem tribuat Ordinariis unicam Ecclesiam visitandi quot sunt Ecclesiæ pro acquisitione Jubilæi visitandæ :* facta relatione Pio PP. IX 15 martii 1852, Sanctitas Sua relationem approbavit, et concessionem præcepit publicari per generale Decretum, quod factum est.

VIII. Si confessio nulla sit ex defectu doloris etiam inculpabiliter, probabilius non aufertur reservatio nec censura; nam cum Pontifex concedit illas facultates, ut fideles Jubilæum lucrentur, non præsumitur illam concedere iis, qui nequeunt cum tali Confessione Jubilæum lucrare. *Liguori*.

IX. Qui rite confessus est tempore Jubilæi, sed oblitus est confiteri reservata, etiam eo tempore transacto, a quocumque Confessario potest absolvi; ratio quia vi Jubilæi jam acquisivit jus ea facultate gaudendi. Idem dicunt probabiliter, atque communius de ipsorum votorum commutatione. *Liguori*.

X. Recte advertunt communiter, quod pro commutatione votorum non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa communis, ob quam Pontifex motus est ad Jubilæum indicendum. *Liguori*.

XI. Communius et probabilius, potest absolvi a reservatis qui peccavit in Jubilæi confidentiam; quia non limitanda facultas sine limitatione concessa. *Liguori*.

XII. Communis est sententia facultatem in Jubilæo concessam absolvendi a Papalibus intelligi etiam de Episcopalibus. Et licet hæretici non possint absolvi, possunt utique eorum fautores et legentes vel imprimentes libros de hæresi tractantes, et etiam blasphemi hæreticales; quia talia peccata non sunt proprie hæresis formalis : sicuti etiam publici Clericorum percussores, etc. Nunquam tamen tollitur obligatio satisfaciendi læso. *Liguori*.

XIII. Ad Jubilæum lucrandum Regulares possunt confiteri apud quemcumque Sacerdotem approbatum etiam sæcularem, ut declaravit Gregorius XIII, et Alexander VII. Sed ut Moniales illum eligant, debet Confessarius etiam esse approbatus pro Monialibus, ex Benedicto XIV. *Liguori*.

XIV. Qui confitens inculpabiliter obliviscitur peccati mortalis, non tenetur iterum confiteri ad lucrandum Jubilæum; quia illius Confessio fuit sacramentalis, et est in gratia. Tantum est illi obligatio suo tempore illud Ecclesiæ clavibus subjiciendi. *Bouvier*.

XV. Si quis post Confessionem labitur in mortali, licet non teneatur iterare visitationes, tenetur tamen iterum confiteri, nec sufficit conteri, si velit lucrare Jubilæum. Ita *Benedictus XIV*.

XVI. « Celui qui doit faire sa communion pascale et gagner le jubilé à peu près dans le même temps est-il obligé de se confesser deux fois? Nous pensons qu'une seule confession faite en vue du jubilé suffit; car, de deux chose l'une : ou il ne se sent pas coupable de péché mortel, ou il s'en reconnaît coupable. Dans le premier cas, il suffit qu'il se confesse pour le jubilé, n'étant point obligé de se confesser pour la communion pascale. Dans le second cas, se trouvant réconcilié par la confession jubilaire, il ne peut plus être tenu de se confesser pour communier à Pâques, puisque alors rien ne s'oppose à ce qu'il communie une première fois pour gagner l'indulgence, et une seconde fois pour satisfaire au précepte de la communion pascale. En serait-il de même s'il ne s'était pas confessé depuis un an? Il en serait encore de



même s'il croyait prudemment n'avoir pas commis de péché mortel depuis sa dernière confession; car nous avons montré plus haut que le précepte de la confession annuelle n'oblige pas ceux qui n'ont à se reprocher que des fautes vénielles. Mais, si c'est un fidèle qui a commis quelque faute grave, nous le regarderons comme un malade qui s'est trouvé dispensé d'employer les remèdes qui lui étaient prescrits parce qu'il a recouvré la santé avant d'en faire usage; le précepte du concile de Latran cesse alors d'avoir son application. — Il n'en est pas de la communion comme de la confession; on ne peut, par une seule communion, satisfaire au devoir pascal et à la condition prescrite pour le jubilé : car, comme l'enseigne Benoît XIV, on ne peut faire servir pour l'indulgence une œuvre qui est prescrite à un autre titre, et, à la différence du précepte de la confession, qui n'oblige que ceux qui sont en état de péché mortel, celui de la communion est pour tous les fidèles. Ainsi, en 1826, M. de Quélen, archevêque de Paris, ayant consulté le Saint-Siége sur cette question, il lui a été répondu *que la Communion pascale et la communion du jubilé sont deux obligations différentes qui ne peuvent être acquittées par une seule communion.* » Ita Gousset, *Théol. Mor.*, nn. 912, 913.

XVII. Pueri, senes, operarii, infirmi et alii, qui non obligantur jejunio Ecclesiastico, tenentur tamen jejunare, si velint lucrari Jubilæum : vel petant commutationem. Idem dic de aliis operibus. *Bouvier*.

XVIII. Eleemosyna pro Jubilæo non debet esse jam debita, puta si quis ex legato jam teneatur dare pauperi eleemosynam. *Benedictus XIV*. Nomine autem eleemosynæ in Jubilæo non intelligitur spiritualis, sed corporalis. Non autem necesse est, ut tribuatur pecunia, sed sufficit alia res appretiabilis, ut vestis, panis, etc. Si eleemosyna imponitur in subsidium alicujus piæ operæ, debet esse pro uniuscujusque viribus; si sit tantum ad exercendam misericordiam, tunc sufficit quæcumque parva summa. *Bouvier*.

XIX. Confessarius potest in Jubilæo commutare votum illius, qui vovit de non petenda commutatione alicujus voti; quia privati non est Ecclesiæ potestatem limitare. Imo hac ratione sunt qui volunt hoc votum sic emissum suapte natura nullum esse. *Bouvier*.

XX. Non prius absolvendus pœnitens a censuris, quam parti læsæ satisfecerit; quod si hic et nunc nequeat, juret se satisfacturum quam primum poterit. *Benedictus XIV*. Ceterum hac de re vide *De Censuris*, ubi *de absolutione*.

XXI. Tempore Jubilæi Anni sancti manent suspensæ facultates Regularium absolvendi a casibus Bullæ *Cœnæ* et reservatis Sedi Apostolicæ, et vota commutandi sive sint concessæ intuitu Indulgentiarum, sive ob alias causas. *Benedictus XIV*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Loquendo speciatim de Jubilæo *anni sancti*, ut magis alliciantur fideles ad illud lucrandum et Romam petant, statutum est : — 1. omnes partiales et plenariæ Indulgentiæ pro vivis suspenduntur pro toto orbe, nisi agatur de Indulgentiis concessis pro moribundis, vel pro recitantibus suis temporibus *Angelus Domini*, vel pro comitantibus Viaticum candelam accensam gestando, vel pro 40 horarum devotione. Aut de Indulgentiis concessis directe defunctis, ut est altare privilegiatum ; aut concessis particularibus ab alio, quam a Papa, uti a Cardinali, Legato, Nuntio, Episcopo. Imo ex concessione Benedicti XIV omnes Indulgentiæ quæ vivis concessæ cum facultate eas applicandi defunctis, non suspenduntur quantum ad applicationem pro defunctis ; — 2. extra Romam illæ, quæ alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt ; — 3. suspenditur etiam facultas absolvendi a casibus papalibus et dispensandi in votis, etc. Ceterum inspiciatur Bulla concessionis.

An suspensa censeatur tempore jubilæi indulgentia plenaria occasione benedictionis solemnis ab episcopis impertiri solitæ in aliquibus solemnitatibus. S. C. I. 23 dec. 1824 respondit *affirmative*.

XXII. *An data ampla facultate absolvendi ab omnibus omnino censuris, etiam a contentis in Bulla* Cœnæ, *in Jubilæo, possit etiam deduci facultas absolvendi ab hæresi ad extrinsecum deducta, de qua in dicta Bulla mentio fit?* — Negative : « *cum hujusmodi facultas expresse semper nominari debeat, nec unquam vigore cujusvis verborum amplitudinis concessa dici possit; quemadmodum statutum fuit a decessore Nostro Alexandro VII in decreto, quod in Congregatione S. Inquisit. coram se habita condidit :* SS. Dominus N. Alexander papa VII sub die 23 martii 1656 inhærendo declarationibus alias a Prædecessoribus suis factis, ad removendam omnem dubitandi occasionem, et ne circa id in posterum ullo tempore hæsitari contingat, cum crimen hæresis præ ceteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ad hæresi. » Ita *Benedictus XIV* Bulla *Inter præteritas*, § IX [1].

[1] Pius Papa IX in Jubilæo anni 1851 et 1854 facultatem tribuit absolvendi « de tous les péchés, les crimes, les délits, pour graves et énormes qu'ils soient, même spécialement réservés à l'ordinaire du lieu et au Saint-Siége, dont un décret général n'aurait pas permis d'ailleurs d'absoudre. » Dubitatum fuit an per hæc verba possit etiam absolvi ab hæresi ; interrogata anno 1854 S. Pœnitentiaria, respondit *affirmative, juxta mentem ;* unde patet per laudata Pontificis verba hæresim satis indicari in forma æquipollenti, ex Pontificis voluntate et mente.



XXIII. *Cum datur facultas commutandi opera præscripta in alia, id non necessario fit in Confessione et a Confessario qui audit confitentem ; sed potest fieri extra et ab alio idoneo, modo sit Confessarius, ut declaratur in Bulla Indulgentiarum Gregorii XIII. — Excipe semper vota, quæ nonnisi intra Confessionem commutantur ex Benedicto XIV. — Item irregularitas nonnisi in Confessione dispensatur. Dispensatur autem modo in Rituali præscripto, et post datam absolutionem a peccatis.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 534 ad 15.

XXIV. *Confessarius eligendus tempore Jubilæi debet esse approbatus ab Ordinario loci, seu ubi ipsa fit Confessio ; non autem ab Ordinario pœnitentis.* Ita S. C. C. et Bulla Benedictina.

XXV. *Confessarius approbatus limitate pro solis viris, non potest tempore Jubilæi eligi a mulieribus. Ita Confessarius approbatus pro solis rusticis, non potest eligi a civibus. Sic approbatus limitate pro uno tantum loco, non potest eligi extra illum locum.* S. C. Concilii ad Episc. Abulensem 1593.

XXVI. Est regula universim hac de re accepta : *Quod non est in Bulla, non potest esse in praxi.* Attamen (ait L. Ferraris, *Bibliotheca*, etc. vº Jubilæum, art. 1) « Bullæ Jubilæi quoad ea, quæ favores continent, sunt latissime interpretandæ quantum patitur proprietas verborum, nisi in particulari casu vel ipsa communis praxis, vel stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. — Quoad ea autem, quæ gravamen, seu odium continent, sunt stricte interpretandæ quantum patitur verborum proprietas, nisi in particulari casu, stylus, et praxis Curiæ Romanæ, seu aliqua peculiaris ratio laxiorem interpretationem persuadeat ; *arg. cap. Odia* 15 *de Regulis Juris* in 6 ibi : *Odia restringi et favores convenit ampliari.* Sic Suarez, Henriquez, Sanctarellius cum Gobat *hoc loc. cap.* 5 *numer.* 24 *et sequent.* Viva *De Jubilæo quæst.* La Croix (*lib.* III. *h. l. numer.* 1395) et alii passim. Hinc latissime sunt interpretandæ quoad concessionem Indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum, vel votorum, etc., quia sunt favores. Stricte autem sunt interpretandæ quoad obligationem ad certa opera, suspensionem Indulgentiarum et facultatum, quia sunt gravamina. » *Ench. de Jub.* Ita *Viva, Sa, Croix*, etc.

XXVII. Quando dicitur : *Commutatio votorum fiat dispensando*, principaliter debet attendi ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor, nempe ut materia voti transferatur in aliam materiam non rigorose æqualem, sed mixtam cum aliqua dispensatione, seu capacem alicujus moderatæ inæqualitatis inter primam materiam et secundam subrogatam. Secus si dicatur : *Dispen-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*satio fiat commutando.* Facultas autem dispensandi non includitur in ipsa facultate commutandi. *Benedictus XIV.*

XXVIII. Commutatio fieri debet in opera ejusdem naturæ ac qualitatis cum potest. *Benedictus XIV.* Et hæc commutatio fit a quolibet Confessario approbato.

XXIX. Opera facta in peccato valent ad jubilæum adquirendum, modo fiat animo exhibendi honorem Deo, non autem ex fine vano; et modo ultimum opus impleatur in gratia. *Benedictus XIV.*

XXX. Per Jubilæum non datur facultas neque dispensandi ab aliquo matrimonii licet jam contracti impedimento, etsi occulto; neque incestuosos conjuges collapsos a jure petendi in pristinum jus restituendi. Ita omnes.

XXXI. Vota *simpliciter pœnalia*, quæ scilicet emittuntur in pœnam alicujus delicti jam perpetrati, utique commutantur. Sed vota *pœnalia præservantia* quæ emittuntur in futuro, ut nempe timore rei promissæ retrahatur promittens ab aliquo delicto committendo, commutari prohibentur. Excipe nisi commutatio fiat in opus aliud pœnale, quod magis vel æque ad præservandum conducit; tunc enim habetur æquivalens, neque alterius jus violatur. *V. Edictum* card. Morozzo Novariensis Episcopi, 20 martii 1826; et *Bouvier.*

XXXII. Privilegium commutandi vota extendunt ad commutationem juramenti in honorem Dei emissi : v. g., juravit Janus in honorem Dei non amplius ludendi. Stante causa, tempore jubilæi potest hoc mutari, nam juramentum sic nuncupatum nihil aliud est, quam promissio reddendi Deo juratam rem : unde ex communi induit naturam voti, cum semper una et eadem obligatio in uno et in alio inducatur; porro ex regula juris quod in uno æquiparatorum dispositum est, etiam in altero dispositum censetur. *Anacletus, Layman, Homobonus.*

XXXIII. Opera omnia injuncta legitimo impedimento detentis valide commutantur; si excipias orationem, Confessionem atque Communionem. Item et Communionis pro pueris ad illam nondum admissis, legitime fit commutatio ex Bulla Benedictina.

XXXIV. Itinerantibus prorogari possunt opera injuncta usque ad reditum, nec tenetur quis suum iter differre, si commode nequit : ita Lugo, Holzman, cum Liguori. — Peregrini autem usu inductum est, ut lucrentur Jubilæum loco ubi opera præscripta implent.

XXXV. Qui dat eleemosynam distribuendam, si postea culpa alterius non distribuatur vel nonnisi post Jubilæum, affirmant Sa, Lesana, etc., ipsum lucrari Jubilæum, quia quantum in se est, opus præscriptum præstitit. Certe ille non fraudatur qui dedit ficto pauperi. *V. Liguori.*

XXXVI. Orationes in Jubilæo præscriptæ cum socio alternatim recitari possunt, ut praxis se habet. Ita *Resolutio Casuum* sub auspicio Lambertini, postea *Benedicti XIV.*



XXXVII. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti, potest, transacto Jubilæo, ipsum absolvere eadem facultate ab omnibus reservatis, etc., tum quia judicium jam inchoatum est, tum quia peccata reservata jam submissa sunt habenti facultatem. — Quid si alia reservata commissa sint post transactum Jubilæum? Alii affirmant adhuc posse absolvi; quia aliter non lucraretur Jubilæum; prout a Pontifice datum est. Sed alii negant nam jurisdictio Confessarii prorogatur tantummodo quoad jam commissa, non autem ad nova reservata extenditur. *Lucius Ferraris.*

Si quis peractis una hebdomada præscriptis operibus, inabsolutus remittatur ad aliud tempus, non amplius tenetur dum absolvitur, repetere opera illa. S. C. I. 28 nov. 1759.

XXXVIII. Qui prima hebdomada lucratus est jubilæum, si secunda hebdomada iterum incidit in reservata, potestne iterum absolvi? Affirmant multi, etsi opera injuncta non repetat, quamvis bis non possit lucrari Jubilæum; cum favores conveniat ampliari. Verba autem Bullæ *Pro hac vice tantum* non referuntur ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi, id est pro tempore hujus Jubilæi tantum. Alii tamen negant, et referunt declarationem Clementis VIII datam anno 1620. Ita *Resol. Casuum* sub auspicio *Benedicti XIV.* Item confirmatur Bulla *Inter præteritas*, n. 84. *V. Bouvier.*

XXXIX. Qui etiam culpabiliter opera injuncta omisit, si currat ultima Jubilæi dies et vere ipsum pœniteat, ac velit Jubilæum lucrari, Confessarius poterit illi tempus prorogare. Ratio est, quia posita retractatione, impedimentum illud non est amplius voluntarium, ideoque potest Confessarius illi providere tanquam legitime impedito; cum adhuc id faciat tempore habili, id est nondum tempore Jubilæi transacto. Ita *Scarpazza*; et *Resolutio Casuum* sub Benedicto XIV.

XL. An lucretur Jubilæum, et possit absolvi et dispensari qui confitetur in loco, ubi Jubilæum vel jam consummatum, vel nondum promulgatum est, si cetera opera rite perficiat? Negat Pontas, qui ait id esse contra intentionem Pontificis. Sed alii communiter affirmant, quia facultas pœnitenti facta est eligendi quemcumquæ voluerit Confessarium, cum hac unica clausula : *ut sit approbatus pro eo loco, ubi Confessio fit.* Imo pro certo habet Scarpazza, opera præscripta ubicumque locorum adimpleri posse, si excipiatur Ecclesiarum visitatio; cum hæc una tantum determinata sit in Bulla concessionis. Vid. *Bouvier.* Imo ipsa visitatio pro impeditis potest commutari : sic moniales, carcerati, infirmi hujus operis commutationem habent a Confessario. Ita *Bullæ.*

XLI. Qui confitetur vigilia ipsius Jubilæi jam potest lucrari Indulgentiam plenariam Jubilæo adnexam, cum taliter acta Confessio sufficiat ad Indulgentiam ex indulto Pii VII, 12 junii 1822. Imo talis Confessio etiam pro ipso Jubilæo sufficit, si facta sit in vigilia a primis vesperis tum quia in Jubilæo Urbis ita constanter servatur, uti patet ex Bulla Benedicti XIV *Peregrinantes :* tum quia Jubilæi tempus (uti rite observat Minderer, *De Indulgentiis*); ad instar maximi festi et solemnitatis haberi solet, quæ juxta Ecclesiæ ritum a primis vesperis præcedentis diei celebratur. Ita in Nota ad *Gury*, editio veronensis, 1851.

XLII. « Les confesseurs peuvent dispenser de l'irrégularité *occulte*, provenant de la *violation des censures*, tant à l'effet d'exercer les fonctions sacrées, que pour recevoir un ordre supérieur. Mais c'est la seule irrégularité qu'ils puissent lever à l'occasion du jubilé. Ils sont autorisés à commuer les vœux simples, à l'exception du vœu de chasteté perpétuelle et du vœu d'entrer en religion. Encore peuvent-ils commuer ces deux derniers vœux, dans tous les cas où la réserve est dévolue à l'Ordinaire. Mais il ne faut pas confondre la commutation des vœux avec la dispense. On excepte encore le vœu qui serait fait en faveur d'un tiers, à moins qu'il n'ait pas encore été accepté. Les confesseurs ne peuvent le commuer. » Ita Cardin. *Gousset*. — V. Bouvier, *Traité des Indulgences*. — Collet, *Traité du Jubilé*. — Moroni, *Centum responsa centum quæsitis*. Mediolani anno 1682. — Et nostra Appendix 2ª in fine vol. I, vº Indulgentia. — Et Benedictus XIV, *Notificationibus* IV et LIII.

*Nota :* Ex quo Ecclesia singulo quinquagesimo anno jubilæum indixit veterem hominem ad novitatem hilaritatemque vitæ revocando, *annus quinquagesimus* sacer evasit et usurpari cœpit in quibusdam momentosis humanæ vitæ stadiis : ita inductum est, ut presbyter, ac parochus religiose celebrent quinquagesimum sui sacerdotii et parœciæ annum, quasi de novo sacro ministerio manum admoveant. — Item conjuges, in Germania præsertim, concelebrare solent quinquagesimum sui matrimonii annum, et id vulgo dicitur argenteas nuptias agere; dies enim nuptiarum aurearum, quæ fuerunt veræ nuptiæ, una simul cum juventute perpetuo transierunt.

### (*L*) Page 102.

**207.** Ex tradita Sacramenti Pœnitentiæ forma, patet ipsam esse indicativam. Attamen an valeat etiam forma deprecativa, quæstio magna est : alii et quidem graves AA., probant ex plurimis documentis hanc



formam in Ecclesia latina obtinuisse usque ad annum 1200 : et etiam nunc in græca Ecclesia obtinere. Ita Martin, Morinus, Tournely, Vitassius. Alii e contra id negant : imo communissime Theologi morales inter quos Suarez cum D. Thoma, contendunt formam deprecatoriam esse prorsus invalidam, si nempe dicatur *absolvat te Deus;* cum Christus hoc Sacramento instituendo expresse indixerit, ut Sacerdotes tanquam judices sententias proferrent (*V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 430. Perrone, *De Pœnitentia*, § 218). Verum quidquid sit, hodie ex Florentini ac Tridentini decretis certum est, et de fide, debitam formam esse *indicativam*. Et ideo Sacerdotes vere dimittunt peccata; et data absolutione, plenam consequitur pœnitens peccatorum, ac reatus remissionem.

*Opponunt hæretici :* Esto, quod Deus remittendo peccata et reatum tollat; adhuc tamen in anima remanent re, et natura, licet sine imputatione, quasi nempe tecta et cooperta velamine a gratia Christi *Omnis persona simul peccatrix est dum justa est*, inquiebat Lutherus : *Deus vult peccata tollere quoad remissionem culpæ et quoad ipsam vim peccati; non quoad rem seu naturam peccati*. Ejus autem discipulus Melanchthon addebat : *Semper* (etiam post acceptum reconciliationis beneficium) *manet umbraculum amplectens nos et tegens nostras sordes*. Tandem concinnebat cum ipsis vaferrimus ille Jansenistarum vexillarius Michael Baius : *In Sacramento Baptismi aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotis solum liberat a reatu.*

R. Hisce nihil sane absurdius : sane vi absolutionis Sacramentalis anima nostra consequitur justificationem; atqui justificatio cum *re et natura peccati* esse non potest : necessarii enim justificationis effectus ex Scriptura et Tridentino sunt, ut abluatur peccatum, ut peccator sanctificetur, super nivem dealbetur, et fiat Deo dilectus, cohæres Christi, perinde ac si numquam peccasset, ut uno verbo nihil in eo amplius sit, quod Deo displiceat; qui effectus conciliari non possunt cum re et natura peccati, etiamsi hoc careat reatu sive imputatione. *Quælibet gratia gratum faciens*, ait Angelicus, *delet omnem culpam mortalem, quia simul stare cum ea non potest. Gratia sanctificans per se ita peccatum expellit*, addit Contensonius, *ut repugnet utrumque in eodem subjecto sociari.* Revera quomodo sociari poterunt in eodem subjecto gratia Christi et natura peccati? quomodo esse potest cum ejusdem animæ pulchritudine illud Melanchthonianum *umbraculum amplectens* eam? et *tegens sordes* ejus? Huc facit etiam quod de justificatione in Baptismo declaravit Tridentinum.

Si ita est, quomodo (inquies) intelligenda erunt illa verba : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates; et quorum tecta sunt peccata?*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bellarminus hanc difficultatem appellat *argutiam Kemnitii Calviniani*, eamque refellit dicens, coram Deo *tegere peccata* et *peccata delere* et *abluere*, ita ut amplius non sint neque imputatione neque re et natura, esse unum et idem; nam Deo non potest aliquid *tegi*, nisi penitus deleatur : *Omnia enim nuda sunt et aperta oculis ejus*. Hinc Augustinus in allatum Psalmum habet ad rem : *Non sic intelligatis quod dixit : peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.*

*An pœnitens possit esse certus de obtenta remissione?*

R. Utique de certitudine *fidei* certus esse non potest pœnitens de obtenta remissione; nam certitudo fidei, cui non potest subesse falsum, non habetur nisi per divinam revelationem; et hoc sensu præcipue accipienda sunt quæ objiciuntur testimonia. At potest certus esse certitudine *morali* seu *conjecturali*, quantum videlicet satis est ad conjiciendum se habere gratiam, interrogando testimonium conscientiæ suæ. Ipse Apostolus ad testimonium conscientiæ appellat, cum ait : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat* (I. Cor. II). Iterum cum dicit : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei... conversati sumus in hoc mundo* (II Cor. I). Eodem in sensu ait Joannes : *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* (Ep. I, c. III). Hinc Basilius quærenti, quomodo quis persuasus esse possit, quod Deus ei peccata dimiserit, responderat : *Nimirum si affectionem in se anima senserit similem illius, qui dicebat : Iniquitatem odio habui... tunc sine dubio credat, se esse liberum a peccato* (Reg. brev. disp. inter. 296). Hoc porro satis est ad consequendam illam conscientiæ pacem et tranquillitatem, qua fruuntur justi. Imo eximius Suarez docet, tantam esse posse in pœnitente certitudinem hanc, *ut regulariter et moraliter excludat actualem formidinem*. Imo addit : *Valde probabile censeo posse aliquem justum ad illum statum virtutis ascendere, in quo non minus certo credat remissa esse sibi peccata actualia, quam originale* (De gratia, lib. IV, c. IX). — *V.* Liguori, *Opera dogmatica*, sess. 5, n. 49 et seqq.

Si ita est, cur illud : *Nihil... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* cur illud quoque : *De propitiato peccato noli esse sine metu?* (I Cor. IV; Eccli. IX.)

R. ad 1. : Apostolus non negat allatis verbis se esse justificatum; sed docet tantum justificationem suam non inniti huic conscientiæ suæ testimonio uti causæ efficienti justificationis; cum hanc non operetur conscientia, bene vero gratia Dei. Et ideo non dicit simpliciter : *Sed non justificatus sum;* verum : *Sed non in hoc justificatus sum;* id est *non sum ego justificatus in testimonio conscientiæ meæ, sed in sola gratia D. N. J. C.* Celebris Martini dictum oraculum alio modo explicat,



nempe de certitudine fidei, cum falsum subesse non potest. Unde contra nos textus ille non concludit.

R. ad 2. : *De propitiato peccato noli esse sine metu* : id accipiendum non quasi debeas de remissione dubitare; sed quia non debes esse sine metu, ne in idem relabaris. Si aliter textus acciperetur, contineret sensum vere et omnino contradictorium : diceret nempe peccatum *propitiatum*, simul et non *propitiatum*, id est *remissum* simul et non *remissum*, quod esse non potest. (*V. Tesori di confidenza*, ecc., p. II, c. II.)

### (M) Page 105.

**208**. Neque dicas : *Pœnitentem non bene esse dispositum, si non vult sequi opinionem sui Confessarii*. Nam Confessarius non est judex opinionum, quas pœnitens sequi tenetur, sed dispositionis. Atqui hæc pœnitentis dispositio ex Tridentino non consistit, nisi in habendo *verum dolorem* de peccatis confessis, et *firmam voluntatem* non peccandi de cetero : quæ duo esse possunt etiam cum dicta opinionum discrepantia. Deinde si res ita non esset, quot inconvenientia! Supponamus quod quis pecuniam simoniace acceperit : iste secundum aliquos pretium acceptum tenetur restituere ei qui dedit, secundum alios Ecclesiæ vel pauperibus. Si porro contingeret, ut ipse ad duos accederet Confessarios, quorum unus uti probabiliorem habeat sententiam primam, alter secundam : quærimus hic cuinam pœnitens obtemperare deberet, si ex hypothesi teneretur judicio Confessarii sui se conformare? et si forte jam paruerit primo, et dein confiteatur secundo, debebitne bis restituere? Ergo Confessarius in allata facti specie permittere debet, ut pœnitens propriam teneat opinionem, quotiescumque sibi ex illa efformet conscientiam de honestate actionis. Quod innuit Benedictus XIV, Bulla *Sollicita*, 1753, § 17.

« Une paroisse était vacante (ita Tannoja, in *Vita S. Alphonsi*, l. III, c. XXXI), et parmi les prêtres qui se présentaient au concours pour l'obtenir se trouvait Déodat. Comme il suivait des opinions contraires au système de morale de l'évêque, les examinateurs l'écartèrent. Le saint prélat, ayant lu les travaux du concours, s'étonna de cette exclusion : « Les auteurs qu'il a suivis, dit-il aux examinateurs, sont cer-« tainement des auteurs classiques et estimés. » Comme ceux-ci répliquaient que les réponses du candidat n'étaient pas conformes à la théologie morale de l'évêque : « Je ne suis pas un auteur qui fasse loi, « reprit le saint, et, en fait d'opinions, quand l'Église ne les a pas con-

« damnées, chacun peut soutenir la sienne. » Là-dessus il se rangea pour Déodat, qui eut la note *magis dignus* et obtint le bénéfice. »

Adde: Contraria doctrina semel admissa, probabilistæ semper essent dimittendi inabsoluti, quoties penes probabilioristas confiterentur, licet essent docti ac sancti; neque posset absolvi S. Antoninus, neque S. Bonaventura, neque S. Alphonsus, cujus tamen opiniones iteratis decretis esse sine ulla censura declaratum habemus, adeo ut quis eas tuto sequi possit ac profiteri. Porro hisce decretis adductis, sic concludit cl. P. Perrone tract. *De pœnit.*, in fine : « Quare non admodum eorum obtemperantia mihi videtur commendanda, qui adhuc pergunt tanquam minus tutam insectari doctrinam sanctissimi ac doctissimi viri Alphonsi Liguori. » — V. aureum opusc. *Riflessioni sopra l' esimia santità e dottrina del beato Alfonso Maria de' Liguori*. Reggio, 1825. — Et vol. I; tract. *De conscientia*, in fine, nn. 115 et seqq.

### (N) Page 117.

**209**. *Cur* (dices) *in praxi differenda est absolutio illi, qui versatur in occasione proxima extrinseca, id est occasionario, si ei commode differri possit, quamvis præbeat signa doloris extraordinaria? Ex adverso concedenda est illi, qui versatur in occasione intrinseca, id est recidivo signa illa præbenti?* R. Diversa ratio est: videlicet occasio proxima, sed extrinseca agit in animum pœnitentis per præsentiam objecti, vividiores in eo excitat cogitationes, vehementius movet sensus jam pronos ad peccandum, et effectum reddit in ipsum peccatum intensiorem, ita ut primario in ista consistat pœnitentis fragilitas et peccandi facilitas; igitur illa prius removenda est, quam pœnitens absolvatur, ne velimus relapsum. Remotio autem hujus occasionis præcipue obtinetur per absolutionis suspensionem; ergo pœnitenti existenti in occasione proxima voluntaria seu occasionario, quamvis præbeat signum extraordinarium, differri debet absolutio usquedum occasio tollatur, si voluntaria sit. Vel usquedum remediis utendo periculum remotum evadat, si ea sit necessaria : ad quod quidem ordinarie non videtur sufficere dilatio 10 vel 15 dierum.

E contrario recidivo sufficienter habito disposito per signum extraordinarium, *ordinarie* non est differenda absolutio; quia nonnisi ex intrinseca voluntatis infirmitate assentitur peccatis, nempe delectationis venereæ, pollutionis, odii vel blasphemiæ in rixa, aut ex pravo habitu; ideoque ejus infirmitas primario in voluntate consistit : at infirmitas voluntatis tollitur per robur quod accipitur per gratiam Sacramenti, qua quo fortior fit voluntas, eo remotius evadit periculum



relabendi in pristina peccata. Consonat Rituale R. inquiens : *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur; et si expediat, communicent*. Consonat D. Thomas scribens : *Dicendum quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum* (Suppl. 3, p. q. 25, a. 1).

Diximus *ordinarie;* putamus enim recidivis ex causa extrinseca (licet exhibeant extraordinarium signum) posse aliquando, sed raro absolutionem differri, si nempe illis credatur hoc magis profuturum. Verum hæc dilatio non est admittenda ultra octo vel decem, aut ad summum ad quindecim dies; quia periculum est, quod pœnitentes amplius non revertantur. Benedictus XIV, Encyclica *Apostolica* ait tales pœnitentes *quanto citius esse invitandos, ut redeant*.

Concludamus cum Gousset : « Quant aux moyens d'apprécier l'amendement des récidifs, il faut avoir égard à l'état moral du pénitent, aux circonstances dans lesquelles il se trouve, à la manière dont le péché se commet, à la force et à la fréquence des tentations et au nombre des rechutes. On peut juger par là si les rechutes sont un effet de la malice ou de la fragilité humaine... Il faut aussi avoir égard à l'âge du pénitent. A choses égales, on sera plus indulgent pour les jeunes gens, parce qu'ils sont naturellement plus inconstants, plus changeants, et qu'ils passent avec une égale facilité du bien au mal, du mal au bien; et cela d'autant plus qu'il y a souvent à craindre là où la foi est affaiblie, que le retard de l'absolution décourage les jeunes gens, à cause des efforts qu'ils doivent faire pour vaincre le respect humain qui tend à les éloigner des saints Sacrements. » — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 465; *Praxis Confess.*, cap. VI; et *Homo Apost.*, tract. ult., nn. 9 et 14.

**210**. Casus ponit Dens quoad occasionem proximam.

*a. Pionius adolescens tempore duorum mensium sæpe allocutus est filiam, cujus occasione aliquoties, forte aut sexies, incidit in consensum delectationis impuræ vel etiam in peccata externa : quid agendum confessario?* Debet inquirere quo fine fiat alloquium, si solum ad ridendum, jocandum, etc., ipsi penitus interdicendum. Si fiat ad honestum finem, v. g., ad ineundum cum ea matrimonium, remedia præscribat, ut occasio remota fiat; nempe ne unquam solus cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis mortificationem subeat aliquam, et præcipue ut sæpius confiteatur; ut nec sæpius nec diutius alloquatur, etc. Quæ si pœnitens recipiat sub spe emendationis, potest absolvi. Sollicite tamen investiget an revera sit titulus matrimonii ineundi; aliquando enim nulla vera spes est, vel nulla apparentia ob bonorum deficientiam, etc., ut brevi illud posset iniri; tunc alloquium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est inutile et tamen cum periculo peccati, ideo abrumpendum... Si reponat, ut solet : *An non possit procari et inire matrimonium;* responde, potest; sed non potest peccare, et melius est illi esse sine matrimonio, quam mortaliter peccare.

Deterioris sortis sunt juvenes illi qui discurrunt ad omnes filias et lascivas petulantias committunt, brachium circumdant collo filiæ, eam osculantur, tentant manus promovere ad ubera, manum comprimunt super vestes filiæ ad partes inhonestas multaque falso promittunt; hi scurræ non sunt absolvendi, nisi prius emendati et generali confessione ejusdem temporis instituta. Similis farinæ sunt illæ Berthæ quæ uti canes lascivæ, admittunt ad familiare colloquium omnes juvenes, manuum compressiones et oscula, etc., non horrent. Gloriantur in eo quod habeant multos procos; et quia omnibus laxant spem matrimonii, multos decipiunt et impediunt a matrimonio; similiter agendum cum istis.

*b. Tonantius frequentans tabernas solet bis aut ter in mense inebriari; an frequentatio tabernæ sit ipsi interdicenda?* Si absque justa causa, sed mere ad bibendum, ad terendum tempus, etc., id agat, frequentatio interdicenda est, veluti occasio proxima proveniens ex re inutili; et si fidem fregit, non absolvatur. Si vero frequentat ex legitima causa, v. g., ut victum sibi et familiæ acquirat; quia illa negotia in taberna tractari solent, præscribantur remedia ut occasio desinat, vel fiat remota. Vel non bibat, vel parum, vel vinum aqua mixtum prætextu sanitatis bibat; vel æquale ejus quod bibit, tribuat pauperibus; ut hæc proposita renovet sæpius, oret frequentius, missam audeat, confiteatur, etc.

*c. Manuellus filiusfamilias sæpius conversatur cum Miscella ancilla paternæ domus; quid?* Ista occasio, sublato jam pudore, nimium propinqua, non facile mutanda videtur nisi per transmigrationem alterutrius. Inquiri tamen debet an ipsa cohabitatio, an vero aliquæ circumstantiæ generent occasionem proximam : quo casu auferendo circumstantias, tolletur occasio; v. g., nunquam peccatur nisi dum vesperi in culina confabulatur cum ancilla; tunc prohibeatur ingressus culinæ illo tempore, et occasio sublata erit. Simul ad cautelam ipse denuntiet ancillæ, si adhuc peccatum illa permittat, quod idipsum declarare debeat parentibus, ut illa dimittatur; forte ex tali timore occasionem ipsa abrumpet. Adjiciantur media ordinaria, ut ipse nunquam aspiciat in faciem ejus, nunquam solus sit cum sola, non alloquatur extra necessitatem; adaugeat orationes et jejunia, singulis septimanis confiteatur, etc. Quæ resolutio servit, si famulus peccet cum ancilla.

*d.* Addunt Croix et Continuator Tournely cum Cabassutio (ita Liguori), quod cum occasio externa conjungitur cum passione aut tentation



vehementi, vel habitu vitioso vel forti tentationi, peccat qui eam non relinquit; etsi necdum cesserit tentationi; quia raro accidet quod talis se continebit, si ab occasione non separetur. Unde ait Continuator Tournely, quod ancilla vivide sollicitata ab hero tenetur ab illius domo discedere; qui enim libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter sperare victoriam tentationis, nisi auxiliis gratiæ extraordinariis, quæ sperari sine temeritate nequeunt ab eo qui libere periculum vitare potest et non vitat. Hæc tamen intelligenda sunt, si hujusmodi persona sit fragilis et parum devota; nam si esset pietati dedita et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non illico obstringerem ad occasionem auferendam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 452; *Praxis*, cap. IV, n. 64, etc.

### (*O*) Page 119.

**211.** *Non adest* (ait S. Alphonsus, *Praxis Conf.*, n. 228) *charitatis opus magis Deo acceptum magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte morientium adjuvare. Nam tempore mortis (a qua uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum debiliores. Deus ut manifestaret quantum gratam habet assistentiam moribundis præstitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit Angelos religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.*

**212** Audiantur monita quæ legere est in libro : *Il sacerdote presso gli infermi ed i moribondi con norme per ogni pia assistenza fisica e morale*, del P. Stub, Torino 1859.

1° Dans certains cas de syncopes, de perte de la connaissance ou de l'usage des sens, le moyen ordinaire de se faire comprendre des malades, c'est de leur prendre la main en leur disant d'un ton élevé de serrer la vôtre pour indiquer les réponses affirmatives. Un autre moyen est de leur comprimer fortement (sed dedeceret ut hoc fieret a sacerdote maxime si cum muliere) l'épigastre, ou la région de l'estomac. Souvent, après cela, les malades ouvrent les yeux et reprennent la parole.

2° Si le prêtre avait l'habitude de ne se présenter chez les malades que lorsque le médecin les lui abandonne, son apparition serait regardée comme une annonce de mort, et, par suite, déplairait peut-être autant au malade qu'à ses parents. De plus, il n'aurait probablement pas le temps de le préparer à mourir. Si, au contraire, il a soin de

visiter toute sorte de malades, en même temps qu'il accomplit une œuvre de miséricorde méritoire, il rend son ministère plus utile.

3° Le pasteur ne doit pas se laisser entraîner à visiter plutôt les malades riches que les pauvres, les malades d'un caractère facile plutôt que ceux d'une humeur fâcheuse : il ne doit pas plus se décourager des mauvais procédés de celui-ci qu'être séduit des bonnes grâces de celui-là. Lorsqu'il apprend qu'un de ses paroissiens est malade, n'importe lequel, qu'il se dise en lui-même : *Qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.*

4° Le prêtre doit se faire tout à tous ; compatir à la tristesse de ceux qui sont chagrins; se tenir sur la réserve avec ceux qui parlent beaucoup ; s'insinuer peu à peu dans l'esprit des gens craintifs ou soupçonneux ; laisser passer l'agitation de ceux que la folie ou la passion emportent ; se montrer plein de douceur vis-à-vis des esprits vifs; presser avec autorité les lâches et les faibles; quelquefois remettre à plus tard les reproches; être pour tous un consolateur. Avec les personnes d'autre sexe, il doit être circonspect dans ses paroles ; il lui est permis d'être plus libre avec les hommes. Point de familiarité pourtant, point de ces expansions de cœur superflues : ce n'est pas là de la médecine spirituelle.

5° Qu'il ne veuille pas trop obtenir. Ce serait trop demander, par exemple, que de vouloir, en certains cas, empêcher les gémissements et les cris : les efforts intérieurs que cela exigerait du malade pourraient aggraver son état. Que dira-t-il donc à ceux qui sont en proie à des élancements, à des spasmes? Il me semble qu'il pourrait leur parler ainsi : « Plaignez-vous, mon fils, oui, plaignez-vous ; mais en union avec N. S. J. C. souffrant. »

Ce serait encore trop exiger que de demander de tels malades une prière continuelle ou des oraisons jaculatoires de chaque instant. Le prêtre obtiendra ce qu'il pourra, mais qu'il engage le malade à offrir brièvement à Dieu chaque jour ses souffrances.

6° S. Vincent de Paul se sentit animé d'un grand zèle pour prêcher sur la confession depuis le jour où il rencontra un malade qui avait la réputation d'être un bon chrétien et un homme instruit, et dont, pourtant, il avait fallu refaire les confessions de plusieurs années.

7° Si le malade a vécu habituellement dans l'occasion prochaine de péché et que la personne complice se trouve encore auprès de lui, le prêtre, avant de donner l'absolution, doit s'employer à faire renvoyer cette personne sous un prétexte convenable; ou, comme le dit S. Liguori, dans un mouvement de zèle, la chasser. Si cela n'est pas absolument possible, il doit défendre à cette personne de se montrer, en attendant qu'elle puisse s'en aller, et ce remède doit être employé avec



une véritable décision. Dans quelques cas extrêmes, il peut-être utile de célébrer le mariage entre le malade et sa complice [1].

8° Quand il y a dans la chambre du malade des peintures ou d'autres objets qui peuvent lui rappeler ses désordres, le prêtre demandera à les faire disparaître, engageant à les remplacer par des objets de piété.

9° S'il y a des restitutions à faire, il engagera le malade à accomplir par lui-même celles qui sont à sa portée et à ne pas les confier à d'autres : il doit insister avec fermeté et douceur et ne pas accepter facilement des délais : le lendemain est incertain pour tous, surtout pour des malades en danger. En général, qu'il ne se contente pas d'ordres donnés aux héritiers ; ceux-ci ne manqueront pas de prétexte pour se dispenser de les exécuter. Mais convient-il qu'il se charge lui-même de faire ces restitutions avec l'argent ou les objets qu'on lui remettra ? Rarement, et seulement dans quelques cas vraiment exceptionnels où le secret doit être entier. Autrement il pourrait arriver qu'il fût en butte à des accusations ou à des soupçons fâcheux dont le secret de la confession l'empêcherait de se disculper. Il sera donc mieux d'employer un tiers, une personne de confiance. S'il s'agit de réparer la réputation du prochain et qu'on ne puisse convenablement employer un autre moyen, le prêtre pourra en toute sûreté accepter la charge de faire connaître à qui il appartient que le malade a dit du bien de telle et de telle personne.

10° Si le malade est en danger de mort, le prêtre ne le bercera pas d'illusion sur son retour à la santé ; mais avec charité et prudence il lui fera entendre qu'après tout Dieu peut l'appeler bientôt, et, en même temps, il lui suggérera des motifs pour l'encourager à faire à Dieu dans cette éventualité le sacrifice de sa vie. Cependant, si le malade espère sa guérison, sans qu'il en existe de bonnes raisons, il n'est pas nécessaire que le prêtre insiste d'une manière fatigante, dans le but de lui persuader le contraire, il prendra seulement ses précautions pour que son âme soit chrétiennement préparée. Ce qu'il doit lui conseiller de préférence, c'est de mettre toute sa confiance en Dieu, de lui soumettre sa volonté, de prendre de bonnes résolutions pour accomplir ses devoirs de chrétien, s'il revient à la santé (en évitant de lui faire émettre des vœux ou de le charger de graves obligations).

11° Quand le malade demande à différer sa confession et qu'il n'y a pas de risque qu'il perde connaissance ou qu'il meure, on peut le

[1] In Gallia, ubi præcedet matrimonium civile, posset quidem sacerdos promissionem absolutam ineundi matrimonii exigere, ante absolutionem.— Not. edit.

lui accorder, en profitant toutefois de cette concession pour fixer avec lui le moment où il accomplira ce devoir, comme le soir ou le matin suivant... La confession aide singulièrement même à la santé physique; le calme d'une âme délivrée des remords se transmet aux sens, leur rend une certaine force et produit une heureuse influence sur l'organisme.

12° Dans les tentations le malade ne doit pas essayer de disputer avec le tentateur; il doit détourner son esprit de l'objet mauvais et prononcer sans se troubler quelque oraison jaculatoire ; faire des actes d'amour de Dieu, de piété envers le crucifix, envers Marie. L'ennemi est confus de voir qu'on ne prend pas garde à lui, et que l'esprit est entièrement tourné vers Dieu et vers Jésus, qui a vaincu pour nous.

13° Quand l'agonie approche, le prêtre veillera à ce que le malade ne soit point troublé par les paroles, les pleurs et les gémissements de son entourage. Surtout il ne le laissera pas entretenir de choses inutiles ou importunes, quand même on en parlerait à voix basse, sous prétexte qu'il n'entend plus, car il arrive souvent que des malades ayant perdu la parole conservent encore l'usage de l'ouïe. Il ne faut à ces moments-là que des assistants peu nombreux, des personnes prudentes et pieuses pour rendre au mourant les services nécessaires, l'édifier par leur tenue et le recommander au Seigneur.

**213**. Ad rem etiam liber : *Regole per la direzione delle anime ad uso dei parrochi, dettato dal servo di Dio G. B. Derossi*, ecc. Torino 1847, tip. Castellazzo : « Qu'il visite fréquemment les malades, spécialement les pulmoniques et ceux qui ont d'autres maladies rebutantes, par exemple, des ulcères, parce qu'étant jeunes, pour l'ordinaire, et ayant une grande sensibilité, ils ne sont que plus exposés à être tentés, à tomber dans l'accablement, à se préoccuper de leur mal et à devenir à charge à eux-mêmes.

« Appelé le soir par un malade, qu'il ne tarde pas jusqu'au matin, dans la crainte de ne plus le trouver en vie, ou dans un état où il ne puisse se confesser ; se disant à lui-même comme le vénérable M. d'Avila : *Dieu veut peut-être procurer le salut de cette âme par mon entremise*. Arrivé au domicile du malade, et surtout d'un moribond, qu'il ne s'arrête pas à des entretiens superflus avec les gens de la maison, et ne fatigue pas le malade par de longues et fréquentes exhortations ; mais qu'il lui suggère de temps en temps et sobrement quelques ferventes aspirations vers Dieu ; et, dans les intervalles, qu'il prie pour lui obtenir la palme de la victoire dans ces terribles moments ; c'est ainsi qu'il faut se comporter pour bien remplir ce ministère. » Neque id parochorum tantum munus est, ad quos animarum



cura ex officio pertinet ; sed omnium etiam Sacerdotum. — V. Audisio, *Lezioni d'Eloquenza*, p. II, lez. XVII. — Pavone, *Spicilegio*, ecc., nn. 297 et seqq. — *Analecta juris pontificii*, 1859 : obligations des Curés envers les malades.— Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., nn. 46 et 47 ; it. *Append.* II, § 4 ; it. *Praxis Confess.* nn. 105, 276 et seqq. agit quomodo se gerere debeat generatim Confessarius cum moribundis; nn. 230 et seqq. plura suggerit Sacerdoti assistenti ; nn. 238 et seqq. remedia adversus tentationes enumerat ; nn. 265 et seqq. monita aperit circa ultima Sacramenta ; et nn. 277 et seqq. agit de agone et aliis mortis signis. — It. *Rituale Romano spiegato* proposto dal card. Delfino Patriarca d'Aquileia. — Abrate, *Lo spirito del Parroco*.

Plura adhuc ad praxim quoad modum agendi cum infirmis.

**214**. Q. 1. *Quid si infirmis jamjam per Viaticum communicaturus petat Confessionem ?* — R. Tunc si Sacerdos, qui Viaticum defert, est approbatus ad Confessiones excipiendas, si tota Confessio audiri non possit sine aliorum admiratione, dicat pœnitenti, ut breviter alicujus peccati gravioris Confessionem eliciat, si prævideat Confessionem esse longiorem; et eum si dispositum inveniat, absolvat atque communicet. Dein vero Sacramento ad Ecclesiam delato, redeat ad infirmum, ut integram Confessionem excipiat. — Si tamen Sacerdos ad Confessionem approbatus non sit, tantum poterit infirmum audire et absolvere, cum urget casus, nec adest Sacerdos adprobatus ; nam in mortis articulo quilibet Sacerdos valide et licite absolvere potest, ut constat ex capite *Presbyter* 26, q. 6, ex Rituali romano, ex declaratione S. C. C. et ex antiqua quoque Ecclesiæ consuetudine, prout Tridentinum declaravit (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 562). Si vero casus non urget, et præsto adest Confessarius approbatus, eum debet accersere, ut Confessionem excipiat ; secus infirmum brevi adjuvet ad eliciendum actum perfectæ contritionis (quæ quidem in illo necessitatis casu sufficit, si sit cum voto postea confitendi); atque sic ad scandalum vitandum eumdem communicet : ita Alasia. *De Pœnit.* p. I, c. III, n. 7. Sed advertendum, quod hoc scandalum timeri non potest, si commode audiatur Confessio antequam Viaticum administraretur in iis montanis regionibus, ubi ob distantiam talis est usus, ut nempe statim a notitia gravis morbi deferatur Viaticum ante Confessionem.

**215**. Q. 2. « Que faire si, après la communion, le malade ne peut avaler la sainte hostie, même après avoir pris une ablution pour aider la déglutition, ou s'il la vomit presque aussitôt après l'avoir reçue? Le prêtre doit la mettre dans un vase autre que le ciboire, la porter à l'église, la conserver dans un endroit bien fermé, et attendre qu'elle soit entièrement corrompue pour la jeter dans la piscine. » (*Sacrario* vocabulum variam habet significationem : modo sumitur pro *sacristiæ*

loco, ubi reponuntur res sacræ; modo pro *presbyterio*, vel *Sancta Sanctorum*; modo pro ipso *tabernaculo*. Sed hic ac generatim pro piscina sacra in quam mittuntur ablutiones corporalium et similium, quæ proprius sacra attingunt. Si situs non est ad id specialiter designatus, inservit locus ubi manus abluunt Sacerdotes). *Gousset*.

**216.** Q. 3. *Comment préparer les malades à la confession?* Le prêtre ne doit pas se hâter d'expédier cette importante affaire, pour dire que le plus utile est fait : il doit procéder à la fois avec zèle et avec calme. S. Alphonse est d'avis que, lors même que la maladie est dangereuse, il ne faut pas parler immédiatement au malade de se confesser, mais plutôt après qu'on lui aura demandé des détails sur sa maladie. On l'exhorte alors à se résigner à la volonté divine, à unir ses peines aux souffrances de J. C. sur la croix, à les offrir à Dieu en expiation de ses péchés, et ainsi peu à peu on vient à parler de la confession en lui demandant depuis combien de temps il ne s'est pas confessé. Le prêtre l'aidera en tout, à se recommander à Dieu, à faire l'examen, etc., etc. *Stub.*

**217.** Q. 4. Il est un abus contre lequel nous devons nous élever avec force. Trop souvent, on voit des malades abandonnés de leur confesseur après qu'il leur a donné les derniers sacrements. On accumule à la hâte la confession, la communion, l'extrême-onction et l'indulgence *in articulo mortis*, afin de pouvoir respirer un peu et dormir tranquille. On a grand soin de calmer les inquiétudes des parents, en leur disant que l'on n'a plus rien à faire, que l'on a donné au malade tous les secours spirituels dont il pouvait avoir besoin, et qu'il suffit maintenant de lui suggérer de fois à autres quelques sentiments de confiance et de résignation... Le malade est abandonné à lui-même; peut-être, hélas! comme il arrive assez souvent, s'est-il rappelé quelques péchés graves qu'il aurait un grand désir de confesser; qui sait même si, ce qui n'est pas sans exemple, il n'a pas retenu par timidité quelque péché énorme qu'il serait actuellement disposé à déclarer à son confesseur, s'il avait le bonheur de le voir?

Dans tous les cas, combien ne lui serait-il pas avantageux d'être encouragé, fortifié par de pieuses exhortations contre les assauts du démon, qui fait quelquefois au moment de la mort des efforts incroyables pour jeter les âmes dans des troubles affreux et même dans le désespoir.

Compter sur les parents et les amis en de telles circonstances, c'est bien souvent une pure illusion. C'est donc au confesseur à faire entendre la voix du zèle et de la piété; c'est lui qui doit, autant qu'il est possible, rendre jusqu'aux derniers moments les devoirs que réclame l'âme dont il est chargé. Hélas! elle va faire son entrée dans l'éternité!



Peut-elle jamais être trop bien disposée à paraître au tribunal du souverain Juge? Dans ces dernières visites que nous recommandons, on doit toujours demander au malade s'il ne désirerait pas un entretien particulier.

S'il n'a rien à dire et qu'il n'ait besoin que de consolations, on devra lui suggérer brièvement (car les longues exhortations fatiguent les malades et leur sont peu utiles) les actes de foi, d'espérance, de charité, de contrition, de soumission à la volonté de Dieu, etc. On fera bien de mettre entre les mains du malade un petit crucifix qu'on lui recommandera de baiser de temps en temps, en disant au fond de son cœur : « O mon Jésus! je vous aime de toute mon âme, augmen- « tez en moi votre saint amour. — O mon Jésus! je suis content de « souffrir pour vous qui avez tant souffert pour moi. — O mon Jésus! « j'unis mes souffrances aux vôtres; appliquez-moi le mérite de toutes « vos douleurs. — O mon Jésus! je vous fais de bon cœur le sacrifice « de ma vie; j'unis ma mort à votre mort; ayez pitié de ma grande « misère. — Tout à vous, Jésus, tout à vous pour le temps et pour « l'éternité! — Sainte Marie, ma tendre mère, priez pour moi. — « Mon bon ange, priez pour moi. — Mes saints patrons, priez pour « moi. — Saint ange, qui fûtes choisi pour fortifier et consoler Jésus « dans son agonie, fortifiez-moi, consolez-moi, » etc.

**218.** Q. 5. *Que faire si les parents ou les amis du malade s'opposaient à la visite du pasteur?* Il faudrait employer toutes les ressources du zèle pour les y déterminer.

Ainsi, par exemple, il conviendrait de leur dire : — que rien n'est plus naturel que de voir un pasteur visiter les brebis de son troupeau quand elles sont malades; — que cette visite ne fait pas, à beaucoup près, une impression aussi pénible que les parents le supposent; — que d'ailleurs, on prendra toutes les précautions pour éviter ce qui serait tant soit peu de nature à effrayer; — que l'on donnera même à sa visite une couleur de pure bienséance; — que, du reste, l'expérience prouve et les médecins conviennent que la présence du prêtre, ses pieuses exhortations et les secours spirituels qu'il administre, bien loin de *tuer le malade*, comme quelques-uns le disent, lui procurent au contraire une paix et un bien-être dont les heureux effets secondent puissamment les remèdes de la médecine.

Souvent ces observations, faites avec l'accent du zèle et des démonstrations d'affectueux intérêt, produiront d'heureux résultats. Si cependant il en était autrement, il faudrait aller un peu plus loin et faire voir avec modération d'abord, mais avec énergie ensuite, qu'il s'agit du salut d'une âme; que, comme pasteur de la paroisse, on est chargé de cette âme devant Dieu; que la maladie, déjà grave, peut devenir

d'un moment à l'autre bien plus grave encore, et trop grave peut-être pour que les secours spirituels puissent être efficacement appliqués; qu'il ne faut pas, pour des appréhensions chimériques, ménager au malade et se ménager à soi-même des regrets éternels.

**219**. Si ces divers moyens ne produisent aucun résultat avantageux, il faudra bien se retirer; mais on devra, pour dernier mot, annoncer qu'on reviendra savoir des nouvelles du malade et faire une nouvelle tentative pour sauver son âme. En attendant cette seconde visite, il sera très-utile de prier et de faire prier les bonnes âmes, d'offrir même le saint sacrifice et de s'imposer quelques pénitences pour fléchir la divine justice, à l'exemple de tant de saints qui obtenaient par cette voie la conversion des pécheurs les plus endurcis.

**220**. *Il arrive quelquefois que les parents* ne s'opposent pas à l'entrevue que sollicite le pasteur; mais c'est le malade lui-même qui refuse de recevoir sa visite. Que faire en cette triste occurrence?

S'il y a de sa part un refus positif, opiniâtre, et que rien ne peut vaincre, peut-être pourrait-on se présenter malgré cette triste opposition, surtout si le danger de mort était imminent; mais si, ce qui est probable, on est formellement et énergiquement repoussé, il faudra bien alors se borner à faire agir avec toutes les industries du zèle, les parents, les amis, les âmes pieuses qui environnent cet infortuné, et recourir ensuite aux moyens spirituels, à la prière, aux bonnes œuvres, au saint sacrifice de la messe, et même, comme nous l'avons déjà recommandé, aux pénitences corporelles, si propres à toucher le cœur de Dieu quand c'est un pasteur qui se les impose pour sauver une brebis de son troupeau.

**221**. Il arrive quelquefois qu'un de ces pécheurs endurcis se détermine à recevoir la visite d'un prêtre; seulement il a soin de déclarer que c'est comme ami, et non comme confesseur, qu'il consent à le voir. Il va sans dire que, malgré cette restriction, bien pénible pour le cœur d'un prêtre, il ne faut pas balancer à se transporter immédiatement auprès du malade; car souvent la visite de l'ami pourra bien préparer la voie au ministère du confesseur. Quand on sera près du chevet, on devra redoubler de précautions pour ne rien dire qui le froisse, tâcher de gagner son affection ou du moins son estime, par des témoignages vifs et sincères de l'intérêt le plus tendre; et, si le danger est pressant, aborder le point délicat, et tâcher, avec une douceur angélique, de dissiper les préventions que l'on a contre une confession qui va procurer de si abondantes consolations si on se détermine à la faire.

Malheureusement, il arrivera peut-être que, dès la première ouverture que l'on fera sur ce point, on sera réduit au silence par certains mots si fermement articulés, qu'une nouvelle tentative sera bien difficile; cependant, on pourra, toujours avec de grandes précautions, revenir encore à la charge, prier, conjurer, supplier, pleurer même, si la divine miséricorde donne en ce moment quelques larmes, et enfin, pour dernière ressource, faire retentir aux oreilles de ce pécheur endurci les menaces formidables du Dieu vengeur entre les mains duquel il va bientôt tomber; ayant soin toutefois de ne pas faire ceci sur un ton grondeur et indigné, mais avec une sainte impétuosité de zèle, tempérée de douceur et de compassion vive.



**222**. Si l'emploi de ces moyens ne produit pas l'effet que l'on en attend, on pourra, du moins, se rendre devant Dieu le témoignage que l'on a rempli jusqu'au bout son devoir de pasteur, et se consoler tristement en méditant ces paroles du prophète Ézéchiel: *Si... annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti.* (Ch. III, v. 19.)

**223**. Quelques prêtres instruits et zélés emploient, à l'égard de certains malades qui refusent de se confesser, un ingénieux moyen qui est assez souvent couronné de succès. Ce moyen consiste à les faire se confesser sans qu'ils sachent qu'ils se confessent.

Après les préambules ordinaires au début de toute conversation, on arrive peu à peu sur le terrain religieux, et l'on essaye de faire parler le malade de l'ensemble de sa conduite passée, en fait de religion: on lui dit, le sourire sur les lèvres, que sans doute il n'était pas très-fort sur cet article; que peut-être il avait à peu près perdu la foi; qu'il ne priait guère, ou point du tout; que depuis longtemps il n'assistait plus à la messe et ne s'embarrassait guère des commandements de l'Église, etc.

Puis, après quelques courtes digressions, on passe à la conduite envers le prochain, puis enfin à la conduite envers soi-même, toujours par forme de conversation et avec un certain entrain aimable et familier.

Il est certain que, l'entretien roulant sur ces diverses matières, que nous ne faisons qu'indiquer, on obtient une connaissance générale de l'état spirituel du malade, et cette connaissance suffit pour qu'on lui dise avec plus ou moins de liberté, selon les circonstances, que la confession ne doit plus l'effrayer, puisque la voilà faite sans qu'il s'en soit douté. Très-souvent il rira de cette ruse innocente, et consentira à achever sérieusement ce qu'il a commencé en badinant. Il va sans dire qu'on rectifiera dans la confession sérieuse ce qu'il sera nécessaire de rectifier: l'essentiel était de déterminer le pécheur à se confesser.

Sans doute ce pieux artifice ne peut pas toujours s'employer; c'est à chaque prêtre en particulier à voir quand il peut y recourir avec chance de succès.

**224.** *Avis.* — Quoi qu'il en soit, et de quelque côté que viennent les obstacles au zèle d'un pasteur dans ces pénibles rencontres, nous croyons devoir donner un avis qui, bien suivi, aplanira souvent les voies, et rendra l'accès auprès de tels malades incomparablement plus facile. Nous voulons parler des visites qu'un curé doit faire habituellement à ses paroissiens, et plus spécialement à ceux qu'il craint de pas pouvoir aborder quand une maladie grave mettra leurs jours en danger.

Il serait nécessaire qu'un curé connût parfaitement ceux de ses paroissiens qui ont le plus d'éloignement pour les pratiques religieuses et qui, suivant les apparences, refuseront de recevoir les secours spirituels à leurs derniers moments. Quand il saurait au juste quels sont les paroissiens ainsi disposés, il faudrait qu'il leur fît assez fréquemment des visites de politesse, afin que plus tard, au moment du danger, ils reçussent encore comme une visite de cette nature, celle qui, dans l'intention du pasteur, aurait cette fois un autre motif.

Sa présence au temps de la maladie ne jetterait plus l'alarme dans la maison : bien plus, on trouverait tout naturel qu'un curé qui fait des visites quand on se porte bien vînt s'informer de l'état de la santé quand on est malade.

**225.** Rien donc de plus avantageux que de visiter habituellement les pécheurs de la paroisse, que l'on craint de ne pouvoir aborder quand une maladie grave surviendra. Gardons-nous d'agir comme certains curés qui ne font de visites qu'aux pieux fidèles de leur paroisse, et qui n'en font jamais à ceux qui, éloignés de toute pratique religieuse, ont évidemment plus besoin que les autres des assiduités de leur zèle.

### (*P*) Page 120.

**226.** *Quid* (dices) *sentiendum de Diaconis?* Celebris Morinus existimavit etiam Diaconis, factam olim fuisse potestatem, ut sacramentaliter absolverent in necessitate, et deficiente Episcopo vel Sacerdote; sed hoc est falsum, et constanti ac universali Ecclesiæ catholicæ consuetudini repugnans. Quod si in vetustis monumentis memoria aliquando recurrat confessionis et absolutionis Diaconorum ministerio peractæ, ea intelligenda sunt non de confessione vel absolutione sacramentali; sed de mera quadam cæremonia, qua coram ipsis publici pœnitentes testabantur se cursum pœnitentiæ publicæ explevisse, et sic iisdem pax et reconciliatio concedebatur : quod utique in casu necessitatis, et deficiente Episcopo vel Presbytero, etiam per Diaconos effici poterat, adhibita sacra quadam manuum impositione, quæ tamen



nunquam habita est uti sacramentalis. — Imo et de confessione laicis facta historia narrat : hæc usque ad sæculi XVI initium duravit : et fuit tunc commendata ut valde utilis, quia humilitatis habebat meritum et ad contritionem disponebat ; sed nemo veterum credidit eam fuisse sacramentalem. En Angelicus : *Ille qui laico confitetur, quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione, tamen sacramentalem absolutionem non consequitur* (In 4, dist. 20, q. 1, a. 1).

**227.** Diximus *tunc commendata ;* non enim desunt qui hodie eam graviter illicitam dicunt, cum ea fieri non possit absque scandalo ; ac maxime cum videatur præbere suspicionem lutheranæ hæresis (Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VII, c. XIV). Quod vero spectat ad Confessionem factam Abbatissis, uti obtinet in quibusdam religiosis institutis, hæc non fit tam de internis et occultis, quam de violatione externa disciplinæ ac regularum ; mulieres enim jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces sunt.

**228.** *Notamus :* cel. Morinus in recognitione sui Operis, uti constat ex editione Antuerpiensi, anno 1682, Diaconi absolutionem non fuisse sacramentalem lubenter agnovit. *Perrone.*

### (*Q*) Page 121.

**229.** Quæres : *An Episcopus possit approbatos iterum examinare vel approbationem datam revocare aut restringere?* R. Affirmative : ab Episcopo possunt iterum ad examen revocari Confessarii sive regulares sive sæculares. Potest etiam approbatio jam data revocari vel restringi ad locum, ad tempus, ad personas, prout Ordinario placuerit, quin teneatur de tali revocatione vel restrictione rationem reddere : id expresse deducitur ex Bulla *Apostolica :* et sane tota res Episcopo est commissa. Quod valet, etsi revocatio facta sit sine justa causa ; cum in hac re non attendatur quid fieri deberet, sed quid factum est ; voluntati enim superioris facultas subdita est. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII hæc sub n. 13 proposito : *Præcepto annuæ Confessionis satisfacit, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato* (V. Bouix, *De jure Regularium*, part. V ; Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 579).

Quoad religiosos tamen plura vide *De Obligationibus Regularium*, t. I.

Hic speciatim quæri solet, *an Episcopus possit de novo Parochos suos examinare?* Distinguendum est cum Benedicto XIV, *Notificatione* IX, n. 16. — Si agitur de Parochis examinatis ab antecessore,

hæc statuit S. C. Concilii: *Censuit Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, etiam ex officio, etiam extra visitationem, examinare Parochos ad Ecclesias parochiales approbatos.* Et idem dicit de *Parochis regularibus.* Rota Romana decrevit quod sit sufficiens causa novi examinis *libitum, et sola quies conscientiæ Episcopi.* Si vero agitur de Parochis ab eodem Episcopo jam examinatis, utrum hic iterum possit eos examinare, hæc habet eadem Congregatio:— 1. *posse Episcopum examinare Parochos et Rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia.* — 2. *posse ad hujusmodi examen procedere extra visitationem.* — 3. *ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiæ præcedant.*

### (R) Page 123.

**230**. Parochus per se loquendo pro suo tantummodo oppido esset approbatus, uti definitum refert Giraldi a S. C. C. (vid. Bouix, *De Parocho*, p. IV, c. 14). Attamen hodie fere ubique vel consuetudine, vel lege (ex *Syn. Novar.*, p. 194 quoad nos) et Parochi et Coadjutores titulares, quoadusque hoc munere funguntur, pro tota Diœcesi valent Confessiones excipere. Sed cessante Parochi munere, omnis ipsorum facultas expirat.

Pœnitentiarius Cathedralis, quum ordinariam habeat jurisdictionem in tota Diœcesi, in qua Pœnitentiaria in officium stabile erecta est, potest omnes ejus Diœcesis incolas etiam extra Diœcesim ipsam absolvere; non tamen Vicarii foranei licet Parochi sint, quia exceptis propriis ovibus, in alias Vicariæ oves non habent nisi delegatam jurisdictionem. Item tanto minus ceteri Confessarii qui jurisdictionem habent tantummodo delegatam, valide possent absolvere extra Diœcesim subditos Diœcesis propriæ; ex Bulla enim Innocentii XII, *Cum sicut*, 19 ap. 1700, et Benedicti XIV, *Apostolica indulta*, 5 aug., 1744, nullæ sunt Confessiones quæ fiunt sine approbatione Ordinarii loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, exceptis excipiendis, ut supra dictum est. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 548; et *Homo Apost.*, tract. XVI, n. 79. — Pavone, *La luce fra le tenebre.*

**231**. *Quid de Capellanis militum?* Certum est (ait *Bouvier*) illos absolvere non posse milites absque legitima Episcopi approbatione, nisi facultatem id faciendi a Sede Apostolica obtinuerint. Hac de re Benedictus XIV, Brevi *Quoniam* 28 maii 1746, concessit ad septennium majori Capellano Regis Sardiniæ ab ipso Rege deputato, facultatem per se vel per alios Sacerdotes probos et idoneos in examine a



se repertos et subdelegandos, sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, nec non alias utriusque sexus personas ad exercitus rgios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes. Item dispensandi in votis, sacramentis; benedicendi paramenta ecclesiastica pro suo servitio, item celebrandi in altari portatili, etc. Quoad milites ac militiam spectat, omnia in unum congessit liber, *Pregi e difetti dei Cappellani militari, delle scuole e del corpo sanitario, degli uffiziali superiori e subalterni*, ecc. Torino, 1855.

**232**. Sacerdos approbatus, priusquam audiat Confessiones in Ecclesia Parocho subjecta, veniam petat ab ipso Parocho, ut debitus ordo postulat ac dependentia: excipe nisi casus urgeat, vel amicus sit Parochus, etc. Non tamen requiritur venia Parochi ad audiendas sæcularium Confessiones in sacello regularium vel monialium; sed sufficit tunc venia superioris vel superiorissæ loci, si aliunde sit approbatus sacerdos. *Gury*. Monet autem *Synodus Novariensis*, pag. 128; *Si alius a Parocho sacerdos sive sæcularis sive regularis ad ægrotantis cujuspiam confessionem excipiendam accitus fuerit, Parochum ea de re prius admoneat, vel certe confessione audita relicta domi schedula, vel alia ratione eumdem certiorem reddat. Id qui facere recusaverint aut neglexerint, revocatione punientur facultatis audiendi confessiones.*

### (S) Page 129.

**233**. Titulus quando de jurisdictione sermo instituitur, est *concessio officii seu ministerii ecclesiastici alicui facta ab auctoritate competente et sufficienter manifestata.* Si hæc omnia et voluntas superioris, et idoneitas subjecti et actualis concessio nota concurrunt, titulus dicitur *legitimus;* sed si aliqua ex his conditionibus desit, titulus erit vel *coloratus*, vel *præsumptus*. Titulus *coloratus* dicitur qui datus fuit quidem a superiore et ex se capax collationis jurisdictionis, sed invalidus est nec jurisdictionem confert, quia aliquo defectu occulto laborat: ut esset si superior teneatur aliquo impedimento, si subditus incapax ob aliquam censuram ad tale officium suscipiendum; si rescriptum simoniace obtentum, etc.; titulus hoc casu dicitur coloratus, quia habet colorem, id est apparentiam tituli legitimi. — Titulus *præsumptus* seu *fictus* est quando datus non fuit a superiore, v. g., si quis fraudulenter dicat se delegatum a superiore; cum nullimode fuerit, vel a superiore acceperit litteras ad annum tantum valituras, sed hoc elapso adhuc ministerium obiret; tunc enim nulla missio

habetur; præsumitur quidem datum fuisse titulum, sed superior reipsa non dedit.

Qui titulo tantum præsumpto utitur, ut intrusus habetur, ut ejus acta sustineri nequaquam possunt. Hinc Pius VII postquam Cardinalis Maury, relicta Diœcesi Montis-Falisci, sese titulo vicarii capitularis ingessisset in administationem et directionem Diœcesis Parisiensis ad quam nominatus fuerat a gubernio episcopus, Litteris, 18 dec. 1810, nullam esse declaravit talem administrationem nulloque titulo suffultam utpote contra Ecclesiæ leges et vigentem disciplinam. Sane ex Concilio Lugdunense II, c. *Avaritiæ*, ex Clementis VI Constit. *In supremo*, etc., certum est nominatum ad sedem episcopalem non posse neque titulo vicarii capitularis (nisi jam ante nominationem electus fuerit vicarius capitularis) ullo prætextu se ingerere in gubernationem illius Sedis, absque prævio R. Pontificis consensu. Qui porro se ingerit, omni titulo caret.

Diximus *nisi jam ante nominationem fuerit electus vicarius capitularis*; si hoc enim contingeret, ille utique posset administrare; nam tunc pergeret in officio jam semel rite adepto, administrando nempe non uti nominatus episcopus, sed uti legitimus vicarius jampridem constitutus. Quo sensu respondit Gregorius XVI ad D. Blancart de Bailleul vicarium capitularem diœcesis Versalliensis anno 1832, ut refert Bouvier, *De Ordine*, c. 7, 5, 2. — *V.* D'Astros, *Du pouvoir prétendu des sujets nommés aux évêchés.* — Ami de la Religion, t. II, pag. 227. — Muzzarelli, *Dell' amministrazione capitolare dei soggetti nominati a vescovi.* — Pacca, *Memorie storiche*, ecc. c. 7. — Item: *Narrazione intorno alla Diocesi Fiorentina dalla morte di M. Arciv. Martini* (1809) *fino alla venuta di M. Arciv. Morali* (1815); Firenze; Manuelli 1859.

**234.** Hic tria notamus cum Auctore Operis, *Prælectiones juris canonici habitæ in Semin. S. Sulpitii*, annis 1857-58-59, t. I: — 1. Qui vitium sui tituli colorati novit, potest nihilominus valide eo uti; nam valor actuum non pendet a dispositione personali, ab errore seu ignorantia judicis relative ad suum titulum; sed ab ipso titulo quem jus commune vult sufficere posse in favorem societatis, posito errore communi; — 2. Privati qui norunt defectum tituli in superiore, possunt valide illius ministerio uti; quia jura non attendunt ad unius vel alterius errorem, sed ad errorem communem; — 3. Quando datur jurisdictio sive in perpetuum sive ad tempus determinatum, et ante elapsum tempus a superiore revocatur, valent actus jurisdictionis donec hæc revocatio cognoscatur a communitate: hoc postulat publicum bonum.



**(T) Page 153.**

**235.** Quoad reservata, itemque ea absolvendi licentiam, quædam adnotantur:

1. Etiam Moniales in veriori ac communi sententia subjacent casibus et censuris ab Ordinario in Diœcesi generaliter reservatis, si non sint exemptæ; nemo sane excludendus, si neminem excludit lex. Non tamen ita res certa videtur, si agatur de Monialibus exemptis. Probabiliter negant personas exemptas reservationi subjici; quia est tantum Episcopi Confessarios eorum approbare quoad idoneitatem, non vero eis jurisdictionem limitare. — Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 602.

2. Si pœnitens bona fide confiteatur reservatum Confessario simplici qui ad illud non advertens absolvat; aut si confitendo Confessario simplici, obliviscatur peccati reservati, est valide absolutus: quia Confessarius hic, etsi careat jurisdictione circa reservata, non ea tamen caret in non reservata, ideo non reservata directe absolvit, et reservata indirecte; nam mortalia non possunt absolvi, nisi omnia simul. Et cum hæc sententia sit communis, ipso fatente Antoine qui tenet contrariam, imo et valde probabilis, si forte esset falsa, saltem Ecclesia quoad jurisdictionem suppleret. Remanet tamen postea obligatio reservata Superiori declarandi, ut etiam directe ea remittantur. Quod valet de censura reservata paritate rationis.

3. Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi apostolicæ reservatis, non ideo semper possunt absolvere a casibus reservatis ab Episcopo: ita ex declaratione *Pius Christi* Benedicti XIV, 21 aug. 1752; et ratio est, Papa relinquit casum Episcopi in suo statu, et censetur tantum delegare ad suos, nisi aliud exprimat. Diximus *non ideo semper;* nam monent Theologi, quod agendo de Jubilæo, etiamsi in Bulla non exprimerentur reservata episcopalia, sed solum papalia, esset adhuc facultas ab illis absolvendi, cum intelligatur tunc Papa concedere quidquid potest, si non sit exceptum. Ita *Viva* et *Roncaglia*.

4. Qui peccavit in confidentiam licentiæ commune est posse absolvi; quia esto concedens licentiam nolit, ut peccatores propter ipsam facilius peccent: non tamen excludit, quominus qui ejus occasione peccaverint, possint absolvi, si vere proponant vitare in posterum peccatum, et vere eos pœniteat.

**236.** Quæres: *An Confessarius qui facultatem obtinuit absolvendi aliquem a reservatis, possit et ab aliis reservatis eum absolvere etiam post licentiam petitam et obtentam commissis?*

Vel concessio est generaliter facta, v. g., *facultas tibi sit pœniten-*

*tem pro hac vice absolvendi a reservatis;* vel est tantum pro casu particulari, v. g., *ab exposito casu pœnitentem absolvendi facultas tibi sit.* Si 1, potest Confessarius ex valde probabili et communissima sententia pœnitentem absolvere etiam ab omnibus reservatis post commissis, sed semel tantum: excipe nisi interponatur magna distantia, puta ultra mensem inter concessionem licentiæ et commissionem novarum culparum; item nisi licentia impertita fuerit intuitu alicujus festivitatis, quæ jam præteriit. Si 2, ab illo tantum casu potest absolvere qui expositus est, non autem ab alio specie diverso: potest tamen numero plura peccata in eadem casus specie etiam postmodum commissa absolvere; cum in hypothesi species quidem, non autem numerus in facultate determinatus sit. *Talento.* — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 601.

**237.** Littera ad Episcopum pro obtinenda facultate absolvendi a reservatis, mittitur hoc modo, vel alio simili:

*Illustrissime ac Reverendissime Domine,*

*Titius* (vel *Titia*) *incidit in casum reservatum in Tabella Diœcesana sub n... Facti ipsum* (vel *ipsam*) *pœnitet, et humiliter petit absolvi.*

*Faveat Rescriptum dirigere ad me subscriptum Confessarium,*

*Humilissimum Servum,*

*N. N.*

Sub litteris *N. N.* ponitur Confessarii nomen et cognomen, addendo nomen loci quo Rescriptum mittendum; sed reticita persona pœnitentis, cujus nomen fingitur. Item sufficit nominare numerum Tabellæ, sub quo casus cadit, quin casus ipse qui fuerit, exprimatur. Alicubi petitur facultas absolvendi a casibus in genere, quin vel numerus indicetur. Litteræ postea comburantur.

### (*U*) Page 155.

Quoad absolutionem complicis in peccato turpi plura ad praxim.

**238.** *a.* Excommunicationem non incurreret Sacerdos simplex, si tentaret complicem absolvere; quia Constitutio loquitur de Confessariis. Neque eam incurrerent Confessarii, si complicem audirent, non absolverent, vel tantum fingerent absolvere; quia Bullæ revera loquuntur de absolutione, ut clare habetur Constitutione Benedictina, *Inter præteritas.*

*Quid vero si Confessarius complicem inadvertenter absolveret?*



Valet absolutio, ut commune est contra Grassi; quia Bulla *præsumptionem et temerarium ausum* requirit ad nullitatem; ergo si ignorantia fuerit tantum crassa et supina, non vero affectata, absolutio valebit: idque ideo magis, quia hic jurisdictionis privatio habet rationem pœnæ, et excommunicationem comitatur. Valet quoque absolutio data a Confessario pœnitenti, qui inculpabili oblivione omisit peccatum complicitatis; quia absolutio, in hoc casu nullatenus cadit super peccatum complicitatis: unde non absolvit complicem directe a peccato turpi, quod prohibetur. Valet etiam probabilius hæc absolutio, licet Confessarius advertat pœnitentem inculpabili oblivione non confiteri peccatum complicitatis; quia etiam cum hac scientia verificatur non absolvere directe a peccato complicitatis. Ita *Alasia*, p. II, c. III, a. 1, n. 3.

**239.** *b.* Confessarius (iterum Alasia) invalide absolvit: — 1. pœnitentem, cum quo habuit inhonestos sermones, quia turpiloquium est peccatum contra castitatem; — 2. pœnitentem, cum quo convenit de seducenda muliere, licet postea non seduxerit; quia verificatur, hunc pœnitentem esse socium conventionis iniquæ contra castitatem; — 3. pœnitentem, qui ipsi permiserit (et magis si ipsum invitaverit), ut peccaret cum propria uxore, vel filia, quia permittendo (vel invitando) participat de crimine Confessarii, ideoque complex est: quum complex et particeps unum idemque sint; — 4. pœnitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere; quia exterius se complacendo de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis; — 5. pœnitentem, cum quo peccavit contra castitatem, antequam esset Sacerdos, quia quocumque tempore fuerit peccatum commissum, semper verum est, complicem esse, ideoque ei auferri omnem jurisdictionem; — 6. pœnitentem impuberem complicem, quia prohibitio facta Confessario absolvendi complicem reservationis rationem non habet, cum ipsi, non aliis Confessariis potestas absolvendi auferatur; nec est certum quod impubertas eximat a reservatione; — 7. pœnitentem, qui a peccato complicitatis fuit ab alio Confessario indirecte absolutus, nempe si ex oblivione inculpabili in Confessione alteri Confessario facta hoc peccatum non manifestaverit; quia quum adhuc pœnitens teneatur hoc peccatum confiteri, illud manifestare tenetur Confessario habenti jurisdictionem, quam quidem non habet Confessarius complex; — 8. pœnitentem generalem suorum peccatorum Confessionem facientem, si certum sit aut dubium, Confessiones anteactas fuisse invalidas, quia tunc manifestaretur peccatum Confessario, cujus jurisdictio aut nulla, aut dubia esset; ideoque si non invalida, saltem illicita erit Confessio. Aliud dicendum si Confessiones anteactæ fuissent validæ, quia sicut Superiores non intendunt sibi reservare peccata jam directe remissa,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ita nec auferre jurisdictionem Confessario in hoc casu, quia nulla est obligatio hæc peccata iterum clavibus subjiciendi ; — 9. pœnitentem, qui vi privilegii posset absolvi a quocumque peccato summo Pontifici reservato, quia hoc peccatum non est reservatum ; quum quilibet Confessarius non complex ab eo possit absolvere. Ex quo consequitur, Confessarium habentem potestatem absolvendi a casibus summo Pontifici reservatis, non posse complicem absolvere...

**240**. *c.* « Confessarius, qui puellam dormientem, vel omnino reluctantem impudice tangit, quamvis ejus Confessionem non debeat excipere, ne in periculum gravius peccandi se conjiciat; tamen si absolvat, valide absolvit, quia non absolvit a peccato complicitatis. Idem dicendum, si actus externus fuerit solummodo peccatum veniale, puta tactus manus, licet ab affectu libidinoso procedat, quia superior, sicut sibi non reservat peccatum externe tantum veniale, ita nec quoad peccatum in hoc casu aufert jurisdictionem. » *V.* Pavone, *Spicilegio*, etc., nn. 154 et seqq.; it. *La luce fra le tenebre.* — Griffini, *In Constit. Benedicti XVI, de non absolvendo complice.* — Amort, Ibturiaga, etc.

### (V) Page 156.

**241**. Quoad Confessores monialium nota : — 1. omnes monialium Confessarii indigent speciali electione et approbatione episcopi loci ex decreto S. C. Si vero moniales sint exemptæ, Confessarii earum præsentantur a propriis prælatis, sed adhuc ab episcopo adprobantur ex Gregorio XV Const. *Inscrutabili*, quam confirmavit Benedictus XIII; — 2. advertit De Alexandris, quod aliquando moniales possunt recusare Confessarium ab episcopo deputatum ex justa causa, quia, v. g., inimicus propinquorum aliquarum monialium, vel si sit nimis rigidus, etc.; — 3. anno 1847 ad dubium quod proposuit episcopus Tridentinus : *An Confessarii ordinarii sint singulis trienniis mutandi, etsi feminæ in conservatoriis degentes, cum non sint stabilitate loci impeditæ, identidem, præsertim sorores charitatis hospitalibus inservientes, passim de una domo et loco in alium locum et domum transferantur...* respondit S. C. Episc. *affirmative*. Eadem S. C. una littera ad patriarcham Venetum 1617 prohibet ne absque licentia S. C. regulares deputent regulares ad excipiendas Confessiones monialium sibi subjectarum; altera anno 1620 hanc licentiam concedebat propter penuriam sacerdotum sæculiarium.

Quoad moniales *V.* De Alexandris, *Confessarius Monialium.* — Pellizarius, *De Monialibus* : si tamen correctus juxta editionem Romanam, 1755 : qui secus est in Indicem relatus Decreto 21 apr. 1693. — It. Liguori, *Praxis Conf.*, nn. 55, 121, 157, et seq. ; et *Op. Mor.*, l. VI, nn. 576, 577 et 602. — *Istruzione pe' novelli Confessori*, Opera di un Missionario, part. 2. — *Istruzioni per i Confessori delle Monache* in calc. Synodi Balbis Bertone, in fine volum. relata. — Bambacari, *Esercizi spirituali per Monache*. Orvieto, 1856. — Fusignano, *Esercizi spirituali alle Monache.* — *Direttorio spirituale delle Religiose*. Torino, Marietti, 1844. — Leguay, *Œuvres diverses concernant les Religieuses*. Paris. — P. Giovanni del Santissimo Sacramento, *Esercizi spirituali, avvento e quaresimale*, ecc., *per Monache*. Firenze, 1856. — Sed maxime : *Il novello confessore delle Monache istruito nella pratica del suo ministero, e provveduto di scelte materie predicabili per le medesime;* del P. Bonaventura M. di Palermo. Ferni, 1845 : ubi plura pro praxi, in casibus difficillimis et extraordinariis legere est.



### (X) Page 157.

**242**. Quoad officia Confessarii rite ac fructuose implenda vid. *Rituale Romano illustrato* con Commentari, appoggiati sulle autorità e dottrine del Concilio di Trento, Catechismo R., Decreti delle SS. Congregazioni, e sulle sentenze di Autori più classici e gravi per uso dei Parrochi e Confessori. Edizione proposta dal card. Delfino Patriarca d'Aquilea. Venezia 1749, vol. I, p. 430. — Card. Mattei, *Avvertimenti per degnamente amministrare il Sacramento della Penitenza*. Roma 1815. — Gaume, *Manuel du Confesseur*, Mil. (de quo vide *Annali Religiosi*, Roma ; vol. XIX, p. 66). — Careno, *Delle regole a rettamente amministrare e ricevere i Sacramenti.* — Scaramelli, *Direttorio ascetico*; e *Direttorio mistico*. — Da Castelvetere, *Direttorio mistico*. — *Il Sacerdote santificato nella retta amministrazione del Sacramento della Penitenza.* Nuova Ediz., Savona 1845. — *Istruzione per i novelli Confessori*, Opera di un Missionario. — *L'Uomo Apostolico*, ecc., del P. Gaetano da Bergamo. — Mons. Trucchi, *Metodo pratico per la facile e sicura amministrazione del Sacramento della Penitenza*; Forlì, 1859. Et alia plura Opuscula passim a nobis citata in Opere.

Sed præ ceteris vid. Liguori, *Praxis Confessarii*, in qua et modus traditur dirigendi *pueros, adolescentes, rudes, scrupulosos, devotos, moniales, ecclesiasticos, mutos, surdos, censuratos, habituatos, moribundos, obsessos, capite damnatos*, etc., etc.

**243.** Ceterum quanti sit facienda doctrina S. Alphonsi ducis nostri atque magistri, satis copiose, tom. I, tract. *De Conscientia*, ubi sub n. 117 argumenta retulimus tum extrinseca tum intrinseca quæ ejus Praxim præ ceteris commendant. Et sub n. 115 decretorium Responsum scripsimus S. Pœnitentiariæ 5 julii 1831, a Gregorio XVI confirmatum, in quo habetur : 1. quod *S. Theologiæ professor opiniones quas in sua Theologia Morali profitetur S. Alphonsus a Liguorio, sequi tuto potest ac profiteri*; 2. quod *non est inquietandus Confessarius qui omnes S. Alphonsi a Liguorio sequitur opiniones in praxi sacri Pænitentiæ tribunalis, hac sola ratione, quod a S. Sede Apostolica nihil in Operibus ejus censura dignum repertum fuerit; cum adnotatione, quod nempe Confessarius iste non legit Opera beati Doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam rationesque quibus variæ nituntur opiniones; sed existimans se tuto agere eo ipso, quod doctrinam quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse ac tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam.*

### (F) Page 161.

**244.** En tria, quæ Confessarii omnes curare debent, si velint bono pœnitentium consulere, ipsos nempe : 1. paterne corripere ac monere ; 2. disponere patienter ad absolutionem ; 3. opportuna eis remedia suggerere ad perseverandum. Ad rem Rituale R. : *Demum audita Confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.* Breviter de singulis.

**245.** 1. *Corripere et monere.* Ad rem P. Gaetano da Bergamo : « Nous n'avons pas le temps, au confessional, de faire de longs sermons, mais nous devons adresser au pénitent de courtes et substantielles instructions capables de convaincre son esprit et de toucher son cœur. » « Cajétan, dans sa *Somme*, 8. *Correctio* (audiatur Card. Delfino, *Rituale illustrato*), est d'avis que l'abus principal des confessions vient de l'omission des remontrances qu'on doit faire aux pécheurs. Il n'est que trop juste de convenir qu'il en est ainsi ; car n'est-il pas vrai que le plus souvent on prend du pénitent ce qu'il veut bien dire, et qu'on passe outre? Si c'est un jour où il y ait affluence, on tient à être expéditif ; si ce sont des personnes d'élite, elles savent d'avance ce qu'elles ont à faire ; si ce sont des nobles, il ne faut pas les contrister ; si ce sont des grands, ce sont des supérieurs ; si ce sont des petits, ils ne comprennent pas ; si ce sont des amis, on ne veut pas les éloigner ; si on espère, il faut ménager ; si on craint, il faut éviter d'offenser ; et ainsi on dissimule, on ne se préoccupe que d'attirer beaucoup de monde...



« Je ne nie pas que dans certains cas et avec certains pénitents on ne puisse et on ne doive omettre les remontrances et les reproches... Il y a trois sortes de pénitents envers lesquels il n'est pas à propos d'employer les reproches conformément à ce qu'enseignent les théologiens et la pratique des confesseurs les plus saints et les plus exemplaires : ce sont les pénitents pusillanimes, les pénitents contrits et les pénitents revêtus de l'autorité. On ne doit point les employer avec les *pusillanimes*, de peur que la crainte ne les entraîne au désespoir, et qu'ainsi on ne pousse celui qui tombe ; ni avec ceux qui sont *contrits*, car user de sévérité envers quelqu'un qui fait preuve d'une componction extraordinaire, c'est vouloir donner l'assaut à qui tient déjà les clefs pour se rendre à discrétion ; ni avec ceux *qui ont l'autorité*, à cause des égards qu'on doit à leur position. En outre, le sens des gens élevés est si délicat, qu'il repousse les aliments, à plus forte raison les médicaments, si on ne les lui présente bien assaisonnés. Il ne reste au confesseur que de les avertir avec de justes égards...

« En dehors de ces cas, il faut toujours, quand il en est besoin, *opportunas correctiones adhibere*, mais aussi toujours *paterna charitate*, » etc., etc. Cognita morbi gravitate et origine, per debitas interrogationes sunt faciendæ animadversiones : quod munus adimplere debet Confessarius, etsi pœnitens sit magistratus (ait S. Alphonsus), princeps, sacerdos, Parochus aut Prælatus, si de aliqua sui muneris omissione se accusent sine nimio animi sensu. Ait Benedictus XIV Bulla *Apostolica* Confessarii monitiones ipsis concionibus esse efficaciores ; et merito, quia concionatorem latent circumstantiæ particulares, quæ Confessario aperte innotescunt. Sit aliquid exemplum, conformiter ad doctrinam a nobis traditam.

« A celui qui a l'habitude de profaner le nom de Dieu, de Jésus-Christ, etc., on peut dire : Ces noms adorables sont-ils donc faits pour devenir l'objet de notre mépris, l'expression de notre colère, ou des mots de remplissage dans nos discours? N'avez-vous pas d'autres termes pour exprimer vos sentiments? Quoi ! c'est du nom de Jésus que vous abusez ainsi, de ce nom qui fait tomber à genoux le ciel, la terre et les enfers. Le nom de Dieu, prononcé avec les égards qu'il mérite, suffit pour renverser l'armée des anges rebelles et précipiter Lucifer

dans les abîmes, et un ver de terre comme l'homme emploiera ce nom ainsi qu'il le ferait de celui d'un saltimbanque, ou d'une fausse divinité! Vous dites que vous étiez en colère; mais, si un misérable, après vous avoir donné un soufflet, pour s'excuser, prétendait aussi être mû par la colère, accepteriez-vous une telle excuse? Et il vous semble permis, en vertu de votre colère, de mettre ce nom sacré de Dieu au-dessous de celui des plus vils animaux et de tout ce que le monde contient de plus méprisable? Salvatori, P. Gaetano.

« A celui qui fait des imprécations contre ses enfants, sa femme, etc. Ce qui caractérise les damnés dans l'enfer, c'est qu'ils ne peuvent que se maudire, il n'y a donc qu'une langue digne de l'enfer qui se laisse aller aux imprécations. Outre qu'il viole la charité, ce défaut scandalise le prochain. Avec vos phrases, *soyez maudits par-ci*, *soyez maudits par là*, vous apprenez aux petits enfants le langage de l'enfer. Celui qui veut se sauver doit porter sa croix, etc., etc. Savez-vous si votre femme n'est pas justement la croix qui doit procurer votre salut? P. Gaetano.

« Aux pauvres qui ont causé du dommage et volé : Vous ne vous faites pas scrupule de causer ainsi du tort peu à peu et de dérober de petites choses à l'un ou à l'autre; mais vous chargez ainsi votre conscience et vous vous créez de grandes craintes pour le moment de la mort... Sans doute, ce ne serait point voler que de prendre dans l'absolue nécessité; mais vous devez vous souvenir que cette nécessité sera estimée au jugement de Dieu. Quand vous êtes dans le besoin, il ne vous est pas permis de vous approprier le bien d'autrui; mais vous devez vous humilier et demander pour l'amour de Dieu les choses qui vous sont nécessaires; si Dieu avait voulu vous rendre riche, il l'aurait pu; mais, puisqu'il en ordonne autrement, vous devez vous conformer à sa sainte volonté et vivre dans la pauvreté en bon chrétien. Jésus-Christ, lui aussi, fut pauvre. P. Gaetano.

« A un ecclésiastique scandaleux : Plus notre état est sublime, plus la chute est énorme et grave. Dieu nous a confié un ministère qu'il n'a pas donné aux anges, et nous sommes obligés de le tenir en profonde estime et de correspondre à notre vocation par la sainteté de notre vie... Si vous voyiez un séculier communier deux fois par semaine, et passer sa vie dans les plaisirs, la galanterie, les estaminets, vous en seriez peut-être scandalisé. Et vous qui vivez dans l'oisiveté et le vice, ne dites-vous point la messe et ne recevez-vous point Notre-Seigneur tous les jours? Les séculiers n'ont-ils pas raison d'être scandalisés de votre conduite?... Ce qui m'effraye le plus dans l'état sacerdotal, c'est lorsque je calcule qu'en disant la messe chaque jour, je reçois en moi-même trois cent soixante hostie très-saintes chaque année, et que



néanmoins je suis encore si éloigné de cette perfection à laquelle je me reconnais obligé. O Dieu! dis-je en moi-même, une seule communion bien faite pourrait être plus que suffisante pour sanctifier une âme, et après tant de communions je suis encore si loin de la sainteté! Que se passera-t-il pour moi au tribunal de Dieu?... Cette pensée m'épouvante, et je vous engage à la méditer vous-même. Nous sommes prêtres tous les deux, et malheur à nous si nous abaissons notre dignité, parce que *corruptio optimi pessima*. » — P. Gaetano.

**246.** *b. Disponere patienter ad absolutionem.* — Confessarius non est tantum judex, ut retineat; sed etiam medicus, qui ægroto medicinam suadeat; pater qui filii sui vitam tueri studeat; minister Dei, cui veros cultores, quoad potest, gignere conetur. Quare nos dicimus cum communi, ex rigorosa officii obligatione Confessarios teneri pœnitentem disponere ostendendo deformitatem peccati, amissionem divinæ gratiæ, exclusionem a Paradiso, æternæ damnationis periculum, etc.; etiamsi multum temporis in hoc impendere debeant. Audiant omnes Leonem XII Encyclica *Charitate Christi* anno 1826 : *Sistunt se quidem multi Sacramenti Pœnitentiæ ministris prorsus imparati; sed persæpe tamen hujusmodi ex imparatis parati fieri possunt, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiæ Jesu Christi, qui* non venit vocare justos, sed peccatores, *sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsos agere.* Neque refert, quod alii pœnitentes expectent; nam Confessarii non tenentur, nisi attendere ad bonum pœnitentis sui, de quo rationem Deo sunt reddituri : et satius est, ait Salesius, paucas Confessiones audire rite peractas, quam multas male ac sine fructu. Hic notamus, bene posse Confessarium in ipsa Confessione peccati gravitatem humaniter aperire pœnitenti, ut sic magis compungatur. Sed fiat caute et non ita frequenter, ne pœnitens terreatur, vel operiatur nimia confusione, vel etiam ne obliviscatur aliorum peccatorum, toties repetita correctione : regulariter loquendo sub fine expectandum erit.

Quo autem magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiet, ut Deo ipsas lucrifaciat, Confessarius eo majori charitate eas amplectatur, eisque animum præbeat his, aut similibus verbis : *Eia, frater, bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter; nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris; sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad pœnitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare quia Deus cuncta omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habeas voluntatem; ideoque te expectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

— Si tamen pœnitens est adeo durus ac petulans, ut atrociora quæque sine ulla displicentia exponat, tunc acrior requiritur correctio. Sed « postquam (ait S. Alphonsus) eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda dicens : *Eia frater : vis ab hoc vitio resipiscere? Nonne ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quæso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus; hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quod hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti; vince teipsum; confitere omnia sincere; Deus enim paratus est tibi parcere.*

**247.** Poterit (iterum Liguori) pœnitens sic disponi ad dolorem suorum peccatorum : *Fili mi, considerasne vitam damnati quam duxisti? Percipisne malum quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed quæso, animadverte quis sit hic Jesus. Hic est ille qui, cum esset Deus nullius egens, factus est homo propter te; voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah! fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in æterno igne inferni. Quid de te erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergescere, et vide quod, nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Non consideras, quod duplicem infernum tibi paras : unum hic angoris et miseriæ, alterum illic pœnarum? Age, fili : averte a malo, desine peccare; et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe. Sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus et toto corde te adjuvare volo; veni ad me semper ac tibi lubet; quoniam invenies patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est; et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas a malo et facias bonum. O quam bonum est amicum habere Deum!* etc. Salesius, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem qua fruuntur qui Deo adhærent; et vitam infelicissimam quam ducit qui a Deo alienus est.

**248.** « *Quand on est obligé de différer l'absolution, comment tranquilliser le pénitent?* — Faites-lui comprendre que vous n'agissez ni par caprice ni par mauvaise volonté; rendez-lui ce délai supportable. Vous désirez, pourrez-vous lui dire, recevoir l'absolution et faire une bonne communion, n'est-ce pas? Or pour cela il faut être parfaitement préparé. Je crois que vous ne l'êtes pas encore assez.



Renoncez au péché, prouvez que vous êtes véritablement converti. Craignez de faire une mauvaise communion. Ne précipitons pas une affaire si importante. Quand vous reviendrez, si vous avez suivi mes conseils, vous serez plus content, vous comprendrez que j'ai agi dans votre intérêt, et j'espère que vous m'en saurez gré. S'il fait observer que ses autres confesseurs l'ont toujours absous : vous répondrez que probablement le cas était différent. S'il dit que le cas était le même, vous insinuerez à votre tour, sans blâmer personne, que si on lui eût différé alors l'absolution, vous ne seriez peut-être pas obligé de la lui refuser aujourd'hui : car il aurait cherché à s'en rendre digne en renonçant au péché. » *Méthode pour la direction des âmes.*

**249.** « Comment faut-il disposer les vindicatifs et les colères à déposer leur haine et à pardonner? La passion de la vengeance est peut-être la plus aveugle et la plus violente. C'est par la douceur qu'il faut la combattre. Si l'offensé se confesse, attendez pour lui parler qu'il ait fini l'accusation de ses fautes, et qu'il ait vu combien il avait de torts envers Dieu. Alors faites-lui raconter son accident et convenez que son adversaire a agi en misérable et en traître, et qu'il mérite châtiment. Puis cherchez à l'amener à ces sentiments d'un véritable chrétien, en disant : Si un grand personnage, si votre souverain vous priait de pardonner par amour pour lui et d'oublier l'injure en vous disant qu'il se charge de la punition du coupable, et de la récompense que vous méritez pour ce pardon accordé, hésiteriez-vous à y consentir? Or voici le Roi de l'univers, Dieu lui-même, qui fait à tous une loi de pardonner et, bien plus, de faire du bien à ses ennemis; il vous dit : *Mihi vindicta et ego retribuam*; je ferai ce que me conseilleront ma justice et ma miséricorde; mais vous, il ne vous reste qu'à pardonner et je vous récompenserai abondamment... Voyez comment Jésus-Christ a agi avec ses ennemis... et, après cet exemple, vous qui vous glorifiez d'être chrétien, voudriez-vous ne pas pardonner? Mais surtout considérez comment Jésus-Christ agit envers vous; il était déjà mort pour vous sur la croix, et vous avez essayé de le crucifier de nouveau par votre péché. Pouvez-vous comparer le mal que vous a fait votre ennemi avec les fautes dont vous êtes coupable envers Jésus-Christ? Quelle proportion y a-t-il entre Jésus-Christ et vous? Jésus ne vous a pardonné tant de fois, et il est prêt à vous pardonner encore, que pour que vous pardonniez à votre tour; et cela vous semblerait dur? Voici une occasion de montrer à Dieu votre obéissance et votre reconnaissance. Si vous ne le faites pas, si vous ne pardonnez pas, Dieu non plus, » etc. — Salvatori.

**250.** 3. *Remedia suggerere.* Præter satisfactiones congruentes et debitas, Confessarius pœnitenti applicare debet remedia opportuniora, ne amplius peccet, et deterius illi aliquid contingat. Hæc alia sunt generalia pro omnibus, uti esset *amor erga Deum*, cum ipse ideo nos creaverit; sæpe se *commendare B. Virgini* ejus Rosarium recitando; item Angelo custodi, et alicui sancto peculiari Patrono; *frequentia Sacramentorum*, et statim post peccatum confiteri; *consideratio veritatum æternarum*, mortis præsertim; *Dei præsentia* cum urget tentatio dicendo: *Deus me videt;* quolibet vespere *conscientiam scrutari* cum animi dolore ac proposito, etc. Remedia autem specialia assignabuntur pro vitiorum diversitate: v. g. illi qui aliquo odio tenetur, insinuet ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso unum *Pater* et *Ave;* et cum turbari se sentit, reminiscatur peccatorum quibus ipse Deum offendit. Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuet ut novies vel quinque (habita tamen ratione personarum) lingua signet crucem super terram; vel ut quotidie saltem dicat Orationem dominicam et Salutationem angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit (quod secundum omnibus blasphemis cujuscumque conditionis potest imponi); et ut quolibet mane dum e cubitu surgit renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat B. Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona mihi patientiam*, et sic etiam faciet habitum dicendi ea verba. Liguori.

Cognito morbo statim medicina est applicanda: « Sans la pratique de la vertu, il est difficile d'éviter le vice, parce que le vice, dit la philosophie morale, ne s'enlève que par sa forme opposée, qui est la vertu... Il faut donc tracer en peu de mots ce que doivent faire les pénitents. Un tel, par exemple, est porté à l'impatience à cause de son travail ou de ses épreuves; dites-lui : — Mon cher frère, lorsque la tribulation vous assiége, remerciez Dieu, parce qu'il vous l'envoie pour votre bien. Est-ce une maladie longue et cruelle? Consacrez-la, toutes les fois qu'elle augmente, à la passion de Jésus-Christ et imaginez-vous que vous êtes en sa compagnie sur la croix. Est-ce la haine, l'envie ou la vengeance? Ne parlez jamais à qui que ce soit dans le premier mouvement. Mais sacrifiez votre colère à Dieu chaque fois qu'elle se montre et dites: *Seigneur, j'aime cette personne pour l'amour de vous.* Ainsi ferez-vous pour les autres péchés. Savez-vous pourquoi les confesseurs et surtout les prêtres séculiers sont ordinairement si secs? Parce qu'ils ne lisent le plus souvent que des livres de théologie morale, contenant des arguments dans leur forme scolastique, et n'ouvrent jamais les ouvrages ascétiques, qui traitent à fond des vices et des vertus, qui proposent la pratique du



bien et conduisent les âmes par la main sur le sentier pénible du devoir. » Careno, *Examen* XIII.

« A ceux qui consentent facilement à de mauvaises pensées : Au début de la tentation, la résistance est facile, mais, si vous vous arrêtez à la considérer avec négligence, elle devient plus puissante et plus difficile à vaincre. A l'instant donc où le démon se présente, faites une protestation à Dieu de vouloir plutôt mourir que l'offenser. Ne cherchez pas à discuter et à dire : Jusqu'ici il n'y a pas de péché; je puis aller un peu plus loin, et il n'y a pas encore de faute. Non, le danger est toujours grand, et en un instant vous pouvez avoir commis un péché mortel. Si vous ne savez faire autre chose, quand les mauvaises pensées vous viennent, tournez votre cœur vers Dieu et vers Marie, en demandant du secours avec autant d'ardeur qu'on en demande quand le feu prend à une maison ou qu'elle est envahie par les voleurs. » *P. Gaetano.*

Illi qui in peccata turpia prolapsus est, insinuet, ut etiam vitet malos socios et occasiones fugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ sunt proximæ. Huic præcipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem angelicam in honorem puritatis B. Virginis, mane et vespere, repetendo coram ejus imagine propositum non peccandi, et supplicationem ad jugiter perseverandum; item curet ut ipse frequenter communicet, etc.

Pour ceux qui sont portés à l'impureté, je leur dis : « Si vous étiez certain qu'après avoir pris cette jouissance brutale, vous dussiez tenir la main sur un brasier pendant une heure seulement, pour forte que fût la tentation, y succomberiez-vous? Et cependant ne croyez-vous pas à l'Évangile qui vous assure que pour un seul plaisir de ce genre vous aurez mérité, non plus d'avoir la main placée sur le feu, mais d'être enseveli tout entier dans les flammes de l'enfer, non-seulement pour une heure, mais pour l'éternité? Vous semble-t-il possible d'établir une proportion entre votre satisfaction honteuse d'un moment et le résultat qu'elle amène? Pensez-y donc quand la passion gronde en vous. Pendant que vous vous livrez à cette satisfaction en secret, si vous étiez surpris par un de vos amis honnête homme, par un personnage respectable, quelle honte ne ressentissez-vous pas! Comme la flamme impure serait promptement éteinte! La présence d'un homme honorable suffirait pour éteindre cette flamme, et la présence de votre ange gardien, la présence de Dieu même, votre créateur et votre juge, qui peut à l'instant même vous précipiter dans l'enfer pour l'éternité, n'y suffirait pas!... Arrêtez-vous à ces deux réflexions quand vous

sentez les mouvements de la *concupiscence.* » *Liguori Salvatori.*

A la jeune personne qui s'est engagée dans une affection dangereuse, je dirai : « Maintenant que vous avez fait une bonne confession, si vous voulez persévérer dans la grâce de Dieu, retenez bien ceci : A la première rencontre que vous ferez du jeune homme dont vous parlez, faites-lui comprendre par quelques mots que votre intention formelle est de changer de vie; s'il a de bonnes intentions, c'est pour lui le moment de le montrer; s'il désire vous épouser, qu'il s'en entende tout de suite avec vos parents. Mais il faut que vous parliez résolûment, parce que nous savons les habitudes des jeunes gens. Souvent ils cherchent à se faire aimer d'une jeune fille pour leur seul plaisir, sans avoir la pensée de l'épouser. Ils prétendent avoir de bonnes intentions, mais ce n'est qu'un prétexte pour continuer leurs manières libres : c'est là une ruse du démon qui prolonge ces relations pour allonger aussi la chaîne des iniquités. Qu'importe que votre intention soit droite, que vous ne vouliez pas le mal et que vous soyez sage, et le jeune homme aussi, vous n'en êtes pas moins dans un grave danger de vous pervertir; c'est la paille auprès du feu. Combien de jeunes gens et de jeunes filles, âmes innocentes, ont perdu à ce jeu toute leur vertu et sont tombés dans une vie de désordre. » *P. Gaetano.* — V. Franco, *Des veillées et des familiarités dans les campagnes.* Modène, 1862.

**251.** Hic nulla cautela satis; sensim enim sine sensu qui talibus assuescunt, præcipites ruunt in profundum. Unde versus :

*Visus et alloquium, tactus, post oscula, factum.*

Pour celui qui est dans l'occasion prochaine et nécessaire, voici des remèdes à indiquer :

« 1. Ne point s'arrêter en tête-à-tête avec la personne; tenir dans la réserve les yeux et les mains; n'avoir point avec elle de conversation oiseuse; enfin éviter, à l'aide de la funeste expérience que l'on a acquise, les lieux, les temps, les circonstances où l'on a péché. Quoique dans une même maison, la paille ne brûle point si on la tient loin du feu.

« 2. Surmonter le respect humain au sujet de ce que peuvent dire les gens de la maison lorsqu'ils ne verront plus les familiarités accoutumées. La modestie du maintien ne pourra qu'inspirer une bonne opinion et faire évanouir les soupçons, s'ils existaient.

« 3. Fréquenter les sacrements sous la direction d'un confesseur zélé; et, s'il arrive par l'effet de la mauvaise habitude que l'on commette un nouveau péché, ne fût-ce que de pensée, ne pas attendre qu'on en ait commis un second, mais aller tout de suite s'en décharger à ses pieds. Cette démarche, fortifiée par une fervente recommandation à Dieu, est un remède très-puissant.



« 4. Un remède efficace, c'est de méditer souvent la mort, l'enfer, l'éternité, de se placer dans son lit comme si l'on était mort, en songeant que bientôt son misérable corps sera mis au cercueil dans la même position, puis jeté dans une fosse et mangé par les vers.

« 5. Que celui qui est dans l'occasion se dise : *Si je pèche encore, l'enfer m'attend. Là, mon amour pour cette créature se changera en haine; nous nous maudirons, nous nous déchirerons à l'envi; elle sera mon enfer et moi le sien. Non, il ne me convient pas d'être avec elle un moment dans l'ivresse et toute l'éternité dans les angoisses.* Qu'il pose ensuite l'extrémité d'un de ses doigts sur une bougie allumée, et, dans l'impossibilité de supporter cette légère flamme, qu'il se dise : *Comment pourrais-tu souffrir un feu dévorant ?*

« 6. Qu'il pense que le premier péché qu'il commettrait serait peut-être le dernier, et que, s'il ne se dégage pas maintenant, il ne le fera peut-être jamais. Qu'il retourne à la maison après sa confession et qu'il exhorte sa complice à faire aussi une confession générale, en convenant avec elle de s'éviter réciproquement pour ne plus offenser Dieu. »

A celui qui manque souvent de charité et se laisse aller à des impatiences, je dis : « Je sais que la patience vous paraît difficile à acquérir : aussi je ne vous demande pas de me promettre maintenant d'être patient en toute circonstance et pour tout le temps de votre vie; je ne vous le demande pas même pour cette année, pour un mois, pour une semaine, non! il me suffit qu'en vous levant, le matin, vous formuliez la résolution suivante : « Seigneur Jésus, je veux être patient « par amour pour vous; Vierge Marie, pour vous plaire, je serai pa- « tient jusqu'à midi, je ne manquerai pas à la charité par ma faute, « jusqu'à ce moment-là. » Midi venu, renouvelez votre promesse jusqu'au soir, et, pour la rendre efficace, mettez en pratique trois choses : 1° proposez-vous de conserver le calme, en particulier avec la personne qui est le sujet de votre colère, et dans l'affaire où vous vous emportez ordinairement; 2° confiez votre résolution à Jésus et à Marie, car de vous-même vous ne réussiriez pas, étant *enfant de colère* et non de patience; 3° avant le repas et avant de prendre votre repos, examinez-vous, et, si vous trouvez que vous ayez manqué, repentez-vous et demandez pardon à Dieu. » — On pourrait s'y prendre de la sorte pour la correction de tout autre mauvaise habitude. *P. Gaetano.*

A ceux qui sont tentés contre la foi : « Il faut en cette tentation tenir la posture que l'on tient en celle de la chair, ne disputer ni peu ni

prou... Il ne faut nullement répondre ni faire semblant d'entendre ce que l'ennemi dit. Qu'il clabaude tant qu'il voudra à la porte, il ne faut pas seulement dire : Qui va là?... C'est cependant un très-bon signe que l'ennemi batte et tempête à la porte : car c'est signe qu'il n'a pas ce qu'il veut. S'il l'avait eu, il ne crierait plus, il entrerait et s'arrêterait. Notez cela pour ne point entrer en scrupule.

« Après ce remède, je vous en donne un autre. Les tentations de la foi vont droit à l'entendement pour l'attirer à disputer, à rêver et songer là-dessus. Savez-vous ce que vous ferez pendant que l'ennemi s'amuse à escalader l'intellect? Sortez par la porte de la volonté et lui faites une bonne charge. C'est-à-dire, comme la tentation de la foi se présente pour vous entretenir : Mais comment se peut faire ceci ? mais si ceci? mais si cela? faites qu'au lieu de disputer avec l'ennemi par le discours, votre partie affective s'élance de vive force sur lui, et même joignant à la voix intérieure l'extérieure, criant : Ah! traître, ah! malheureux, tu as laissé l'Église des anges, et tu veux que je laisse celle des saints! Déloyal, infidèle, perfide, tu présentas à la première femme la pomme de la perdition, et tu veux que j'y morde! Arrière, ô Satan!... Non, je ne disputerai pas ni ne contesterai. Ève voulant disputer se perdit : Ève le fit et fut séduite : Vive Jésus, en qui je crois! vive l'Église à laquelle j'adhère! et semblables paroles enflammées. » S. Fr. de Sales, *Lettre v^e à la baronne de Chantal*.

**252**. Hæc ponimus exempli causa; ceterum plura invenies in decursu totius Operis nostri, maxime pro scrupulosis dirigendis. Quæ omnia sponte sua fluunt, ut patet, et unum dat locum ceteris : ita paterne corripiendo pœnitentem, de facili potes etiam illum monere de iis quæ forte ignorat; ipsum autem rite disponendo ad pœnitentiæ partes suscipiendas, disponis etiam ad remedia libenter acceptanda. In hac re eminent Liguori, *Praxis Confessarii; ad bene excipiendas Confessiones*. — S. François de Sales, *Lettres spirituelles*. — P. Gaetano da Bergamo, *L'uomo apostolico*. — Salvatori, *Istruzione pratica per i Confessori novelli*. — *Cura Pastoralis* Gregorii Magni. — Ody, *Le Directeur de l'enfance*, etc. — *S. François de Sales proposé pour modèle aux âmes pieuses, en particulier aux prêtres*, etc.

### MONITA SPECIALIA, ET GRAVISSIMA.

**253**. Videant omnes Confessarii, ne rem adeo momentosam perfunctorie peragant; ne illos imitemur : — 1. qui properant omnia nimis festinanter : « Mon confesseur, aiebat quædam mulier, est comme mon dévidoir; il va, il va toujours. Dites vite! dites vite! En voilà assez ! en voilà assez ! » — 2. qui omnes semper et illico absolvunt, quia pœnitentes interrogati semper et illico se non amplius peccaturos promittunt; « Faut-il, aiebat quidam, que je réponde que je pécherai encore? » — 3. qui duplicem quasi mensuram habentes rigorose agunt cum pauperibus ac ruricolis ; at blande nimis et laxe cum divitibus et potentibus, aliquam piscando in Theologia opinionem, quæ vel per fas vel per nefas illis faveat : « Ils font comme les compositeurs typographes, » ait peritus Missionarius, « qui extraient du même casier des caractères pour et contre la même thèse ; » — 4. qui zelum amarum ostentant, et statim impatientes fiunt, si pœnitentes emandati non fuerint, qui quidem illa asperitate offenduntur, et in pejora ruunt : « Ils ressemblent aux couvreurs qui cassent plus de tuiles qu'ils n'en remettent ; » — 5. qui vix uno vel alio audito gravi peccato, turbantur, ac duriter cum pœnitente agunt : « Il y a des pénitents qui disent un ou deux péchés pour éprouver le confesseur, prêts à se renfermer en eux-mêmes s'il fait mauvais visage, comme l'escargot qui rentre ses cornes dans sa coquille au premier obstacle ; » — 6. qui moleste ferunt si scrupulosus homo, vel maxime si peregrinus et incognitus, forsan ecclesiasticus, illis confiteri quærat : « Ou ils le fatiguent en le laissant attendre trop longtemps, ou ils l'accueillent rudement et le renvoient à plus tard, ou ils le déconcertent, troublant une âme déjà ébranlée qui a honte de s'ouvrir à son confesseur ordinaire et qui cherchait à s'adresser à un inconnu ; » — 7. qui frigide et ægre agunt cum pœnitente, si una cum illis in re politica non sentiat, quasi res sit cum excommunicato vitando : « Le prêtre (ad rem card. Cheverus) doit se tenir à l'écart de toutes les passions politiques, s'il veut être apte à remplir, sous toutes les formes de gouvernement, son ministère de paix et de charité. Il ne doit regarder comme ennemi aucun parti, ni présent ni futur, parce qu'il est appelé à sauver les hommes de tous les partis. »



**254**. Utique totum hominem hocce ministerium requirit et patientiam et longanimitatem ; qua in re aiebat Salesius : « On est martyr non-seulement en confessant Dieu devant les hommes, mais encore en confessant les hommes devant Dieu. » Magnum revera pondus est ; quid tamen? habete fidem, spem erigite : hic namque Dominus est, qui nos cum pondere nostro portat; quique in ultima die cum venerit, centuplum reddet fideli donorum suorum dispensatori. Est enim Christus Dominus pius ille Samaritanus, qui vulneribus sauciatum nostræ curæ committit inquiens : *Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*. Sit ergo nostra charitas *universalis*, ut nulla fiat exceptio personarum ; *compatiens*, considerantes quod eadem nos indigemus : *generosa*, ut liberaliter demus quod nobis elargitus est Deus ; *provida*, ut et futura mala præcaveat ;



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*laboriosa* et *fortis*, ut non obruatur magnitudine difficultatum : Et sane charitas Christi, dicente Apostolo, I *ad Cor*. II, patiens est, benigna est, non est ambitiosa, omnia sustinet, etc. « S. Alphonse, pour s'encourager dans le pénible labeur du tribunal de la pénitence, répétait souvent cette parole de S. Augustin : Animam salvasti, animam tuam liberasti. » Ita clarissimus Gaume. — Neque Confessarius animo concidat, si videat fructus labori non respondere ; sed jugiter se in Domino sustineat, sciens quod Deus coronat ipsa tentamina ; quærens id unum a nobis, si fecimus quod in nobis erat.

### (Z) Page 162.

**255**. Quoad Confessarii scientiam plura notamus : — *a*. Confessarium non excusabit Episcopi approbatio, si *manifeste* se noverit inhabilem ; approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed eam supponit. Dico *manifeste ;* dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui superioris judicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. — Liguori, *Praxis Conf*.

*b*. Scias, quod magna mercede compensabuntur studia et labores boni Confessarii ; quia *de ipsius prædestinatione* (inquit S. Alphonsus) *ita securus est, qui se ad animarum salutem exercet et occupat, ut Jacobus perspicue id testetur sic dicens :* Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. *Op. Mor*., l. VI, n. 629 ; *Homo Apost*., tract. 16, n. 100 ; et *Praxis Confessarii*.

*c*. Hoc etiam desiderandum, ut praxis doctrinæ conformis sit ; sunt enim aliqui valde difficiles ac rigidissimi, cum disputant, qui tamen dum operantur, nullum dimittunt inabsolutum in Tribunali pœnitentiæ, quantumvis recidivum. — *V*. Careno, *Delle Regole*, ecc. Esame 13, circa finem.

*d*. Item circa doctrinam duo extrema sunt præcavenda : — 1. illorum *temeritas* qui dum audiunt ad Confessionem satis esse scientiam mediocrem, sibi blandiuntur quasi talem possideant ; quia temporibus illis aliqualem studio curam dedere ; est nunc vix ac nec vix quidem libros aperiunt, casus examinant et deleta ad memoriam revocant : heu ! quot Confessarii, ait Roncaglia, quot Parochi ratione ignorantiæ in continuo peccati mortalis statu vitam transigunt ! etenim hæc ignorantia, cum sit earum rerum quæ necessariæ sunt ad proprium munus, est de se peccaminosa, independenter etiam a quocumque pravo effectu, seu a mala administratione Sacramentorum ; — 2. illorum *timiditas*, qui ut se a Confessionibus audiendis liberent, continuo adducunt pro-



priam insufficientiam ; ista, ait Salesius, est malitiosa humilitas et inventus amoris proprii ad propriam tegendam socordiam ; nam quisque mediocris potest se aptum reddere, si singulis diebus parum attendat et nulla sit dies sine linea ; in fine quod parum videbatur, multum erit : si potest, et debet in tanta populorum necessitate. *V*. Careno, *Esame* XVII.

**256**. « Le cardinal de Cheverus (mort en 1836) estimait que le désordre dans l'emploi des journées en entraîne nécessairement la perte, fait manquer à bien des devoirs et indique un caractère sans énergie, incapable de maîtriser les variations du goût, les caprices de l'humeur ; comme, au contraire, il pensait que la vie chrétienne est essentiellement une vie réglée ; que ce bel ordre qui préside à tous les moments du jour, qui fait faire chaque chose en son temps et en son lieu, est une source de paix, de calme et de bonheur pour ceux qui l'observent, un spectacle de vertu et de religion pour ceux qui en sont témoins, une garantie pour l'accomplissement de tous les devoirs. Aussi jamais vie ne fut mieux ordonnée que la sienne : il avait contracté, dans le cours de son éducation ecclésiastique, l'habitude d'une vie de règle, et il la conserva fidèlement jusqu'à la mort. Il se levait toujours de très-grand matin, à quatre heures en été et quatre heures et demie en hiver, afin de pouvoir faire ses exercices de piété dans le silence de la paix, sans aucun dérangement du dehors. A six heures il célébrait la sainte messe, et, après son action de grâces, il étudiait l'Écriture sainte, lisant tous les jours deux chapitres de l'Ancien Tesment et deux chapitres du Nouveau, en latin, en français, en grec et en anglais ; souvent même il en étudiait le texte hébreu quand ses occupations, moins multipliées, lui permettait de prolonger son étude ; et c'était à cette pratique fidèlement observée qu'il attribuait la connaissance qu'il avait de l'Écriture sainte. Les mêmes matières, ainsi lues en quatre langues, se gravaient profondément dans son esprit et dans son cœur, d'autant plus qu'il les étudiait, non par une vaine curiosité de savoir, mais dans cette disposition de piété, de recueillement religieux, de respect pour la parole divine, qui touche, qui pénètre l'âme et y imprime les vérités saintes. » (*Vie du cardinal de Cheverus*, par M. le curé de Saint-Sulpice. Paris, Lecoffre.)

*Secundo* : quod speciatim pertinet ad asceticam, audiendus Auctor operis *Instruction pour le nouveau Confesseur*, qui ait : « C'est une omission condamnable pour le confesseur de ne pas étudier de bons livres, et ainsi de ne point se préparer à consoler, à résoudre les divers cas qui peuvent se présenter. Souvent les plus avancés dans la spiritualité recourent, dans la tiédeur ou l'inquiétude, au confesseur, pour en recevoir aide, conseil, direction, lumière, et par sa négligence il

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS ®

n'est point apte à en donner ; il ne veut point le devenir par la lecture des bons auteurs de théologie morale et mystique. » Quod magis currit de Confessario communitatum, si velit, ut exulat tepiditas, et succrescentes regularum violationes gravissimis peccatis locum non faciant ; sed ut jugiter servetur ordo atque crescat perfectio. — Hic consulendi Bergier, *Dictionnaire*, etc. v° *Théologie mystique*. — Scaramelli, *Directoire ascétique* ; it. *mystique*. — Liguori, *Praxis Confessariorum*. — S. Bonaventura, *Iter mentis ad Deum*. — *Civiltà Catt.*, ser. III[a], vol. I : *L'ascetismo e la civiltà*. — Item quæ diximus *de contemplatione*. — Molineri, *Ragioni apologetiche d'insegnamento ecclesiastico*. Torino, 1849, p. 31. — Schram, *Instit. Theol. mysticæ*.

**(44) Page 164.**

**257.** Duo maxime sunt quæ bonus Confessarius debet agere, si velit ut pœnitentes rite disponantur, libenter correctiones ac monitiones accipiant ac congrua remedia suscipiant : nempe sese accommodare studeat tum eorum *indoli*, tum eorum *conditioni* ; pro diverso enim personarum statu et diversi modi adhibendi sunt.

1. Curare debet, ut sese quoad potest diversæ pœnitentium indoli accommodet. Sculptor (audiatur *Stapf*, § 626) ut pulchram statuam efformet, materiæ qualitatem prævie perspectam tenere debet. Idem fere de spirituali Directore obtinet. Hinc ut eorum, quos ad christianam perfectionem formaturus est, indolem magis perspiciat, quædam de potissimis temperamentis subjicio. Ex recepto plerumque more distinguitur temperamentum *melancholicum*, *phlegmaticum*, *sanguineum* et *cholericum*. Et quamvis hæc in singulis mixta reperiantur, unum tamen illorum prædominari solet.

Itaque homines *melancholici* suapte indole sunt mente defixi, ruminatores, propriæ opinionis tenaces, proni ad suspiciones et temeraria judicia, taciturni, solitudinis amantes, difficiles ad pandenda cordis secreta, parum grati pro acceptis beneficiis, parci in laudando, lenti ad conferenda in alios obsequia, etc. — Quare ut spiritualis Director vitia huic indoli inhærentia successive resecet, talibus suavem semper, affabilem, sincerum et amore plenum se præbeat ; instet ut internas turbas et molestias suas ipsi candide fateantur ; abstrahat eos a nimia solitudine, eosque ad convenientes labores, præsertim ad opera et obsequia misericordiæ adigat.

*Phlegmatici* frigidi sunt, difficillime effervescunt, vel si quid boni cœperunt, ab illo mox iterum desistunt ; sunt insuper angusti pectoris, proni ad pavores et diffidentias, immunes quidem ab affectuum impro-



borum vehementia, sed pari modo etiam inertes ad exercitium pietatis. Horum regimen sat multis difficultatibus subjacet, si quidem somnolenti et socordes quales sunt, loco vix moveri possunt, et naturali suo pondere quantocius iterum opprimuntur. Pessimum est, quod pacem et affectuum suorum malaciam virtuti suæ adscribentes ad perfectionem parum sibi deesse opinentur ; dum vero acriter reprehenduntur, animum abjiciunt et desperant. Unde suaviter quidem, vi tamen non intermissa urgeri debent, ut aliqua saltem pietatis et mortificationis exercitia in usum deducant. Cave tamen, ne igni, ubi gliscere videtur, multa ligna simul imponas ; alias enim modica pietatis scintilla penitus extinguetur. Tales igitur excitandi quidem, et novis identidem stimulis urgendi sunt, ita tamen, ut congenitæ illorum inertiæ in rebus saltem non graviter præceptis aliquatenus indulgeas.

« *Sanguinei* generatim leves et inconstantes, animi relaxationibus, deliciis ac vitæ molliori inhiant ; faciles sunt ad amorem, ad jungendas amicitias, seque aliorum genio absque difficultate accommodare sciunt ; attamen eadem facilitate, ubi amicus recentior se offert, priorem deserunt. Sunt insuper profusi in vanitates, fabulas, res novas ; contra a solitudine, ab omni rigore et studio pœnitentiæ summopere abhorrent. Etiam erga hos Confessarius, ne forte in ipso limine terreantur, sese nequaquam austerum vel difficilem, sed potius benignum et amicabilem gerat ; virtutem ipsis tanquam plenam solatii et internæ tranquillitatis, imo superatis initiis, omni expectatione faciliorem depingat. Illorum attentio sæpius dirigatur ad gaudia cœlestia. Tum vero suaviter urgeri debent, ut dimissis vanitatibus, amicitiis et periculosis conversationibus, mores graviores induant, SS. Sacramenta pie frequentent, historias Sanctorum aliosque devotos libros legant ; demum inducantur, ut voluntarie a rebus etiam licitis sibi temperent, opera quædam pœnitentiæ obeant, etc.

« *Cholerici* impetuosi sunt, proni ad aggrediendas res magnas ; ast magna simul arrogantia et ambitione tenentur ; unde se resque suas extollere, propriis innixi viribus, aliis contradicere, reliquorum gesta vituperare, et omnis correptionis impatientes esse solent. — Ad hanc indolem feliciter edomandam forti manu magnoque labore opus est : ubi vero disciplinæ sanctiori semel subacta fuit, ad majores in virtute progressus insigniter adaptantur. Quapropter ut horum *interiora* rite disponantur, oportet eos frequenter considerare, et continuo ob oculos habere humilitatem et mansuetudinem Salvatoris Nostri, ut ex tanto exemplo impatientias suas et animi superbientis pruritum compescere enitantur. Si defectum aliquem commiserint, urgendi sunt, ut non sibi irasci, non consternari, non animum deponere ; sed semetipsos humiliare, de propriis viribus diffidere, atque ferventibus precibus ad Deum

recurrere assuescant. Ad *exteriora* quod attinet, inhibeantur ne extra casum necessitatis de semetipsis unquam sermonem ingerant, vel propriam opinionem mordacius propugnent; discant potius, dimissa in rebus adiaphoris sua sententia, alienæ acquiescere, atque in loquendo æque ac agendo naturæ impetum refrænare. Antequam gravius negotium ordiantur, viri prudentis consilium adhibeant; opera pœnitentiæ iisdem caute, et cum justo semper moderamine concedantur; et generatim Directorem meminisse decet, talibus frænum potius, quam calcar necessarium esse. Quod si reprehendi videantur, id ne ferventiori zelo fiat, sed mansuete, suaviter et cum debita judicii maturitate, ut moderationem, quæ ipsi toties inculcanda venit, ex ipso quoque magistri exemplo discant.

« Quia tamen hæc temperamentorum genera in pœnitentibus plerumque mixta inveniuntur, Director ita hucusque dictis instet, ut præcipuam semper rationem *qualitatis prædominantis* habeat. Quem in finem sæpe secum revolvat, qualem pœnitens se hucusque exhibuerit, quidquid considerata ipsius indole ad perficiendam ejusdem virtutem præ reliquis opportunum videatur. » — V. Debreyne, *Essai sur la théol. morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et la médecine;* prim. part. : des tempéraments. — Pinamonti, *Il Direttore delle anime*, cap. IX. — It. Perrodin, *Essai sur les caractères ecclésiastiques*, etc. Lyon 1859.

2. Diversimode se gerere debet cum personis diversæ conditionis : De his fuse Liguori, in sua celebri *Praxi Confessariorum*. Nos de præcipuis agemus, nonnulla specialia addentes quoad interrogationes faciendas et monita tribuenda.

### I. — QUOAD PUERORUM DIRECTIONEM.

**258.** Primo *quoad pueros* videatur Opus, *De Confessionibus adolescentulorum excipiendis, auctore Rusconio*, Bononiæ 1818. Auctor agit 1. de eorum Confessionis integritate curanda, removendo causas ob quas adolescentes peccata reticent, quæ sunt : *negligentia*; videris enim aliquos tibi eam recitare cantilenam, quam a pueritia edocti fuerunt, eaque finita, silere : ideoque tales excita ut rem, quam agunt, adeo momentosam considerent; *ignorantia*, quam tamen culpabilem esse ipsa vox naturæ judicabit; vox autem naturæ est pudor, trepidatio, tristitia : hinc quære, an talia sine rubore admiserint, an delegerint tenebras, an tristitia et trepidatio successerint, etc.; *malitia*; sunt enim qui reticent, ne corrigantur, ne cogantur occasiones deserere, ne dimittantur inabsoluti; oportet igitur excitare eorum fidem, eos graviter alloqui de Deo, de anima quam perdunt, ut salutariter concutiantur; demum *erubescentia cum metu*, quæ facit ut peccata carnis reticeant : in hisce rebus sit maxima cautela; si enim vobis non quærentibus, plerique sacrilege reticebunt, quærentibus intemperanter, ediscent quod ignorare debuissent.



Si adolescens appareat timoratus, ut non sit dubitandum de ejus ingenuitate, ne interrogetur de hisce turpitudinibus; secus utique, sed suggestive et gradatim ac semper caste : incidi non semel, ait, in pueros, qui cum experiri vellent, an actus a Confessariis explicati plurimum afferrent voluptatis, impurissimi facti sunt : de his porro quis reddet rationem apud Deum? Sat igitur sit in primis petere, an quidquam admiserint malitiosum, et turpe de quo puderet, et quod vererentur ne majoribus innotesceret, an cum sodalibus miscentes sermones aliquid perceperint quod narrare non audeant, an colludentes quid egerint in corpore non verecundum; an sordidis cogitationibus vexari soleant, etc. Si adolescens peccavit in se unum tantum mollitie, censeo non perquirendos modos, quia vel referuntur ad unam speciem, vel sine Sacramenti dedecore et pœnitentis periculo discriminari non possunt : duo quærantur, an agitaret mente turpitudines et desideria cum aliis et cum quibus personis; et an peccatum ad finem usque perduxerit, si tamen puber sit aut valde pubertati proximus : hanc ultimam interrogationem si non intelligat, clarioribus vocibus non utendum. Si adolescentuli fateantur se mollitie peccasse cum aliis ejusdem sexus, insuper interrogandi, si quid deterius fecerint cujus illos magis pudeat, quodque videatur eis aliud genus peccati; si negent, consistendum; si affirment, sensim progrediendum. Si impudice peccaverunt cum fœminis, cum confessi fuerint actus mollitiei (de quibus dumtaxat se accusare solent), de ceteris perquam caute interrogandi, num egerint deterius? negantibus, acquiescendum; affirmantibus, num denudaverint corpora, se ad invicem conjunxerint, quid fecerint, in quid peccando desierint? Denique si in venerea effusos perspexeris, erunt de brutalitate etiam interrogandi : an quidquam mali egerint cum belluis? si affirmant, explicent, etc. — Ceterum motiva prius sunt indicanda ad erubescentiam vincendam, nempe peccata declarata remitti, et æterno silentio sepeliri; non declarata nec remitti, sed coram toto mundo esse in ultimo die publicanda, sacrilegia quæ inde sequerentur, etc.

Agit 2. de dolore excitando, in quo plerumque adolescentes deficiunt, tum ex *defectu ætatis*, et ideo patienter sic adjuvandi : *Scisne, fili, te habere patrem in cælis, qui est omnium Dominus, qui te amat, te vult beatum facere? et en quem tu offendisti; ipsum qui pro te venit in mundum, passus, crucifixus*, etc.; tum ex *indolis improbitate* et *levitate mentis*, et ideo excitandi per considerationem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mali quod patrarunt, pœnæ quam meruerunt, boni quod sancta Confessione consequentur, amoris quo illos diligit Deus; tum ex causa *præsumptionis* vel *desperationis :* in primo casu terrendi, in secundo confortandi; tum ex *habituali indevotione*, unde fit ut pietatis opera fastidiant : a qua sunt amovendi, et ideo jubeantur preces, breviores tamen, crebri divini amoris effectus, templi visitatio, Missæ quotidiana auditio, levis abstinentia in Virginis honorem, Eucharistiæ frequens susceptio, lectio perbrevis.

Agit 3. de occasionibus proximis auferendis, de otio fugiendo, de tentationibus superandis, de remediis suggerendis, virtutibus promovendis, satisfactionibus injungendis; in quibus omnibus Confessarius debet accommodari ætati, propensioni, indoli, conditionibus ac necessitatibus adolescentulorum. Ubi notanda : 1. non expedire, ut ipsi dimittantur si indispositi, sed præstat omni studio curare ut disponantur in præsens; quod si bene id non cesserit, opportunis datis præceptis, ac confortatis, in propinquiorem diem remittantur; 2. cautius, brevius sunt interrogandæ puellæ, quæ cum non possint audiri nisi ad crates, atque ideo nequeat dignoscere Confessarius in qua ætate sint, præstat ut prius de hac interrogentur, ne contingat, ut peccata edoceantur quæ sunt a peccatis amovendæ.

Ceterum in hac re tantæ prudentiæ et consilii quædam specialia monenda censemus cum experientissimis, id est de cura, instructione, confessione, examine, absolutione et exhortatione adhibenda cum pueris, sive intra, sive extra Pœnitentiæ tribunal.

1. **Cura et Instructio.** « Un prêtre zélé, et surtout un pasteur, doit porter un vif intérêt aux enfants, et le leur faire sentir par tous les moyens. Au zèle il faut joindre la prudence.

« Il doit éviter toute distinction, tout ce qui sentirait quelque préférence, quelque prédilection pour les riches ou pour ceux qui ont des qualités et des talents supérieurs. Si l'on croit devoir donner à ceux-ci quelques marques de satisfaction, que ce soit de manière à faire sentir que c'est la vertu seule que l'on préfère à tout, et qu'on est disposé à la louer et à la récompenser à l'égard de tous, mais plus particulièrement dans ceux que le monde méprise à cause de leur pauvreté et de leur basse extraction. Sans cette précaution on augmentera l'orgueil et la hauteur des uns, on excitera dans les autres une jalousie secrète, ce qui fera perdre la confiance, et paralysera les efforts du zèle le plus actif.

« Le confesseur a besoin de patience pour supporter la légèreté, la dissipation, l'indocilité, l'insensibilité qu'il rencontrera dans la plupart des enfants. Il a besoin de patience pour les recevoir avec bonté, quoiqu'il s'aperçoive qu'ils ne font aucun effort pour réformer leur conduite; il a besoin de patience pour leur donner, toujours avec la même douceur, la même affection, des avis qu'il a déjà répétés vingt fois, et dont il ne voit aucun profit. Rappelons-nous qu'il suffirait de montrer une seule fois de l'humeur à un enfant, de lui adresser des paroles dures et humiliantes, pour lui fermer la bouche sur certains péchés et même le dégoûter entièrement de la confession. » Ody, *le Directeur de l'Enfance*.



« Traitez les enfants avec beaucoup de charité et de douceur; demandez-leur s'ils connaissent les principales vérités de la foi. S'ils les ignorent, instruisez-les avec patience, et, s'il se peut, tous à la fois; autrement, envoyez-les auprès de personnes capables qui leur apprennent au moins les choses de nécessité de salut. » Liguori, *Praxis Confessarii*.

Ad rem etiam faciunt quæ habet *Specchio del Clero :* « Le plus grand nombre des enfants ne savent pas ce que c'est que le péché, ou au moins ils en ont des notions fausses et incomplètes. Ils regarderont comme un péché mortel des manquements légers, des bagatelles, et ils ne feront aucune attention à des fautes réellement graves. Les parents et souvent même ceux qui font les catéchismes sont cause de ces défauts, en disant sans aucune restriction que les enfants désobéissants, menteurs, etc., iront en enfer; que jurer est un grand péché, etc. Le confesseur doit s'appliquer à rectifier ces idées en enseignant aux enfants d'une manière proportionnée à leur capacité : 1° ce que c'est que le péché; 2° que tous les péchés ne méritent pas l'enfer. Il peut profiter pour cela de l'accusation qu'ils font : si un enfant s'accuse, par exemple, d'avoir menti, désobéi, d'avoir jeté une pierre au chien du voisin, on peut, après lui avoir dit que c'est mal de mentir et de désobéir à ses parents, lui demander pourquoi il a jeté cette pierre et lui dire qu'il se peut faire qu'en cela il n'y ait point eu de péché. Pour l'aider à indiquer le motif qui l'a fait agir, on pourra ajouter : Est-ce que vous n'aimez pas votre voisin? Est-ce qu'il vous a fait du mal ou à vos parents? C'est peut-être pour lui faire de la peine à lui ou à ses enfants que vous avez jeté cette pierre? Vous avez été cause qu'on a juré contre vous, etc. Si on découvre qu'il y a eu quelqu'un de ces motifs, on lui fera sentir qu'il a agi par haine ou par vengeance, et on l'avertira que c'est là ce qui déplaît le plus à Dieu; il doit avoir soin de chercher dans son examen ce qu'il croit être mal et le dire à confesse. On pourra lui faire les mêmes questions sur ses désobéissances et ses mensonges; et on trouvera tantôt que c'est par jalousie contre ses frères, qu'il croit être plus aimés que lui; tantôt parce que l'amour du jeu l'emporte; d'autres fois parce qu'il a peu de respect pour son père et sa mère. »

« Il n'y a que quelques jours, un enfant de la campagne vint nous demander l'aumône. Désirant de lui donner en même temps l'aumône spirituelle et corporelle, nous le priâmes de dire quelques mots de prières. Nous lui adressâmes ensuite quelques questions de catéchisme ; il n'en savait mot ; il ignorait que son âme était immortelle ; il croyait qu'il n'y aurait rien à craindre ni à espérer après la mort. Bien entendu qu'il ne connaissait pas le mystère de la très-sainte Trinité, ni celui de l'Incarnation ; s'il savait qu'il y a un Dieu, du moins il ne pouvait en donner une définition. Cependant il avait huit ans, et assez de raison pour pécher mortellement. Et s'il venait à mourir subitement, sans avoir même une idée des principaux mystères, et de tout ce qui est nécessaire de nécessité de moyen, quelle serait son éternité !!! Quelle responsabilité pour son pasteur, si Dieu pouvait lui reprocher d'avoir négligé de prendre les moyens d'instruire ou de faire instruire cet enfant !... » Ody, *le Directeur de l'Enfance*.

2. **Confessionis utilitas ac necessitas.** — Ex D. Carolo optima est et retinenda et inducenda consuetudo puerulos, etsi nondum perfecte ad annos discretionis accesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem et usum hujus Sacramenti transferri : Continuator Tournely observat hac in re cum Navarro, Lugo et Sylvio, Parochos vel Confessarios qui simul plures audiunt pueros doli capaces aut de quibus dubium sit an doli capaces sint, gravi sacrilegio reos esse : — 1. quia Sacramento utuntur ad risum ; — 2. quia pueros illos morali exponunt periculo peccata sociorum revelandi ; — 3. quia canon *Omnis* præcipit ut *solus soli* confiteatur. Quod magis tenet de puellulis, quæ si doli capaces, nonnisi ad crates audiendæ.

Neque obstat quod pueri circa confessionale conspiciantur quædam puerilia agere, ludere, ridere, etc., atque ideo haberi debeant uti incapaces. Hæc pertinent ad pueriles inadvertentias quæ se produnt exterius; sicuti adulti circa confessionale quandoque patiuntur inadvertentias internas ; gratia enim Dei non aufert omnes effectus pueriles, sed operatur in pueris, ipsis linquendo eorum statum puerilem ; unde in illis non requiritur dispositio maturæ ætatis, sed juxta eorum imbecillitatem. *Dens*.

3. **Examen.** « Il faut leur faire dire exactement tout ce qui précède la confession : *Au nom du Père... Mon père, bénissez-moi... Je me confesse à Dieu...* Le meilleur est que le confesseur dise à l'enfant : *Faites comme moi*, et qu'il fasse le premier toutes ces actions.

« Quand un enfant a déjà été à confesse, il faut lui demander s'il a accompli la pénitence qu'on lui a donnée à faire, puis lui dire : *Dites vos péchés, mon fils, dites-les tous, et le bon Dieu vous les pardonnera tous.* Il faut ensuite l'écouter lorsqu'il s'explique lui-même, et se contenter de lui faire dire à chaque péché combien de fois cela lui est arrivé à peu près, par jour, par semaine, par mois.



« Si l'enfant est embarrassé, il faut lui dire : *Voulez-vous que je vous aide?* On doit l'examiner sur les commandements de Dieu et de l'Église. *Les savez-vous?* et, à mesure qu'il les récite : *Avez-vous manqué de faire vos prières le soir et le matin?* et quand il répond : *Oui*, lui faire dire à lui-même : *Mon père, je m'accuse d'avoir manqué de faire mes prières tant de fois ;* et ainsi des autres commandements. Il est nécessaire aussi de lui faire répéter ainsi : ce qu'il fera bientôt si on lui fait répéter chaque accusation particulière.

« Sa confession étant faite, il faut lui faire achever son *Confiteor*, en le disant avec lui s'il n'est pas ferme à le bien dire seul; puis le confesseur récite le *Misereatur*.

« Il est à propos que le confesseur fasse son exhortation par manière d'interrogation ; par exemple : *Qu'est-ce qui vous a créé, mon fils? C'est Dieu. Pourquoi vous a-t-il créé?* Après qu'il a répondu : « Vous le voyez, mon fils, vous n'êtes au monde que pour servir Dieu ; « avez-vous servi le bon Dieu quand vous avez manqué de faire vos « prières? avez-vous servi le bon Dieu quand vous avez menti, quand « vous avez désobéi?... » Laissez-le répondre à chaque question ; ajoutez ensuite : « Cependant ce n'est qu'en servant Dieu qu'on obtient « la vie éternelle ; au contraire, quand on ne le sert pas, on va en « enfer. Eh bien, vous ne voulez donc plus manquer à faire vos « prières? vous ne voulez donc plus mentir?... » Après cela, il faut lui donner une petite pénitence : trois fois les actes de foi, d'espérance et de charité, qu'on lui montre dans son catéchisme, ou bien trois *Pater :* on lui fait réciter un acte de contrition, en prenant bien garde s'il le dit bien, et on lui donne la bénédiction en récitant sur lui l'*Indulgentiam*.

« Le confesseur doit souvent instruire l'enfant sur les trois mystères de la sainte Trinité, de l'Incarnation et de la Rédemption, quand il a lieu de croire que l'enfant ne les sait pas.

« Il faut mettre les enfants dans l'usage de faire souvent des actes de foi, d'espérance et de charité; leur indiquer l'endroit du catéchisme où se trouvent ces actes, les leur donner de temps en temps pour pénitence.

« Pour garantir les enfants du péché mortel, et surtout des mauvaises habitudes, il faut leur dire souvent de ne pas aller avec ceux qui ne sont pas sages, leur demander si les camarades qu'ils fréquentent sont bien sages, bien modestes dans leurs petits jeux, s'ils ne font jamais rien qu'ils ne voudraient pas qu'on vît, les exhorter eux-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mêmes à être bien sages partout, à ne jamais rien faire qu'ils ne voudraient pas qu'on aperçût.

« Pour leur inspirer la piété, il faut leur parler avec effusion de cœur de la bonté de Dieu, leur dire : « Le bon Dieu vous aime bien ; « pouvez-vous en douter? Qui est-ce qui vous a créé? qui est-ce qui « vous envoie tous les jours ce qui est nécessaire pour vous nourrir? »

« Quand on interroge sur le mystère de l'Incarnation, leur dire : « C'est pour vous que le Fils de Dieu s'est fait homme, c'est pour vous « qu'il est mort sur une croix. Oh! il faut qu'il vous aime bien! ne « voulez-vous pas l'aimer aussi de tout votre cœur? Eh bien! aussitôt « que vous êtes éveillé le matin, faites le signe de la croix, et dites : « Mon Dieu, je vous donne mon cœur ; je vous demande votre béné« diction pendant cette journée. »

Et quoad interrogationes circa luxuriam : « Je me contenterais de demander à un enfant s'il a été bien modeste, si les camarades avec qui il va sont bien sages ; de lui recommander beaucoup la modestie dans ses petits jeux, et partout.

« Tout au plus, je demanderais à un enfant s'il n'a pas eu de mauvaises pensées; s'il me dit *oui*, je me donnerais bien de garde de spécifier moi-même ces mauvaises pensées ; mais je lui demanderais : *A quoi pensiez-vous, mon fils?* s'il me répond qu'il songeait à se venger, à faire de la peine à ses camarades, je m'en tiendrais là. Il y a plus à perdre qu'à gagner en allant plus loin. » Lhomond.

« Au lieu de demander au pénitent s'il a commis des péchés contre le sixième commandement, ce qui lui donnerait trop de facilité pour répondre non ; je lui parle ainsi : — Eh bien! mon enfant, accusez-vous maintenant de vos péchés contre la pureté.

« Avez-vous commis des actions mauvaises, indécentes? s'il vous répond non, ajoutez de suite : Combien de fois? comme si vous aviez cru qu'il répondait affirmativement; et souvent, heureusement trompé par ce stratagème, il vous déclarera un certain nombre de fautes.

« Vous me dites que vous n'avez rien qui vous gêne la conscience. Cependant, voudriez-vous bien mourir en sortant du tribunal? Seriez-vous disposé à paraître tranquillement de suite au jugement de Dieu?

« Si, vaincu par ces exhortations, il vous déclare quelque péché honteux, encouragez-le en lui disant : — Mon bon ami, quel plaisir vous me faites, puisque vous me fournissez le moyen de vous arracher de l'enfer!

« Il faut interroger spécialement les enfants : 1° sur la désobéissance : — Avez-vous désobéi à votre père, à votre mère, à vos maîtres d'école ou d'apprentissage? Combien de fois par mois, par semaine, par jour?... Avez-vous répondu malhonnêtement? Leur avez-vous occasionné des colères, des blasphèmes?... Vos désobéissances continuelles n'ont-elles pas porté vos frères et vos sœurs à se révolter à votre exemple contre vos parents?...



« 2° Sur le *vol*. La gourmandise est la cause la plus ordinaire des vols dont les enfants se rendent coupables ; d'où il suit que le confesseur doit faire sentir à un enfant combien il est honteux de se rendre ainsi esclave des appétits grossiers du corps. Rarement celui qui les suit conserve la chasteté... Dans certains cas, le confesseur pourra les forcer à rendre l'objet ou la valeur de l'objet qu'ils ont pris : ce sera un bon moyen de les détourner du vol.

« 3° Sur le *mensonge*. Le mensonge est parmi les enfants un vice très-commun, et seul il suffit pour perdre ceux qui auraient d'ailleurs les plus heureuses dispositions. Commettre des vols, manquer à ses offices, à l'école, perdre son temps au jeu, cacher sous une modestie hypocrite les désordres les plus affreux, tromper ses parents, ses maîtres, son confesseur, tout cela devient facile et habituel à un menteur. Il est donc bien important de prémunir la jeunesse contre ce vice; et, pour cela, il faut s'appliquer à inspirer aux enfants toute l'horreur qu'il mérite ; leur rappeler qu'ils ne tromperont pas Dieu ; que tôt ou tard les menteurs sont découverts et qu'ils tombent dans le mépris. Il est bon encore de leur faire observer que le plus souvent ils obtiendraient le pardon des fautes qu'ils commettent, s'ils voulaient les avouer ingénument. Il est important de faire connaître aux enfants que toutes les fois qu'ils parlent contre leur pensée avec intention de tromper, il y a péché, mais ce péché n'est mortel que quand il s'agit de choses graves. On doit surtout les prémunir contre le mensonge, quand il s'agit de la confession, et quand il s'agit de certaines promesses qu'ils se font entre eux, même avec jurement, ce qui pourrait les conduire au sacrilége et au parjure, si l'on ne prenait aucune précaution pour les en préserver.

« 4° Sur la *paresse*. Les enfants ne pensent pas toujours à s'accuser sur ce point, quoiqu'ils soient très-coupables. Le confesseur doit donc les interroger et leur demander s'ils ont manqué à l'école, s'ils ont été attentifs en classe à tout ce que disait leur maître, s'ils ont fait leurs devoirs avec soin, s'ils ont perdu beaucoup de temps à jouer, etc. Il est bon de leur faire remarquer que Dieu leur demandera compte de toute leur vie, que les paresseux sont méprisés de tout le monde, que l'oisiveté est la mère de tous les vices, » etc., etc. — Ody, *le Directeur de l'Enfance*.

**4. Pœnitentia, Absolutio.** — Pœnitentia levis sit quantum fieri potest; et curandum, ut quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur aut omittent. Curet etiam Confessarius pueris insinuare

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium et ter *Ave* mane et sero, hanc precem adjungendo : *Mater mea, libera me a peccato mortali.* Liguori, *Praxis;* et *Hom. Ap.*, tr. ult., n. 38.

Curet Confessarius in principio, ut ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; postea ipse interroget, sed caute ac gradatim. Si est dubie dispositus (ut si in actu Confessionis non maneret compositus, manibus jocaretur, etc.), tunc absolvatur sub conditione, cum est in periculo mortis, aut in obligatione implendi præceptum paschale. Imo probabiliter plures dicunt, quod puer dubie dispositus semper absolvi potest (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, ne careat diu gratia Sacramenti et forte etiam gratia sanctificante; si forte aliquam gravem culpam habeant ipsis occultam. Idque puto omnino dicendum etiam extra tempus paschale et præcepti. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 432, ubi fuse de hac re.

Curandum autem ut puer eliciat actum doloris modo ipsi proprio : v. g., *amasne Deum, qui est Dominus tuus tam magnus et tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult; et tu spera, quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te pœnitere : quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse, etc.? Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quod infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti?... Deus meus, nunquam amplius volo te offendere*, etc. Liguori.

### II. — QUOAD CARCERE DETENTOS, CAPITE DAMNATOS ET INFESTATOS A DÆMONE.

**259.** Secundo *quoad carcere detentum :* hæc præcipue notamus cum libro, *Istruzione ai novelli Confessori :* « 1° Que le confesseur s'ingénie à le gagner, surtout si c'est un grand criminel, d'un esprit indocile, et, comme il arrive d'ordinaire, un mauvais chrétien... Il l'avertira que, malgré l'espoir qu'il a peut-être de sa délivrance, il ne doit rien taire en confession : avant de commencer, il l'instruira sur la rigidité du secret sacramentel; 2° il évitera de parler, soit avant, soit après la confession, avec les juges ou les employés de la justice de peur de lui donner des soupçons; 3° si l'accusé veut maintenir en confession son innocence supposée, il le conduira adroitement à avouer les fautes qui sont du ressort de la pénitence; qu'il lui promette plutôt de l'entendre là-dessus après la confession, mais qu'il ne se charge pas de traiter avec les juges, si la charité jointe à la prudence ne le demande absolument... » 4° Item studeat ut odia deponat, blasphemias vitet, quoad potest otium fugiat, oret, et omnia pro peccatis patienter



sustineat. Cetera vid. de Obligationibus, ubi *de accusatore, reo, judice ac testibus.*

Quoad *capite damnatos* plura et egregie de more S. Alphonsus, *Praxis;* et *Hom. Ap.*, tr. ult., n. 48 : Cum his nempe maxima patientia opus est. Prima vice Confessarius reum consoletur, ei compatiatur, et sic industrie significet ei quomodo illius morte velit Deus illum salvum facere. Dicat quod omnes morimur : loquatur de felici beatorum vita et de æterna miseria damnatorum. Dein hortetur, ut Deo agat gratias qui non permisit ut moreretur impœnitens. Inducat ut mortem patienti animo a Deo acceptet conjungendo cum morte quam Christus pro suo amore acerbissimam perpessus est; eumque confortet dicendo quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus erit. Insinuet ei ut postea confiteatur; præcipue autem interroget an odio adversus aliquem teneatur, an aliqua superstitiosa habeat; an pactum cum dæmone fecerit, etc. Dum autem reus ad patibulum pergit, dicat ei : *Eia, fili mi! sequere Jesum C. qui ante te profectus est ad Calvarium ad subeundam pro te mortem longe amariorem.* Cum ad locum supplicii, pervenit iterum eum brevi reconciliet et absolvat moneatque ut aliquam indulgentiam lucretur, et dein dicat : *Eia, N., hilari animo esto; jam nunc manes in gratia Dei; jam tibi patent paradisi januæ; te expectant Jesus et Maria; conjunge mortem tuam cum morte Jesu. Amasne illum? dic mecum : Domine, super omnia te diligo; morior ut tuam faciam voluntatem; mortem pro meis peccatis accepto; iterum te offendisse me pœnitet*, etc. Cum vitta super oculos reo imponitur et scalam ipse ascendit, dicat : *Fili, invoca Mariam, ut tibi assistat; ecce Jesus, ecce Maria te expectant. Maria, adjuva me; Domine, in manus tuas commendo spiritum meum; Jesu, Maria, Joseph*, etc.

Quod si reus obstinate nollet confiteri? Confessarius ne perdat sustinentiam; sed 1. curet ipse precibus adjuvare; aliisque quoque illum commendet, præcipue communitatibus religiosis, ut missis et orationibus ipsum auxilientur; 2. intimet damnato quod sive confiteatur sive non, sententia exequenda est; 3. interroget an desperet, an animam dæmoni tradiderit; dicat quod pactum nullius est roboris, cum solus Deus sit vitæ dominus; pœniteat, et salvus erit. Ceterum advertat confessarius primis vicibus quibus talem obstinatum alloquitur ne importune cogat ut statim confiteatur; obstinatior fieret. Melius erit sermonem facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de pœnis inferni, de paradisi gloria, de animæ pœnitentis pace, etc. Enarret ei exemplum eorum qui pessima morte finierunt, et aliorum qui quiete ac sancte finiere. Dictis hisce, relinquat reum ut paulisper secum ista animo volvat; postea iterum sciscitatur an forte mutatus sit, eique

dicat : *Fili mi, jam tua mors appropinquat, quid decernis? in tua potestate est infernum aut cœlum eligere. Animadverte quod si obstinate decedis, per totam æternitatem te pœnitebit, sed inutiliter; at nunc, nunc*, etc. Si adhuc renuat, circumstantes orent pro eo, et præsertim litanias B. V. recitent; et dein ante illum genuflectat, rogetque ne velit perire. Si non proficiat eum alloquendo, se convertat ad alloquendum Crucifixum. Prodesse quoque poterit eum terrere dicendo : *Discede, maledicte, in infernum, si vis te perdere; sed scito quod tua pœna atrocior in inferno erit memoria hujus temporis, quod Deus tibi elargitur, et tu abuteris*. Sed postmodum dulcem resumat sermonem; oret, hortetur, omnia in Domino pertentet, ut illum flectat.

Quoad vero *infestatos a dæmone*, etsi Confessarius non debeat esse nimium credulus, cum plures invasiones sint potius aut fictiones aut imaginationes, aut infirmitates præsertim in mulieribus; neque tamen debet esse omnino incredulus; nam veras dæmonis infestationes dari indubitatum est; ideo omnia probet juxta ea quæ *de superstitione*, tom. II, tradidimus. — Porro eorum qui a malis spiritibus vexantur, spectris horribilibus aut corporalibus cruciatibus, facilis est cura : insinuetur eis oratio, patientia et super omnia divinæ voluntati uniformitas. Qui tamen magis solent Confessarios vexare sunt ii qui turpibus visionibus, motibus ac etiam tactibus molestantur a dæmone qui non solum fomitem sensualem excitant atque ad pollutiones impellunt; sed aliquando cum eis carnale commercium sub forma humana habet, et ideo succubus vel incubus appellatur. Quod quidem dari posse communiter docent cum D. Augustino, *De civ. Dei*, t. XV, c. XXIII, et D. Thoma, 1. 2, q. 80, a. 3, etc. Et id potest peragi sine peccato formali creaturæ, ut advertit Scaramelli, *Direct. mystic.*, tr. V, c. 11, si scilicet dæmon eo tempore quo exterius operatur, interius usum rationis totaliter impediat, ita ut omnem demat libertatem : quod per D. Thomam fieri potest ita vehementer movendo imaginationem et appetitum sensitivum, ut per tales perturbationes omne rationis lumen extinguatur. Hinc Confessarius examinet pœnitentem an in his quæ patietur, aliquo modo advertat malitiam; nam si dicat durante illa tentatione, ita mentem sibi effundi, ut nihil cognoscat, nec remersus sentiat, tunc poterit censeri immunis a peccato. Secus si eo tempore in ipso fulgeat aliquod lumen rationis ut possit resistere. Curet autem Confessarius quod pœnitens subjiciat clavibus sacramenti tales actus, si forsan in aliquo deficiat vel propter advertentiam imperfectam, vel propter aliquam deficientiam resistentiæ.

Si quis forte, Deo permittente, sit infestatus a dæmone tali tentatione (dicta *spiritus fornicationis*) debet Confessarius multum sata-



gere ad præmuniendum pœnitentem in hoc tremendo conflictu; nam in magno periculo versatur, si remedia non adhibeat multo efficacia, et aliquando etiam extraordinaria, cum ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, et magna violentia ex parte patientis. Et ideo difficulter ab hujusmodi pugnis victor egredietur qui non perseverat in mortificatione, et oratione, centies milliesque se commendando, gemendo et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparæ pedes. Itaque, ut deveniamus ad remedia, Confessarius pœnitentem ante omnia moneat, ne perdat sustinentiam, sed faciat ex tentatione proventum, sciens neminem tentari super id quod potest. Videat ne cedat tentationi, nam tunc ejus curatio fieret valde difficilis; et ideo ipsum urgeat ut jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. nomina Jesu et Mariæ; se diligenter avertat a sensuum voluptatibus, communionem frequentet, protestetur sæpe nolle consentire cuicumque tentationi aut delectationi quam opera dæmonis sentiret; sæpe utatur signo crucis (illam ferendo quoque secum), et aqua benedicta, cum ipsa lectum et cubiculum aspergendo; afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum et Evangeliorum librum; secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo : *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi præcipio tibi, ut a me discedas et ne amplius me vexes*. Hortetur præterea quod sæpius humiliet se, et in hujusmodi humilitatis actibus sæpius sese exerceat; cum aliquando Deus ob aliquam internam superbiam ab anima removendam has tentationes, justo judicio suo, permittat. Liguori, *Praxis Confess.*; et *Hom. Apost.*, tr. ult., n. 50.

### III. — QUOAD ADOLESCENTES ET ADOLESCENTULAS, CIRCA ELECTIONEM STATUS.

**260.** Cum divina providentia (ad rem Stapf) rebus etiam minutissimis suum cuique tempus et locum adsignaverit, adeo, ut ne unus quidem passer sine Patre nostro super terram cadat, cumque omnes capilli capitis nostri numerati sint; quis diffitebitur, unicuique nostrum etiam certam activitatis stationem assignatam esse, in qua nos ad regnum divinum cooperari oportet? Atque hanc ipsam Dei voluntatem sufficienter cognitam, vel etiam statum ipsum divinitus nobis adsignatum *vocationem* dicimus. Quæ vocatio aliquando jam certo determinata est vel a Deo vel ex rerum adjunctis; *a Deo* si per signa extraordinaria ipsemet ad certum munus nos patenter accersit, ut patet de prophetis, et apostolis; *ex rerum temporumque circumstantiis in quibus vivimus;* dum nempe per conditiones externas vel ad statum aliquem adigimus, vel nonnisi unica vitæ conditio nobis ineunda relinquitur : et hoc vocationis genus præ reliquis frequens esse solet. Sic porro vocatis id unum restat quod satagant, ut per bona opera certam

eorum vocationem faciant. Igitur tota nostra inquisitio est de illis, quibus varias inter vitæ conditiones libera optio datur; hic opus, hic labor.

Ex hac enim certi status electione tum sors nostra temporalis, tum ipsa quoque æternitas ordinarie pendet; qua sane ratione munus a Deo tibi injunctum adimplebis, si locum illum haud teneas, quem tibi providentia divina assignavit? Hinc Nazianzenus : *Certum vitæ genus constituere est res tanti momenti, ut totius vitæ vel recte vel male traducendæ, fundamentum in eo positum sit* (Or. 25). Quod vel ipse gentilis Tullius fassus est : *In primis constituendum est quos nos et quales esse velimus, et in quo genere vitæ* (Off. l. I). Sane *non omnia omnibus expediunt, et non omni animæ omne genus placet;* etenim *unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (Eccles. XXXVII; et I Corinth. VII). Quæ porro electio non adeo differenda est; sed ab anno 14 ad 17 vel 18 fieri deberet, ne homo incipiat currere, sed extra viam. Id notent juvenum moderatores, ut eos hac in re tempore opportuno, recte valeant dirigere; nam *bonum est viro* (Thren. III), *cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Hinc D. Ambrosius : *Elige viam antequam curras.* Ad eam autem rite eligendam tria media suggerit S. Philippus Nerius juventutis magister : tempus, orationem atque consilium, omnia simul.

1. *Tempus :* deliberandum est diu quod semel tantum eligendum est; cum hic plerumque non sit correctio erroris; et ideo magis quia ex S. Francisco Salesio, quantum necesse est eligere, tantum difficile est bene eligere, cum et variæ habeantur vocationes et varia sint media quibus Deus homines vocat : ideo inter tot vias, quænam erit recta? qui rectus callis, ut tuto ambulemus? Quare optime monet D. Bernardus : *Noli præcipitanter agere; diu considera; magnum est quod proponis* (Serm. super *Ecce nos*). In tempore autem isto ut bene sibi sit, juvenis debet amovere obstacula quæ impediunt, ne sciat quod acceptum sit quod Deum, nempe passiones quæ intellectum excæcant, peccata quæ impediunt divinam gratiam, præventiones quæ subvertunt voluntatem, tumultus hominum quæ Dei vocem præfocant. Obstaculis amotis, curet se in neutram declinare partem quoad aliquem statum amplectendum vel repudiandum, sed in quodam quasi æquilibrio subsistens, studeat tum bonis operibus, tum obsecrationibus et orationibus, ut deducat illum Dominus in via sua et emittat cœlitus lucis suæ radium, quo ipse possit intelligere et quæ recta sunt agere. Ideo ponitur :

2. *Oratio :* cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum, qui omnium auxiliator est (II *Paralip.*); ut ordinet statum nostrum, et misericors concedat nobis, quæ illi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter



investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere. Necesse est ergo ut sæpius in die clamemus ad illum vel cum cæco : *Domine, ut videam;* vel cum Samuel : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus;* vel cum David : *Notam fac mihi viam in qua ambulem;* vel cum Paulo : *Domine, quid me vis facere?* etc. Itemque nos commendemus Dei amicis, maxime Angelo nostro qui nobiscum semper comitatur, præcipue autem B. Virgini Immaculatæ quæ non incassum boni consilii mater salutatur, aliquod nempe novemdiale vel boni operis in ejus honorem devote agendo. Item expedit, ut interim novissima meditemur, pia legamus ac Sacramentis frequentius animam reficiamus a quibus omnium gratiarum fontes. Quæ tamen omnia fiducialiter agenda sunt; nam fidelis est Deus, qui procul dubio operi manuum suarum porriget dexteram, et vocabit nos in semitam rectam; non tamen immediate per se, sed ope ministerii sui, nos mittendo ad sacerdotes, sicut misit Cornelium ad Petrum, Paulum ad Ananiam, qui fiducialiter dicant nobis quid nos oporteat facere. Hinc necesse est :

3. *Consilium;* monet enim Sapiens, *ne innitaris prudentiæ tuæ; fili, sine consilio nihil facias et post factum non pœnitebis; vir sapiens plebem suam erudit, et fructus sensus illius fideles sunt* (Prov. 3; Eccl. 32 et 37). Cum virtuoso ergo, prudenti, et experto pietatis magistro assiduus sit qui vult bene eligere; ut vero (iterum Stapf) adlecti arbitri consilia deliberanti vere proficiant, opus est ut eidem tum sensus et affectus, dotes et propensiones suas, tum etiam res et circumstantias externas et quidquid præsens negotium attinet, candide fiducialiterque pandat. Hunc in finem universalis peccatorum nævorumque confessio ad arbitri pedes, siquidem sacerdos sit, deposita egregie inserviet; tum ut interiora clientis magis perspecta habeat, tum quoque ut deliberans superna illustratione dignior reddatur.

*Quid respondere debet interrogatus hac de re, ut officii sui partes impleat?* Ne præceps sit in definiendo; nam in arduo versamur, qui ideo et ipse lumen cœli efflagitare debet; *tria sunt difficilia mihi et quartum penitus ignoro... viam viri in adolescentia* (Prov. 30). Hinc S. Alphonsus monet : « Circa statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari. » Ut autem Confessarius prudens judicium proferat bene perspectos habeat modos quibus Deus manifestare solet voluntatem suam : « Je dis avec un grand saint (scribit Croix) que Dieu a coutume d'appeler les hommes de trois manières : 1° par *voie de miracle*, lorsque quelqu'un est tellement certain de sa vocation qu'il ne peut en douter, ainsi qu'il arriva pour S. Paul, S. Matthias et les

autres apôtres et pour plusieurs saints que Dieu s'est plu à appeler à son service, soit par des voix, des révélations ou des prodiges; 2° par *voie d'inspiration* si pressante, par des mouvements si efficaces de l'âme, que la volonté se porte tout entière au service de Dieu et à la perfection, en sorte que les lumières de la raison et les raisonnements de l'intelligence même n'y ont aucune part; 3° par *voie de parole naturelle*, par les lumières de l'intelligence aidées et soutenues des lumières de la foi. Ceci arrive lorsque l'entendement, méditant sur un état et considérant naturellement les raisons de le choisir plutôt qu'un autre et les avantages ou les inconvénients de telle ou de telle profession, ainsi que les moyens de se sauver ou les dangers de se perdre qu'elles présentent, découvre plus nettement la vérité et l'appel divin, puis les représente à la volonté qui, après avoir pesé le tout, se détermine pour l'état qu'elle juge le plus utile au salut. » Primus modus nodum statim resolvit, sed extraordinarius et miraculosus; et ideo temerarium illum velle et expectare. Secundus est excellens si descendat a Patre luminum, sed rarus omnino, qui proinde pro norma esse non debet. Tertius modus est sufficiens et ordinarius, propterea curandus.

Quare Confessarius ipse (vel delectus ad consilium dandum) percurrendo per diversos status atque hominum conditiones, et illius qui consilium petit rimando propensionem, indolem, genium, vires, necnon qualitates tum animæ tum corporis, videat quid tandem magis aptum sit juxta illud Eccl. 37 : *Fili, in vita tua tenta animam tuam; non enim omnibus omnia expediunt; et non omni animæ omnia placent*. Ubi nota, quærendum esse quod *animæ placet*, non quod favet cupiditatibus aut malo genio indulget; sive electionem nostram esse debere secundum Deum, adeo ut in eam illico partem toti feramur, quam noverimus divinæ gloriæ et saluti nostræ fore aptiorem. Quod ut prospere cedat electurus ad hanc considerationem ducatur cum S. Ignatio : *a.* si quis tibi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupias, occurreret dubius super electione, quidnam illi esset consulturus? quod suaderes alteri, serva pro te ipso; *b.* si mors ingrueret, quem modum malles te tenuisse in electione? *c.* quando adstabis ante Christi tribunal judicaturus, quo te consilio hac in re usum esse velles?

Loquendo autem speciatim de variis vitæ conditionibus, ne simus infiniti, sat nobis erit de illis aliqua disserere cum Alphonso nostro, quæ immobiles sunt, uti religio, sacerdotium et matrimonium.

*Primo :* quoad eos qui religionem ingredi volunt, ante omnia curet Confessasius bene ponderare religionem ingrediendam; nam si institutum relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in sæ-



culo remaneat; nam parum illud boni quod prius exequebatur, in tali religione negliget, experientia teste. Et præcipue videat ne ad insinuationem parentum suadeat juveni, ut intret in hujusmodi inobservantium communitatem. Si tamen religio observantia floret, Confessarius vocationem sui pœnitentis bene probet, inquirendo an habeat ille impedimentum aliquod inhabilitatis, infirmæ valetudinis, inopiæ parentum; et maxime expendat finem an rectus, nempe se magis conjungendi Deo aut lapsus emendandi anteactæ vitæ aut sæculi pericula vitandi. Si enim principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem aut se liberandi a propinquis duræ conditionis aut complacendi parentibus, caveat ne permittat ingressum religionis. Si vero finis est bonus, non potest sine culpa gravi Confessarius dissuadere vocationem; quamvis prudenter agat aliquando differendo ad melius experiendum, an resolutio sit firma; maxime si noverit adolescentem volubilem, aut si deliberatio sit facta tempore Exercitiorum, nam hac occasione aliquando quædam concipiuntur proposita, quæ primo fervore transacto, deficiunt. *V. dicta Tom. I, nn.* 503, 505 *et* 686.

*Secundo :* Si aliquis adolescens vellet suscipere statum presbyteri sæcularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum sine longa et probata experientia recti finis, et scientiæ, vel sufficientis capacitatis. Ut enim quis bonus evadat sacerdos in sæculo (in quo raro, ne dicam rarissime, boni inveniuntur) oportet quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis et deditam orationi et sacramentorum frequentiæ (sed quis est hic et laudabimus eum?); alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis, præsertim si hoc faciat ut obtemperet parentibus, quorum finis est res domesticas curare et augere. *V. dicta Tom. I, n.* 498 et 500. *V.* etiam *Enchiridion de sacramento Ordinis ad usum clericorum Diœcesis Novariensis;* Novariæ 1829; impensis Seminarii, art. 1.

*Tertio :* quod pertinet ad illos adolescentes, *qui volunt* aut *debent* ducere uxorem, advertendum, quod sicut peccarent parentes qui sine justa causa eis honestum matrimonium impedirent; ita peccarent filii (et ideo Confessarius tenetur eos prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ matrimonium inire; aut quamvis illud non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus et cum eorum scandalo, quin filii justam habeant causam, ob quam excusentur. Dictum est *qui volunt ;* non enim Confessarius conjugium consulere debet, nisi adsit impellens causa; neque enim Paulus de hoc consilium habet. Dictum est *qui debent ;* loquendo nempe de iis qui essent incontinentes et nollent omnino adhibere alia opportuna remedia ad emendationem.

*Notandum :* cum juvenes instabiles sint ac ere semper dubii in pro-

ponendo, etiam parentes curare debent, ne in incertum currant; et quidem sine mora, nam sero inaniter retrahentur a mala aut otiosa via; cum enim filiis dederint ut sint, tenentur opus complere et facere ut etiam bene sint. Hoc tamen illorum studium ne ullam filiis vim inferat; sit exhortatio, directio, impulsus ad eligendum quod convenit filiis, quod placet Deo; non coactio, non vis ad amplectendum quod ipsis genitoribus arridet eorumque commodis favet, jam in antecessum præstabilita per eos conditione eligenda. Quare ut tuti agant, præstat, ut pro tantæ rei conclusione filios suos mittant ad pium, expertum ac prudentem virum, qui nulla jam concepta opinione, nulloque commodo vel incommodo ad consilium suum dandum, feratur ut supra jam dictum est. *Tojetti* et *Croix*.

*Quidnam* (quæres) *semel statu electo, curandum est?*

R. Postquam certo statui nomen dedimus (egregie pro more cl. Stapf), firmiter teneamus hanc stationem a Deo ipso nobis assignatam fuisse: sane qui matura deliberatione certam vitæ conditionem aggressus est, dubitare nequit, quin Deus res ita disposuerit. Idem de illis obtinet qui citra propriam culpam per circumstantias externas ad certum vitæ genus, v. g., ad militiam compelluntur. Quisquis ergo firmiter teneat quod semel elegit, caveat ne tædio afficiatur; sed Deo gratias agat, ipsum orans ut confirmet quod in eo operatus est; et studeat digne ambulare in via sua, advertens quod ille qui elegit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis. Judas erat certo vocatus; attamen pessimus fuit exitus illius, quia Dei electioni noluit respondere. Ne item animo cadat, tristis et querulus exaggerando molestias quæ identidem occurrunt; ne illos imitetur qui de iniquo fato se vexatos continuo lamentantur, jugiter eamdem cantilenam omnibus repetendo: scriptum est: *Qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur; at qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* (II Tim. III, et Phil. I). *Quid* ergo *timidi estis, modicæ fidei?* (Matth. VIII).

*Quid* (inquires) *de illo resolvendum qui erravit in electione status?* Qui solide credunt se ad statum quem occupant vocatos non esse, si licet adhuc, alium competentem eligant; si vero id conscientia vel religio prohibeat, illud D. Augustini sibi dictum putent: *Si non es vocatus, fac ut voceris*, id est ita vivito ac si ad præsentem stationem reapse vocatus esses. De gravi admissa culpa eos sincere pœniteat, et jugiter operentur quantum in se est, ut suo muneri respondeant, scientes Deum neminem deserere. Faciant ergo de necessitate proventum; neque ex illis sint qui in suo statu nisi onera et molestias, in aliis vero nonnisi fausta et dulcia vident. Sciant nullam vitæ conditionem esse quæ suis non laboret difficultatibus; ad cœlum autem non



curru, sed cruce perveniri. Quoad electionem Vid. Tojetti, *Pratica Istruzione alli genitori per educare cristianamente e con facilità i proprii figliuoli*, ecc. Roma, 1778. — Rosignoli, *La saggia elezione, ovvero avvertimenti per ben eleggere lo stato della vita.* — Eman. De la Croix, *La buona elezione, ossia direzione per ben eleggere uno stato di vita;* Milano, Pogliani, 1840. — Lessius, *De statu vitæ eligendo.* — Stapf, *Theol. Moral.*, § 320: *De eligendo certo statu.* — Sales, *Entretiens*, etc., trait. 17. — S. Ignatii de Loyola, *Exercitia spiritualia cum versione litterali*, etc., hebdom. 2ª; Romæ 1854. — Liguori, tum *Homo Apostolic.*, tract, ult., n. 39; tum *Praxis Confessarii*, n. 92; tum *Risposta ad un giovane che domanda consiglio circa lo stato di vita*, ecc.; tandem, *Opuscoli relativi allo stato religioso.*

### IV. — QUOAD MULIERES AC PUELLAS GENERATIM.

**261.** Quarto *quoad mulieres* vult Liguori (*Praxis Conf.*, n. 119), ut Confessarius summe cautus sit, ac cum junioribus potius rigidus quam suavis: in Confessione non ostendat eas agnoscere; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes, se cognosci a Confessario, non faciunt Confessionem integram. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e Confessario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Item caveat toto cœlo ab omni periculosa comitate cum illis, atque ideo ne utatur locutionibus nimiæ familiaritatis, uti esset adhibere pronomen *tu*, quod merito Novariensis Episcopus prohibuit (*Litt. ad Clerum*, ut videre est in Kalend. 1852).

Ad rem item Gaume: « N'employez aucun terme qui sente la faiblesse et tandis que sans péril vous pouvez dire *mon cher fils*, à un jeune homme, vous vous abstiendrez par prudence de dire *ma chère fille* à une personne de l'autre sexe. » — Latet anguis in herba: sunt qui zelo animarum accensi, at parum cauti, sensim sine sensu in profundum devenerunt, sollicitationis sceleribus inquinati; adeo verum est quod a minimis incipiunt qui in maxima proruunt. Item advertamus quod ait S. C. Ep. 21 junii 1620: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram* (quand cela est nécessaire comme durant une mission, au temps pascal, etc., on allume des lampes pour éclairer parfaitement l'Église: ita Careno ex Conc. Prov. I et VI). « Deinde (addit S. Alphonsus) Confessarius non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset: o qualis miseria est cernere tot Confessarios, qui impendent bonam diei par-

tem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *bigottes;* et cum postea vident ad se accedere homines aut fœminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis et molestiis, qui ægre domos et negotia sua relinquere potuerunt, dimittunt eos dicendo : *Habeo aliud quod agam; ite ad alios.* Unde fit ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses et annos sine Sacramentis et sine Deo. Hoc non est audire Confessiones, ut Deo placeamus; sed potius ut genio serviamus. Quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri Confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent. »

Tria adhuc notamus cum Sancto nostro : 1. Confessarius non sit facilis permittere puellis, ut capillos præcidant, et aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in virtutibus fixius defigantur, ne contingat, ut postea habitum dimittentes nuptias ineant cum scandalo loci et malo exemplo aliarum; 2. ne concedat fœminis juvenibus, ut vagent, Ecclesias visitando; en monitum D. Hieronymi quoad filiam : *Non liberius procedat ad publicum; nec semper ecclesiarum quærat celebritatem; in cubiculo suo totas delicias habeat; nunquam juvenculos, nunquam cincinnatos videat* (epist. ad Gaudent.). Item neque permittendum est, ut in Ecclesia morentur plusquam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendant eis parere, labores domesticos amplectendo; hoc placet Deo. Unde D. Bernardus ad rem nostram : *Ingratum est quidquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris* (De modo bene vivendi). 3. ne puellis indulgeat, ut edoceantur a viris legere et tanto minus scribere : quot puellæ simplices hoc modo animæ jacturam luxerunt ! hæc si non proxima peccati occasio, saltem est valde periculosa. — *V.* Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique,* § 190.

V. QUOAD SPONSOS ET CONJUGATOS.

**262.** *Quoad sponsos.* Maxima prudentia ac zelo hic opus habet Confessarius (ad rem *Méthode pour la direction des âmes*) : « Les personnes qui vont se marier ont besoin de plusieurs avis pour ne rien omettre de leurs devoirs, ne rien faire contre la sainteté du mariage. Le confesseur leur recommandera de revenir peu de jours après leur union, pour recevoir ces avis. » *Si fuere casti ante matrimonium, sufficit dicere eis in tribunali, quod actus qui sunt necessarii ad habendam prolem, sunt liciti inter conjuges. Si vero non fuerint casti, plura eis dicere posset Confessarius, modo verbis honestis. Si is qui fuit castus dubia quædam proponat motu proprio circa ea quæ illicita vel licita sunt inter conjuges, et ea dubia proponat ipsa die nuptiarum in tribunali, breviter et modeste re-*



*spondebitur quid licitum quidve illicitum. Si illa proponat diebus præcedentibus vel in vigilia nuptiarum dicetur ei : Circa hoc consilium petes in Confessione in posterum.*

*Quando post nuptias redeunt, expressius, sed semper in omni castitate edocebuntur ea quæ licita vel illicita sunt inter conjuges. Non desunt qui a Confessario non edocti graviter peccent ex errore conscientiæ facientes quod existimant peccatum, cum non sit; alii vero ex conscientia imprudenti credunt licita quæ gravia sunt peccata et ea committunt. Plures eorum talia non fecissent, si non fuissent a Confessario edocti; et ideo dicebat S. Salesius, multos inter conjuges damnari, quod non curaverint edoceri sui status obligationes, vel monitis Confessarii non obedierint. Qui statim post nuptias edocentur antequam per peccata contra sanctitatem matrimonii gratiam amiserint, aut saltem antequam contraxerint pravam consuetudinem, ordinarie gratiam conservant aut recuperant, caste vivunt, christiane prolem educant et pie moriuntur; secus vero qui longo tempore post nuptias edocentur, ut experientia ipsa constat.* V. Stapf, § 605. — Item dicenda de Matrim. ubi de *officiis* conjugum, ac matrimonii *celebratione.*

Quoad *conjugatos.* Experientia constat multos conjugatos peccata in usu conjugii admissa non declarare, nisi interrogentur. Confessarius autem eos sic interrogare potest circa ea, quæ inter conjuges permittuntur : *Habesne aliquid contra conscientiam tuam?* Si dicat se nihil habere, et satis instructus ac timoratus appareat, non necesse erit ulterius progredi. Si vero sit rudis, aut sinceritas ejus suspecta videatur, insistere debet Confessarius; inquiret, an debitum comparti suæ denegaverit : si has voces non intelligeret, dicere posset Confessarius : *Denegastine actum, quod fit ad prolem habendam?* Si respondeat se denegasse, sciendum est ob quam rationem : et tunc judicabitur ex dictis, an peccatum sit mortale, veniale, vel nullum. Generatim exquiret, an alia fecerit inhonesta contra sanctitatem matrimonii : si pœnitens fateatur se aliquid fecisse, expedit ut ipse dicat quid fecerit, ne forte doceatur quod ignorat : nec statim ac leviter arguendus erit de peccato mortali.

S. Alphonsus ait : Interrogentur uxores, an viros debito matrimoni fraudaverint; plerumque de hoc interrogandæ; quia sæpe ob hoc solum damnantur, et in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observant sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrænati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utatur, v. g. : *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum qui te mordet circa matrimonium?* Sed hæc interrogatio, ut

plurimum, omittatur cum uxoribus quæ vitam spiritualem profitentur. *Praxis Liguoriana*, et *Hom. Ap.*, tract. ult., n. 22.—Stapf, § 484. — It. *De matrimonio*, ubi *De debito conjugali*. — De restitutione ubi de *abortu*; de Obligat. ubi de *obligationibus conjugum*; de Baptismo, ubi de *abortivis*, etc.

### VI. QUOAD DEVOTAS PERSONAS.

**263.** *Quoad devotas* hæc notanda. Confessarius ducat pœnitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ut prius nempe discant operari recta intentione, et actiones ordinarias rite peragere, quam alta concupiscant; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati æquo animo, quam de adversis velint gaudere. Et maxime id insinuet, veram perfectionem non tam sitam esse in multis operibus, quæ sint supererogationis, quam in rite peragendo opera ordinaria, et quæ sunt status proprii, id est ut bene orent; refectionem qua par est, sumant; charitatem habeant, et studiose adimpleant quæ sunt propriæ conditionis. Postea gradum faciat ad cetera, quæ sunt uti ex S. Alphonso notat Gousset: « 1° De mettre toute sa confiance en Dieu, et de se défier absolument de soi-même; de ne pas s'inquiéter après ses fautes, de s'en humilier sur-le-champ, en recourant à Dieu par un acte de contrition et de ferme propos: puis il faut se tranquilliser. 2° D'éviter tout péché de propos délibéré, quelque léger qu'il soit. 3° De travailler à se détacher de plus en plus des biens du monde, des plaisirs même permis, des amusements les plus innocents. 4° De fuir les inutilités et les familiarités des personnes de différent sexe, fussent-elles vraiment pieuses. 5° De se réjouir intérieurement, ou du moins être parfaitement résigné, quand on se voit méprisé. 6° De désirer ardemment d'aimer Dieu de tout son cœur: de se conformer à sa sainte volonté en tout, principalement en ce qui contrarie nos désirs; d'obéir exactement à la règle, à ses supérieurs, à son directeur spirituel. La parfaite obéissance consiste à faire promptement, ponctuellement, de bonne grâce, les choses qui nous sont commandées, toutes les fois qu'il n'est pas constant qu'elles soient contraires à un ordre supérieur. 7° D'avoir constamment la pensée de la présence de Dieu. 8° De rapporter toutes ses pensées, ses affections, ses désirs, ses paroles, ses actions, ses démarches à Dieu. 9° D'avoir une dévotion particulière à saint Joseph, à son ange gardien, à son saint patron, mais surtout à la sainte Vierge, que l'Église appelle notre vie, notre espérance. « Il est « moralement impossible, dit saint Alphonse, qu'une âme fasse de « grands progrès dans la perfection, sans une dévotion tendre et « toute spéciale envers la Mère de Dieu. » 10° De faire, autant que



possible, un jour de retraite chaque mois, et une retraite de plusieurs jours chaque année. A ces moyens, qui nous donnent une juste idée de la piété et de la perfection chrétienne, il faut ajouter l'oraison mentale, la mortification et la fréquentation des sacrements. Sans ces trois derniers moyens, les premiers sont impuissants et ne se soutiennent pas longtemps. »

1. *Oratio mentalis*: ab initio non plus quam mediæ horæ spatium assignet; crescente vero spiritu, plus minusve augebit. Notet Confessarius, quod initio, quo se anima tradit vitæ spirituali, solet Deus illam allicere spiritualibus quibusdam luminibus, lacrymis et aliis sensibilibus consolationibus; sed elapso aliquo tempore, solet intercidere hanc venam, ut eorum probet fidelitatem et eas ad majorem perfectionem attollat. Invigilet igitur Confessarius ad tales confortandas animas, ne orationem ideo omittant aut Communiones. Quoad cetera vid. *De virtute Religionis*, ubi *de meditatione et contemplatione*.

2. *Mortificatio*: absolute asserere, ait S. Alphonsus, mortificationes externas nil aut parum prodesse, maximus error est. Director tamen curet, ut sit modus in illis concedendis, maxime in primo devotionis actu: generatim non concedat, nisi requisitus; et concedat minus quam postulatur. Ceterum, ut bene ait Gousset cum S. Alphonso: « Les mortifications les plus utiles et les moins dangereuses sont les mortifications *négatives* ou *privatives*. L'obéissance même, ordinairement parlant, n'est pas nécessaire pour les exerxcer. En voici quelques-unes: se priver de voir ou d'entendre des choses curieuses, parler peu, se contenter des mets qui ne sont pas de notre goût, ou mal assaisonnés, s'éloigner du feu pendant l'hiver, choisir les choses les plus viles, se réjouir quand il manque quelque chose même nécessaire; c'est en cela que consiste la vertu de pauvreté, suivant ce mot de Saint Bernard: « *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor* « *paupertatis*. » Ne pas se plaindre des incommodités de la saison, des mépris, des contradictions, des persécutions, des peines ou des infirmités. Croire que Dieu admet à son amitié les personnes amies de leurs aises, c'est folie, dit sainte Thérèse. » V. Tract. *de Restitutione* ubi *de Suicidio* quoad macerationes.

3. *Sacramentorum frequentia*: quod spectat ad Confessionem, expedit ut devoti generaliter de suis peccatis confiteantur, si tamen adhuc id non fecerint, nec agatur de scrupulosis. Quoad Confessionem vero ordinariam, quædam animæ delicatioris conscientiæ consuevere quotidie confiteri; sed generatim sufficit personis spiritualibus, præsertim scrupulosis semel ad summum bis confiteri in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis aliqua gravaretur culpa levi, et non haberet opportunitatem confitendi, dicunt innixi D. Ambrosio et Salesio (in

quadam epistola), quod non ideo omittere debet Communionem; nam ex Tridentino ad remissionem venialium sunt alia quoque media, ut est actus contritionis et amoris. Et sapiens quidam Director dicebat, quod aliquando longe fructuosius pro quibusdam timoratis est se disponere ad Communionem suis actibus, quam cum ipsa Confessione; et multoties evenit quod tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ et humilitatis. Quoad cetera vid. *De Eucharistia*, ubi de Communione frequenti; et *de Virtute Religionis*, ubi de devotione. Et plura apud Stapf, § 543.

Demum *quoad devotionem nonnullarum personarum* faciunt hæc verba Salvatori, *Istruzione pei novelli confessori*, § 15, part. 1: «La dévotion, selon l'enseignement de S. Thomas, de tous les Pères et de tous les théologiens, n'est pas autre chose qu'une résolution ferme et sincère de faire tout ce qui plaira à Dieu. Or il n'y a rien qui puisse certainement autant plaire à Dieu et qui porte davantage le cachet de sa volonté que l'accomplissement de la loi divine et des devoirs de notre état. Dans l'état de mariage, une des principales charges, c'est le support des ennuis qui viennent de la part des maris et des enfants. Vous êtes contentes lorsque vous parvenez à passer plusieurs heures à l'église : employant peut-être la majeure partie de ce temps à bavarder avec l'une et avec l'autre, et même, ce qui est pire, à médire du tiers et du quart, et vous ne vous faites aucun scrupule d'avoir laissé votre famille aussi longtemps. Vous vous croyez parvenues au comble de la perfection pour quelques soupirs que vous poussez, pour quelques larmes que vous versez, quelques légers coups que vous donnez sur votre poitrine, et si vous ambitionnez d'être réellement dévotes (et ce serait une noble ambition), réfléchissez aux souffrances de Notre-Seigneur Jésus-Christ; rappelez-vous qu'il est né, qu'il a vécu et qu'il est mort dans une extrême pauvreté; songez aux injures, aux mépris, aux coups qu'il a soufferts, et dites-vous à vous-mêmes : «Puis-je comparer les mauvais traitements que je reçois de mon mari, les commérages de mes voisines, les ennuis qui me viennent de mes enfants, avec «les calomnies, la flagellation, les clous, la croix que Jésus-Christ a «voulu subir? Puis-je me comparer, moi pécheresse, avec mon Dieu «crucifié pour moi? Cependant, pour entrer au ciel, Jésus-Christ a dû «passer par ces souffrances, et je prétendrais y entrer en menant une «vie commode guidée par ma fantaisie?» Animez-vous avec ces sentiments et d'autres semblables à supporter les inconvénients de votre état. Croyez qu'ainsi vous serez plus véritablement dévotes que ces béates qui se vantent d'avoir entendu quatre ou cinq messes par jour, de communier trois ou quatre fois la semaine, tandis qu'il faut bien se garder de leur dire quelque parole piquante, de leur montrer un peu de mépris. Quelle illusion est la leur! Elles sont dévotes, oui... mais non pas dévouées à Dieu; c'est leur caprice, c'est l'orgueil, c'est le démon qu'elles servent.»



Absit tamen, ut talia nos proferentes iis subscribamus (vel forte etiam ecclesiasticis) qui passim et publice (vel apud ipsos sæculares homines) devotionem, devotas, ac devotarum directores mordent; quia in personis spiritualibus aliquid semper humani est. Vident festucam in oculo fratris sui, et trabem in oculo suo non vident; si adeo flagrant zelo animarum, cur toti sunt in otiando, in detrahendo, aliorumque defectus per plateas et in circulis propalando et augendo? studeant potius genuinam devotionem edocere verbo, exemplo et opere. — Ceterum caveamus omnes qui ecclesiastico ministerio mancipati sumus, ne mundus de nobis illud proferat (Galat. 5): *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumemini.*

### VII. — QUÆDAM SPECIALIA MONITA QUOAD INTERROGATIONES.

**264.** *a.* Monitio nunquam est omittenda, si inde damnum vergeret in bonum commune. Hinc omnino monendus parochus qui erronee etsi ex ignorantia invincibili circa mores populum instruit. Item monendus qui bona fide putaret se sacerdotem cum non sit, ob sacramenta quæ invalide confert. Item ignorans nullitatem matrimonii, si de illa publica sit fama. Item bene addunt cum Lugo (cujus doctrinam uti saluberrimam sequendam proponit Benedictus XIV, Bulla *Apostolica*) Confessarius monere debet episcopos, prælatos, principes, gubernatores, Confessarios et similes, qui ex ignorantia invincibili perperam se gerunt circa collationem beneficiorum, electionem magistrorum, subditorum gubernium, largitionem eleemosynarum de superfluis beneficiorum, administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etc. Et bene addit Lugo, quod si Confessarius rationabiliter dubitat an hujusmodi pœnitentes suo debito satisfaciant, tenetur illos de eo interrogare. Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 615.

*b.* Pœnitentes sunt interrogandi percurrendo per Decalogi et Ecclesiæ præcepta; per peccata capitalia; per officia status. Item an periculis se exposuerint, an alios ad peccatum induxerint, etc. Et aliquando necesse est, ut etiam litteris excultos interrogemus: imo et vel ipsos Ecclesiasticos, si nempe sint conscientiæ parum meticulosæ, et peccata sua oscitanter, ac sine ullo pietatis sensu confiteantur. Hinc S. Alphonsus, *Praxis* nn. 21 et 48 et seq. opportunas suggerit interrogationes Ecclesiasticis, Confessariis, Parochis et ipsis etiam Episcopis faciendas. — Quoad diversas interrogationes vid. *Appendix* in fine voluminis.

*c.* « Et ici (ait auctor *Istruz. pei novelli Confessori*, n. 85), nous ne pouvons nous empêcher de déplorer une étrange négligence dont sont peut-être coupables non-seulement les jeunes, mais encore les plus vieux confesseurs qui passent et laissent passer sous silence les devoirs spéciaux des états, et qui, suivant le proverbe, sont aussi peu soucieux de rechercher les péchés de César qu'ils sont exacts à rechercher ceux de Charles... De cette omission coupable de la part des confesseurs résulte peut-être en grande partie le mal effrayant qu'on voit dans le monde. Pendant qu'on accuse en confession les vols, les homicides, les impudicités, les pénitents omettent, et les confesseurs ne recherchent point, les transgressions des devoirs d'état et de condition. »

*d.* « Si quelquefois (monet auctor *Istruzioni pei novelli Confessori*, n. 94) le confesseur est interrogé pour savoir si telle chose est un péché, ou si le péché est grave ou léger, qu'il réponde franchement oui ou non selon la question, lorsqu'il n'y a pas de difficulté. S'il n'y a que du doute ou de la probabilité, et qu'il soit difficile de se prononcer, il pourra exposer ce qu'on dit *pour* ou *contre*, et ensuite faire connaître ce qu'il en pense. Mais avec les scrupuleux et les pusillanimes, qu'il ait soin de dire peu et seulement ce qu'il faut pour résoudre le cas; quelquefois même il sera prudent de changer de discours et de ne rien dire autre. » — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 609.

*e.* Careno, *Delle regole*, ecc., esame 16, sic urget Confessarios : « Ne cessez, surtout dans les paroisses de campagne de corriger l'abus trop fréquent des accusations vagues et générales. On dira, par exemple : *Je me suis mis en colère;* mais expliquez si cette colère a été violente ou légère, si vous avez prononcé des malédictions et quel mal vous avez souhaité; si vous avez formé des désirs de vengeance, et lesquels; si vous avez maltraité, injurié, etc. On dira : *J'ai commis une action déshonnête avec une autre personne;* mais dites quelle action, avec quelle sorte de personne, si vous l'avez induite au péché, si vous avez scandalisé d'autres personnes qui s'en soient aperçues, » etc.

### (*BB*) Page 172.

**265.** « Il est une chose inouïe (disait saint Jean Climaque, il y a douze cents ans) que les péchés accusés au tribunal de la pénitence aient été jamais révélés. Dieu le permet ainsi pour que les pécheurs ne soient pas détournés de la confession et privés de la seule espérance de salut qui leur reste. Les douze siècles qui se sont écoulés depuis saint Jean Climaque n'ont fait que confirmer la vérité de ses paroles. On a vu malheureusement bien des prêtres catholiques oublier la sainteté de leur ministère, donner de graves scandales, se révolter contre l'Église, apostasier; mais on n'en peut citer aucun qui ait violé le secret sacramentel. Luther, Carlostad, Œcolampade, qui ont administré le sacrement de pénitence avant d'abolir la confession, n'en ont pas violé le secret, on ne saurait le prouver. Il n'est pas même rapporté que, dans le délire ou dans la folie qui arrachent tant d'autres révélations, celles de la confession aient été faites. Preuve manifeste que la Providence veille sur ses ouvrages. » *Amico Cattolico*, vol. IV, p. 296.



« Les législations civiles ont reconnu au moins implicitement cette imprescriptible règle de l'Église. La Prusse, le Hanovre, la Saxe et la Hesse électorale y forment seules une scandaleuse exception, en imposant au confesseur la denonciation dans le cas d'un danger public ou quand il s'agit d'empêcher un crime (Parmender, *Kirckenrecht*, t. II, p. 213, nota 45). Étrange égarement, qui ne s'expliquerait point si l'on ne savait comment les protestants et même certains catholiques indignes de ce nom veulent enchaîner l'Église et ses institutions aux intérêts de l'État. — Ita Nardi, *Éléments de droit ecclésiastique*, § 352.

« Frustra nonnulli politici (ait Stapf, § 377) causantur silentium tam severum saluti publicæ adversari; imo potius salus publica hoc ipso rigore egregie promovetur. Si enim crimina quæ in reipublicæ perniciem tendunt, a Confessario licite manifestarentur, nemo talium sibi conscius eadem confiteretur. Nunc vero ubi de absoluta sigilli integritate constat, erunt qui conscientiæ remorsibus acti de illis se accusent; tumque Confessarius occasionem nanciscitur eos ad saniora consilia reducendi, ut et ipsimet a cœptis desistant, et suos simul socios omni modo retrahere conentur.

### (*CC*) Page 177.

**266.** Nonnullos prædicatores, missionarios, etc., ceteroquin doctos et pios, graviter monitos esse volumus, qui identidem, ad bonum utique finem, auditoribus suis enarrant exempla peccatorum, qui a viis suis pessimis ad vitæ sanctitatem se converterunt, notando eos sibi fuisse confessos, in Confessione tales ac tales circumstantias sibi aperuisse, etc. Esto quod hæc propalatio non sit vera sigilli sacramentalis violatio, quia prædicatores a longinquo veniunt et nonnisi generice loquuntur; attamen id nullimode probare possumus : ingratus nimis nobis descendit ille sermo, et populus (quidquid sit de licitate rei) illo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non parum offenditur, timens etiam ne quod de aliis nunc proferunt missionarii, id alibi evulgent de seipso, si illis confiteatur. Igitur prædicatores recentia exempla pœnitentium ad aliorum ædificationem enarrando, de conversione dicant (et hoc satis est ad finem illorum) : at de Confessione sibi facta, vel aliis prorsus sileant; tacerem, etsi licentiam daret ipse pœnitens loquendi : mavult publicari? faciat ipse, non ego. Sacrum nobis omnibus esse debet nomen Confessionis et Confessio; sacrum, velatum, et secretum; ideo non risui, non ludis, non diffidentiæ, non suspicionibus, non denique publicis alienationibus et offendiculis quoquomodo objiciendum.

« Secretum Confessionis (ait *Gury*), indirecte violat. — 1. Qui unum præ aliis quos audivit laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur. — Qui de peccato pœnitentis per solam Confessionem cognito loquitur cum aliis qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex Confessione acceptum esse. — 3. Qui dicit se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse; quia longa Confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem pœnitentis (nisi sciretur esse Confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, ita ut pœnitens hoc non ægre ferret). Item qui de Titio ut cognito fure dicit eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse. — 4. Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem; quia est gravamen pro tali pœnitente; et alii possunt suspicari illud gravia peccata confessum esse : *a fortiori* si nimis vocem extollendo repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret. Hic etiam grave monitum sit pro Confessariis, ne videlicet permittant, ut adstantes nimis ad confessionale accedant; sunt militiosi, qui Confessarii munus exercere vellent, cum tamen Confessarii non sint : proh! quod inde dicteria ac scandala! » — *V.* Liguori, *Opus Mor.*, l. VI, n. 655.

Hac in re nulla cautela satis. Hunc casum narrant : Titia dixit : *Ego prima in tali Missione apud Joannem deposui peccata mea*; et aliquando post nescius hujus dicti Joannes dixit : *Prima quam audivi in illa Missione fuit adultera.* Maritus Titiæ casu utriusque voces audivit et consociavit et inde factum est, ut uxorem suam adulterio jam ream pugione confoderit.

Non utique negamus (quod tamen raro admodum contingit) quod si nullum omnino gravamen pœnitenti sit obventurum, nullum odium nec irreverentiæ periculum nec violationis suspicio, non habebitur violatio peccaminosa sigilli. Hinc dicunt (et videtur satis probabile) Aversa, Lugo, Tamburini, quod hisce remotis periculis, Confessarius ex Confessione sciens pollutam Ecclesiam, debet abstinere a celebrando



— Item potest ex notitia Confessionis orare pro pœnitente, vel benignius erga ipsum se gerere; consulere libros et sapientes; rigorem temperare, ex Confessione unius dirigi ad alios interrogandos, etc.; nullam unquam tamen dando prioris Confessionis suspicionem. — Hinc etiam aiunt, quod potest Confessarius sibi cavere ab aliquo damno sub aliquo prætextu, si ex Confessione cognoscit sibi parari insidias; si tamen revera nullimode possit ex Confessarii ipsius actionibus argumentum sumi, quod tali notitia utatur, nec sit gravamen pœnitentis. Item si pœnitens indispositus minetur Confessarium ob negatam absolutionem, poterit Confessarius ab illo aufugere (modo suspicionem aliis non ingerat negatæ absolutionis); quia tunc minæ illæ non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam; sed peccatum in Confessione commissum, quod sigillo non gaudet. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 659.

*Quid* (dices) *si Confessarius noverit aliquem ex Confessione solitum esse multa peccata vel tenuem dispositionem afferre; poterit se celare, vel excusari ab eo audiendo?* Si non habeat causam externam independentem a Confessione, negative; secus uteretur notitia Confessionis anteactæ, illamque pœnitenti redderet odiosam. Ideo erga hunc pœnitentem, vel similes, ita se gerere debet, ac si gereret erga alium, de quo nunquam Confessionem excepisset.

**267**. Quæres : *An violet sigillum Confessarius qui asserit in aliquo loco gravia crimina committi?* Communissima sententia cum Concina, Laymano, Lugo, Palao, Suarez, Viva aliisque dicit, quod si oppidum sit parvum, tunc certe violat sigillum, etsi crimina sint publica : nam licet personam non manifestet, cum tamen revelatio redundet in infamiam totius communitatis, redundat etiam in gravamen pœnitentis, qui illius communitatis est membrum, quique cum pauci sunt incolæ, de facili notatur : et ideo ex tali revelatione redditur odiosa Confessio. Exulet ergo ab ore Confessarii verbum : *Non satis domui suæ invigilat ille superior; non omnes quæ in hoc oppido confitentur, totidem sunt Suzannæ; fode parietem et videbis*, etc. Si vero oppidum sit amplum et crimina quæ audivit in Confessione sint etiam publica, tunc sigillum non violat (modo non det intelligere se illa audivisse in Confessione); nam peccata jam omnibus aliunde sunt nota : sic jure permittitur concionatoribus contra eadem publice insurgere, dummodo non dicant se ea scire ex Confessionibus, nec descendant ad circumstantias particulares (Ex. *Cap.* Si Sacerd. *de off. jud. ord.*). Ita etiam licet Confessario alicujus communitatis concionando loqui in communi de defectibus, quæ communiter in similibus communitatibus committi solent, aut possunt. At non possunt Missionarii peccata graviora in Confessione audita in genere Parocho re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

velare, ut magis invigilet, ex decreto S. Concilii Congr. 18 nov. 1681.

« Dubium restat, quandonam oppidum dicatur parvum, et quandonam magnum. Ego sic dicerem, sicut aliorum etiam cœpi consilium, ut dici possit *hic regnat blasphemia*, requireretur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minus si tantum diceretur : *Hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie. Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam (quod tamen esset etiam publicum), meo judicio requiritur, ut oppidum sit valde populo frequens, v. g., sex aut septem millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra Confessionem, potest majori libertate loqui; sed pariter cautione utendum est ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei confessi sunt. » Ita Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 158; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 654.

*Quid* (dices) *si Confessarius necesse habeat consilii?* Audiatur B. Leonardus (*Discorso mistico-morale*, § 30) : « Le Canon *Omnis utriusque, de pœnitent.*, l'y autorise pourvu qu'il consulte avec une telle précaution, que le pénitent ne puisse jamais le savoir. Mais, d'abord, quelle nécessité de dire que le cas lui a été appris en confession? Qu'il l'expose comme s'il était arrivé à d'autres, ou comme se pouvant présenter, et s'il y a plusieurs Confesseurs, comme dans une mission, qu'il ne l'expose qu'à celui-là seul qu'il croit capable de le résoudre. Abstenez-vous toujours alors de certaines expressions indignes des lèvres d'un confesseur, comme : Le premier pénitent que j'ai confessé aujourd'hui... la première femme que j'ai entendue hier... Ce matin il m'a été soumis un cas horrible... Un jeune homme qui m'a fait une confession générale. Dans tel endroit; — un noble qui vint me trouver dans telle mission; — ceux que je trouve chargés de tel péché, je leur impose telle pénitence, — la première personne que j'ai confessée cette année était un adultère; parmi les nombreux pénitents que j'ai entendus aujourd'hui, deux seulement n'avaient commis que des péchés véniels. Ne voyez-vous pas que, si de la sorte vous ne présentez pas l'*original* de votre pénitent, vous en dessinez néanmoins une *copie* assez ressemblante pour qu'on puisse le reconnaître? »

*An* (quæres) *frangatur sigillum, si dicas, Titium tibi esse confessum?*

R. Regulariter negative; quisque enim confiteri solet. Hoc tamen nonnunquam periculosum esse potest : imo si pœnitens verbo vel facto, v. g., clam accedendo, significaverit se nolle sciri, quod sit confessus, recte volunt Confessarium violare sigillum, si id diceret; quia pœnitens confitendo Confessario extraordinario de facili veniret in suspicionem gravioris criminis. — Ceterum ad plura resolvenda pro praxi :



Dicimus : — 1. defectus manifestati ad explicandam peccati rationem, v. g., si pœnitens dicat se sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, quod sit spurius, etc., cadunt sub sigillo; quia id dictum est in ordine ad Confessionem; — 2. virtutes non cadunt sub sigillo, nisi inde sequatur gravamen pœnitentis vel aliorum, ut sequeretur si ex variis pœnitentibus Confessarius unum laudet, de aliis taceat; — 3. scrupulositas pœnitentis cadit sub sigillo, quia aliquo modo est materia Confessionis, et aliunde ex manifestatione gravamen pœnitentis haberetur; — 4. defectus naturales pœnitentis, v. g., quod sit surdus, balbutiens pauper, ignarus, claudus, etc., cadunt sub sigillo, si tamen Confessarius tales defectus ex declaratione pœnitentis noverit, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata; quia tunc cum Confessione connexionem habent; — 5. peccata commissa in ipsa Confessione, v. g., impatientiæ, contumeliæ in aliquem, etc., ordinarie cadunt sub sigillo; nam hæc semper redderent aliquo modo Confessionem odiosam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 638, 642, etc.

*Quid de attestationibus Confessariorum quæ producuntur in causa beatificationis?* Examina et attestationes Confessariorum, quæ versantur tantum super gratias, revelationes et similes gratias quæ pœnitens in Confessione manifestat, magnopere utilia judicantur, non tamen necessaria. Sed dubitatur an hæc sub sigillo Confessionis sint comprehensa. Nonnulli negando respondent, cum enim non sint peccata, ideo nec materia Confessionis. At alii rectius distinguunt : si aperiantur Confessario, ut integrum conscientiæ statum dignoscat, tunc utique non pertinent ad materiam Confessionis, nec ad sigillum; sed ad summum ad secretum naturale. Secus autem, cum eorum rerum fit in Confessione expositio ad melius declarandum peccatum, puta ingratitudinem erga Deum post hæc et illa dona ac beneficia ab eo recepta (Lugo, *De pœn.*, dis. 23, ser. 3ª; Leander, *Op. Mor.*, p. I, tr. V, d. 10). Cum enim ex dictis virtutes, revelationes et similia dona Dei, per se loquendo, non sint materia sigilli sacramentalis, sed naturalis, deficientibus circumstantiis quæ eas faciunt sub sacramentali sigillo comprehendi, post obitum pœnitentis a Confessariis passim manifestantur. Hactenus Benedictus XIV, *De beatific. et canoniz.*, lib. III, cap. VII.

### (DD) Page 180.

**268.** Quæres : *Quidnam de collationibus spiritualibus* (vulgo *Conférences*), *quæ haberi solent cum pœnitentibus extra Confessionem ab animarum Directoribus?* R. Res adeo periculosa est, si habeantur cum mulieribus, ut generatim loquendo auctores id non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

audeant approbare; cum familiaritatem foveat, et familiaritas grande periculum. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris adhæsionis. Dicebat ven. P. Sertorius Caputus, diabolum ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam.

Et Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Eccles.*, c. xv, a. 15, ad rem habet : « Comme si la confession des femmes ne présentait pas assez de dangers par elle-même, quelques confesseurs croient gagner le titre d'excellent directeur en y ajoutant des *Conférences*. Ils ne craignent pas de recevoir dans leur appartement, pour des entretiens particuliers, certaines dévotes qui bientôt attirent sur elles et sur le pasteur le ridicule et peut-être les soupçons. Ils ne voient pas combien cette pratique est mauvaise et condamnable. Sous prétexte de cultiver l'esprit, ils le dissipent ou l'amollissent. Les sentiments d'affection qu'ils entretiennent ainsi et qui leur semblent spirituels deviennent bientôt charnels. *Sæpe videtur esse charitas et est magis carnalitas* (*De Imit. Chr.*, l. I, c. xv). L'amour de Jésus s'éteint à mesure que s'augmente l'attachement pour le confesseur. La dévotion se fausse par le moyen même que l'on emploie pour la perfectionner. S'il n'y a pas de danger encore du côté du confesseur, il peut y en avoir facilement pour les pénitentes : et l'on connaît trop la faiblesse des femmes. Disons donc que ce sont là de fausses dévotes et de mauvais directeurs. On rapporte de saint Philippe de Néri qu'il ne raisonnait pas volontiers des choses spirituelles avec les femmes qui s'adonnaient à la spiritualité. Saint Augustin et saint Bonaventure racontent plusieurs exemples malheureux de personnes pieuses de leur temps qui, après avoir commencé par s'aimer spirituellement, n'ont pas fini de même. Il faudrait appeler ces entretiens moins des conférences que des familiarités dangereuses. Une âme peut très-bien être dirigée, sans en venir à ces colloques particuliers tenus en dehors du tribunal de la pénitence; là du moins on sent la présence de Dieu et il se communique plus facilement aux âmes. La maxime des saints et des prêtres prudents a toujours été de n'entendre leurs pénitentes qu'au confessional. »

**269.** Imo in ipsa Confessione sit brevis et rigidus sermo cum mulieribus : *Lubricum negotium cum fœminis* (inquit Bassæus) *longiora miscere colloquia cum ingenti periculo, vix minimum lucri. Ne fidat, ne fidat mulieris ingenio; cunctorum enim una malorum fœmina principium. Dum venereas culpas et fœminarum Confessiones audit, a quibus periculum, commendet se Deo, B. Virgini, tutelari Angelo, castisque angelicis cogitationibus imbecillem animum muniat* (*V.* Istruzione pe' novelli Confessori, p. I, nn. 122 et 326). — Et Abrate : « Le confessionnal est ce siége redoutable où est assise la justice divine : il ne doit servir que pour l'expiation des fautes et pour la vie éternelle, et non pour les conversations et les bavardages, pour les conseils domestiques ou quelque autre affaire terrestre que ce soit. Pour cela veillez à ce que la confession soit aussi courte que possible ; n'y employez que des paroles graves et remplies d'une sainte onction, évitant scrupuleusement tout son de voix trop empreint de douceur, toute façon d'agir qui dénote une dangereuse familiarité. C'est là, en effet, que le serpent envieux cache sa trame infernale pour enlacer les âmes, là que par des discours trop prolongés les idées se confondent facilement, et les affections changent de nature : *Persæpe amorem sanctum sequitur non sancta dilectio* (S. Hier., *in cap.* II *ad Titum*); et confesseurs et pénitents finissent par tourner la grâce elle-même à leur propre détriment : *Dei gratiam transferentes in luxuriam.* » (*Ep. cath. Judæ* IV.) — Et Kempis, l. III, c. LXIX : *Sæpe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit; sic et aliquorum desideria ad cœlestia flagrant, et tamen a tentatione carnalis affectus liberi non sunt.* It. vid. Stapf, § 624. — S. Francisci Xaverii, *Monita quædam.* Taurini, typ. Mussano; n. 45 et seq.



Diximus *generatim loquendo*; non enim negamus, hanc regulam habere posse suam exceptionem, cum nempe mulier consilio ac directione indiget, nec possit adire confessionale; et hoc maxime si res sit cum Monialibus, quibuscum cautelæ majores esse solent. Hoc commendat S. Theresia; et S. Franciscus Salesius plures devotas etiam litteris in via perfectionis optime dirigebat. — Qua tamen in re hæc observentur : 1. ut litteræ non mittantur nisi ad responsionem, et quando aliter suppleri omnino non potest; 2. ut illæ graves omnino sint, et, quoad potest, paucis conceptæ verbis; 3. ut supponantur illas esse ab Episcopo, imo et a publico legendas; et revera vix ac ne vix quidem hac de re secretum servatur : de amica in amicam ad omnes pervenit notitia litterarum a Confessario ad talem devotam missarum : hic evenit quod de aqua pluviali, quæ de una in aliam tegulam cadens decidit in canalem, de canali in terram, de terra venit in plateam; 4. ut quomodocumque sanctissimæ tales litteræ missæ et acceptæ non conserventur diu, sed destruantur citius quoad res tulerit; ne casu mortis inopinato vel alio accidenti, in aliorum veniant manus : quod esse nequit sine magnis profanorum et libertinorum dicteriis; et ideo etiam præstat ut quas ad responsionem mittit Confessarius suo nomine ne subscribat. — *V.* Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, c. xv : Commerce épistolaire.

### (*EE*) Page 181.

**270.** « En arrivant au lieu de la mission (*S. Alphonsus* pro sacris missionibus), il priait le pasteur et les confesseurs de l'endroit (se gardant toutefois de les y contraindre en vertu de son autorité épiscopale) de s'abstenir de confesser durant le temps de ces saints exercices. Il avait coutume de dire que, si la honte avait entraîné un pénitent à commettre des sacriléges sous son confesseur ordinaire, il y retomberait encore davantage en temps de mission, parce que alors il aurait plus de honte de s'accuser, et que les femmes surtout qui font profession de vie dévote, pour ne pas donner de soupçon à leur confesseur, auraient bien de la peine à aller trouver les missionnaires, si elles le voyaient assis au saint tribunal... » *V.* Tannoja, *Della vita ed istituto di S. Alfonso Maria de Liguori*, l. II, c. LII. Torino, Marietti, 1857. — Et l. III, c. XIII, idem sanctus Alphonsus : « En considérant le nombre des sacriléges qui se commettent par fausse honte dans les petits endroits (in *Vita S. Alphonsi*) et le peu de confesseurs qui se trouvent dans les paroisses rurales, il voulait qu'aux environs de Pâques ceux-ci changeassent respectivement de résidence pour entendre les confessions. » L. III, c. XIII. Et in ejus Notificatione ad Clerum anno 1764 habet : « Nous recommandons de nouveau qu'il soit mis tous les mois un confesseur étranger à la disposition de la paroisse. » — *V.* Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*, etc., n. 388. — Boudon, *Le règne de Dieu.*

Quoad dotes Communitatum Directorum vid. D. Carolus, *Acta Mediolan. Eccl.*, t. II, p. V, c. IV : *De officio Confessarii.* — D. Vincentius a Paulo in ejus vita, ubi plura habentur Documenta. — D. Alphonsus Liguori, *Regolamento pei seminarii*, cit. — It. Opus, *Il direttore spirituale de' seminarii secondo lo spirito di S. Carlo Borromeo; opera utilissima a' maestri, ed a direttori della gioventù ne' collegi*, ecc. Venezia, 1747.

### (*FF*) Page 191.

**271.** Bulla Gregorii XV 1622 præcipit denuntiandos *omnes Sacerdotes tam sæculares, quam regulares, qui personas quæcumque illæ sint, ad inhonesta inter se sive cum aliis quomodolibet in actu sacramentalis Confessionis, sive ante sive post immediate, seu occasione vel prætextu Confessionis etiam Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.*



Bulla Benedicti XIV 1741 habet : *Meminerint omnes et singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi locorum Ordinariis personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit sive non, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne pœnitentibus quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti judici vel saltem se, cum primum potuerint, delaturos spondeant ac promittant*, etc.

*Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus aut promissis aut blanditiis aut minis aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, et Ecclesiæ auctoritate contempta, inoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant : ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio auctoritate, et dignitate munito præterquam a nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam nobis et successoribus prædictis reservamus, perpetuo careat.* Advertunt tamen Salmanticenses id intelligi de suasione efficaci, et casu quo suasio ante executionem denuntiationis efficaciter non revocetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 673 et seqq.; *Homo Ap.*, tr. XIV, nn. 165 et seqq.

Nota. *a.* Cum Bullæ dicant *omnes Sacerdotes*, etiam sacerdotes non habentes jurisdictionem ad confitendum comprehenduntur, etsi absolutionem non dederint. Cum dicant *cujuscumque dignitatis*, etc., etiam episcopi sollicitantes essent verius denuntiandi ; sub quo nomine veniunt etiam nuntii, legati et abbates jurisdictionem quasi episcopalem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habentes. Quia tamen causæ episcoporum criminales graviores ex Tridentino (sess. XXIV, c. V) sunt a Pontifice cognoscendæ; igitur denuntiatio eo in casu fieri deberet apud Pontificem, vel Inquisitoribus ut id Pontifici significent. — Roncaglia et Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 687, 688.

*b.* Vel independenter a Pontificiis Constitutionibus, ille qui scit Sacerdotem vel Clericum habitualiter turpiter vivere, aut ad turpia sollicitare, tenetur (ipsa charitatis lege) illum Episcopo denuntiare; agitur enim de avertendis gravissimis malis in ruinam delinquentis, in perniciem animarum, et in Religionis dedecus vergentibus. Attamen cavendum, ne fides temere adhibeatur mulierculis Sacerdotes in ipsomet tribunali accusantibus; non semel enim visæ sunt quæ ex invidia, zelotypia aliave causa perversa Clericos prorsus innocentes sic atrociter calumniatæ fuerint. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. XVI, n. 180.

*c. Quid* (inquies) *si sollicitatio sit ad peccata non turpia, v. g., ad furtum?* Sententia communissima et probabilior negat adesse tunc obligationem denuntiandi; nullibi enim tale præceptum. Communissime scilicet tradunt Constitutiones intelligendas quoad res venereas. Et licet in Bulla Gregoriana sit vocabulum *illicitos et inhonestos tractatus;* censent tamen et patet ex contextu, utrumque nomen significare eamdem materiam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 684.

**272.** Canonicus pœnitentiarius Andriensis Ecclesiæ, Marianus, tria sequentia dubia a S. Pœnitentiaria solvenda postulat, nempe: 1. an virtute Bullæ *Cruciatæ* absolvi possit qui complicem suum absolvit in peccato turpi, non obstante Decreto Benedicti XIV? 2. an Confessarius sollicitans ipso facto incurrat privationem, seu inhabilitationem ad celebrationem Missæ? 3. an qui non denuntiaverit infra mensem hæreticum, possit, denuntiatione secuta, a quolibet absolvi?

R. Sacra Pœnitentiaria, perpensis mature propositis dubiis, respondendum censuit: — Ad 1, Confessarium ab Ordinario loci approbatum, atque a pœnitente electum, posse vi Bullæ *Cruciatæ* hucusque editæ eumdem absolvere ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ* contentis, atque etiam in publicis, excepta tantum hæresi formali et externa, quamvis occulta. Hæc autem absolutio pro solo foro conscientiæ valet; atque impendi potest pro iis tantum vicibus, quæ in eadem Bulla exprimuntur. Clausula vero in Bulla Benedicti XIV incipiente: *Sacramentum Pœnitentiæ*, etc., apposita, respicit duntaxat ipsos Confessarios, ne vi facultatum Jubilæi, aut Bullæ *Cruciatæ* arbitrentur sibi attributam facultatem absolvendi complices. Super quibus immota perstat laudati Pontificis Constitutio; — ad 2, Pœnam perpetuæ inhabilitationis ad Sacrificii Missæ celebrationem a



Benedicto XIV contra Sacerdotes sollicitantes ad turpia inflictam, non incurri in foro conscientiæ, nisi post juridicam denuntiationem et condemnationem; — ad 3, facta denuntiatione, licet post tempus ab ecclesiastica lege præscriptum, cessare reservationem, et casum cum adnexa censura absolvi posse a quocumque Confessario.

Datum Romæ, 22 martii 1832.

### (GG) Page 192.

**273.** Hic operæ pretium est declarationes datas a S. Congregatione Suprema circa Bullam Gregorii XV, et a Benedicto XIV confirmatas, afferre sic relatas a cardinali Albitio: « Cum me instante, fuissent proposita in Suprema (Inquisitione Romana) infrascripta dubia, facto per Qualificatores accurato eorum examine in infrascriptam devenerunt sententiam, quam eadem S. Congregatio Supremæ et Universalis Inquisitionis approbavit, et servari mandavit 11 februarii 1661.

« 1. An sit denuntiandus Confessarius, qui dat pœnitenti chartam in Confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? *Domini Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

« 2. An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus? *Censuerunt incidere, et Confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

« 3. An Confessarius sollicitando propter parvitatem materiæ sit denuntiandus? *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et si daretur, in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem* [1].

« 4. An Confessarius qui fœminam in Confessionario dicentem se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a Confessione dissuadet, sit denuntiandus? *Si sollicitatio fiat extra locum Confessionis, et absque prætextu Confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem: secus si in Confessionario, seu in loco Confessionis.*

« 5. An Sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in Confessione pœ-

[1] Id intelligunt, si actus sit plene deliberatus, et insuper si ex circumstantiis certe conjiciatur, Sacerdotem levi illo actu animum revera habere ulterius progrediendi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 683.

nitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

« 6. An interpres, si sollicitet in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate*[1].

« 7. An mandans Confessario, ut in Confessione sollicitet, sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate*[2].

« 8. An quando Confessarius et pœnitens invicem se sollicitant, Confessarius sit denuntiandus? *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

« 9. An Confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem*[3].

« 10. An Confessarius incidat in pœnas Constitutionis Apostolicæ contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

« 11. An Confessarius, qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

« 12. An Confessarius, si laudet pœnitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravæ intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem*[4].

[1] Etsi ex Bulla Gregorii, quam præsentes declarationes interpretantur, non sit denuntiandus Sacerdos interpres; est tamen denuntiandus ex alio Decreto Supremæ Inquisitionis, in quo habetur denuntiandos esse omnes de hæresi suspectos inter quos enumerantur illi, « qui abusent du sacrement de Pénitence en se servant de la confession ou du confessional pour des fins deshonnêtes, » etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 690.

[2] Ex Bulla Benedictina certum est esse denuntiandum Confessarium ipsum, qui sollicitaret pœnitentem ad peccandum cum alio.

[3] Hoc tamen intelligunt, si revera fieri possit, quin periclitetur pœnitentium fama, quod valde timendum est, si ipsi pœnitentes tantum sollicitaverint, nec mutua fuerit sollicitatio, id est si Confessarius primo sollicitatus et ipse postea non sollicitet; ut esset, v. g., si pœnitens turpiter tangat Confessarium, qui nihil dicat omnino, etsi libenter id permittat. Erit complicitas, erit consensus; non tamen talis, ut pœnitens sine sui diffamatione denuntiet.

[4] Illud *probabile est* in usu Theologiæ, si cum alia opinione non fiat comparatio, idem est ac dicere, quod opinio illa valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest; ut dictum est *De Conscientia*, tom. I, n. 92.



« 13. An sit denuntiandus Confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit[1]? *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die* 26 *julii* 1628.

« 14. An quis teneatur denuntiare Confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? *Censuerunt opinionem negativam non curare probabilitate.*

« 15. An sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando Confessionem? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate*[2].

« 16. An denuntiandus Confessarius qui audiens Confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? *Idem responderunt quod ad duodecimum.*

« Hactenus ex cardinali Albitio (in Opere, *De Inconstantia in fide*, c. XXXVIII, n. 65). Hæc autem omnia et singula decreta Benedictus XIV in Bulla *Sacramentum*, confirmavit his verbis: « Plura subinde a Congregatione ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die 11 mensis februarii anno Domini 1661 prodierunt decreta... Nos itaque... omnia et singula decreta prædicta... apostolica Auctoritate, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. »

**274.** Casus: *Petrus solatii causa magnetismum cum Caio suo Confessario exercet tum erga viros tum erga mulieres; adestne complicitas in peccato turpi inter Petrum et Caium, adeo ut hic nequeat illum valide absolvere?* — R. Etsi magnetismi exercitium sit valde periculosum et plerumque inducat ad peccatum contra sextum; attamen hoc non est absolute et per se; ac proinde est quidem graviter improbandus Caius; sed eo ipso non est censendus complex cum Petro de peccato turpi, nisi revera magnetismum exercendo simul una contra

[1] Id est qui ob aliam præcedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore et abjuravit, nempe hæresim detestavit; cum enim abjuratio sit detestatio hæresis, aliquis in tantum abjurare debebat, in quantum hæreticus vel de hæresi suspectus, et talis habebatur sollicitator, qui ideo abjurare debebat saltem ad cautelam; si suspicio de hæresi erat levis, dicebatur abjurare *de levi;* si vehemens, abjurare *de vehementi*. *V.* Diana, vol. V, *De potest. Inquisitorum.* — Ferraris, v° *Abjurantes.*

[2] Ita censuerunt interpretando Bullam Gregorii; sed ex alio Decreto relato supra q. 5, n. 4, esset talis Confessarius denuntiandus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sextum peccaverint: quod facile ex interrogationibus dignosci potest.

Si Confessarius laudet mulierem confitentem de pulchritudine, est denuntiandus, si tamen ex modo loquendi vel aliis circumstantiis dignoscatur id fieri ex pravo affectu; secus si ex imprudentia vel animi levitate. Item ex circumstantiis videndum, an importet veram sollicitationem, si Confessarius dicat mulieri : *Memento mei, quia ex toto corde te diligo,* vel aliud simile.

Esset autem denuntiandus si diceret pœnitenti : *Dic mihi quanti me amas?* aut : *Sentis in te eas tentationes erga me, quas ego experior erga te?* aut : *Vellem te semper videre et esse juxta te;* aut : *Tua causa somnum pravum passus sum;* aut : *Ingrata mihi es, quia non me amas.* Item videtur dicendum, si Confessarius exhibeat et aperiat pœnitenti suum amorem, exigendo amoris repromissionem; cum enim non conveniat Confessario ita loqui, et hujusmodi loquendi modi magis communiter pro alliciendo ad amorem lascivum usurpentur, non est sufficiens ratio in praxi (ait Roncaglia) credendi Confessarium exprimere voluisse amorem honestum seu spiritualem. Idem dicit Cozza cum Palao si Confessarius dicat mulieri e confessionali et occasione Confessionis : *Vade ad confitendum alteri, cum enim tua pulchritudine captus sim, timeo ob infirmitatem meam, aliquem lapsum;* ostendit enim turpem suum amorem nimium allicientem. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVI, nn. 180 et 181; et *Op. Mor.*, l. IV, n. 704.

Si neque apud Confessarium possit induci pœnitens ad denuntiandum, recurratur ad S. Sedem, organo Pœnitentiariæ, quæ aliquando, ut refert Mazzotta, in casu magnæ verecundiæ et panici timoris ab hoc onere dispensavit, dando nihilominus Confessario facultatem absolvendi. Vel potius pœnitentem dispensat a declinando proprium nomen, aliisque formalitatibus; sed sollicitatoris nomen vult Confessario aperiendum cum facultate illud episcopo indicando; ita anno 1860. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 699.

### (*HH*) Page 193.

**275.** Præstat in mentem revocare, Pœnitentiæ Sacramentum rite susceptum in ipsum bonum societatis plurimum conferre : unde si non esset in præcepto, ea adhuc frequenter suscipienda esset. Ipsa enim (experientia teste, et ipsis fatentibus adversariis) veluti aqua flammas remorsus extinguit : errores veluti nebulas ventus dissipat. Bona in corde semina jacit; malis occurrit; dubia resolvit; resolutiones roborat; pacem familiarum tuetur; bonum societatis promovet. Omnes uno



verbo ad propria munia alacriter obeunda edocet, sustinet, impellit.

Recens adhuc est factum illius catholici famuli, qui operam suam præstabat protestanti cuidam familiæ. Singulis ipse diebus summo mane ad Ecclesiam se conferebat pro Missa audienda; et singulis mensibus etiam pro exomologesi facienda, et tunc non ita cito domum revertebatur, reversus tamen majori studio, atque alacritate quam aliis diebus, omnia sua officia obibat. Stupentes domini, quod semper ac maxime nonnullis determinatis temporibus (quibus aliquantulum tardius revertebatur) servus ille se diligentiorem præberet, et cupientes cognoscere causam, furtim ipsum committantur; sese conferre ad catholicam ecclesiam illum conspiciunt, et quotidie Missam devote audire, et eo die quo alacrior est in suis domesticis rebus, etiam ad Pœnitentiam accedere. Mirati sunt protestantes illi tantam Pœnitentiæ virtutem (quam semper detestati fuerant uti carnificinam), et Dei juvante gratia, tota familia catholicam fidem suscepit. — *V.* Martinet, *Institut. Theol.*, t. IV, l. IV, a. 5, § 4. It. *Solution des grands problèmes*, t. II, c. XLIV et seq. It. *La philosophie du Catéchisme catholique*, l. III, 3ᵉ Comm. de l'Église.

Qui effectus sane mirabiles, si nonnunquam desiderantur, non est Sacramenti defectus; sed vel ministrantium vel suscipientium. — 1. obicem ponit Confessarius, si sine ullo pietatis sensu hoc officium agat; quo tamen nihil Deo carius, nihil pœnitenti et sibi ipsi utilius. Huc porro facit genuina ministerii existimatio, orationis fervor, intentionis rectitudo atque sensuum custodia. Vid. *Il Sacerdote santificato*, lettera prima, §§ 105 et seq.; — 2. deficiunt pœnitentes illi, qui nulla ferme oratione, fere nullo conscientiæ examine, nec peccatorum turpitudinis consideratione præmissa, jam satis dispositi inveniuntur, sicque exomologesis tempus sine ulla recollectione, vel etiam confabulando expectant : hic maxime peccant juvenes. Quo fit, ut distracti Confessarium adeant, atque sine ullo doloris sensu Confessionem exolvant. — *V.* Careno, *Delle regole a rettamente amministrare i Sacramenti*, ecc., es. 1.

Cuncta ut prospere cedant, quædam præmittant necesse est tum Confessarii tum pœnitentes.

*Quoad* 1 : audiatur Dubois, *le Guide du séminariste et du jeune prêtre*, part. III, c. XIX : « La préparation faite, dirigez-vous vers le confessionnal sans précipitation et les yeux modestement baissés.

« La confession va commencer : quand la bénédiction vous a été demandée par ces mots : *Mon Père, bénissez-moi parce que j'ai péché*, prononcez la formule de bénédiction : *Deus sit in corde tuo*, etc., et restez en silence jusqu'à ce que le pénitent ait achevé la première partie du *Confiteor*. C'est ici que les confesseurs qui débutent éprouvent

quelque embarras. Nous leur recommandons d'adopter, pour tout le temps qu'ils exerceront le saint ministère, la méthode que nous allons leur proposer.

« Nous croyons d'abord que le confesseur doit prendre le premier la parole ; cela met déjà le pénitent à l'aise et diminue l'appréhension dont il est quelquefois saisi quand il est timide. Il y a des confesseurs qui ne disent pas un mot aux pénitents au début de la confession ; ils les laissent s'expliquer comme ils peuvent et ne semblent pas s'apercevoir de leur timidité et de leur trouble. Ne vous conduisez pas de cette manière ; dites, par exemple : « Comme c'est la première fois « que vous vous confessez à moi, il est possible que vous éprouviez un « peu de crainte et d'embarras : cela n'est pas étonnant ; mais soyez « tranquille, mon enfant ; je me charge de vous interroger, ne vous « troublez point. Quels que soient les péchés que vous ayez commis, je « vais les entendre avec la plus grande douceur et vous rendre la paix « si vous l'avez perdue. » Cette précaution est excellente à l'égard des nouveaux pénitents. Commencez ensuite le dialogue suivant :

« — Y a-t-il longtemps que vous ne vous êtes confessé ?

« — Environ six mois, mon Père.

« — Reçûtes-vous alors l'absolution ?

« — Oui, mon Père.

« — N'avez-vous rien, mon enfant, qui vous trouble la conscience dans votre vie passée ?

« — Non, mon Père, je suis tanquille sur mes anciennes confessions.

« Si, au lieu de cette réponse, on vous disait ou si seulement on vous laissait entrevoir par un air de réticence et de contrainte, qu'on n'est pas parfaitement rassuré sur les confessions précédentes, éclaircissez le mystère qu'on ne vous révèle qu'imparfaitement et dites avec une grande douceur :

« — Mettez-vous parfaitement à l'aise, mon enfant ; déclarez-moi bien franchement tout ce qui vous fait ombrage ; autant la mauvaise conscience est insupportable, autant la bonne est accompagnée de douceur et de consolation. Oh ! que vous serez content quand vous m'aurez dit tout ce que vous avez dans l'âme ! »

Verum in tam gravi re jugiter oportet Dei auxilium expostulare. Porro antequam audiantur Confessiones hæc vel alia similis poterit usurpari oratio : *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare traditas mihi Claves Regni Cœlorum, ut nulli aperiam cui claudendum est; nulli claudam cui aperiendum est. Sit intentio mea pura ; zelus meus sincerus ; charitas mea patiens ; labor meus fructuosus. Sit in me lenitas*



*non remissa; asperitas non severa, pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem; ad interrogandos prudentem ; ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam. In responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam. Inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer. Alios salvem ; me ipsum non perdam. Amen.* (Pius IX concedit Indulgentiam centum dierum iis Confessariis qui hanc orationem recitaverint corde contriti ac devote, antequam Confessiones audiant ; at tantum semel in die.)

Confessione vero peracta, hæc vel alia recitari poterit oratio : *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, misericorditer suscipe hoc ministerii mei obsequium ; et quidquid in hujus Sacramenti administratione negligenter minusque digne perfeci, tu per te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos qui mihi confessi sunt, una mecum dulcissimo Cordi Tuo commendo, rogans ut nos custodias, a recidivis præserves, atque simul omnibus gratiam concedas tibi recte fideliterque serviendi, et in amore tui usque in finem perseverandi. Amen.*

*Quoad* 2 : præstat audire Gousset : « Le prêtre étant assis dans le confessional avec un grand recueillement, le pénitent se mettra à ses pieds, à moins qu'il n'en soit empêché par une grande infirmité, fera le signe de la croix, en disant : *Benedic mihi, pater, quia peccavi ;* ou bien en français : *Bénissez-moi, mon père, parce que j'ai péché.* A cette parole *mon père,* le confesseur se souviendra qu'il est le père de ses pénitents, qu'il doit les aimer avec tendresse, et se donner lui-même pour leur salut. « Ayez donc pour eux un cœur de père, dit « saint François de Sales, recevez-les avec affection : écoutez-les avec « bonté ; la rudesse de leurs manières, leur ignorance, la faiblesse ou « tout autre défaut ne doit pas vous dégoûter ; ne cessez jamais de « leur prodiguer vos soins, tant qu'il y aura quelque espoir d'amende- « ment. » (Avis aux confesseurs.) Le prêtre, la tête découverte, bénit le pénitent en faisant le signe de la croix et en disant en même temps : *Deus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis peccata tua ; in nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.* Ensuite il se couvre avec la barrette. Le pénitent dit alors le *Confiteor* en latin ou en français jusqu'à ces mots *par paroles et par action* inclusivement. Alors il confesse ses péchés. Après la confession il ajoutera : « Je m'accuse de tous les péchés que j'ai commis et de ceux dont je ne « me souviens plus : j'en demande pardon à Dieu et à vous mon père, « pénitence et absolution, si vous me jugez digne de la recevoir. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ensuite il achève le *Confiteor* en se frappant la poitrine, à ces paroles : *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.* » — V. Calino, *Quaresimale;* Dialogo sulle *accuse.*

**(*II*) Page 201.**

**276.** *Quid* (dices) *si infirmus mortis timore abhorreat ab Unctione?* Quoad Sacramentum ipsum suadendum abhorrenti infirmo, nedum illud mortem afferat, imo conferre ad salutem ipsam corporalem, si animæ expediat ac tempore congruo suscipiatur. Quoad mortis vero timorem, motivis opportunis excitandus est ad divinæ voluntatis conformationem : quod nempe statutum sit omnibus hominibus *semel mori*, quod mortuus sit Jesus et Maria, etc. *V.* Pinamonti, *Il Direttore*, ecc. — Lalement, *I santi desiderii della morte.* — *Il sacerdote provveduto at letto del moribondo*, ecc. « Etiamsi, ait Stapf, Christianum de instante morte haud trepidare oporteat, sensus tamen plerumque non ex nostro arbitrio pendet. Unde quantum ad eos, qui de imminenti morte contremiscunt, absit omnis judicii temeritas. Sæpe equidem sub hoc nimio mortis horrore sensus terrenus, vel conscientia multis sceleribus sauciata latet. Ast interdum metus iste ex timida hominum indole, ex turbata phantasia, ex scrupulositate vel ex erroneis conceptibus descendit, ita ut in medio sensuum tumultu piissima mens deprehendatur. » — *V.* Segur, *Réponses courtes et familières*, § 59.

Synodus Novariensis circa Extremam-Unctionem notat præcipue : 1. ut extra necessitatem Oleum sanctum semper ab Ecclesia parochiali suscipiatur ; 2. ut quotannis Oleum renovetur, vetere combusto in lampade SS. Sacramenti : exustoque gossypio, ejus cineres in sacrarium projiciendo (*pag.* 137). *V.* nonnullæ decisiones S. R. C. quoad Extremam Unctionem in fine volum. primi, n. 804.

Probabiliter non peccat Parochus qui Sacrum Oleum domi retinet, si crederet nocte se vocandum et periculum foret ne vocatus sero veniret ; si vero domi detineret ad majorem tantum commoditatem, culpa veniali non vacaret. Imo Quintanus non auderet a mortali excusare eum qui semper domi retineret S. Oleum, cum sit contra reverentiam. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 730.

**277.** Circa modum administrandi Extremam Unctionem quædam adnotamus pro iis qui novi illam conferunt, cum D. Carolo Borromæo, Catalani et Baruffaldi.

1. Incipit unctio *ab oculis ;* et merito, cum oculi sint custodes sensuum et fenestræ animæ, per quas intrat diabolus. Ut commode inungantur, debent claudi, et unctio fieri super ambas palpebras.



Si claudi non possint, unctio fiat *in superciliis, juxta angulos oculorum*, ut habet perantiquum Rituale Catanlanense.

2. Veniunt *aures*, quæ unguntur in lobulo vel ima auricula ; non in helice vel alveolo ejusdem, idque ut facilius tergi possit.

3. *Nares;* ungantur narices foris, quæ sunt nasi alæ laterales, ad evitandam sternutationem, quæ aliter faciendo facile oriretur.

4. *Os, compressis labiis;* hic una debet esse unctio atque ideo sunt labia unienda ut facilius fieri possit ; sed si hoc non posset obtineri, satis erit, ut labium inferius vel superius ungatur ; sunt tamen qui adhuc utrumque inungunt.

5. *Manus;* fit unctio in media palma utriusque manus, vel in alia parte viciniori, si aliter non possit, interius tamen ; nam in exteriori manus parte soli Sacerdotes et Episcopi ungi debent.

6. *Pedes;* fit unctio ad metatarsum (vulgo *au cou-de-pied*) ; juxta S. Carolum fit in *plantis*, quia nimirum iis utimur ad ambulandum. Ceterum satis erit, si ea pars ungatur pedum, quæ commode potest ; nec refert, si ambo ungi non possint causa morbi, vel difficultatis, vel quia unus est obtruncatus ; nam hæc unctio est tantum pars integrans.

Bambacium pro unctione deferatur ab ipso Parocho ; nam sæpe isto carent pauperes ; partitur autem in sex partes juxta sex unctiones abstergendas : quælibet inservit pro utroque membro inuncto ; unus floccus reponatur post quamlibet unctionem et alter assumatur. Parochus autem digitum pollicem quo unxit, medulla panis bene fricat, et aqua abluit in aliquo vase ad id parato, tum manutergio abstergit ; ablutionem autem aquæ cum micis et floccis bambaccii ad abstergendum adhibitis refert in sacrarium. Aliqui tamen solent hæc omnia ad comburendum tradere in ipsa domo infirmi ; vel solum ad sacrarium deferre bambacium aut stuppam perunctam ; quo in casu caveant, ne illam reponant in bursa, in qua defertur vas Olei Sancti. Sed minister aliam bursam habeat, ne primam maculet. Cetera in Rituali romano.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# TRACTATUS UNDECIMUS

## DE SACRAMENTO ORDINIS

---

## DISPUTATIO UNICA

### PRÆLUDIUM

### DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

**278**. Q. 1. *Quid est Hierarchia Ecclesiastica?*

R. Nomen *Hierarchiæ* græcum est, et latine significat *sacrum Principatum* (ab *hieros* sacer et *arché* principatus) : sic autem merito vocatur Ordo ecclesiasticus, cum totus situs sit in ordine supernaturali, et circa officia sacra versetur. Hierarchia ecclesiastica definiri solet : *Potestas pluribus gradibus distributa, a Christo Domino instituta, ac suis Apostolis et eorum successoribus tributa, ut Ecclesiam regerent, et divina Religionis mysteria in ea celebrarent ac distribuerent.* — Dicitur 1. *potestas;* quia nullus verus Principatus sine potestate; 2. *pluribus gradibus distributa*, ut indicetur in ea diversos esse Ordines; 3. *a Christo Domino suis Apostolis et eorum successoribus tributa;* hæc enim potestas, cum Ecclesiæ regimen directe respiciat, tota repeti debet ab ipso Ecclesiæ fundatore. Apostolis autem primo data fuit, a quibus manat in ceteros Ecclesiæ Prælatos ad finem usque mundi; 4. *ut Ecclesiam regerent*, etc., ut indicetur Hierarchiæ objectum.

Post Wicleffum et Marsilium Patavinum docuerunt protestantes nullam divino jure distinctionem esse inter sacros ministros et laicos; ipsi enim in Ecclesia nonnisi democratiam agnoscunt tum quoad sacerdotium quod contendunt fidelibus omnibus esse commune; tum quoad regimen et auctoritatem quam in populo residere autumant, qui per de-



legatos a se ministros eam exercet pro eo gradu, quem eis concedit. Richerius suum systema hac de re a protestantibus mutuatus est, dum statuit Christum claves fidelium communitati immediate contulisse, cujus ministri sunt Pontifex, Episcopi ceterique Ecclesiæ pastores, in quos a communitate omnis potestas dimanat. Janseniani ac Pistorienses eumdem errorem professi sunt; ac propterea vocant ecclesiam *collegium æqualium*, episcopos vero *primos inter pares*, romanum vero nonnisi pontificem *caput ministeriale*[1].

Sed de fide est, quod in Ecclesia adsit hierarchia divina ordinatione instituta, ita ut sacri ministri a laicis jure divino distinguantur. Id probat Apostolus, sumpta comparatione humani corporis : *Corpus non est unum membrum, sed multa;... quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?* Ita Christus providit Ecclesiæ suæ de variis Ministrorum gradibus : *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores... numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores*[2]? — Hinc Tridentinum ait : *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit*[3]. Et sane Christus non omnibus, sed solis Apostolis Eucharisticum Sacrificium conficiendi potestatem dedit et per illos in eorumdem successores derivaturam; item solos

---

[1] *V.* Perrone, *De Ecclesia*, sect. I, c. II. — *Prælect. juris canon. Semin. S. Sulpit.*, t. I.

[2] I Corinth. XII. — *De Hierarchia*, *V.* Bellarminus, Habert, Tournely; et Liguori, *Opera dogmatica*, sess. XXIII, c. IV, n. 23. Antiquissimum est hoc vocabulum in Ecclesia, et valde familiare S. Gregorio M. et Dyonisio Areopagitæ Apostoli discipulo; si tamen liber certe vetustissimus, *De cœlesti et ecclesiastica Hierarchia* est ab ipso conscriptus : quod in dubium vocatur; cum in eo specialis fiat mentio et templorum nostrorum ornatus et monachorum institutionis et catechumenorum exercitationis : quæ tunc temporis haud obtinere potuisse patet. — *V.* Ferraris, v° *Hierarchia ecclesiastica.*

[3] Sess. XXIII, can. VI. — *V.* Scotti, *Teoremi*, ecc. Il Sacerdozio, della nuova Legge, ed il buon numero di coloro che lo abbracciano, sono molto conducenti alla felicità dei popoli. — It. *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico*, l. II, p. III, c. II. — Videndus etiam Martinet, *Le Réveil du peuple*, leç. X et seqq., ubi plura ad rem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Apostolos alloquitur, dum eos ad prædicandum mittit, atque Ecclesiæ suæ pastores ponit[1]; præterea Apostoli seipsos dicunt ministros a Spiritu sancto vocatos. Idque confirmat constans et perpetua traditio Ecclesiæ, cujus quidem fidem faciunt Tertullianus, Origenes, Epiphanius, Chrysostomus, etc., uti probat Bellarminus, adeo ut nemo unquam ad sacrum Ministerium assumptus fuerit, qui prius non esset legitime sacratus[2].

Ratio ipsa evidenter probat; etenim si nulla societas domestica vel civilis consistere queat sine aliqua potestate quæ ei præsit membraque familiæ aut civitatis coadunet; quanto minus possibilis erit societas omnium Christi fidelium toto in orbe desseminatorum, sine principatu religioso, cui omnes obediant! Et hujusmodi principatus nullomodo potest ab hominibus institui; namque præterquam quod nullus unquam sub cœlo fuit homo (vel cœtus hominum) qui habuerit et poterit delegare jus imperandi universis gentibus, quis rationis compos non videat potestatem regendi et pascendi Ecclesiam, cujus caput est Filius Dei, hominibusque dispensandi divina mysteria ab Eo tantum conferri potuisse, qui dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes*[3]? etc.

**279.** Q. 2. *Quotuplex est Hierarchia ecclesiastica?*

R. Ecclesiastica Hierarchia duplex est : *Ordinis* et *Jurisdictionis.* Illa est facultas peragendi ex officio ritus sacros, sacrificium, Sacramenta, benedictiones, etc. Hæc vero est potestas publica fideles regendi in ordine ad cultum Dei, et animarum salutem. Utraque diversimode tribuitur : *Duplex est* (ad rem Angelicus) *spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur;... potestas autem jurisdictionalis est quæ confertur ex simplici injunctione hominis*[4].

Licet ipsa catholica fides doceat, præcipuos Hierarchiæ

[1] Matth. XXVI et ult.; Marc. ult.; Joann. XXVI. Act. XX.
[2] *De Clericis*, c. I. — Clerus duplex est : *Regularis* et *Sæcularis*. Spectant ad primum Monachi et Regulares; qui tamen, qua tales, ad Hierarchiam nonnisi ratione privilegiorum pertinent. Referuntur ad alterum Clerici omnes, qui neque monachorum neque regularium jure censentur.
[3] *V.* Martinet, *Inst. Theol.*, t. IV, l. V, a. 1. — [4] 2, 2, q. 39, a. 3.



gradus tum Ordinis tum Jurisdictionis fuisse institutos divino jure, uti ex Tridentino liquet; non possumus tamen dubitare, quin Ecclesia, accepta a Christo potestate, habita ratione temporis et circumstantiarum, potuerit gradus alios inferiores inducere, inductos extinguere, vel alios iisdem substituere : quod quidem saltem quoad Hierarchiam jurisdictionis eam fecisse tradunt eruditi. — Porro gradus Hierarchiæ Ordinis tot sunt quot sunt Ordines in ipsa Ecclesia instituti (ex dicendis de *Ordinum numero*), quorum quidem aliqui probabilius sunt tantum de jure ecclesiastico. Gradus autem Hierarchiæ jurisdictionis jure divino est R. Pontifex in quo residet plena et suprema jurisdictio in universam Ecclesiam; et episcopi, sed subordinate ad Pontificem. Jure autem ecclesiastico sunt Cardinales et Legati, Patriarchæ, et Primates, Metropolitæ, Coadjutores episcoporum et Prælati inferiores : item Vicarii episcoporum generales, Vicarii capitulares, capitula Canonicorum, Vicarii foranei, parochi, ceterique ecclesiastici omnes.

---

## CAPUT PRIMUM

### DE ORDINIS NATURA, INSTITUTIONE ET ORDINUM NUMERO

**280.** Q. 1. *Quid est Ordo sacer?*

R. Ordo sacer seu sacra Ordinatio, definiri solet : *Ritus sacer seu Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quo ordinato traditur potestas spiritualis :* et addunt communiter uti in dictis verbis implicite contentum, *in ordine ad Eucharistiam.*—Quatenus dicitur *ritus sacer*, omnes gradus complectitur seu eos etiam Ordines, quibus ex plurimorum sententia Sacramenti ratio non convenit : quatenus vero dicitur *Sacramentum*, eos Ordines tantum designat, quibus dignitas Sacramenti convenit. Dicitur autem *quo Ordinato traditur potestas*, etc. : quæ verba locum obtinent differentiæ, qua Sacramentum Ordinis a ceteris discriminatur. Fit autem

peculiaris mentio Eucharistiæ; quia omnia ministeria in Ecclesia ideo maxime communicantur, ut digne Eucharistia conficiatur atque suscipiatur.

Protestantes omnes, anglicanis exceptis, negant Ordinem esse Sacramentum; iis enim illud effatum commune est, *omnes Christianos esse æqualiter Sacerdotes.* Quamquam ad evitandam confusionem, nemo Sacerdotio perfungi debeat juxta illos, nisi a potestate civili ad id specialiter deputetur: quæ quidem deputatio sicuti dari, ita et denuo auferri potest. Verum fides catholica docet, Ordinem esse verum N. L. Sacramentum a Christo Domino institutum. Sane Sacramentum *est signum sensibile, divinitus institutum, vim habens gratiæ conferendæ;* atqui hæc tria conveniunt Ordini : — 1. signum sensibile; quia confertur per manuum impositionem et orationem. Sic enim legitur ordinatos fuisse septem Diaconos : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus*[1]; — 2. divina institutio; dicitur enim : *Dixit illis Spiritus sanctus : segregate mihi Saulum et Barnabam;... tunc... imponentes eis manus dimiserunt illos*[2]; — 3. vis gratiæ conferendæ; ait enim Paulus ad Timotheum agens de ipsius ordinatione : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam.* Iterum ad eumdem : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*[3].

Quare Tridentinum : *Si quis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum, anathema sit*[4]. Id firmat traditio Patrum, præsertim Gregorii Nissæni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ut videre est penes Perrone. Id probat Conciliorum auctoritas, ut sunt concilia generalia Calcedonense et Nicænum II. Tandem hoc tuentur sectæ omnes et antiquissimæ, et recentiores

[1] Act. VI. — [2] Act. XIII. — [3] I Tim. IV; et II Tim. I.
[4] Sess. XXIII, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 735 et seqq.



ante protestantes existentes, ut videre est penes Morinum et Bossuetum[1].

Dices : *Christus cum Apostolos ordinavit, non adhibuit manuum impositionem. Præterea Paulus dicit Timotheo gratiam datam fuisse per prophetiam, sed gratia prophetiæ est gratia gratis data, nempe miraculorum et prophetiæ, non gratia sanctificans?* — R. Non omnia, quæ Christus gessit, scripta sunt : cumque præterea Christus *potestate excellentiæ*, ut vocant, præditus esset, potuit sine ritu exteriori gratiam Ordinationis conferre. Dummodo constet ipsum instituisse Ordinationis Sacramentum, satis est : id autem novimus fecisse tum auctoritate Pauli, tum universa traditione. — Neque obstat textus Paulinus : non enim dicitur data gratia *ad prophetiam*, sed *per prophetiam*, id est per revelationem; quia nempe Paulus interiori Spiritus sancti inspiratione aut revelatione inductus est ad cooptandum Timotheum in ordinem pastorum.

**281.** Q. 2. *Quandonam Ordo fuit institutus?*

R. Ordo institutus fuit in ultima Cœna : nam tunc Christus instituit Sacerdotes et Episcopos per verba : *Hoc facite in meam commemorationem*[2]. Hæc enim proferens Apostolis facultatem communicavit idem quod ipse peregerat, faciendi; eamdem scilicet victimam, suum Corpus et Sanguinem offerendi : sicut autem ejusdem victimæ oblatores esse non poterant, quin eidem Sacerdotio associarentur, neque offerre sicut ipse, nisi eodem ac ipso Sacerdotio consecrati, ideo per ea verba Christus Apostolos *novi Testamenti Sacerdotes constituit.*

Neque obstat, quod ad alios Ordines Christus Jesus Apostolos non primitus ordinaverit; in Sacerdotio enim eminenter continentur ceteri, cum omnes ipsum respiciant; quod bene ipse agere potuit potestate excellentiæ qua pollebat, eos nempe simul ad universos Ordines promovendo, relinquens ut ipsi ceteros ad eos gradatim assumerent.

**282.** Q. 3. *Quot sunt numero Ordines?*

R. Novatores multiplicem Ordinum numerum negant; sed

[1] *V.* Klée, *Histoire des dogmes.* — Bergier, *Dictionnaire*, v° Ordination — Ferraris, *Biblioth.*, v[is] *Ordo, Ordinare.*
[2] *V.* Dicta *De Sacrificio Missæ*, c. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra illos definivit Tridentinum[1] : *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* Idque merito, ut enim disserit idem Concilium : *Cum divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent*[2]. — Porro in Ecclesia latina numero septem recensentur : *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus* et *Ostiariatus?* quos omnes memorat Tridentinum subdens ab ipso Ecclesiæ initio eos cognitos fuisse[3]. Et constat ex veteribus monumentis, eos singulos jam memorasse sæculo III Cornelium papam, et sæculo IV Concilium carthaginense IV; de iisdem præterea sæpissime loquuntur Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Hieronymus, Augustinus, etc. In Ecclesia vero græca multis ab hinc sæculis quatuor tantum sunt Ordines, nempe *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus* et *Lectoratus;* attamen subdiaconatus græco ritu collatus acolytatum et ostiariatum includit. Utrum vero plures distinctos olim ipsa habuerit, disputant eruditi[4].

Septem Ordines sic dividuntur in latina Ecclesia, ut tres primi *majores* et *sacri*, quia propius accedunt ad Eucharistiam, finem omnium Ordinum; ceteri e converso *minores* et *non sacri* appellantur. Hujus numeri ac distributionis rationem sic congruentem assignat Angelicus[5] : distinctio Ordinis accipitur secundum relationem ad Eucharistiam, prout conficitur seu consecratur, distribuitur et suscipitur. Unde vel agitur de ea consecranda, et datur ad hoc *Sacerdotium;* vel de ea distribuenda in Sacerdotis absentia, aut de proxima materia ad eum tradenda, et hoc pertinet ad *Diaconum* : vel

[1] Sess. XXIII, can. II. — *V.* etiam Bulla *Auctorem fidei*, prop. LV, ubi doctrina Synodi Pistoriensis, qua novatorum et maxime Calvini convicia in minores Ordines renovantur, a Pio VI proscripta est.

[2] Sess. XXIII, c. II. — [3] Sess. XXIII, cap. XVII, de R.

[4] *V.* Chardon, *Storia de' Sacramenti.* Opus celebratum. — Billuart, *De Ordine.* — [5] Suppl. q. 97, a. 3.



de præparandis vasis sacris, ut in iis materia recipiatur, et pertinet ad *Subdiaconum* : vel de ipsa materia præsentanda, et pertinet ad *Acolytum*[1].

Quod vero pertinet ad *susceptores*, ii mundi esse debent; arcendi sunt ergo omnes immundi. Horum autem triplex genus : alii, qui nolunt fidem suscipere uti infideles, quibus est claudenda Ecclesia; et hoc pertinet ad *Ostiarios :* alii, qui susceperunt fidem, sed nondum sunt sufficienter instructi, uti sunt catechumeni; et his datur *Lector :* alii, qui instructi quidem sunt, sed a dæmone detinentur, uti energumeni; et his dantur *Exorcistæ*.

**283**. *An omnes et singuli Ordines sint Sacramentum?*

R. De *Sacerdotio* nemo Catholicorum potest dubitare, quin sit verum Sacramentum; nam id de fide est a Tridentino definitum. De *Diaconatu* vero, licet non sit de fide expresse esse Sacramentum, certum est tamen, quod veram Sacramenti rationem participet. Occurrunt sane in eo omnia ad Sacramentum requisita : 1. signum sensibile, nempe manuum impositio; 2. divina institutio, definiente eodem Tridentino[2] : *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit :* ubi nomine *ministrorum* saltem Diaconi sunt intelligendi; 3. gratiæ collatio, et hanc significant illa verba ad candidatum : *Accipe Spiritum sanctum.* Hinc S. Hieronymus[3], et S. Leo M.[4], commemoratis expresse Diaconis, Sacram ordinationem appellant, ille quidem *sacramentum*, hic vero *tantæ benedictionis sacramentum*. Anastasius vero II Pontifex romanus affirmat, sacram ordinationem etiam Diaconorum *sacramenti gratiam* conferre[5].

Quod vero pertinet ad *alios Ordines*, adhuc Sacramenta esse probabiliter affirmat S. Thomas[6]; cum unicuique Ordini

[1] Vid. Billuart.

Sess. XXIII, can. VI. — [3] *Adversus Vigilant.*, c. I.

[4] *Epist. ad Dioscorum*, c. I.

[5] *Epist. ad Anast. imperat.*, c. VII. — *V.* Porro, *De re sacramentaria*, de Ordine.

[6] Suppl. q. 37, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 736. — Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VIII, c. IX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sua sit assignata materia ac forma : in hujus tamen sententia omnes Ordines unum semper Sacramentum constituerent in ratione finis ; cum singuli sint ordinati ad unum Missæ sacrificium : *Tota enim plenitudo Sacramenti hujus*, ait Angelicus, *est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio ; sed in aliis est quædam participatio Ordinis ;... et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum.* — Attamen nobis est probabilius, aliis Ordinibus Sacramenti dignitatem non convenire ; desunt enim in illis substantialia : ac 1, deest *signum sensibile*, quod in Ordine nihil aliud est in sententia probabiliori, quam impositio manuum : cum illius tantum fiat mentio in sacris Litteris, et illa tantum græci utantur ; 2. *institutio divina*, quæ legitur neque in Scripturis neque in Traditione ; 3. *gratiæ collatio*, cum nulla adsit forma illius productiva, sed sola occurrat mentio potestatis tributæ.

### Art. I. — De Tonsura et Ordinibus minoribus.

**284**. Q. 1. *Quid est Tonsura*[1]*?*

R. Tonsura est primus gradus ad Ordines ; ideo vulgo dicitur *prima Tonsura*. Definitur : *Ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo laicus baptizatus et confirmatus tonsione capillorum in Clerum adsciscitur*. Dicitur : 1. *ritus sacer*, quia sacræ quædam cæremoniæ adhibentur pro illius collatione ; 2. *ab Ecclesia institutus*, non enim est divinæ institutionis. Tradit autem Catechismus romanus eam ex Apostolis derivare ; et Gregorius Turonensis illam ad D. Petrum refert ; sed hoc alii negant, cum non sit verisimile, quod Christiani illo persecutionis tempore voluerint aliquo signo externo et patenti notari[2] ; 3. *quo laicus*, etc., sic et subjectum et effectus tonsuræ indicantur.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 734. — Clericatus, *De Ordine.* — Antonelli, *De juribus et oneribus Clericorum.* Romæ, 1690. — Savoy, *Introduction au Sacerdoce.* — Thomasinus, *Vetus ac nova Ecclesiæ disciplina*, l. II, c. XXXVII.

[2] Clericis sæculo VI monachos æmulati, ab iis acceperunt tonsuram quæ humilitatis et modestiæ tacita esset significatio ; eodemque sæculo uti cœperunt habitu a laicis distincto.



Tonsura in probabiliori sententia non est Ordo ; cum officium non importet circa altaris ministerium ; sed præparatio ad Ordines, nam de foro Ecclesiæ facit. Quia tamen habet relationem ad Ordines et de illis participat, ideo tonsura etiam illicite data irrevocabiliter data est, nec iterari potest, uti pluries declaravit S. C. C. penes Fagnanum. Illius autem effectus sunt : 1. quod candidatus Clero adscribitur, et Clerici nomen assumit ; 2. quod gaudet privilegiis Clericorum : nempe *fori*, quo a sæculari jurisdictione eximitur ; *Immunitatis*, quo a tributis liberatur ; *competentiæ*, quo nequeat obæratus in carcerem detrudi, neque honesta sustentatione privari ; *canonis*, quo ipsum percutientes sint excommunicati[1]. Ferme tamen ubique hodie solum privilegium canonis remanet ; cum ceteris per Concordata derogatum sit ; 3. quod disponitur ad Ordines ; 4. quod sit ecclesiasticorum Beneficiorum capax (*A*).

Cum novum statum assumant Tonsurati, novos mores induere debent in melius : *Assumptio religiosi nominis sponsio est devotionis*, ait Salvianus[2]. Hinc eos monet Pontificale R., ut in posterum *habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeant.*

**285**. Q. 2. *Quid de Ordinibus minoribus ?*

R. Ordines minores quatuor numerantur : nempe *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exorcistatus* et *Acolytatus*.

*Ostiariatus* est *primus Ordo inter minores, quo Ordinato confertur potestas aperiendi et claudendi januas Ecclesiæ, et admittendi dignos, atque excludendi indignos.* Ejus materia remota sunt claves Ecclesiæ ; proxima est ipsa clavium a candidato physice tangendarum traditio. Forma sita est in verbis in tali traditione prolatis.

*Lectoratus* est *secundus Ordo inter minores, quo Ordinato confertur potestas legendi extra Missam, in Ecclesia tamen, Scripturas sanctas, et populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.* Liber ergo sacrarum Scripturarum est materia remota ; illius traditio facta ab Ordinante, et a candidato

[1] *V.* Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opuscol. XIX. — Ferraris, v° *Solutio.*

[2] L. ad Eccl. cat.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

physice tangenda, est proxima. In istius vero traditione verba prolata constituunt formam.

*Exorcistatus* est *tertius Ordo, quo Ordinato confertur spiritualis potestas imponendi manus super energumenos, et invocandi super eos nomen Domini ad compescendos dæmones, eosque ab humano corpore expellendos.* Rituale R., ubi exorcismi scripti sunt, constituit (ex Constitutione *Sollicitudini* Benedicti XIV) materiam remotam; ejus traditio, proximam; verba traditionis, formam. — Exorcismi hodie solis reservantur Sacerdotibus : imo neque ipsi sine licentia Episcopi eos agere possunt intra Italiam et adjacentes Insulas ex Benedicto XIV Encyclica 5 julii 1750. Et merito quidem propter abusus inde facile orituros [1].

*Acolytatus* est *ultimus inter minores Ordines, quo Ordinato confertur potestas accendendi Ecclesiæ luminaria, ferendi candelabrum accensum ad altare, parandi urceolos cum vino et aqua pro Missæ sacrificio, et ministrandi Diacono et Subdiacono in Missa solemni.* Urceoli vacui, et candelabrum cum cereo extincto sunt materia remota; proxima eorum traditio. Forma sunt verba traditionis [2].

### Art. II. — De Ordinibus majoribus.

**286.** Q. 1. *Quid est Subdiaconatus, et quæ ejus officia?*

R. Ad 1 : Subdiaconatus est primus Ordo inter majores. Ad hanc dignitatem communiter tenet ipsum elevatum fuisse

[1] *V.* Scotti, *Dissertazione sulla scarsezza degli energumeni.* — Stapf, § 576 habet : « *Sed curtalia non etiam nostro tempore contingunt?* Generatim responderi potest : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Attamen non incongrue illud reponimus, quod vir quidam ingeniosus ait : *Anceps, quo certius aviculas irretiat, quantum potest se abscondit.* Nostræ ætati, quæ tantopore de ingeniorum cultura et perspicacia gloriatur, nihil est perniciosus *infidelitate;* ast hæc ipsa infidelitas subverteretur, si dæmon, prout olim, ita et nunc homines vi tam aperta impeteret. » — *V.* Ferraris, *Biblioth.*, v[is] Exorcizare, Exorcista.

[2] Quoad hos Ordines, *V. Enchiridion* Novariensis Diœcesis. — Ferraris, v° *Acolythus.*



apud Latinos ab Innocentio III in fine sæculi XII, cum primitus inter minores Ordines connumeraretur. Est autem Subdiaconatus *Ordo, quo Ordinato tribuitur spiritualis potestas præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, legendi Epistolam, et inserviendi Diacono in solemni Missæ sacrificio.* Materia apud græcos est manuum impositio; et verba in ea impositione prolata, est forma. Apud latinos autem materia remota est calix vacuus cum patena item vacua, et liber epistolarum. Traditio utriusque est materia proxima. Forma vero sunt verba in traditione prolata. Ceterum disputant, an utraque traditio sit de Sacramenti necessitate : alii cum Habert, Thoma et Salmanticensibus dicunt sufficere traditionem calicis vacui cum patena; nam sufficienter indicatur per hoc præcipuum subdiaconi ministerium. Alii cum Aversa, Filliucio, etc., tradunt essentialem esse pariter traditionem libri epistolarum; quia speciale munus subdiaconi est etiam epistolas legere. Quidquid sit in praxi, utraque materia est adhibenda cum sua forma; et si quid omissum, supplendum est opportuno tempore ; agitur enim de summa re, et aliunde hæc secunda sententia non est improbabilis [1].

R. Ad 2 : Officia Subdiaconorum propria præter gravissimam obligationem quotidie recitandi divinum Officium, ac perpetuam servandi castitatem, sunt : 1. Diacono in altaris ministerio ministrare ; 2. vinum, panem, lintea et cetera ad Sacrificium præparare ; 3. epistolam in Missa solemni cum manipulo cantare; 4. calicem et patenam ad aram deferre (apud Græcos ea tantum parat in mensa minori, quam vocant *propositionis*); aquam in calicem fundere : patenam elevatam tenere ; pacem in chorum deferre; crucem in processionibus portare, etc., uti ex institutione hujus Ordinis constat, et ex Pontificali.

**287.** Q. 2. *Quid Diaconatus, et quæ ejus officia ?*

R. Ad 1 : Diaconatus (græce *ministerium*), est *Ordo, quo*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 805 et 746. — Calix et patena debent esse consecratæ de necessitate præcepti. An autem id necessarium sit etiam de sacramenti necessitate ad ejus valorem, sunt qui negant. Sed affirmandum; nam cum officium Subdiaconi sit tantum circa vasa, illa sacra esse debent.

*traditur Ordinato potestas spiritualis proxime inserviendi Episcopo, vel Presbytero sacra facienti, et canendi Evangelium in Missa solemni.* Alii cum Palao, Vasquez, Reginaldo dicunt solam traditionem libri evangeliorum cum sua forma esse de essentia ad Diaconatum; cum de hac tantum fiat mentio in Florentino concilio; et hoc videtur expresse sentire D. Thomas hisce verbis: *In ipsa libri datione imprimitur character*[1]. Alii cum Habert, Tournely, D. Bonaventura, Becano, etc., docent, solam manuum impositionem esse illius materiam, ideoque et verba tunc prolata formam constituere; tum quia in Scripturis[2] illius tantum fit mentio; tum quia in ea tantum tribuitur Spiritus sanctus, nempe gratia Sacramenti; tum quia hæc una reperitur apud græcos. Tandem alii cum Bellarmino, Lugo, Salmanticensibus, etc., dicunt apud nos et traditionem libri, et impositionem manuum esse de essentia; ratio quia Ecclesia ex potestate sibi a Christo tradita quoad græcos determinavit materiam essentialem Diaconatus esse solam impositionem manuum; quoad latinos vero præter hanc impositionem etiam traditionem libri. His positis, dico primam sententiam esse probabilem, secundam probabiliorem, tertiam adhuc probabilem et ideo in praxi sequendam utpote spectantem ad valorem Sacramenti: unde si alterutrum omissum, caute supplendum est ex S. R. C. 16 jun. 1837, et Capit. *Presbyter de Sacram. non iterand.*

R. Ad 2: Primis sæculis Diaconi Episcopum comitabantur in itineribus, in Conciliis, et in Ordinationibus ei assistebant: item eidem sicuti et Sacerdoti solemniter celebranti inserviebant. Nunc ex Pontificali R. *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare:* 1. *ministrare ad altare*, id est Sacerdoti solemniter celebranti patenam cum hostia et calicem cum vino porrigere, Evangelium solemniter canere, vasa sacra Eucharistiam continentia extrahere a Sacrario et reponere; item Eucharistiam distribuere, sed tantum ut minister extraordinarius; 2. *baptizare* publice, item ut minister extraordinarius; 3. *prædicare*, sed intelligitur ex Episcopi tantum delegatione.

[1] Suppl. q. 37, a. 5.
[2] Act. VI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 748.



**288.** Q. 3. *Quid est Presbyteratus?*

R. Presbyteratus, seu Sacerdotium, est *Ordo, quo candidato traditur potestas spiritualis tum consecrandi et ministrandi Corpus et Sanguinem Christi, tum remittendi et retinendi peccata fidelium.* Triplex in hujus Ordinis collatione occurrit manuum impositio: in prima Episcopus utramque manum super caput cujuslibet ordinandi imponit nihil dicens, et successive sacerdotes qui adsunt; postea tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras super ordinandos extensas, solo orante Episcopo: demum post Communionem Episcopus ambas manus super caput singulorum imponit dicens: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseritis*, etc. Item præter has manuum impositiones occurrit etiam traditio instrumentorum, nempe calicis cum vino, et patena cum hostia; hinc quæritur quænam sit materia et forma Presbyteratus.

Alii cum Fagnano et Soto contendunt materiam esse solam traditionem instrumentorum, et formam verba prolata in eorum traditione; nam in decreto Eugenii IV ad Armenos horum tantum mentio habetur: sed hæc sententia communiter non est recepta. Alii volunt materiam essentialem esse et traditionem instrumentorum cum sua forma, et tertiam manuum impositionem item cum respondenti forma; nam per traditionem instrumentorum datur potestas sacrificandi, per tertiam autem manuum impositionem tribuitur potestas absolvendi: ita Bellarminus, Estius, Scotus et alii, et quidem probabiliter.

Sed probabilius docent Concina, Tournely, S. Bonaventura cum Martene, Becano, Menardo, etc., materiam essentialem esse solummodo secundam manuum impositionem: *secundam;* prima enim certo non est de essentia, cum nulla ei correspondeat forma. Item commune est neque essentialem esse tertiam, tum quia non fuit in usu apud Latinos per XII priora sæcula; tum quia jam Sacerdotium collatum est, si quidem noviter ordinati Presbyteri cum Episcopo jam concelebrarunt. Restat ergo secunda, nempe cum Episcopus ex-

tendit manus simul cum Presbyteris, ut patet ex Tridentino: *Ministri Extremæ Unctionis sunt aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii*, hoc est quæ fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus[1]. Quod autem porrectio instrumentorum non sit de essentia, patet: 1. quia in Scripturis de illa nulla mentio; 2. quia Græci sola manuum impositione ordinant: at quod est de essentia, apud omnes obtinere debet; 3. quia instrumentorum traditio apud ipsos Latinos non ante sæculum VIII vel IX invecta est, uti ex doctissimo Martene observat Benedictus XIV[2].

Nec obstat, quod Eugenius IV in Decreto ad Armenos porrectionem instrumentorum assignaverit tantum cum relativa forma; nam, ut sapienter respondet Benedictus laudatus cum Becano, Menardo et Morino, Eugenius ibi fuit locutus de materia et forma tantum integrali, quam intendit tradere Armenis, qui optabant aggregari Ecclesiæ latinæ; et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi juxta ritum Græcorum quo prius ordinabantur, jam eam adhibebant.

Juxta hanc tertiam sententiam, quæ ex intrinsecis fundamentis (speculative tamen loquendo) probabilior mihi videtur, discrepant auctores in assignanda forma; alii cum Lugo dicunt esse verba quæ proferuntur in traditione calicis et patenæ: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, etc.; quia manet moralis connectio inter manuum impositionem et prædictam forman traditionis instrumentorum. Verum forte probabilius alii cum Tournely dicunt esse orationem quæ in secunda manuum impositione dicitur ab Episcopo: *Oremus*, *fratres*[3], etc. Verba autem, *accipe Spiritum sanctum*, etc., quæ dicuntur in tertia impositione esse tantum declarativa et confirmativa rei peractæ, nempe Spiritus sancti jam collati in secunda impositione. — Dictum est, *speculative loquendo*, tertiam sententiam esse probabiliorem; nam cum secunda sententia quæ tradit necessariam esse instrumentorum traditionem et tertiam manuum impositionem, sit adhuc probabilis, in praxi sequenda est, cum res sit de Sacramento. Quare Ordinatio facta sine secunda manuum impositione tota sub conditione iteranda est, ut declaravit S. Concilii C. penes Benedictum XIV; ratio quia qui non accepit potestatem supra Corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem super Corpus Christi mysticum. Si vero ordinatio fuerit facta sine traditione instrumentorum vel sine tertia solummodo manuum impositione, hæc tantum supplenda est (*B*).

*Quænam* (quæres) *sunt officia Presbyterorum?* — Sunt hæc præcipua ex ipso Pontificali R.: *Offerre*, *benedicere*, *præesse*, *prædicare et baptizare*: 1. *offerre*, et est primarium munus: *Omnis Pontifex*, ait Apostolus, *ad offerendum munera et hostias constituitur*[1]; 2. *benedicere* tum personis tum rebus: hoc privilegium in Sacerdotibus omnibus semper agnitum fuit; 3. *præesse*, Presbyteri enim sunt in adjumentum Episcoporum ad christianam plebem regendam: 4. *prædicare*, neque enim sine verbi Dei ministerio potest Sacerdos plebem regere; 5. *baptizare*, ad filios nempe Deo gignendos: item et cetera Sacramenta administrare, exceptis Confirmatione et Ordine. Quatuor tamen posteriora hodie ut legitime ac solemniter fiant, assignatio personarum, vel superioris consensus requiritur.

**289.** Q. 4. *Quid est Episcopatus?*

R. Episcopatus, quia una cum Presbyteratu sub uno Sacerdotii nomine continetur, *est Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas specialis confirmandi, ordinandi, de fide*

[1] Sess. XIV, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 749.

[2] *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. X.

[3] Ab aliquibus controvertitur, an pro forma sufficiat oratio *Oremus, fratres carissimi*, quæ usurpatur in ipsa manuum impositione, vel necessaria sit etiam alia immediate sequens *Exaudi nos*, etc. Sunt qui affirmant, quia magis explicite in hac secunda declaratur Ordinis potestas; at alii negant, quia satis res significatur etiam in prima illa oratione, et ea tantum est, quæ habet adjunctam manuum impositionem; etiam presbyterii. Hæc tamen manuum presbyterii impositio non est essentialis, tum quia presbyteri non censentur ministri Ordinis, tum quia nulla ipsi verba proferunt, nullamque orationem pronuntiant. In signum igitur cooptationis et societatis ad simile ministerium illius qui ordinatur ab episcopo, presbyteri manum imponunt, cui ceremoniæ correspondet apud græcos salutatio. *Tournely*.

[1] Hebr. VIII.

*judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.* Hinc patet duplicem in Episcopis esse potestatem : *Ordinis*, qua baptizatos confirmare possunt et ministros sacros ordinare; *Jurisdictionis*, qua sibi concreditam Ecclesiam gubernare valeant : utraque autem est a jure divino juxta illud : *Attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [1]. — Provisus a S. Sede non vocatur *episcopus*, sed simpliciter *electus in Episcopum* usquedum consecretur ; ante consecrationem autem provisus de episcopatu tenetur juramentum præstare de obedientia erga S. Pontificem ex Constit. Sixti V *Romanus Pontifex*.

De fide est Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt[2], esse Presbyteris superiores[3]; Ecclesia enim Arium id sæculo IV negantem hæreticum habuit, et illius errorem Epiphanius appellat *supra hominum captum furiosum et immanem* [4]. Et Ignatius martyr Apostolorum discipulus, qui anno circiter 107 occubuit in suis epistolis præstantiam episcoporum in divina ordinatione sacerdotii ita prædicat, ut defensoribus presbyterianismi necesse fuerit epistolis illis fidem negare contra communem eruditorum, etiam protestantium sententiam [1]. Et id merito contra omnes novatores Tridentinum definivit[2]; hoc enim præter Waldenses et Wicleffitas negant presbyteriani de Calviniano grege.

[1] Act. xx. Ex quo patet Episcopalem auctoritatem sistere in potestate vera atque ordinaria pascendi et regendi populum sibi commissum.

[2] Tridentinum, sess. xxiii, c. iv. Attamen *dogma catholicum est* (ait Pius VI penes Bouix, *De Episcopo*, p. I) *apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis præesse Christus jussit; et subesse plenitudini potestatis R. Pontificis* (*quæ veluti ordinaria in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est*) *omnes Episcopos, qui extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur.* — *V.* Bolgeni, *L'Episcopato*, p. II. — Suarez, Zacharia, etc. — Et Ferraris, *Biblioth.*, etc., v[is] *Apostolus, Episcopus, Episcopatus.*

[3] Quod si prima ætate Episcopi et Presbyteri nomen nonnunquam et primi et secundi ordinis Sacerdotibus commune fuit, ut notat D. Chrysostomus (*Homelia* I *in Epistola ad Philipp.*); non tamen communis fuit gradus in se spectatus, ut omnia perantiqua monumenta testantur. Vid. S. Clemens, *Epist. I ad Corinth.*, c. viii; S. Ignatius, *Epist. ad Magnesianos*, c. vi; Clemens Alexandrinus, *Hom.* vi; Cyprianus, *Epist.* xxvi, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, c. dcclv. — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, etc., l. I, c. i : de plenitudine Sacerdotii in Episcopatu, etc.

[4] Hær. lxxv.



S. Thomas vult Episcopatum esse tantum Presbyteratus extensionem, ita ut huic tantum superaddatur quædam nova destinatio ad certa particularia officia, quibus Presbyteri nullo modo idonei sunt. Verum sententia communior, imo *nunc temporis communis et omnino tenenda*, uti ait cl. P. Perrone, docet ipsum esse Ordinem a Presbyteratu distinctum ; cum in eo distinctus character tradatur seu specialis potestas ; et distincta habeatur tum materia, tum forma[3].

Dubitari nequit, quin manuum impositio, quæ fit a consecrante Episcopo, cum dicit : *Accipe Spiritum sanctum*, et quæ dein ab ipso continuatur post brevem orationem, necessariam materiam constituat ; verbaque tunc ab eo prolata, necessariam formam. Patet tum ipso exemplo Apostolorum[4], tum ex omnium Ecclesiarum antiquissima praxi. — At concursus, manuum impositio et verba duorum assistentium Episcoporum pertinere non videntur ad essentiam ; unus enim Episcopus plenam habet Ordinis potestatem : sicque pluries sancta Sedes dispensavit, ut unus tantum adhiberetur ; et in Pontificali unus dicitur consecrator, alii solum assistentes. — Pariter impositio libri Evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi, non est essentialis ; cum nulla ei forma respondeat. Item neque quæ fit unctio capitis et manuum ; cum nunquam apud Græcos extiterit. Neque traditio baculi, annuli et libri Evangelii ; cum hæc tantum

[1] In suis *Epist.*; et loco cit.

[2] Sess. xxiii, can. vii. — An vero Episcopi *jure divino* sint Presbyteris superiores, Concilium non dixit ; cum tamen argumenta quibus Episcoporum præstantia super Presbyteros adstruitur, camdem e jure divino descendere probent, iccirco id si non de fide, certum tamen habemus. Etenim Scriptura nobis perhibet Christum apostolos in supremo gradu constituisse supra 72 discipulos. Communis autem Patrum sententia est, apostolos episcoporum, discipulos presbyterorum figuram gessisse.

[3] Plura apud Martinet, *Instit. Theol.*, t. IV, l. V, a. 2. — Et Bouix, tract. *De Episcopo*, pars I.

[4] Act. xiii ; et I ad Tim. iv.

effectum Ordinationis significent, et jam dicatur ordinatus Episcopatus in Pontificali romano [1].

**290.** *Quænam sunt* (inquires) *officia Episcopis propria?* Duplex in Episcopo potestas: *Ordinis* quæ est indelebilis, et ideo semper retinetur; *jurisdictionis* quæ spectat nempe ad externam subditorum politiam, et est subordinata Pontifici.

Officia primæ potestatis sunt administratio Ordinis et Confirmationis; item consecratio altarium, et ecclesiarum, olei infirmorum, catechumenorum et chrismatis; calicum et patenarum benedictio, sacrorumque vestium; Abbatum, Abbatissarum, Regum et Reginarum; Sanctimonialium velationes, et benedictio major, seu solemnis. — Officia alterius potestatis sunt : 1. *docere res fidei;* ad illud siquidem spectat de jure prædicatio, adeo ut nemo in Diœcesi sine ejus licentia id valeat : hinc, v. g., licet laico possit competere electio concionatoris quadragesimalis, is tamen ab episcopo est omnino probandus; 2. *jubere* seu leges ferre ad rectum *Diœcesis* suæ regimen; 3. *judicare* causas tum ecclesiasticas tum mixti fori, tum miserabilium, quorum est pater, juxta tamen pragmaticas sanctiones; 4. *corrigere et punire* pœnis ecclesiasticis, ac multis; 5. *administrare,* quod positum est in collatione, suppressione, erectione, divisione beneficiorum; in demandando ecclesiastica officia ecclesiasticis; in bonorum ecclesiæ tuitione, curatione, acceptatione juxta canones; in orando, sacrificando, sacramenta ministrando [2], etc.

**291.** *An* (quæres) *liceat Episcopatum appetere?* — R. Apostolus habet : *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* [3] : ubi animadvertere est, Apostolum non jam docere bonum esse hoc desiderium; sed opus quod desideratur, bonum esse in se. Et Angelicus in hæc verba ita scribit [4] : *Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente.* Id ipsum docet Benedictus XIV Bulla *Inclytum* (*C*).

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, l. XIII, c. XIII. — Devoti, *Instit. can.* — Ferraris, v° *Baculus.*

[2] Quæ omnia ut rite compleat Episcopus, pluribus studere debet; ideo vide quæ diximus, t. I, *De obligationibus Episcoporum*, tract. III. diss. I, cap. II. — Ferraris, v° *Episcopus*, ubi plura.

[3] I Tim. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 804.

[4] 2, 2, q. 185, a. 1.



## CAPUT SECUNDUM

### DE MINISTRORUM ECCLESIÆ INSTITUTIONE ET ORDINATIONIS MINISTRO

**292.** Q. 1. *Quid statuendum de ministrorum Ecclesiæ institutione* [1] ?

R. Ministrorum Ecclesiæ institutio seu creatio tria maxime continet : nempe *electionem*, et est designatio certæ personæ ad munus Ecclesiasticum ; *ordinationem*, et est sacra cæremonia, qua certo ritu electus consecratur ; *missionem* seu *vocationem*, et est ille actus, qui jurisdictionem tribuit, ac reipsa pastorem facit. Porro Wiclephitæ et Hussitæ, cum soli pii ac prædestinati esse possint juxta ipsos veri pastores, ideo docent solius Dei esse illos eligere, cum prædestinatos et pios ipse solus sciat. Lutherani vero et Calvinistæ ceterique novatores de necessitate electionem et vocationem ministrorum ad universam Ecclesiam, id est ad populum et clerum spectare volunt ; imo et ipsam Ordinationem, quatenus pastores nomine totius cleri et populi super novis pastoribus manus imponunt. Verum nos cum Catholicis dicimus :

1. Etiam impii et non prædestinati possunt esse veri Ecclesiæ ministri : patet exemplo ipsius Christi qui Judam elegit, quem constat non fuisse prædestinatum ; idque passim tradunt Patres, ut Origenes [2], Chrysostomus [3], Augustinus [4], Bernardus [5], etc. Et Wiclephus et Huss contrarium docentes in Concilio generali Constantiensi damnati fuerunt.

2. Vocatio seu missio ministrorum ad populum non pertinet ; non enim ecclesiastica jurisdictio est in ipso fidelium cœtu. Neque sane omnibus fidelibus dixit Christus : *Pasce oves meas ; ego mitto vos ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; hoc facite in meam commemorationem*, etc. ; sed hæc dicta sunt Apostolis tantum (ac primo S. Pontifici) et

[1] Huc respicit Breve Pii IX, 9 maii 1853. — V. *Civiltà Cattolica*, vol. II, ser. II : Lo scisma Goano.

[2] Hom. IV in l. Judic. — [3] Hom. ult. in Epist. ad Hebr.

[4] L. II, c. IV, *Contra Parm.* — [5] L. LXVI, *In Cantica.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illorum successoribus. Idque firmatur ex apostolica consuetudine ; nam Apostoli et Episcopi, non vero populus, constituebant per civitates Presbyteros [1] : *Reliqui te Cretæ,* ait Apostolus Paulus ad Titum, *ut constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi* [2]. At si populus non potest pastores mittere, tanto minus eos consecrare.

3. Jus eligendi pastores non convenit populo jure divino. Constat ex Scripturis; Apostolus ait de hac dignitate : *Nec quisnam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [3]; atqui Aaron a solo Moyse fuit electus in pontificem, sine ullo consensu vel consilio multitudinis. Et Christus ait Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ;* at si Apostoli eadem potestate et ratione, qua Christus, missi sunt, sine ullo suffragio multitudinis possunt deputare pastores : Christus namque sine ullo vel consilio vel suffragio multitudinis Apostolos primum duodecim, ac dein septuaginta duos discipulos elegit [4]. Et revera quod ita egerint Apostoli vel ex eo constat, quod Episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes et infideles : quod etiam factum legimus post ætatem Apostolorum, ut pluribus exemplis probat Bellarminus. Idque firmatur ex Conciliis : sic Laodicenum I can. 13 habet : *Non esse permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi*. Et Nicænum II, can. 3 dicit : *Omnem electionem, quæ fit a Magistratibus Episcopi vel Presbyteri vel Diaconi, irritam manere.*

Unde si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia vel concessione Pontificum et Episcoporum, qui tamen semper sibi retinuerunt perversæ electionis rescindendæ auctoritatem. Qua in re en initium, progressum et finem : primo, Apostolicis temporibus, insciente populo, pastores eligebantur. Dein cœpit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita et moribus eligendi : *Præsunt,* ait Tertullianus, *probati quinque seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti* [5]. Postea paulatim cœpti sunt ii ordinari, quos populus postulasset : unde suis temporibus S. Leo populis tribuebat vota, id est desideria et testimonia ; Clericis autem electionem [6]. Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii

[1] Act. xiv. — [2] Ad tit. i. — [3] Hebr. v. — [4] Joann. xx.
[5] Apol., c. xxxix. — [6] Ep. lxxxvii.



sibi populus usurparet ; sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, et apparuit ejus rei confusio et indignitas, sublata est populo electio et postulatio, solumque ei relictum est testimonium vitæ et morum. Absit ergo ut ideo Pontifices aliquid de jure alieno usurpaverint, ut jactant homines in Sedem apostolicam male animati ; sed potius repetiere jus suum, quod Ecclesiæ sollicitudo et ratio temporum repetere cogebat [1] (*D*).

**293**. Q. 2. *Quisnam est Minister Ordinationis ?*

R. Qui valide ordinat vel *ordinarius* dicitur Minister, vel *extraordinarius*, prout vel ex vi officii sui, vel ex commissione ordinat. Qui vero ordinat etiam licite, dicitur Minister *legitimus*, et est qui ordinariam vel delegatam habet in ordinandum auctoritatem [2]. Hoc posito :

Dicimus 1 : De fide est, solum Episcopum esse *ordinarium Ordinis Ministrum ;* nam soli Episcopo sacra Scriptura ac constans traditio hanc auctoritatem attribuunt : 1. Scriptura ; quinam primos septem Diaconos, jubente Spiritu sancto, a multitudine fidelium segregatos consecrarunt ? Apostoli [3]. Quinam per singulas Ecclesias, prima illa nascentis Catholicismi ætate Presbyteros constituisse leguntur ? Paulus et Barnabas [4]. Quis per manuum impositionem Timotheum ordinavit ? Apostolus Paulus [5] ; 2. constans traditio : in omnibus enim tam Latinorum quam Græcorum Ritualibus Ordinationis ministerium solis semper adscribitur Episcopis, ut videre est penes eruditos. Hinc celebre illud D. Hieronymi [6] : *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat ?* Hinc in Concilio Nicæno nullæ declaratæ sunt ordinationes Colluthi simplicis sacerdotis, qui Episcopos et Sacerdotes ordinare ausus est. Hinc merito Tridentinum ait [7] : *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores ; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis*

[1] *V.* Devoti, *Instit. can.*, l. I. Sed maxime Bellarminus, *De Clericis*, l. I, c. ii. — Thomasinus, *Vet. et novæ Eccl. discipl.*, p. II, l. II. — Scheffmacher, *Lettre à un gentilhomme protestant.*
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 761 et seqq.
[3] Act. vi. — [4] Act. xiv. — [5] II Timoth. i.
[6] Ep. ad Evagrium. — [7] Sess. xxiii, can. vii.

*consensu aut vocatione, irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit.*

Attamen si Episcopus sit electus, confirmatus, sed nondum consecratus, tunc possessione adepta, potest licite concedere licentiam subditis, ut ab alio Episcopo ordinentur; cum id sit de potestate jurisdictionis. Non potest tamen ipse per se valide ordinare, uti recte docent cum D. Thoma; quia ordinare est de sola Ordinis potestate.

Dicimus 2: Etsi omnes Catholici consentiant solum Episcopum esse ordinarium ministrum Ordinationis; non eadem tamen est doctrinæ consensio, ubi quæritur de *ministro extraordinario.* Aliqui contendunt non tantum Ordines minores, sed etiam Diaconatum et Presbyteratum a simplici Sacerdote conferri posse ex romani Pontificis delegatione. Hac in re dicimus: — 1. Pontificem præbere posse simplici Sacerdoti facultatem conferendi Tonsuram et Ordines minores; cum isti in sententia probabiliori sint tantum ecclesiasticæ institutionis, vel certo nullam conferant directam circa Christi Corpus potestatem; — 2. non posse id agere relate ad Presbyteratum; cum sit ministerium excellentissimum, quod a solo Principe Ecclesiæ supremam facultatem habente, ut est Episcopus, potest proficisci: ita communiter et recte; neque sane ullo historiæ exemplo contrarium probari potest[1]; — 3. totam controversiam reduci ad Diaconatum et Subdiaconatum. Affirmant aliqui de utroque ex Indulto concesso ab Innocentio VIII an. 1489 Abbatibus cisterciensibus. Alii negant absolute cum D. Thoma contendentes laudatum Indul-

[1] Contrarii in errorem inducti sunt ex eo quod, antiquitus de consensu Episcopi poterant Chorepiscopi sacerdotes ordinare, Chorepiscopos autem tenent non fuisse, nisi simplices Presbyteros. Sed hoc falsum est; constat enim, ut Bellarminus et ceteri probant, Chorepiscopos sæpe veros fuisse Episcopos, sed suffraganeos, qui ab Episcopo civitatis dependebant. — Nec obstat, quod Apostolus (I ad Tim. IV) dicat Timotheum ordinatum *per impositionem manus presbyterii;* hoc enim nomine Paulus voluit indicare etiam Episcopos, non simplices tantummodo presbyteros, ut patet ex Epist. II, c. I, ad eumdem Timotheum, ubi de hac ipsa Ordinatione ait: *Per impositionem manuum mearum.*



tum dubium esse. Alii denique probabiliter distinguunt Diaconatum inter et Subdiaconatum: negant quoad primum; quia ejus ministerium est immediate ad Corpus Christi tangendum, illud fidelibus distribuendo: affirmant vero quoad secundum; ideo quia non habet relationem tam immediatam ad Christum[1].

Dicimus 3: *Minister legitimus* sacræ Ordinationis appellatur qui non solum valide, sed etiam licite Ordines confert[2]. Qua in re certum est Ordinationes factas a quovis Episcopo consecrato, licet sit hæreticus, degradatus, simoniacus, censuratus et irregularis, validas esse; nam Sacramenti valor a probitate ministri non pendet: et hoc firmat praxis Ecclesiæ, quæ semper uti validas recepit hæreticorum et schismaticorum Ordinationes, et ab istis ordinatos ad fidem redeuntes reordinari nunquam jussit: sic a Nicæno I novatiani et ariani, ab Ephesino messaliani, a Constantinopolitano II monothelitæ cum propriis Ordinibus recepti fuerunt[3]. — Ut tamen Ordinationes sint etiam licitæ (quod communiter dicunt intelligi etiam de prima Tonsura) necesse est, ut a proprio Episcopo suscipiantur, vel ab alio de illius licentia: *Si secus fiat,* ait Tridentinum[4], *ordinans a collatione Ordinum per annum; et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

**294.** Q. 3. *Quisnam est proprius Episcopus, quoad Ordines nempe legitime seu licite etiam suscipiendos?*

R. Ille est, cujus jurisdictioni quisque subjicitur: idque ex

[1] *V.* Billuart.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 756-768 et seqq.

[3] Hoc tamen ita accipiendum est, si omnia substantialia serventur. Ex qua parte dicimus, Ordinationes anglicanas nullas esse; tum quia legitime dubitatur de validitate Ordinationis Parker et Barlowe primorum Episcoporum; tum maxime quia forma Pontificalis romani auctoritate *Regis et Parlamenti* essentialiter fuit immutata. — *V.* Tournely, *De Ordine.* — Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc., vol. III, lez. XI. — Margotti, *Roma e Londra*, c. IX.

[4] Sess. XXIII, c. VIII, de R. — Hic autem notamus: Ordinum omnibus et ubique conferendorum potestate gaudet R. Pontifex ob summam suam in totam Ecclesiam jurisdictionem. In quo illud cum Benedicto XIV, Const. *In postremo* advertimus: qui ab ipso R. Pontifice minorem Ordinem susceperit, eum majorem licite suscipere non posse ab alio, nisi ab eodem Pontifice venia facta.

quadruplici capite contingere potest, nempe ratione vel *originis* vel *domicilii*, vel *Beneficii ecclesiastici*, vel *familiaritatis* seu *famulatus*. Hac de re Innocentius Papa XII anno 1694 Bullam edidit valde celebrem, quæ incipit *Speculatores*, quamque refert Croix[1].

1. Ex Bulla Innocentiana, ut quis licite ordinetur *ratione originis*, requiritur, ut naturaliter ortus sit in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, v. g., occasione mercaturæ, legationis, officii, itineris, vel alterius temporalis moræ: quo in casu non fortuita nativitas, sed erit attendenda vera et naturalis patris origo; id est locus, in quo pater domicilium habet; in quo quidem jure censetur natus[2]. Quid vero si filius sit illegitimus vel expositus vel infidelis baptizatus? Si 1, attenditur origo matris; si 2, locus in quo fuit expositus; si 3, locus in quo Baptisma recepit. Ita Paulus III Constitutione *Cupientes*.

2. Ut quis licite ordinetur *ratione domicilii*, requiritur vel decennalis habitatio, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, et successiva permanentia per aliquod tempus: quod alii volunt esse triennium; alii vero id relinquunt arbitrio Ordinarii illius loci, in quem translata est major bonorum pars. Et in utroque casu id specialius requiritur, ut ordinandus jurejurando affirmet, se vere habere animum perpetuo ibidem manendi: ita Bulla Innocentiana. — Qui vero relicto domicilio proprio, contrahit domicilium in loco originis, ordinandus erit ab Episcopo loci originarii, cum testimonialibus tamen Episcopi prioris domicilii. Quod si habeat domicilia diversa, poterit ab utriuslibet Episcopo ordinari; quia utrique Episcopo subditus est ratione domicilii, modo in iis æqualiter, licet non mathematice, habitet. Ita S. Concilii Congregatio.

3. Ut quis licite ordinetur ratione Beneficii, requiritur:

[1] Ejus porro tenori hic maxime inhæremus. — Item præstat videre Thomasinum, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars II, l. I. — *V.* Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v[is] Ordo, Ordinare, art. 3.

[2] S. C. C., 15 febr. 1704. — *V.* Ferraris, v° Cives. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 770.



1. ut Beneficium ecclesiasticum sit, et pacifice ab eo possideatur, quodcumque illud sit, sive simplex sive duplex, sive jurispatronatus sive liberæ collationis. Satis autem esse dicunt coadjutoriam cum futura successione, modo coadjutor ex ea jus habeat percipiendi præbendam congruam: item satis esse perpetuam commendam, quæ scilicet plenam det beneficii ecclesiastici administrationem. Non sufficeret tamen titulus Missarum, nec pensio licet perpetua et ecclesiastica, nec capellania laicalis; quia non sunt vera ecclesiastica beneficia; 2. ut non fuerit obtentum in fraudem Episcopi originis vel domicilii. Et quamvis valde sit probabile, quod Episcopus ideo alicui possit Beneficium conferre, ut ordinet quia utitur jure suo; alii tamen id non admittunt, aiunt enim in hoc fraudem includi; 3. ut detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam vitæ sustentationem. Dicitur *per se*, ut indicetur, non posse suppleri per adjectionem patrimonii. Taxa autem sustentationis erit quæ viget in loco Beneficii, si illud sit residentiale; secus quæ viget in loco domicilii[1]; 4. ut ante Ordinum susceptionem exhibeantur ordinanti litteræ testimoniales Episcopi tam originis, quam domicilii super Ordinandi natalibus, ætate, moribus et vita. Et cum tali ordinando, ut verius dicunt, Episcopus Beneficii potest dispensare super interstitiis; nam cum iste ordinandus jam sit subditus Episcopi Beneficii quoad Ordines, fit etiam talis quoad cetera omnia ad Ordines ipsos pertinentia. — Si autem plura quis habeat Beneficia in Diœcesibus diversis, iste potest ordinari a quolibet illorum Episcoporum, modo adsint conditiones jam supra numeratæ. Ita communiter; tunc enim verificatur illa clausula, scilicet *ratione Beneficii*.

4. Ut quis licite ordinetur *ratione famulatus*, requiritur: 1. ut per integrum moraliter triennium Episcopus eum in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, quamvis triennium fuerit inceptum ante ejus promotionem ad Episcopatum; 2. ut ei Episcopus Beneficium

[1] An autem a tali taxa sint detrahenda Missarum onera, id *relinquitur arbitrio et conscientiæ Ordinarii*, ut refert definitum Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. IX; et *Notificatione* XVI. — *V.* infra ubi de *Titulo*; et Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 774.

ad sustentationem sufficiens, quacumque fraude cessante, saltem intra terminum unius mensis a die factæ Ordinationis, reipsa conferat. Quanquam ex S. C. Congregatione potest eum ordinare etiam ad titulum patrimonii vel pensionis, si suæ Ecclesiæ utilitas vel necessitas id expostulet; 3. ut litteræ testimoniales natalis, ætatis, etc., exhibeantur proprii Prælati originis et domicilii. — Ceterum licitum est ordinando unum Ordinem recipere ab Episcopo originis, alium ab Episcopo domicilii vel Beneficii, modo non fiat in fraudem. Ita Tridentinum [1], Innocentius XII [2], et S. Concilii Congregatio [3].

Nomine autem *familiarium* Episcopi intelliguntur qui Episcopo famulantur et vivunt ejusdem expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modo degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope. Secus si distent per decem leucas, ut docent aliqui, vel per duas *dietas* juxta alios, id est iter duorum dierum. Imo nomine *familiarium* volunt etiam ipsos famulos famulorum intellegi, modo absit fraus : nempe modo Episcopus non permittat familiares suos habere multos alios sub se, ut possit eos ordinare, et modo omnes expensis propriis ipsemet alat; tunc Episcopi famuli reputantur.

**295**. Q. 4. *An quis possit licite ordinari ab Episcopo alieno tantum sub spe, quod Episcopus proprius ratam habebit Ordinationem?*

R. Affirmant nonnulli, si inter Episcopum ordinantem et proprium magna amicitia intercedat. Sed verius negatur; nam Tridentinum ad tollendos errores et dissidia aperte exigit licentiam expressam Ordinarii proprii [4]. — Item est probabilius, non posse Episcopum dispensare ab irregularitate vel alio canonico impedimento alienum subditum, qui

[1] Sess. xxiii, c. vi. — [2] Bulla citata, § 6.

*An* (quæres) *Episcopi titulares, qui non habent nec populum nec Clerum, possint licite ordinare familiares suos?* R. negative : Quod si fecerint, ipsi *ab exercitio Pontificalium per annum; taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum* (*donec suo Prælato visum fuerit*), *ipso jure sint suspensi*. Tridentinum (sess. xiv, c. ii). — *V.* Ferraris, v° Familiaris.

Ceterum Episcopus proprius bene poterit ratam habere talem Ordinationem sine recursu ad Pontificem; cum possit ipse per se ordinatum liberare a suspensione Ordinis suscepti, ut docet Tridentinum, sess. xiv, c. iii.



ipsi dimissus fuit, ut eum ordinet; tum quia privilegia non extenduntur extra casum expressum; tum quia in disparatis non fit illatio, quando facultas data non est necessario cum alio connexa. Aliter esset, si quis fuerit dimissus ad Subdiaconatum, et Minores nondum susceperit, item neque Confirmationem : tunc et Confirmatio et Minores conferri poterunt; quia in majori necessario includitur minus, quando agitur de re in eodem genere [1].

---

## CAPUT TERTIUM

### DE ORDINATIONIS SUBJECTO

**296**. Q. 1. *Quid requiritur ad validam Ordinationem in subjecto?*

R. Tria requiruntur : Baptismus, sexus masculinus et intentio.

1. *Baptismus :* nulla enim Sacramenta possunt valide suscipi sine Baptismo, qui est janua omnium Sacramentorum.

2. *Sexus masculinus : mulieres in Ecclesiis taceant,* ait Apostolus [2]. Jam vero si mulieribus ne loqui quidem in Ecclesia permissum est, quanto minus licebit valide Ordines suscipere ! Constat etiam ex consensu universalis Ecclesiæ, quæ jampridem damnavit Montanistas et alios hæreticos, qui fœminas ad SS. Ordines promovebant. Unde Epiphanius [3] : *Apud veræ Religionis cultores nulla unquam mulier Sacerdotio functa est.* Constat etiam et habetur definitum in jure [4]. Sane *per Sacramentum Ordinis significatur et confertur aliqua eminentia gradus, quæ non habet locum in muliere,* ut ait Angelicus [5]; cum mulier sit in statu dependentiæ (*E*).

3. *Intentio*, si de adultis sit sermo; neque gratia tribuenda est non petenti, si eam petere potest : hinc Innocentius III, *qui penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit*

[1] Quoad regularium Ordinationes, *V.* t. I : *De statu religioso.*
[2] I Cor. ii. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 781.
[3] Hæresi xciv. — [4] I C. *Nova de pœn. et rem.* — [5] Suppl. q. 39, a. 1.

*sacramenti*[1]. Nota illud *penitus contradicit*, qui enim conditionali coactione ordinati sunt, valide fuerunt ordinati; nam coacta voluntas, voluntas est, etsi non ita expedita. Et en quo sensu olim nonnulli fuerunt ad Ordines violenter compulsi : *Multi* (ait Augustinus) *ut episcopatum suscipiant, tenentur, inviti perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni*[2].

Diximus *si de adultis sit sermo;* nam quamvis nonnulli contendant infantes invalide ordinari : contrarium tamen alii verius et communiter affirmant cum D. Thoma, qui docet *valide suscipi etiam ante usum rationis* omnia Sacramenta, quæ non requirunt actum suscipientis, sed solummodo in eis datur aliqua potestas spiritualis, ut sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo[3].

**297**. Q. 2. *Quid requiritur ad licitam Ordinationem in subjecto?*

R. Varia requiruntur ad Ordinem non solum valide, sed etiam licite suscipiendum. Alia intimius animam ordinandi afficiunt, *ut divina vocatio, intentio recta, probitas vitæ* et *animus clericandi*. Alia exterius in ipso requiruntur, ut *Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, ætas, scientia, titulus, Exercitia spiritualia, Ordinatio per gradus, et immunitas a censura et irregularitate.* Alia potius ipsius Ordinationis modum spectant, ut *interstitia, tempus, locus, Communio*, ac tandem *legitimus Episcopus*[4].

[1] C. *Majores* it. quærit. — [2] Epist. ccxv. Rel. c. *Displicet*.

[3] Putat tamen Angelicus non posse pueros ante rationis usum valide suscipere Episcopatum (*Quod*., l. XXXIX, art. 2); quia per Ordinem hunc contrahitur quoddam matrimonium spirituale cum Ecclesia, ad quod requiritur consensus contrahentium. Verum neque quoad Episcopatum alii id admittunt; nam cura pastoralis subsequitur characterem, qui jam independenter a consensu imprimitur; cum character non actum, sed potestatem ad actum solummodo tribuat.

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 783.—Tannoja, *Vita di S. Alfonso*, ecc. Torino, Marietti, 1857, l. III, c. xxviii : Scienza e bontà ricercata da Alfonso ne' giovani Ordinandi, e sua condotta co' novelli Sacerdoti. — Benedictus XIV, *Notificationibus* ii, xxiii, xxvi, xlii, lvi et lxxii, ubi plurima eruditissime more suo. Quoad requisita, *V.* Synodus Novariensis, pag. 143, 346 et seqq. — Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus*, ubi res amplissime discutitur. — Ferraris, v[is] *Ordo, Ordinare*, a. 2.



N. 1. —*Divina vocatio, intentio recta, probitas, animus clericandi.*

**298**. Q. 1. *Quid de divina vocatione ad Ordines?*

R. Divina vocatio ad Ordines definitur : *Actus providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos præ aliis eligit ad ministerium ecclesiasticum; eosque congruis dotibus præparat ad ejusdem ministerii officia digne et laudabiliter obeunda.* Vocationis necessitatem gravem sic docet Apostolus[1] : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Docet Christus, cum ita Apostolos alloquitur[2]: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* : imo et ipse Christus *non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu*[3]. Docet et Ordinis sublimitas, et muneris sanctitas, et oneris gravitas. Hinc Doctorum sensus est, non vocatum esse veluti membrum e suo loco dimotum, quod aliquomodo adhuc servire potest; sed imperfecte nimis, ac nonnisi cum deformitate : qui proinde magno damnationis periculo se exponit[4] (*F*).

**299**. Q. 2. *An requiratur recta intentio seu finis in Ordinis susceptione?*

R. Si nulla actio bona esse potest, quæ non fiat bono fine, id fortius dicendum, ubi agitur de re tam gravi, qualis est Sacerdotalis status electio. Porro hic finis principalis et immediatus paucis ab Apostolo describitur[5] : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Mortaliter ergo peccat qui principaliter sacræ militiæ petit adscribi ob fines humanos, quasi sine curis victurus, cum ad curas pervenerit[6].

**300**. Q. 3. *An ad Ordines requiratur probitas vitæ.*

R. Probitas vitæ non solum requiritur in actuali Ordinis sacri susceptione, cum sit Sacramentum vivorum; sed in omnibus etiam minoribus Ordinibus, et multo ante, nam status clericalis status perfectionis est, non pœnitentiæ. Unde aiebat D. Bernardus : *Nos in monasteriis omnes recipimus spe meliorandi; in Clero autem viros probatos diligi oportet, non probandos.* Et D. Thomas : *Non solum requiritur*,

[1] Hebr. v. — [2] Joann. xv.

[3] Hebr. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 802.

[4] *V.* Habert et Concina, tract. *De ordine.* — Dubois, *Le Guide du Séminariste.* — Croix, *La buona elezione.* — Rosignoli, *La saggia elezione.*— Riccardi, *Doveri degli ecclesiastici.*— Savoy, *Introduction au Sacerdoce.* —*Specchio del Clero*, ecc.

[5] Hebr. v. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, append. III, nn. 45 et seqq.

[6] *V.* Clary, *Lo spirito ed i principali doveri del Sacerdote*, omel. ii et iii.

*quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati esse in ordinando, sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram Ordinis vel officii, diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio*[1]. Sed quomodo dignosci poterit, utrum ordinandi tali sint probitate præditi? Olim Archidiaconi partes et munus erat eorum doctrinam et indolem explorare: etiam hodie petitur ab Archidiacono, dum sacra Ordinatio peragitur, utrum ordinandos satis idoneos arbitretur: quod ipsi affirmant. Sed hæc fiunt, ut ritus antiquitatis servetur; etenim neminem latet ordinandorum ingenia, atque mores ab Archidiacono nullo pacto cognosci.

Quare Tridentinum, servato veteri ritu, novam disciplinam invexit, jussitque: *Ut ad minores Ordines promovendi, bonum a parocho et a magistro scholæ in qua educantur testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri cui magis expedire videbitur, committat*, ut publice in Ecclesia ordinandorum nomina ac desideria proponantur, ut de iis populus fidem faciat[2] (quæ proclamatio cum sit a Concilio generali præscripta, ab Episcopo nequit dispensari). Ac tandem feria quarta ante ipsam ordinationem vel quando episcopo videbitur, ordinandos ad civitatem evocet; atque per prudentes viros peritos divinæ legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos diligenter investiget et examinet ordinandorum *genus*, si legitime nati; *personam*, si liberi sint neque irregulares, neque malo fine ducti; *ætatem*, si canonica sit, quod quidem legitimis attestationibus comprobatur; *institutionem*, si nempe habeant ut honeste vivant; *mores*, si tanto ministerio respondeant; *doctrinam*, si talis ut sufficiat ad Ordinem, cui sunt promovendi; et tandem *fidem*, si in ea bene fundati, ita ut alios edocere valeant[3].

[1] Suppl. q. 36, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 801. — Savoy, *Devoirs des Ecclésiastiques*. — Dubois, *Le saint Prêtre*, etc. It. dicta vol. 1, *De Oblig. Cler.*

[2] Hoc Synodus Novariensis præcipit etiam cum agitur de habitu, et prima tonsura suscipienda. Quæ proclamatio etiam in festis suppressis fieri potest; cum hæc suppressio nihil immutaverit quoad ecclesiasticas functiones peragendas in Ecclesia. Quæ publicatio passim hodie fit in loco domicilii ordinandorum. Jure autem fieri deberet in loco nativitatis ordinandorum et eo in loco ubi parentes saltem ab anno domicilium habent. Et si clericus sedem mutaverit, fieri adhuc debet ubi plurimos annos commoratus fuerit juxta Constit. Innocentii XII *Speculatores*.

[3] Clarius hac in re triplex examen seu scrutinium distingui potest: *Scrutinium præliminare*, quod fit mense ante Ordinationem ad dignoscenda nomina ordinandorum et indaganda eorum moralitatem; *scrutinium verum*,



**301**. Q. 4. *An ad Ordines suscipiendos requiratur animus clericandi?*

R. Cum status clericalis stabilis sit, ex se habet, ut qui eum suscipit, teneat permanenter; atque ideo, ut habeat animum clericandi. Hinc Tridentinum loquendo de Tonsura (quod dicendum est a fortiori de Ordinibus) requirit expresse hunc animum[1].

Sed hic quæstio est, *utrum peccet graviter suscipiens Ordinem cum voluntate implendi quidem onera ei adnexa, sed non ascendendi ad superiorem?* R. Affirmandum, si iste habeat Beneficium Ordinem sacrum requirens, ut Beneficium curatum; quia committeret gravem inordinationem, non curando se habilem reddere ad munus suum. Si aliud Beneficium habeat, recte ait Layman, eum graviter non peccare: imo probabiliter per se ne venialiter quidem; nam Concilium non requirit, nisi intentionem præstandi Deo fidelem cultum. Adde quemlibet Ordinem ex se ideo conferri, ut ordinatus Deo inserviat, proprium nempe munus exercendo[2].

N. 2. — *Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, ætas, scientia, Titulus, Exercitia spiritualia, Ordinatio per gradum, immunitas a censura et irregularitate.*

**302**. Q. 1. *An ad suscipiendos Ordines requiratur Confirmatio?*

R. Affirmative: *Prima Tonsura*, ait Tridentinum, *non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*[3]. Communissime

quod fit paulo ante, in quo repelluntur indigni, ac digni admittuntur; tandem *scrutinium formæ*, quod fit in Ordinationis initio, ut vestigium habeatur antiquæ disciplinæ (Tridentinum, sess. XXIII, cap. V et VII, *de Ref.*). — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXII. — Abelly, *Episcopalis sollicitudinis enchiridion*. — Nardi, *Elementi di diritto publico ecclesiastico*, § 367. — Pichler, *Jus canonicum*. — Reiffenstuel, etc.

[1] Sess. XXIII, c. IV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 785. Qui initiatus in Minoribus uxorem ducit non peccat graviter; imo neque venialiter per se loquendo, si habeat causam, v. g., ad sedandas inimicitias aut tentationes carnis, vel subveniendum feminæ pauperi. Attamen qui certus est de sua vocatione ad statum ecclesiasticum videat, ne se committat in malo statu, ab illo recedens.

[2] Qui tamen tonsuram susciperet animo effugiendi forum laicale, et postea redeundi ad sæculum, probabilius non excusaretur a mortali; quia sic agere fraudem appellat Tridentinum. Revera iste graviter defraudaret Ecclesiam, abutendo nempe suis ministeriis ad fines temporales. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 113; l. VI, 784.

[3] Sess. XXIII, c. IV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 183. Refert tamen



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen docent contra Nicolium Renzi, et alios paucos, id obligare tantum sub levi; cum materia levis sit et Concilium simpliciter imperet aliud non addendo; saltem ita a consuetudine interpretatur præceptum. Quod quidem ex Suarez, Coninchio, Navarro et Victoria valet de omnibus Ordinibus exemplo Apostolorum, qui nonnisi in Pentecoste fuerunt confirmati. At nullus hodie ad Ordines admittitur ante Confirmationem.

**303.** Q. 2. *An ad Ordines sit necessarium Ordinis suscepti exercitium?*

R. Cum consecratio ad aliquam actionem detur propter actionem ipsam; ideo congruum est, ut susceptus jam Ordo exerceatur antequam suscipiatur novus. Id Tridentinum præscribit, et quidem ut in propria Ecclesia Ordo exerceatur[1]. Attamen nisi strictum præceptum detur ab Episcopo, non erit lethalis culpa omissio hujusmodi exercitii, ut docent Salmanticenses; cum sequentia verba Concilii potius habeantur uti consultiva, quam uti præceptiva: *In unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant.* Imo nullum peccatum, si agatur de Ordinibus minoribus, quorum exercitium absolevit.

**304.** Q. 3. *Quænam ætas ad Ordines requiritur*[2]?

R. Pro prima Tonsura requiritur saltem septennium ex Benedicto XIV, Bulla *Inter sollicitas.* — (Ubi tamen viget § 15 Instructionis Benedictinæ requiruntur 13 anni completi, nisi agatur de arctatis.) Pro Minoribus nulla est præscripta ætas; usus tamen est, prout ait idem Pontifex, ut iis conferantur ab anno 7 ad 14. Pro Subdiaconatu statuitur annus 22. Pro Diaconatu 23. Pro Sacerdotio 25 ex Tridentino[3]. Pro Episcopatu requiritur annus 30 completus : si Galliam excipias, pro qua indultum est, ut sufficiat annus 27.

Annus inceptus, si Episcopatum excipias, habetur pro completo ex S. C. C. Est autem annus computandus non a Baptismate, sed a nati-

Fagnanus, et Giraldi S. C. Congr. 27 sept. 1621 declarasse quod qui suscepit tonsuram vel ordines non confirmatus, uti male promotus non potest ascendere ad alios ordines, nec recipere beneficia sine Pontificis dispensatione; habetur enim uti irregularis.

[1] Sess. XXIII, c. XI et XIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 801. — Ferraris, v° *Ordo*, n. 4.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 799; et *Opera dogmatica*, sess. XXIII, n. 57, ubi ait : « Anciennement, on exigeait pour les prêtres l'âge de 30 ans; pour les diacres, celui de 25; pour les évêques, celui de 50, selon les *Constitutions apostoliques*, l. II, c. I, bien que pour les évêques l'âge fût réduit à 30 ans. » *V.* Thomasinus, *Vetus et nova Eccl.*, etc., l. II, c. LXVII.

[3] Sess. XXIII, c. XII. Et c. *Cum in cunctis* VII, de elect. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 799.



vitate ex eadem Congregatione[1]. Dispensare super ætate reservatur S. Pontifici, qui nonnisi pro Sacerdotio id indulgere solet, juxta semper accedente causa quæ judicio Episcopi relinquitur definienda.

Si Episcopus ante legitimam ætatem sine dispensatione ordinaret, esset a collatione Ordinum suspendendus[2]; imo si ageretur de prima tonsura, esset ipso jure per annum ab illius collatione suspensus[3]. Quod vero pertinet ad ordinatum, scienter sic Ordines recipiens, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem Papæ reservatam; vel Episcopo si sit occulta ex Tridentini concessione. Et si ea durante, in suscepto Ordine ministrare præsumpserit, incurrit etiam irregularitatem[4]. Non item vero, si ad alium Ordinem ascenderit, ut ex S. C. C. tradit Benedictus XIV[5].

**305.** Q. 4. *Quænam scientia ad Ordines requiritur*[6]?

R. Tridentinum pro initiandis ad Tonsuram requirit, ut *edocti fuerint rudimenta fidei, et sciant legere et scribere.* Pro initiandis ad Minores, *ut linguam latinam intelligant.* Pro Subdiaconis et Diaconis requirit, *ut sint litteris, et in iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi.* Pro Sacerdotibus, *ut ipsi ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur*[7]. Ubi verba *ad administranda Sacramenta* non tantum indicant ea sciri debere, quæ ad Sacrificium et Eucharistiæ administrationem, Baptismum et Extremam Unctionem pertinent, quorum sunt ministri; sed ea etiam quæ ad Pœnitentiam spectant. Debent enim presbyterandi scire universaliora principia moralia; quibus solvere valeant dubia occurrentia in necessitatis casu: ac specialiter scire quando, quomodo, et qua ratione possint absolvi moribundi : secus non videntur posse a gravi culpa excusari. Et hæc est doctrina Angelici[8], S. Caroli[9], ac Benedicti XIV[10]. Ceterum tria hic observanda sunt.

[1] Neque verius potest excludi dies, qui superest in anno bissextili; nam anni computandi sunt juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ recte statuit de quatuor annis addi unum diem propter horas, quæ in quolibet anno supersunt. Probabilius autem est, non posse quempiam ordinari mane illius diei, in cujus vespera complet ætatem requisitam; nam mane non potest dici revera ætatem illam attigisse : sic, v. g., pro Subdiaconatu ætas debet esse annus 22 inceptus, unde qui annum 21 non vere complevit, minime potest dici annum 22 attigisse. — *V.* Ferraris, v^is *Annus, Ætas.*

[2] Ex c. XIII, *De temp. ord.* — [3] Ex c. *Finali* eod. tit. in 6.

[4] Extrav. *Cum ex Sacrorum*, etc. — [5] *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. III.

[6] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 792; et maxime *Homo Apost.*, tract. VII, n. 52. — [7] Sess. XXIII, c. IV, XI, XIII et XIV.

[8] In 4, d. 24, q. 1, a. 3. — [9] Conc. Med. V.

[10] *Notificationibus* XXXII et XLII.

1. Licet Episcopus possit ordinare qui doctrinam a Tridentino requisitam habent; non ideo tamen prohibetur, ut majorem a suis subditis exigat. Quod quidem laudabiliter passim fit ab Episcopis, maxime hisce nostris temporibus; Concilium enim sua lege voluit tantummodo modum imponere, ne illitterati promoveantur.

2. Recte advertunt, rigorosius esse examinandos Subdiaconos; nam Clerici semel constituti in Ordine subdiaconali, cum ecclesiastico ministerio perpetuo detineantur, una vel altera vice opus erit, ut ad altiora ascendere permittantur; vel si non permittantur, homines erunt, ut ita dicam, nec laici nec clerici, extra locum, in difficili positi, atque in desperationem quasi conjecti.

3. Commune est ex Angelico pro Regularibus minorem scientiam requiri; quia illi de se ordinantur tantum ad chori et altaris servitium. Aliter tamen esset, si Regulares ad omnia sacerdotalia officia deputentur, ut hodie passim fit[1].

Tandem pro Episcopo requiritur ex Tridentino[2], quod *scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere : ideoque antea in universitate studiorum magister sive doctor, aut licentiatus in S. Theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur*. Episcopi autem nominati Italiæ et Insularum adjacentium debent examen subire coram Romano Pontifice; ceteri coram Nuntio Apostolico[3].

**306.** Q. 5. *Quid de Titulo ad Ordines?*

R. Titulus ad Ordines definitur : *Jus percipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam, pro honesta Clerici sustentatione.* A pluribus œcumenicis jampridem Conciliis, novissime a Tridentino titulus est inductus : tum ne clerici defectu sustentationis mendicare cogantur vel quid sordidum exercere; tum ut liberius spiritualibus vacent, quin temporalium sollicitudine distrahantur[4]. Ubi viget § 14 Instructionis Benedictinæ in Regno Pedemontano, ad Tonsuram requiritur titulus : aliis locis necessarius est pro solis Ordinibus sacris.

Quæ lex adeo firma est, ut Clericus scienter ordinatus sine titulo incurrat suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, et quidem ipso facto

[1] Supp. q. 36, a. 2. — [2] Sess. xxii, c. ii.
[3] *V.* Fagnanus, c. *Nisi cum prid.*, n. 63, *De renunt.*
[4] Sess. xxi, c. ii. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 813. Regulares ordinantur *titulo paupertatis*, quam solemniter profitentur; et vi professionis hujusmodi sustentari debent statim ac professi sunt ex bonis communibus Ordinis ex Const. Pii V, *Romanus.*



ex Benedictina Constitutione : quod valet ex S. C. C. etsi titulus adsit, sed fictus; quia titulus *fictus* et *nullus* sunt verba synonima. Ad Episcopum autem sic ordinantem quod attinet, si sit in culpa, mortaliter peccat : et ex eadem Constitutione est per annum a collatione Ordinum ac usu Pontificalium suspendendus. Imo sic ordinatum Clericum, si indigeat, tenetur Episcopus alere de propriis, donec titulum ei obtinuerit[1]. Si vero Episcopus rem examinatoribus remiserit qui mala fide titulum probaverint, ipsi pro rata graviter tenentur ad ordinati ipsius sustentationem[2].

Insuper notandum, quod si titulus quo quis suscepit unum Ordinem, pereat etiam casu, is non potest ad superiorem Ordinem ascendere sine novo titulo. At si casu perierit titulus, sed non amplius ad alium Ordinem sit ascensurus ordinatus, qui aliunde certo ac firmiter habeat unde honeste vivere possit, non esset cur inquietari deberet.

*Quotuplex* (inquires) *Titulus ad Ordines?* Titulus ad Ordines quadruplex distingui potest, nempe *Beneficii ecclesiastici*, *Capellaniæ laicalis*, *Pensionis ecclesiasticæ* et *Patrimonii*.

1. Ut Beneficium serviat pro titulo hæc jure requiruntur : 1. ut Beneficium sit verum ac proprie dictum; alioquin ecclesiasticum non esset, prout requirit Tridentinum; 2. ut canonice et pacifice possideatur : secus actu non inserviret ad sustentationem; 3. ut sit perpetuum, uti status clericalis perpetuus est; 4. ut ejus reditus annuus sit ad taxam Synodalem, ita ut sufficiat ad honestam vitæ sustentationem. Pro Novariensi Diœcesi taxa est summa libellarum 240 monetæ novæ pedemontanæ, omnibus detractis sumptibus atque oneribus pecuniæ tam ab ipsa Beneficii fundatione quam a civili potestate impositis; imo centum et viginti libellæ liberæ omnino esse debent etiam ab omni Missarum onere (*pag.* 145).

2. Ut Capellania laicalis (etsi mercenaria) de sui natura ad titulum sufficiat, et induat quasi naturam Beneficii, necesse est, ut a patrono expresse et legali forma in Curia episcopali recognita detur in titulum, cum obligatione illam non repetendi, donec Clericus alium titulum procuraverit et consecutus sit.

3. Idem de pensione ecclesiastica currit, quod de capellania laicali dictum est : nempe ubi rite et debitis formis fulciatur in Curia cognitis, æquiparatur Beneficio. Quod autem de pensione ecclesiastica idem currit de legatis piis. — Si vero Beneficium, pensio ecclesiastica, vel legatum pium non sufficiat, fieri potest supplementum, ut pertingat ad taxam 120 libellarum absque ullo onere.

[1] C. *Cum secundum de præb.*
[2] Glossa in c. *Cum secundum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4. Quoad patrimonium, ex Tridentino ii solum hoc titulo ordinari possunt, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum*. Patrimonium autem debet esse : 1. perpetuum ex dictis ; 2. fundatum in reditu certo, fixo ac libero [1], et hypotheca munitum (si fundetur ex toto vel ex parte in aliqua domo, debet esse fructifera, id est talis ut ratione locorum possit locari, et insuper ab incendio assecurata) ; 3. in Curia episcopali approbatum, atque ad taxam Synodalem conflatum : pro Diœcesi Novariensi debet esse annuarum libellarum 240 monetæ novæ pedemontanæ, oneribus cujusque generis detractis etiam missarum (*pag*. 146). Idem dicendum de pensione laicali.

Pensio laicalis sicut et ipsum patrimonium potest etiam constitui sub clausula *donec Clericus consequatur alia bona ;* sed prior titulus non extinguitur, donec novus in illius locum ab Episcopo subrogetur.

**307**. Patrimonium ecclesiasticum potest etiam constitui in censu redimibili, modo Episcopus provideat casu redemptionis, ut pecunia in alio reditu certo impendatur [2]. Item potest constitui tam in Montibus [3], quam in syngraphis nominativis debiti publici, si tamen hypothecæ supponantur ; nam ex jure canonico sicuti census et loca Montium, ita et syngraphæ istæ veniunt nomine immobilium [4].

Observandum ex Codice civili Pedemontano : 1. non competere Clerico jus, ut sibi a patre vel matre patrimonium constituatur [5] ; 2. non licere patri aut matri omnia sua bona filio donare, si usumfructum sibi non reservent [6] ; itemque eis non licere uni filio bona in tanta quantitate donare, ut aliis liberis legitima portio non supersit ; idque neque consentientibus ipsis liberis, cum nemo valeat renuntiare hæreditati hominis adhuc viventis [7] (*G*).

**308**. Q. 6. *An Ordinibus sint spiritualia Exercitia præmittenda?*

R. Innocentius XI per S. Congregationem Episcoporum et Regularium 9 octobris 1862 mandavit Episcopis Italiæ insularumque adjacentium, ut singuli majores Ordines suscepturi per decem continuos dies

[1] Hinc si quis alicui conficeret patrimonium publico instrumento ad taxam definitam, sed sub fide non percipiendi reditus nisi in necessitate, patrimonium ecclesiasticum non conficeret ; nam hoc modo non haberetur reditus certus, de præsenti, liber ac perpetuus. — *V*. Ferraris, v[is] *Patrimonium, Ordo*, etc.

[2] Benedictus XIV, *Notificatione* XVI. — [3] S. C. C. 29 junii 1704.

[4] Clement. *Exivi*, § Cumque ann. redit.

[5] Art. 117. — C. G. 204. — C. S. 194.

[6] Art. 1139. — C. A. civ., § 994.

[7] Art. 1153 et 1009. — C. A. 951. — C. G. 920 et 1090. — C. S. 833.— C. P. 1023. — C. M. 1131.



spiritualibus Exercitiis vacent : hoc confirmavit Clemens XI anno 1710 1 febr. ; quæ porro lex cum sit papalis ab Episcopo dispensari nequit. Insuper Pontifex indulgentiam plenariam concedit omnibus Ecclesiasticis, qui id egerint in aliqua pia domo, diu noctuque ibidem morando per decem continuos dies, et sacramentis refecti. — Synodus autem Novariensis merito hortatur, ut qui in Minoribus sunt ordinandi, id etiam agant saltem per triduum. Exercitia enim maxime conferunt ad obtinendum a Deo *spiritum rectum*, qui dirigat intentionem ; *sanctum*, qui mundet affectum ; *principalem*, qui firmet operationem [1].

Huc referri potest etiam jejunium ab ipsa Apostolica traditione manans, quod generalibus Ordinationibus præmittitur ; hoc enim ad gratiam efflagitandam mirifice inservit [2].

**309**. Q. 7. *An Ordinatio fieri debeat per gradum?*

R. Ordinatio per gradum in eo consistit, ut quis legitimam Ordinum seriem in illorum susceptione servet : *Qui mala fide* per saltum ordinatur, graviter peccat, ac suspensionem incurrit ab exercitio illius Ordinis, quousque dispenset Episcopus [3]. Diximus *qui mala fide ;* dolo enim carens non peccat ; sed tantum ei prohibetur exercitium Ordinis suscepti, donec suscipiat omissum. Attamen unius Ordinis collatio ante alium est valida ; cum tradantur distinctæ potestates. Excipe in omnium sensu Episcopatum, qui absque sacerdotio esset nullus, vel quia ille nonnisi istius extensio est ; vel melius quia Episcopalis suprema potestas ex divina institutione nonnisi ordinato in Presbyterum conferri potest, ut commune est, atque receptum.

**310**. Q. 8. *An Ordinandus debeat esse immunis ab omni ecclesiastica censura, atque ab irregularitate?*

R. Ordinandus debet esse immunis a censura et irregularitate : nam censura privat bonorum Ecclesiæ participatione : irregularitas inhabilem facit ad Ordinem ; utraque ergo impedit Ordinationem. Hinc ex Pontificali R. Episcopus, antequam ordinare incipiat, sub excommunicatione præcipit, ne alterutro impedimento ligatus accedat ; sicuti nec minime descriptus, aut non approbatus aut extraneus, protestando se nolle tales ordinare. — Si tamen nihilominus accederet, esset valide ordinatus ; quia non est supponendum Episcopum revera voluisse alli-

[1] De Exercitiorum origine et utilitate, *V*. Benedictus XIV, *Notificatione* LI et CIV. Innocentius XI id etiam præscribit monachandis. — *V*. L. Ferraris, *Biblioth. canonica*, etc., v° Exercitia. — *De obligationibus* ubi de Clericorum sanctitate.

[2] *V*. Muratori, *In Anedoct*., l. II, diss. *De jejunio quat. temp*. — Valfridius, *De usu et instit. jej. quat. temporum*.

[3] Cap. un. de Cler. per saltem ord. — *V*. Liguori, *Op. Mor*., l. VI, n. 793.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gare suam intentionem tali protestationi : sed illa verba habentur dicta tantummodo ad terrorem, si tamen aliud certo non constet [1].

N. 3. — *Interstitia, tempus, locus, Communio, Episcopus proprius.*

**311.** Q. 1. *Quid de insterstitiis ?*

R. Insterstitia sunt *ea temporis intervalla, quæ inter unum et alium Ordinem excurrere debent.* Hæc sapienter sunt instituta ; interim enim Clerici se magis probant, et in Ordine suscepto sese exercent[2]. Interstitia diversa sunt pro Ordinum diversitate : ac

1. Tridentinum inter ipsos minores Ordines requirit aliquod spatium, *nisi Episcopo aliud expedire magis videatur ;* latitudinem tamen non taxavit. Nihil autem impedit, ut cum Ordine minori una simul tonsura conferatur ; cum hæc non sit Ordo. Apud nos usu receptum est, ut duo minores simul eodem die conferantur ; alicubi vero omnes Minores Ordines uno conferuntur die.

2. Ut a minoribus ascendatur ad Subdiaconatum Tridentinum requirit annum, *nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Sub gravi tamen prohibetur in jure quatuor Minores simul cum Subdiaconatu eodem die dare ac suscipere [3] : et taliter ordinatus fieret irregularis quoad alios Ordines suscipiendos [4].

3. Ut ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum, adhuc unum annum Tridentinum requirit, *nisi aliud Episcopo videatur :* unde hic ad dispensandum quævis rationabilis causa sufficit. — Qui porro non ser-

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Sacrif. Missæ*, l. III, c. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 784.

[2] Tridentinum, sess. XXIII, c. XI, XIII et XIV. Jure antiquo rigorosior erat disciplina quoad interstitia : « Romani Pontifices Siricius, Cœlestinus, ac Leo M. tempus interstitiorum sanxerunt, nempe per duos annos in lectorato atque exorcistatu permanendum, per quinquennium in acolytatu et subdiaconatu, ac per aliud quinquennium in diaconatu. » — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LVIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 795. — Ferraris, *Bibl.*, v° Interstitia.

[3] C. II, *De eo qui furtive.*

[4] Ita ex S. C. C., 21 febr. 1728. — Benedictus XIV, *Notificatione* XVI. — Et Pavone, *Spicilegio canonico*, ecc., § 201 habet : « Al 7 maggio 1707, In *Bovensi* fu decisa la causa d'un chierico, che nello stesso giorno avea riccevuti i due ultimi minori Ordini e il Soddiaconato ; e fu : *Quoad ordinatos dandam esse absolutionem prævia salutari pœnitentia arbitrio episcopi vicinioris ; et quoad Ordinarium ad mentem*. Cioè secondo avrebbe disposto il Prefetto della Congregazione ; e la disposizione fu, che fece scrivere a quel vescovo con un' acre riprensione, e che per quella sola volta gli si perdonava. »



vat interstitia, si eodem die duos Ordines sacros sumit, peccat mortaliter, suspensus est ab ultimo Ordine ac fit irregularis [1]. Si eos tamen sumit diversis diebus, tunc si servat legitima tempora, peccat utique præceptum violando ; sed pœnam arbitrio Episcopi decernendam reliquit Clemens VIII, qui Bullam Sixti V hac in re severiorem temperavit. Si vero tempora non servet, incurrit præter gravem culpam etiam suspensionem ; quam tamen a Sede apostolica ad Episcopi arbitrium revocavit idem Clemens VIII, Constitutione *Romanorum Pontificum.*

4. A Diaconatu ad Sacerdotium Tridentinum requirit saltem anni intervallum, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur.* Quæ vera S. C. C. declaravit intelligenda esse disjunctive [2], adeo ut vel sola utilitas satis sit, Episcopi judicio ; in stylo enim maxime antiqui temporis particulæ *vel, et, ac* adhibebantur tanquam synonymæ, ut videri potest apud Ducange in ejus celebri *Glossario.*

5. Quoad Episcopatum requirit Tridentinum, ut consecrandus Episcopus in sacro Ordine antea saltem sex mensibus sit constitutus [3].

Hic notandum : 1. dispensationem interstitiorum ad Episcopum pertinere etiam quoad Regulares. Non potest tamen Episcopus dispensare subditum alterius sibi dimissum sine habita facultate ; 2. hanc potestatem esse etiam Vicarii generalis, si habeat mandatum generale. Item Capitularis, cum succedat in ordinaria jura Episcopi. Ita S. C. C.

**312.** Q. 2. *Quonam tempore Ordines conferri possunt ?*

R. Tonsura ex Pontificali romano quocumque die, hora et loco potest licite conferri. — Ordines vero minores, si ea sit legitima consuetudo, feria VI aut IV ante generalem Ordinationem omnibus generatim dari possunt : secus sunt conferendi eo die, quo Ordines majores. Diximus *omnibus generatim ;* nam *licitum est Episcopis dominicis, et aliis festis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere*, verba sunt Alexandri III [4] : quæ verba communiter Doctores cum Sylvestro, S. Antonino, Innocentio IV, Tabiena, Henriquez, Turrecremata, Renzi, Granata, Salmanticensibus, Pisano, Bernardo, Gofrido et Raynerio contra Hostiensem Angelum et Hallerium explicant non uti taxativa, sed uti exemplificativa : et ideo aiunt plures, quam duos adhuc promoveri privatim posse. Et probant etiam ex Glossa in citata verba : *Numquid plures ? utique, dummodo non videatur generalis Ordinatio* [5].

[1] Ex c. *Litteras de temp. ord.*

[2] Annus non computatur *mathematice* de die in diem : sed *ecclesiastice* a quatuor temporibus unius anni ad alia quatuor anni sequentis, etsi annus materialiter integer non sit.

[3] Sess. XXII, c. II, de R. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 794.

[4] Cap. *De eo*, de temp. ord.

[5] Festi porro dies intelligentur tantum illi, qui sunt de præcepto, ut de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Majores tandem Ordines conferri possunt tantum in sabbatis quatuor temporum : sabbato ante dominicam Passionis : et sabbato ante dominicam Paschatis [1]. Ad quod pertinet ad electum in Episcopum, dies illius consecrationis ex Pontificali R. *debet esse dominica ; vel natalitium Apostolorum; vel etiam festiva, si summus Pontifex specialiter indulserit.*

Facultas quoad tempus dispensandi solius est Pontificis : qui secus fecerit, si sit ordinans, erit suspendendus a collatione Ordinum [2]; si ordinatus, erit ipso facto suspensus [3]. Mane autem semper Ordines majores sunt conferendi ; imo in Missa : quod præceptum grave est ex Pontificali romano, et praxi [4].

**313.** Q. 3. *Ubinam Ordines conferendi sunt?*

R. Ex Tridentino Ordinationes sacrorum Ordinum publice celebrentur in Cathedrali; vel in digniori Ecclesia Diœcesis, si in ea Episcopus sit [5] : *Scio tamen*, ait S. Alphonsus, *plures Episcopos etiam Ordines sacros solere in privato sacello conferre; forte hodie sic usus habet.* Hac de re censuit S. E. C. si ordinatio sit tantum aliquorum, non generalis, posse ubique eam haberi, etiam in capella privata. Nomine vero *loci* profecto multo magis intelligitur propria Diœcesis; nefas enim est in alieno territorio actum adeo solemnem exercere. Imo ex Tridentino sic ordinans incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium, et ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti [6] : excipiunt tamen Tonsuram, cum hæc sine Pontificalibus conferatur.

**314.** Q. 4. *An ad Ordines requiratur Communionis susceptio* [7] ?

R. Præscribit Pontificale Romanum, ut ordinandi Eucharistiam accipiant. Hæc verius sub mortali præcepta est Presbyteris, ut Sacrificium compleant ; siquidem cum Episcopo concelebrant. At quoad Diaconos

claravit S. C. C. ac Benedictus XIV, *Notificatione* CVI. — Attamen etiam *festa supressa* reputantur de præcepto quoad Ordines, ut referente episcopo Bouvier, Leo XII hac de re consultus viva voce respondit. Et ipsa S. R. Congreg. declaravit 12 nov. 1831, et 16 mart. 1833, *id posse, sed mane tantum.*

[1] Ex c. III, *De temp. ord.* — [2] Cap. II et VIII, *De temp. ord.*

[3] Ex *Extr.* Pii II, *Cum ex Sacrorum*. Et hic notandum est, Regulares ex licentia suorum Prælatorum ordinari posse extra tempora; sed probabilius nonnisi in festis de præcepto. — *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XXII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 797.

[4] Item Ordines minores ex Pontificali congruentius (non tamen sub peccato) conferendi sunt in Missa; cum omnes Ordines ordinentur ad ipsam.

[5] Sess. XXIII, c. VIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 798.

[6] Sess. VI, c. V. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 798.

[7] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 881.



et Subdiaconos censet Croix cum Goba, eam nonnisi sub levi esse præceptam ; cum nihil habeat relationis ad eorum Ordinationem. Imo solum esse de consilio pro ordinandis in minoribus ; et sane Minores Ordines passim dantur etiam extra Missam.

**315.** Q. 5. *An ordinatio sit danda a proprio Episcopo?*

R. Hac de re habet Tridentinum [1] : *Episcopi per semetipsos Ordines conferant; quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam probatos et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant :* ubi nomine *ægritudinis* intelligunt etiam aliam quamcumque justam causam. — Hic notandum : qui ordinat Episcopus eumdem debere etiam celebrare; *secus divideretur mysterium unitatis*, uti aiunt Innocentius III ac Benedictus XIV [2]. Adhuc tamen Ordinatio esset valida, licet unus celebret et alter ordinet, ut declaravit S. C. Concilii; cum Missa non sit de essentia.

Ad pœnas quod attinet, si ab alieno Episcopo sine debita licentia Ordinatio habeatur, vide dicta de legitimo Ministro. Diximus *sine debita licentia ;* quæ porro conceditur *litteris*, uti aiunt, *dimissorialibus* conceditur.

### Corollarium. — *De litteris dimissoriis, et remissoriis.*

**316.** Litteræ, quibus proprium subditum ordinandi delegatur licentia alieno Episcopo, *ea tamen conditione, ut suo Episcopo adhuc remaneat subditus*, dicuntur *dimissoriales* (olim vocabant etiam *reverendas*). Eas Episcopus nondum consecratus, si possessionem adeptus, concedere potest, et licet in aliena existat Diœcesi ; nam talis concessio non est actus jurisdictionis contentiosæ. Durant porro, donec revocentur; cum sit gratia facta. Eæ autem a Vicario generali tribui nequeunt, nisi ipse mandatum habeat speciale, vel Episcopus in remotis versetur [3].

[1] Sess. XXIII, c. III.

[2] *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. XI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 787. — Bouix, *De Episcopo*, p. V.

[3] Ex c. III, *De temp. ord.*, in 6. Monet autem S. Carolus (in Conc. IV) expedire, ut dimissoriæ pro unico suscipiendo Ordine concedantur et ad breve tempus, ne mores ordinandi mutentur. Item notandum ex declaratione S. C. C. in arbitrio esse Episcopi examinare sibi dimissos, etsi jam examinatos : quod tamen sine causa non præstat agere. Si vero Episcopus alienus vocetur ad vices Diœcesani supplendas, non poterit examinare ordinandos; sed tantum abstinere ab Ordinatione, si ei justa causa occurrat.— *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. VIII. — Ferraris, v[is] *Litteræ eccl.; Ordo*, art. 3; *Epistolæ ecclesiast.; Testimoniales.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Diximus *ea tamen conditione*, etc.; si quis enim obtineat, ut alterius Episcopi subditus fiat, litteræ illæ *remissoriales* appellari solent, S. C. Episcoporum 17 dec. 1839 de mandato Gregorii XVI declaravit non posse ab Episcopo extraneum ecclesiasticum vel remitti vel refutari, hac sola et unica ratione, quia extraneus est [1].

**317**. *An* (quæres) *Vicarius capitularis dimissorias concedere possit?*

R. 1: Ex § 15 Instructionis Benedictinæ pro Regno Sabaudiæ Capituli Vicarius non arctatis neque post annum luctus dimissorias concedere potest absque expressa S. C. C. licentia. Laicis vero arctatis ratione Beneficii aut Capellaniæ ecclesiasticæ; vel Clericis, qui alicui Beneficio aut Capellaniæ, quæ actu requirat certum Ordinem, fuerint præsentati, eas poterit concedere, modo id fiat cum voto pleni Capituli, dando solitis modis, et modo non fuerit ab Episcopo antecessore rejectus orator.

R. 2: Ubi nulla est peculiaris Instructio [2], ea in Diœcesi adhuc viget jus commune in Tridentino contentum [3], quod statuitur: *Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam aut litteras dimissorias* (*seu reverendas, ut aliqui vocant*) *tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens* (seu Vicarius) *ecclesiastico subjaceat* (ipso facto) *interdicto: et sic ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali præsertim in criminalibus, gaudeant* (saltem post sententiam declaratoriam); *in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso jure suspensi*. Insuper notandum ex Constitutione *Secretis* Urbani VIII, ordinatos cum falsis dimissoriis incurrere suspensionem reservatam. Quæ tamen omnia probabiliter non intelliguntur de prima Tonsura; cum hæc non sit Ordo. Et ita declaravit S. Concilii Congregatio, teste Croix.

Illi autem dicuntur *arctati* ratione Beneficii recepti, si intra annum eorum Beneficium certum Ordinem requirat, quem non habent. — Ratione vero Beneficii recipiendi, si passive vocentur ex tabulis fundationis ad Beneficium certum Ordinem requirens, quo ipso carent [4].

[1] V. *Analecta juris pontificii*. Romæ, 1861, pag. 1550.

[2] Quod valet etiam de Diœcesi Novariensi, ad quam nondum cit. § 15 est extensus.

[3] Sess. VII, c. X; et sess. XXIII, c. X, de R. — *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 787.

[4] Hic *Beneficii* nomine non intelligitur pensio; sed verum Beneficium ecclesiasticum ex S. C. Concilii. Item ex Benedictina Instructione requiritur, ut reditus annuus ejusdem adæquet saltem medietatem valoris pro titulo requisiti ad taxam Synodalem.



## CAPUT QUARTUM

### DE ORDINUM IMPEDIMENTIS SEU DE IRREGULARITATE

**318**. Q. 1. *Quid est irregularitas?*

R. Impedimenta, quæ homines reddunt inhabiles ad Ordines suscipiendos vel exercendos, *irregularitates* vulgo appellantur; quia sunt quædam quasi *deviationes a regula*, quæ certas ordinandorum qualitates et conditiones requirit. Irregularitas solet definiri: *Impedimentum canonicum, quo quis directe et primario interdicitur a susceptione Ordinum, ac consequenter ab eorum usu.* — Dicitur: 1. *impedimentum canonicum;* quia a canonico jure inductum est, id est a R. Pontificibus; neque enim illud inducere possunt episcopi, uti apud omnes receptum est; irregularitas enim res est de ordine supremo ac publico, cum proxime referatur ad servandam dignitatem totius status clericalis.

Attamen non desunt casus, in quibus etiam jure naturali innitatur: si quis, v. g., careret manibus, impediretur profecto a Missa celebranda jure etiam naturali: quamquam hæc potius *impotentia* dicitur; 2. *quo directe et primario*, etc., ut irregularitas distinguatur ab excommunicatione, quæ privat communione fidelium; ab interdicto, quod privat divinis officiis; a suspensione, quæ nonnisi privat functionibus Ordinis suscepti; per irregularitatem vero prohibetur ipsum ecclesiasticum ministerium. Hinc sententia communior et probabilior irregularitatem non ponit inter censuras; quia potius est impedimentum seu inhabilitas, quam pœna: et si quando feratur etiam per modum pœnæ, non est tamen medicinalis, sed mere punitiva. Quæ inhabilitas respicit licitum, non autem validum; ideo prohibet quidem actum, sed non illum irritat, si contra prohibitionem fiat.

Duplex est irregularitas: alia, quæ provenit *ex delicto;*

alia, quæ provenit *ex defectu* aliquo inculpabili. Utraque vero vel *totalis* est, quæ reddit inhabilem ad omnem Ordinem suscipiendum, atque ad omne Ordinis jam suscepti exercitium, vel *partialis*, quæ aliquo tantum Ordinis ministerio, aut solo ascensu ad Ordines superiores privat : v. g., si Sacerdos esset cæcus, non posset celebrare, sed posset adhuc Confessiones excipere. Vel *ad tempus*, uti esset defectus ætatis : vel *perpetua*, quæ amplius non potest auferri, uti esset amisio oculorum.

**319.** Q. 2. *Quid requiritur, ut irregularitas incurratur* [1]?

R. Ut irregularitas incurratur, requiritur, ut in jure expressa sit [2]. Nomine *juris* venit solummodo jus canonicum et commune quod a solis RR. Pontificibus, vel a generali Concilio constitui potest. Unde in hac materia non valet argumentum neque a simili, neque a majori ad minus; quia licet irregularitas non sit censura, tamen est res odiosa : ideoque nunquam debet extendi ad casus a lege minime declaratos. Quod si dubitetur, an casus expressus dici debeat necne, standum erit communi Doctorum sensui et consuetudini.

*Quid* (dices) *de illo, qui dubitat de irregularitate incursa?* Dubitans de irregularitate generatim loquendo non est habendus uti irregularis, si dubium adhuc, debita adhibita diligentia, perseveret. Quod currit sive dubium sit negativum, sive sit positivum : sive sit juris, nempe utrum adsit lex, quæ talem irregularitatem importet; sive sit facti nempe utrum quis tale commiserit crimen, cui irregularitas adnexa est. Sane odia sunt restringenda : et nemo *in dubio spoliandus est jure suo.*

Diximus *generatim loquendo*, quia excipitur dubium de homicidio (non de mutilatione) : talis enim casus est expresse declaratus in jure, ubi legitur [3] : *Cum sit consultius in hujusmodi dubio* (homicidii) *abstinere quam temere celebrare.* Hoc tamen intellige, si quis certus sit de homicidio secuto, et solum dubitet an actione sua fuerit illius causa. Imo observant

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 344.
[2] C. *Is qui* de sent. exc. in 6.
[3] C. *Petitio tua* XXVI de hom.



id tantum valere pro Clericis; et juxta plures pro solis Sacerdotibus, et solum quoad Missæ celebrationem; quia de hoc tantum loquitur textus.

**320.** Q. 3. *Quinam sunt irregularitatis effectus?*

R. Irregularitatis (licet occultæ) effectus sunt sequentes : 1. *inhabilitas ad suscipiendos Ordines*, etiam primam Tonsuram; nam frustra ad Ordines præparatur, qui ab Ordinibus prohibetur; 2. *inhabilitas ad Ordines susceptos exercendos*, ita ut irregularis illicite absolvat, etiamsi valide. *Illicite*, quia exercet Ordinem a quo prohibitus est; *valide*, quia absolvere est actus jurisdictionis, quam irregularitas per se non prohibet [1]. Item neque prohibet actiones, quas etiam laici exercent, ut canere officia, recipere Sacramenta præter Ordinem, minores Ordines exercere, etc.; 3. *inhabilitas ad recipienda Beneficia;* Beneficium enim datur propter officium : atqui irregularis est inhabilis ad officium; ergo etiam ad Beneficia. Unde communius (quod etiam videtur probabilius) ipso facto provisio nulla esset; cum irrita dicatur a Tridentino [2]. Excipit Suarez cum aliis, si agatur de Beneficio simplici, quod nullum importet Ordinis sacri exercitium, sed tantum recitationem Horarum aut aliquid aliud, quod etiam possunt laici exercere; nam tunc tota ratio cessat irritationis.

**321.** *Quid* (quæres) *sentiendum est de Beneficio ante irregularitatem obtento, si exercitium Ordinis sacri requirat?* R. Si irregularitas provenit ex defectu infirmitatis, non est dubium, quin possit Beneficium retineri, si per alium onera impleantur, nec judex debet tunc irregularem privare, ne afflicto addatur afflictio [3]. Si vero provenit ex delicto (nisi dispensatio obtineatur) debet privari per judicis sententiam.

[1] C. X, § 4, *De renunt.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 342.
[2] Sess. XXII, c. IV, de R. Hinc Clericus qui post irregularitatem præbendam vel canonicatum recipit, privatur ipso jure etiam in conscientia distributionibus et fructibus beneficii, etsi inserviat; aliter tamen, ut commune est cum Concina, si irregularitas sit incursa post collationem. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 130. — Ferraris, v° *Irregularitas*, ubi plura.
[3] C. *Ex parte*, de Cler. ægrot.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Etsi autem non privetur ipso facto[1], tenetur tamen petere dispensationem : quam si ipse non petit, vel non possit obtinere[2], tenetur statim beneficio renuntiare et hoc utique potest (aut saltem resignare in favorem tertii, cum adhuc habeat titulum et jus in beneficium). Ratio horum est, quia ille qui non potest licite Beneficii oneribus satisfacere, neque potest licite illud sibi retinere. — Hanc tamen renuntiationem differre poterit : 1. si laboret magna inopina; 2. si alium jam delegasset pro adimplendis Beneficii oneribus. Sic communiter textus juris interpretantur. Si autem crimen fuerit valde grave, judex poterit privare irregularem etiam pensionibus quas possidet.

### Art. I. — De irregularitate ex delicto[3].

**322**. Q. 1. *Quidnam requiritur ad incurrendam irregularitatem ex delicto?*

R. Ut incurratur irregularitas ex delicto, actus humanus esse debet : 1. *externus;* irregularitas enim est pœna in foro externo. Et si quando dicitur Superior dispensare super irregularitate mentali, ibi *mentalis* nomine intelligitur occulta; non vero interna. In veriori porro sententia nihil refert, si crimen occultum sit, adeo ut a solo delinquente cognoscatur, modo tamen sit externatum; tunc enim Ecclesiæ jurisdictioni satis subjacet; 2. *mortaliter malus;* est enim pœna gravis, cui non congruit culpa levis : hinc si actus potest ob aliquam

[1] Ex c. *Ex litteris* de excess. præl. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 342.

[2] Raro et cum magna difficultate et nonnisi per gravissimas causas concedi solet dispensatio irregularitatis ob homicidium (etiam occultum) si omnino voluntarium ; est ad mentem Tridentini, sess. XV, c. VII, de R. ubi dicitur quod taliter reus *omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat*. S. Pœnitentiaria absolvendo in similibus delictis, addit clausulam, quod intra certum tempus beneficium renunciet ; ac vix, imo ne vix quidem aliter dispensat. Sed pro gratia specialissima adeundus est Pontifex, qui aliquando concedit, ut reus secreto œconomum eligat, qui beneficium administret.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 356. — P.* Pavone, *La luce fra le tenebre*, § 184.



circumstantiam excusari a mortali, excusabitur etiam ab irregularitate; 3. *plene consummatus;* versamur enim in odiosis. Est certum.

**323**. Q. 2. *Undenam oritur irregularitas ex delicto?*

R. Septem sunt capita, ex quibus oritur irregularitas ex delicto :

1. *Mala susceptio Baptismi.* Hinc irregularis ex hoc capite est : 1. qui sciens suscipit Baptismum ab hæretico declarato extra casum necessitatis; ejus enim errori videtur communicare[1]; 2. qui illud differt ad mortis usque periculum; nam infirmæ fidei signum est[2]; 3. qui *publice* aut *solemniter* rebaptizat : item assistens Clericus[3] : item qui scienter rebaptizatur[4]; item ex Benedicto XIV, D. Carolo et aliis qui culpabiliter sub conditione rebaptizat[5].

2. *Violatio censuræ.* Hæc contingit, cum quis censura ligatus exercet *scienter et solemniter Ordinem sacrum*, uti, v. g., si Diaconus cantet Evangelium cum stola et manipulo, vel Canonicus fungens officium hebdomadarii, in choro cantet *Dominus vobiscum*[6]. — Diximus : 1. *scienter*, hæc enim tantum in contemptorem censurarum lata est; 2. *solemniter*, unde si Subdiaconus ministraret sine manipulo, non fieret irregularis; quia non solemniter ageret in proprio officio, cum id etiam ceteris Clericis permittatur. Item dicunt irregularitatem non incurri ob matrimonii assistentiam et concionem[7]; 3. *Ordinem sacrum*, unde non fit irregularis qui exercet Ordinem minorem, ut colligitur ex Bulla *Etsi* Benedicti XIV. Sicut neque qui est minori dumtaxat excommunicatione innodatus[8] : neque qui celebrat in Ecclesia polluta; quia sic non violatur censura, sed tantum directe violatur prohibitio Ec-

[1] *Ventum est*, caus. I, q. 1. — [2] C. *Si quis*, dist. LVII.

[3] C. *Ex litterar.* II, de apost. — [4] C. LXV *Confirmandum*, dist. L.

[5] *De Syn. Diœc.*, l. VII, c. VI. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 122, 356; II. *De Baptismo* supra n. 64. Diximus *publice* aut *solemniter;* docent enim probabilius Layman et Sylvius ex ipso jure promoveri posse qui occulte rebaptizat (C. *Ex Litteris de Apostat.*), modo *non solemniter*, id est non eo modo, quo vi ordinis et juxta disciplinam canonicam nonnisi ab ordinatis licite ritus usurpatur.

[6] Tit. XXVII, l. V *Decretal.* — [7] *V.* Pavone, *Spicilegio*, ecc., n. 518.

[8] C. *Si celebr.*, de Cler. exc. min.

clesiæ. Incurrunt illam Episcopi vel Sacerdotes censurati, si alium cogant ad celebrandum coram se [1].

3. *Exercitium Ordinis sacri non suscepti.* Esset si Clericus serio ac scienter in Ordine sacro non suscepto solemniter ministraret. Diximus *si Clericus :* at Concina affirmat etiam de laico, cum textus generaliter loquatur ; alii tamen communius et probabilius negant, quia cum titulus illius textus tantum Clericum respiciat, verba sequentia juxta illum sunt accipienda [2]. Hinc irregularis est presbyter qui pontificalia exercere solemniter præsumit, sacras nimirum functiones et benedictiones exclusive reservatas Episcopo, v. g., consecrationem Ecclesiæ, calicis, etc., quia licet spectato solum jure divino, hæ benedictiones convenire possint Ordini sacerdotali; exclusive tamen attribuuntur Episcopis canonico jure ut actus proprii Ordinis episcopalis. Diaconus qui solemniter populo benedicit; vel baptismum solemnem etiam casu necessitatis, citra delegationem confert. Subdiaconus qui solemniter defert pyxidem continentem eucharistiam, aut evangelium cantat intra Missarum solemnia, more Diaconorum, etc. Sacerdos autem simplex excipiendo Confessiones non fit irregularis, quia hic revera exercet actum Ordinis quem habet, licet careat jurisdictione ; et ideo gravissime ac sacrilege peccet ac nulliter agat.

4. *Furtiva Ordinis susceptio.* Irregularis ex hoc capite fit : 1. qui recipit Ordinem sine approbatione Episcopi; seu eo inscio, Ordinandis se dolo immiscet ; 2. qui sine Episcopi dispensatione recipit eodem die plures Ordines, quorum unus sit sacer ; 3. qui suscipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, uxore invita. Ita ex variis juris capitibus [3]. Qui vero fraude utuntur ad dissimulandum defectus quos habent, vel etiam qui confictis ex industria litteris dimissorialibus, Episcopum decipiunt, non censentur furtive Ordinati, etsi gravissime peccent.

5. *Enormium criminum commissio.* Quo nomine intelligitur hæresis, et apostasia a fide. Eam irregularitatem incurrunt etiam horum criminum fautores, receptatores, defensores. Item si pater fuit hæreticus, filii usque ad secundam generationem sunt irregulares; et si fuit mater hæretica, tunc ejus filii usque ad primam tantummodo generationem erunt irregulares : sed aliter est, si filii nati sint ante hæresim parentum, vel ipsi parentes abjuraverint errorem. Idem dicunt de apostasia a Religione [1].

[1] C. *Illud.* de Cler. exc. min.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 359.

[3] C. *Veniens*, de eo qui furtive.



6. *Injusta membri mutilatio.* Hinc qui sibi vel alteri membrum per culpam gravem abscinderet, sive physice instrumentum adhibendo, sive moraliter abscissionem jubendo, consulendo, etc., fieret irregularis ex delicto [2]. Nomine autem *membri* communissime et probabilius venit pars, quæ habet officium per se distinctum, ut manus ad agendum, pes ad ambulandum, oculus ad videndum [3].

7. *Homicidium.* Triplici autem modo contingere potest hac in re homicidium : juste, injuste et casualiter. — Pro *homicidio justo* hæc irregularitas non incurritur; cum tunc non habeatur culpa : hinc qui cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidit ad sui defensionem, irregularis non fit [4] : idem dicunt Lessius ac Suarez cum communiori et probabiliori de illo, qui occidit ad defensionem libertatis, pudicitiæ et bonorum ; cum id jure licitum sit. — Pro *homicidio injusto* directe volito vel in se, vel in causa inseparabiliter cum homicidio conjuncta, uti esset in lethali vulneratione, incurritur irregularitas [5] : item eam incurrunt consulentes, mandantes ac

[1] AA. tamen probabilius censent ex hoc capite irregularitatem non incurri, nisi *ex defectu bonæ famæ* (de quo erit in seqq.). Ratio est quia jura, et maxime Bonifacius VIII non loquuntur, nisi de hæreticis publicis. Ita c. *Statutum* II *de hæresi*, in 6.

[2] C. *Significasti* de homic.; et in Clem. *Si furios.* eodem tit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 398.

[3] Hinc non fit irregularis qui amputaret *auriculam*, quia non tollitur omne officium audiendi; *dentes* evelleret, quia non reputantur membra; *ungues, capillos, barbam* abscinderet, quia hæc sunt tantum ornamenta; membrum *debilitaret*, si tamen mortuum non relinquat, quia secus in re censeretur ablatum.

[4] C. *Significasti*, § fin. de homic.

[5] C. *Si quis* I *de hom.*; et Tridentinum, sess. XIV, c. VII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quoquomodo efficaciter cooperantes[1]: item probabilius in rixa occidentes; nam occisio voluntaria est, et ex proposito. — Tandem pro *homicidio casuali* distinguendum est : illud evenit dando operam rei vel licitæ vel illicitæ. Si 1, irregularitas non incurritur, si adhibita sit diligentia sufficiens, quæ nempe a quolibet prudenti adhibetur juxta facti qualitatem[2] : hinc non fit irregularis pater vel magister, qui filium vel discipulum moderate verberant, si postea casu accidat mors. Si 2, neque pariter ea incurritur, nisi sit actio periculosa mortis; nam licet actio peccaminosa sit, mors tamen non esset voluntaria : hinc S. C. Congregatio censuit, non esse irregularem Clericum, si ob ejus adulterium, ab ipso marito fuerit occisa adultera conjux[3].

**324.** Q. 3. *Ad irregularitatem ex delicto quæ scientia requiritur*[4]?

R. Ad hanc irregularitatem incurrendam ex Suarez, Holzman et aliis sufficit cognitio peccati commissi; tum quia lex Ecclesiæ intendit etiam punire transgressionem legis divinæ; tum quia qui vult antecedens, vult etiam consequens : unde qui vult peccatum, vult etiam pœnam peccati, irregularitatem videlicet. Sententia tamen communissima et probabilior cum S. Antonino, Navarro, Cajetano, Sanchez, Salmanticensibus, etc., docet ad incurrendam irregularitatem ex delicto semper requiri scientiam prohibitionis ecclesiasticæ; habet enim hæc irregularitas rationem ecclesiasticæ pœnæ, quæ ideo præsupponit culpam coram Ecclesia et contra Ecclesiæ præceptum commissam; porro talis culpa sine scientia prohibitionis Ecclesiæ dari nequit.

At an requiratur scientia non tantum prohibitionis eccle-

[1] C. *Si quis viduam*, dist. L. — Aliter esset de eo, qui ratum tantum haberet secutum homicidium; quia non potest amplius verificari realis influxus. Qui autem ex justitia tenetur impedire homicidium, nec impedit, communius dicunt illum irregularem fieri; est enim illius causa moralis; at alii non minus probabiliter negant; quia non vere directe influit.

[2] C. ult., *De homicidio*. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 393.

[3] *Quid si actio sit periculosa mortis?* Si raro mors eveniat, adhuc probabilius docet Layman non incurri irregularitatem, debita diligentia adhibita; nam tunc mortis periculum nonnisi remotum est.

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 350, 351.



siasticæ, sed etiam specialis pœnæ ab Ecclesia impositæ, nempe irregularitatis : sunt qui negant valde probabiliter cum Laymano, eo quod irregularitas non sit proprie pœna medicinalis ad cavendum in futurum; sed quædam inhabilitas, seu pœna mere punitiva : ideoque sufficit, ut imponatur a lege actioni alicui, et reus scienter illam actionem (quem scit esse ab Ecclesia prohibitam) ponat. Alii e contrario cum Sylvio satis etiam probabiliter, ut videtur, affirmant etiam scientiam irregularitatis requiri, dicentes, quod irregularitas ex delicto est pœna gravis et inusitata, ac proinde non præsumitur Ecclesia tanto rigore velle punire ignorantem.

Quidquid sit, saltem quoad homicidium voluntarium sententia valde probabilis et tenenda est, quod incurratur irregularitas etiam ab eo, qui ejusdem scientiam non habet, sive ignoret pœnam impositam, sive ignoret Ecclesiæ prohibitionem. Illa enim non tantum respicit delictum, quantum decentiam quamdam, quæ postulat, ut non admittatur ad sacrificandum Dei Agnum mitissimum minister tam sævus et crudelis.

### Scholium. — *De depositione et degradatione*[1].

**325.** Q. *Quid est depositio et degradatio?*

R. Depositio nihil aliud est, quam *dejectio de gradu, officio* et *Beneficio*. Convenit cum suspensione, a qua præter verborum formulas non differt nisi in hoc, quod hæc pronuntiatur ad tempus; illa vero absolute et in perpetuum. Duplex est depositio : una *simplex* atque *verbalis*, quæ fit nudis verbis sive oretenus, sive etiam scripto editis, et significatur *depositionis* nomine; altera realis, seu *actualis* et *solemnis*, quæ dicitur *degradatio*. Differunt quammaxime; nam depositio importat privationem partialem vel totalem exercitii, seu usu Ordinis officii aut Beneficii; degradatio autem præter privationem totalem eorum omnium, ejicit etiam Clericum e foro ecclesiastico, et illum tradit ipsi Curiæ sæculari puniendum.

Generalis regula est, quod ille solus potest deponere et degradare, qui jurisdictionem habet in foro externo. Non omnes tamen qui hac pollent jurisdictione, valent indiscriminatim hanc pœnam irrogare :

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 524. — Devoti, *Instit. canon.*

sic certum est ex Tridentino Episcopum non posse deponi et multo minus degradari, nisi auctoritate Pontificis[1]. Clericos autem deponit eorum Episcopus, quando causæ in jure definitæ et valde graves occurrunt. Si depositionem secutura sit degradatio, Episcopus ad eam procedit cum solo suo Capitulo, quando agitur de Clericis in prima Tonsura et in Minoribus. Quando vero agitur de depositione et degradatione Subdiaconi vel Diaconi requiritur in rei examine et definitione numerus trium Episcoporum præter proprium : et sex, quando agitur de Presbytero degradando.

Non est deveniendum ad pœnam tam atrocem, nisi ex gravissima causa. Regula generalis est, ut talis causa ponatur in iis criminibus, contra quæ accusatio publica instituitur. Singulares vero causæ ex jure canonico et variis Pontificum Constitutionibus sunt inter ceteras : 1. si Clericus contra proprium Episcopum insidias paraverit ; 2. si uxores vel concubinas habuerit, vel diuturnam delinquendi consuetudinem, et licet pluries monitus non resipuerit, v. g., ebrietatibus serviendo, tabernas scandalose frequentando ; 3. si fiat apostata, hæreticus, homicida, falsus testis in judicio criminali ac publico, raptor puellarum vel raptoribus consentiens, grassator publicus, perduellis, etc. (*H*).

### Art. II. — De irregularitate ex defectu.

Species hujus irregularitatis sunt : 1. ex defectu animæ ; 2. corporis ; 3. natalium ; 4. ætatis ; 5. Sacramenti ; 6. bonæ famæ ; 7. libertatis ; 8. tandem lenitatis[2].

**326**. Q. 1. *Quinam sunt irregulares ex defectu animæ?*

Ex defectu animæ irregulares sunt :

1. *Amentes :* talis animæ defectus vel oritur in homine post Ordinationem, vel ante. Si post, cessante defectu per diuturnum tempus, Ordinarii judicio poterit Ordinem susceptum iterum exercere. Si ante, videndum est, an defectus pendeat a causa permanente et habituali, v. g., ab organorum læsione : et tunc non poterit amplius promoveri ad Ordines ; an vero a causa transitoria et accidentali, v. g., a febri vel vulnere ; et tunc promoveri utique poterit[3].

[1] Sess. XXIV, c. V, de R. — *V.* Ferraris, v[is] *Causa, Degradatio.*
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 397 et seqq. — *De ætatis defectu, V.* supra, c. III.
[3] C. *Maritum*, d. XXXIII.— *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 398.



2. *Epileptici :* docent aliqui epilepticum ordinari posse in pubertate, si morbo illo ante pubertatem fuerit infectus, et postea convaluerit ; nam Hippocrates tradit epilepsiam sæpe in pubertate perfecte tolli. Sed si morbus supervenerit in pubertate, præsertim post vigesimumquintum annum, tenendum valetudinis fiduciam in fumum abire. Si vero agatur de jam ordinato, tunc si per anni spatium sit liber ab epilepsia, poterit judicio Episcopi ad Ordinis suscepti exercitium reverti. Imo docent communiter : ubi talis mali aggressio raro contingat, v. g., semel in mense, posse epilepticum celebrare, modo : 1. privatim ; 2. habeat sibi assistentem alium Sacerdotem jejunum ; 3. non consuescat in terram subito cadere, in clamores magnos erumpere et spumas emovere. Idem est de energumenis et lunaticis[1].

3. *Illitterati*, qui nempe sufficienti carent doctrina pro Ordinibus. Et probabilius docent esse natura irregulares qui sunt adeo rudes, ut nesciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium[2].

4. *Neophyti*, qui nempe in adulta ætate recens baptizati sunt[3] ; ut non fiant magistri qui vix didicerunt esse discipuli.

**327**. Q. 2. *Quinam sunt irregulares ex defectu corporis?*

R. Irregularitas ex defectu corporis oritur ex duplici capite : 1. nempe si quis sit ineptus ad Ordinis exercitium ; 2. si defectus corporis sit talis, ut præsentibus afferat notabilem indecentiam, aut quamdam horroris speciem. Ita communiter cum Angelico[4].

*Ex primo capite* erunt irregulares : — 1. *cæci* ; possunt tamen dispensari a Pontifice ad celebrandum, si jam sint Sa-

[1] C. *Communiter*, dist. XXXIII. — Sed isti non repelluntur a Beneficii fructibus percipiendis, si per alios officia adimpleant (Ex c. ult. *De Cler. ægr.*, in 6).
[2] C. I, d. XXXVI ; et III, d. XXXVIII. — Ab hac irregularitate nec ipse Pontifex dispensare potest ; quia est de jure divino et naturali, ut nemo admittatur ad aliquod munus, nisi valeat illud convenienter exercere.
[3] C. I, d. XLVIII. Poterit tamen Episcopus eos ordinare, si sufficienti tempore lapso, eos idoneos existimet, et adsit utilitas ex S. C. C. Imo Toletus censet post decem annos illam irregularitatem cessare. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 402. — Ferraris, *Bibl.*, v° Neophyti.
[4] Suppl. q. 39, a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 403.

cerdotio insigniti, et constet eos in celebratione tutos nec errare. Qui caret oculo sinistro, communissime habetur irregularis; cum canonem legere absque deformitate nequeat: excipiunt, nisi oculus dexter esset aptus ad canonem legendum sine magna difficultate. Non est vero irregularis qui oblique tantum intueatur; vel visu sit debilis, sed uti valeat perspicillis [1]. Item neque est irregularis cui erutus fuit oculus, si deformitas reparetur per oculum vitreum [2]; — 2. *surdi*, si nihil penitus audiant: si tamen surditas superveniat Sacerdoti, ei non interdicitur Missæ celebratio: cum facilius tolerentur defectus in jam promoto [3]; — 3. *muti*, qui nempe nullatenus loqui possunt, vel nonnisi cum magna difficultate: *balbutientes* vero, aut carentes dentibus sunt irregulares, si risum vel contemptum populo afferant; — 4. *claudi*, si nequeant absque baculo sustentari [4]: qui vero baculo non indigent, aut habent tantum crura distorta, non sunt irregulares, nisi adsit in iis magna deformitas, quæ tegi non possit. Uti, v. g., si haberent pedem ligneum vel aridum; tunc enim fierent irregulares ob magnam, quam præ se ferrent coram populo indecentiam; — 5. *carentes manu*, vel *digitis omnibus;* vel *pollice* [5]: idem dicunt de eo, qui caret indice vel pollicis parte, non autem solis unguibus [6]: idem si illi digiti sint adeo debiles, ut non possint Hostiam elevare vel frangere; idem est de eo, qui caret tribus posterioribus digitis. Aiunt tamen jam ordinatum, si amittit indicem, posse digitos posteriores adhibere, dispensatione obtenta; — 6. *omnes qui habitualiter tali morbo laborant*, ut nequeant celebrare sine periculo proximo deficiendi, vel notabiliter errandi.

[1] Cap. ult., d. LV. Una ex causis, cur tot ecclesiastici myopismo laborant, ex celebri oculario medico, ideo est, quia hodie collaria tenent nimis inhærescentia ac constricta collo, ubi venula est quæ cum oculis nimiam affinitatem habet, quæ quidem jugiter pressa illorum aciem retundit. Sunt qui ut hoc malum vitent, in aliud incidunt, collaria clericalia prorsus abjicere volentes : quod nefas dicimus. Collaria nostra religiose retineamus ubique; at non ita (dicam) strangulata... forsan etiam ad vanitatem!

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 410. — Ferraris, v° *Oculus.*

[3] Cap. LXXVII, *Apostolorum.* — [4] Cap. LVII, *De cons.*, d. I.

[5] Cap. ult., *De corp. vit.* — [6] Cap. *Thomas* eod. tit.



Talis erit qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi Sanguinem. Ita etiam qui talem ac tantam partitur tussim, ut sit periculum in suscipienda Communione. Ita etiam abstemius, qui ita abhorret a vino, ut si sumat, incurrat periculum emovendi.

*Ex secundo autem capite* erunt irregulares : 1. *Carentes aliquo corporis membro*, si carentia vel indecentiam vel horrorem fidelium oculis exhibeat; uti esset, v. g., carentia nasi, aut auricularum, nisi tegantur capillis; 2. *leprosi*, aut qui habent faciem morbo valde ac deformiter maculatam (non autem si pustulatam, vulgo *variolée*) : quia tamen isti in jure celebrare prohibentur *pro scandalo et abominatione populi* [1]: ideo remoto scandalo, privatim celebrare poterunt, si jam sint ordinati; 3. *monstruosi:* tales communiter habentur enormiter vel deformiter gibbosi; pigmæi et gigantes, quorum illi risum, hi terrorem quemdam movent; Æthiopes, qui in Europa nostra quemdam horrorem excitarent, si apud nos habitualiter ministerium exercerent; hermaphroditæ [2], licet virilis sexus prævaleat; eunuchus, qui nempe culpabiliter vel per se, vel per alios sibi amputaverit virile vel testiculos, licet zelo castitatis id fecerit [3], etc.

Circa corporis defectus notandum est : 1. in dubio, an defectus inducat irregularitatem, Episcopus potest pronuntiare [4]. Imo usus obtinuit, prout testatur Pyrrus Corradus, ut etiam dispenset, si vitium videatur leve; 2. si Clericus non sit in culpa, ubi defectus superveniat Ordini suscepto, non impeditur ab Ordinis ipsius actibus, quos tamen potest sine indecentia præstare; 3. defectus si superveniat ante Ordinis susceptionem, absolute inducit irregularitatem non solum ad Ordinem illum, cujus impedit exercitium; sed etiam ad om-

[1] Cap. *Tua nos* de Cler. ægr.

[2] *Hermaphroditæ* sic dicuntur qui de utroque sexu participant; qui etiam a religioso statu arcentur ob grave, quo secum ferunt, incontinentiæ periculum. Quanquam moderni contendunt non dari perfectos hermaphroditas, et fabulosos esse qui narrantur casus.

[3] Cap. *Si quis* IV; et cap. *Si quis a medicis* VII, etc., dist. LV.

[4] Cap. II, dist. XXXIII, *De corp. vit.* — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tr. XIX, n. 125; *Op. Mor.*, l. VII, n. 408.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nes alios Ordines suscipiendos. Quia cum omnes Ordines Sacerdotium respiciant, exclusus a Sacerdotio merito censetur exclusus ab omnibus Ordinibus.

**328.** Q. 3. *Quinam sunt irregulares ex defectu natalium?*

R. Sunt irregulares ex defectu natalium filii illegitimi (licet occulti, nam jura generaliter loquuntur); habentur enim uti viles[1]. Sunt autem illegitimi : 1. qui nascuntur vel ex fornicatione, vel ex incestu, vel ex adulterio; 2. qui nascuntur ex matrimonio civiliter tantum contracto; vel nascuntur quidem ex matrimonio legitimo, sed cujus usus erat illicitus per solemne castitatis votum in Religione approbata, aut per Ordinis sacri susceptionem. — Non autem habentur illegitimi nati ex infidelibus, quamvis in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxerint[2]. Item probabilius neque expositi, ut satis commune est cum Alasia, Salmanticensibus, Palao, Smalzgrueber et aliis contra Garciam et Continuatorem Tournely, etc. Saltem dubium est; at in dubio, ait Epistola *Redditæ Nobis* 4 dec. 1744 Benedictus XIV, *judex debet in bonum et commoda prolis propensus esse*. Imo S. C. Concilii censuit non indigere dispensatione expositum, qui jam Ordines susceperat[3].

Irregularitas ex defectu natalium aufertur : 1. *per subsequens matrimonium*, etiam ratum tantummodo, nisi agatur de filii promotione ad Cardinalatum[4]. Necesse tamen est, quod inter parentes consistere potuerit matrimonium legi-

[1] C. I et ult., *De filiis Presb.* Prioribus autem Ecclesiæ sæculis incognita erat hæc irregularitas ; quando enim de eligendis Dei ministris agebatur, non quo patre geniti, sed quibus virtutibus ornati erant, inquirebatur. Sæculo tamen XI illegitimos filios a sacra Ordinatione expellendos esse decreverunt SS. Pontifices et Concilia, et hujusmodi lex in tota latina Ecclesia a dicto tempore invaluit. Cujus quidem legis multiplex affertur ratio : id est : — 1. Dignitas clericalis quæ vitiosa origine commaculari videtur; — 2. Timor ne filii parentis incontinentiam imitentur; — 3. ut a carnali vitio deterreantur homines; — 4. ut hæreditariæ successionis periculum in ecclesiastico ministerio præcaveatur.

[2] Cap. ult., *Qui filii sint, leg.*

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 432. — *Analecta juris Pontificii*, anno 1857, pag. 364. Item quæ diximus, t. II. — De Petra, *In Constit.* XXII *Sixti IV*.

[4] Cap. *Tanta* eod. tit.



timum, cum filii concepti sunt aut nati : scilicet quod parentes fuerint liberi ab omni vinculo sive matrimonii, sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive alterius impedimenti[1]; 2. *per professionem religiosam*, sed quoad Ordines; non vero quoad prælaturas aut dignitates[2]; 3. *per legitimam dispensationem :* hanc quoad omnes Ordines ac omnia Beneficia, imo quoad omnes effectus concedere potest Pontifex; Episcopus autem tantummodo quoad primam Tonsuram, Ordines minores, atque Beneficia simplicia.

**329.** Q. 4. *Quinam sunt irregulares ex defectu Sacramenti?*

R. Cum matrimonium sit signum unionis Christi cum Ecclesia, erunt irregulares ex defectu hujus sacramentalis significationis *bigami*, id est plurium uxorum viri. Ratio est, quia isti non amplius valent significare (facta cum pluribus divisione carnis) unionem hanc unius Christi cum una Ecclesia ejus unica sponsa. — Bigamia triplex est :

1. *Vera;* et est quando legitime cum duabus conjugium successive contrahitur et consummatur. Ex qua parte non est bigamus ille, qui cum pluribus est fornicatus.

2. *Interpretativa;* et est quando quis fictione juris duas uxores habuisse censetur. Hoc contingit quadrupliciter : vel quando duxit viduam jam cognitam, etiamsi duxerit invalide; vel quando duxit mulierem jam corruptam, sed ab alio, quamvis id ipse ignoraverit; vel quando cognovit suam uxorem post illius adulterium, licet occultum, licet extortum aut ignoratum; vel quando demum duo contraxit matrimonia ex aliquo impedimento invalida, et consummaverit : tunc enim adest affectus intentionis ad duo conjugia.

3. *Similitudinaria;* et est quando attentatur (inaniter tamen) matrimonium, quando nempe quis post sacri Ordinis susceptionem vel Religionis professionem contrahit quantum est ex se (esto invalide) matrimonium, et consummat. Ita communiter cum S. Thoma.

[1] Qui in Gallia legitimari possint, vid. *De matrimonio.* — It. Benedictus XIV, *Littera citata ad archiepiscopum S. Dominici, Redditæ nobis.*

[2] Cap. I, *De filiis presb.*

Hæc irregularitas eruitur ex toto *tit. de bigamis*. Et ex Apostolo, qui ad Ordines *unius uxoris virum requirit*[1]. Hinc aiunt Pontificem non solere dispensare, nisi raro ob reverentiam Apostolici præcepti; Episcopum vero nunquam dispensare posse, nisi in bigamia similitudinaria, et tantum quoad Ordines suscipiendos et exercendos, et quidem post diuturnam pœnitentiam[2].

**330**. Q. 5. *Quinam sunt irregulares ex defectu bonæ famæ?*

R. Ex defectu bonæ famæ sunt irregulares qui infames habentur vel ob sententiam judicis aut eos declarantis de enormi crimine convictos, aut eos damnantis ad pœnam infamantem, uti triremes, exilium; vel ob notitiam publicam criminis ejusdem; vel ob exercitium artis ignominiosæ; vel aliquando ob alterius infamiam, quæ in nos redundat[3]. Præcipit enim Paulus ut non ordinentur, *nisi viri boni testimonii*[4].

[1] I Tim. III. — *V.* Ferraris, *Biblioth.*, etc., v° Bigamia.

[2] Cap. IV, *De Cler. conj.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 435.

[3] Quandiu crimina manent occulta, non inducunt irregularitatem, si excipiatur homicidium. Reputantur autem occulta, quoties in judicio non fuerint probata; aut aliunde non evaserint tam notoria, ut nulla tergiversatione celari queant.

[4] I Tim. III; et c. *Infames*, causa 6, q. 1. — Diximus 1. *de enormi crimine:* tale jure habetur homicidium, perjurium in judicio, hæresis, simonia, adulterium, sodomia, crimen læsæ majestatis, proditio, rapina, lenocinium, nempe turpis quæstus ex adulterio uxoris, exercitium usurarum, invasio Episcoporum vel Cardinalium; raptus mulierum, duellum, armorum paratio in parentes. Et cetera peccata, quæ attento cujuscumque statu, et communitate in qua vivit, vilis et abjectæ æstimationis apud pios et prudentes reddunt; — 2. aut eos *damnantis ad pœnam infamantem*. Idque ut nonnulli volunt, licet innocentes, modo juxta allata et probata fuerint damnati, præsertim si in triremibus actu remigassent; quia infames haberentur coram populo; — 3. *vel ob notitiam publicam criminis ejusdem*. Nam ex jure: *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent (præter reos homicidii)... in jam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri;* — 4. *vel ob exercitium artis ignominiosæ*, ut esset ars comica cum turpibus repræsentationibus (ut probat S. Antoninus), vel alia similia; — 5. *vel adhuc aliquando ob alterius infamiam:* tales autem sunt filii damnatorum ob delictum læsæ majestatis, et filii hæreticorum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 365.



Hæc irregularitas, si sit ex infamia juris, per solam legitimam dispensationem aufertur, aut per aliam sententiam, qua reo sua fama restituatur. Si vero sit ex infamia facti, aufertur per longam et sinceram vitæ emendationem; et erit Episcopi judicare, an sufficiens extet probatio ad famam bonam recuperandam: aiunt autem ad id posse, universum loquendo, sufficere triennium. Item aufertur per Baptismum[1]; item per loci mutationem, nempe eo veniendo, ubi infamia facti non est nota. Poterit autem Episcopus dispensare, ut infami infamia facti ministrent in Ordinibus susceptis, si agatur de crimine adulterio minore, et reus egerit pœnitentiam[2].

**331**. Q. 6. *Quinam sunt irregulares ex defectu libertatis?*

R. Ex defectu libertatis irregulares sunt:

1. *Servi proprie dicti*, donec plenam consequantur libertatem[3]; tales enim servi habentur uti res domini. Unde ordinari non possunt, neque ad alia deputari sine eorum consensu.

2. *Conjugati*, qui vel ad ipsam tonsuram admitti prohibentur[4]. Attamen ordinari poterit maritus: 1. si ob uxoris adulterium divortium actum sit juridice; nam tunc ab illius jure est perpetuo subductus; 2. si uxor expresse ac libere consentiat, et simul castitatem voveat[5]. Imo et Religionem uxor ingredi deberet, vel si ipsa esset juvenis, vel si vir fieret Religiosus aut crearetur Episcopus[6].

3. *Curialistæ*, qui nempe tenentur servire Curiæ sæculari sive ob juramentum sive ob stipendium: uti sunt judices et advocati, quandiu in officio perdurant, nisi licentiam a Pontifice obtinuerint; vel legitima sit consuetudo[7]. Isti enim jam aliis obstricti sunt.

4. *Milites* et *Reipublicæ administratores*, donec eidem of-

[1] Cap. *Si duo*, caus. XXXV, q. 6. — *V.* Ferraris, v^is *Infamis*, *Infamia* ubi plura.

[2] Cap. *Etsi Cler.* de jud.

[3] Cap. I et II, d. LIV, c. V, *De serv. non ordin.*

[4] Cap. ult., *De temp. ord.*, in 6. — [5] Cap. *Conjugatus*, de conv. conj.

[6] Cap. *Sane* VI, de conv. conj. — [7] Cap. un., *De obl. ad ratioc.*

ficio, consentiente Principe, non valedixerint[1] : eadem nempe de causa.

Ad rem quoad omnes D. Thomas : *In susceptione Ordinis mancipatur homo divinis officiis; et quia nullus potest alteri dare quod suum non est, ideo servus qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri. Si tamen promovetur, Ordinem suscipit; quia libertas non est de Ordinis necessitate, licet sit de necessitate præcepti; cum non impediat potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, et hujusmodi personæ*[2].

**332.** Q. 7. *Quinam dicuntur irregulares ex defectu lenitatis?*

R. Cum Christus fuerit *mitis et humilis corde, qui pertransiit bene faciendo et sanando omnes*[3]; maxime iccirco decet, ut ipsius ministri lenitate et cordis mansuetudine sint commendabiles. Quare Ecclesia declarat, irregularitatem incurri *ob occisionem aut mutilationem, quæ post Baptismum fit voluntarie et juste, vel a militibus in bello justo offensivo; vel a Clericis medentibus cum adustione aut incisione; vel a ministris publicis, effectu tamen secuto.*

Singula verba sedulo attendenda sunt; igitur :

1. Eam incurrit *laicus, qui in bello justo offensivo* aliquem propria manu mutilat vel occidit[4]. Diximus : *a. in bello justo;* etenim in bello injusto omnes fiunt irregulares ex delicto, si unus ex commilitonibus aliquem occiderit ex hostibus, ut docet signanter Benedictus XIV[5]; *b. offensivo*, qui enim alium occidit non quidem aggrediendo, sed suam vitam in discrimine positam defendendo, non fit irregularis : idem est si bellum justum ad defendendam patriam vel Ecclesiam suscipiatur (quod valet etiam de Clerico, si jussus bellum ineat, quando urgentia est, nec pro Ecclesia vel patria tuenda laici sufficiant[6]).

[1] Cap. II et V, d. LI. — [2] Suppl. q. 39, a. 3.
[3] Act. X. — [4] Cap. *Dilectus*; c. *Significasti* de homicid.
[5] *Notificatione* CI. — *V.* Ferraris, *Bibl.*, v° Bellum, art. 4 et 5.
[6] *In Clement. si furiosus, de homic.*; et cap. *Pervenit* II *de immun. Eccl.* Cum tamen in quo belli æquitas posita sit, difficillimum sit judicare; ideo pro praxi si aliud de certo non constet, bellum æquitatis legibus consentaneum existimari debet, ut ait Benedictus XIV.



Ceterum quoad Clericos qui sponte sine debita superioris auctoritate militant, in bello offensivo et justo, duo quæri possunt, an peccent, et an etiam irregularitatem incurrant. Quoad 1, unanimiter fatentur, leviter tantummodo peccare Clericos in minoribus Ordinibus; sed lethaliter Clericos jam constitutos in sacris; cum graviter eorum conditionem, munera et statum dedeceat : et *eamdem pariter culpam tribuendam Clerico existimo* (ait Benedictus XIV), qui licet minores solum *Ordines assecutus fuerit, Beneficium tamen possidet; nam quæ illicita decernuntur Clericis ad sacros Ordines evectis, eadem prorsus afficiunt Clericos qui Beneficium habuerint.* Quoad 2, Clericus si neminem interfecit neque mutilaverit, quia nempe sclopetum suum nunquam disploserit, vel si aliquando disploserit, id fecit in tanta distantia ut physice fuerit impossibile hostes pertingere (quo in casu idem esset, ac si ictum non emiserit), tunc nulli irregularitati fuit obnoxius; nam jus loquitur de eo qui occidit seu mutilat. Ad modum quo non fit irregularis Clericus, qui Magistratus sæcularis personam suscipiens capitalem sententiam pronuntiavit, quæ postea non fuit executioni demandata[1].

2. Eam incurrunt *Clerici in Sacris, aut Monachi medentes cum adustione vel incisione*, si inde mors vel mutilatio sequatur, licet sint in arte periti : modo tamen id egerint extra casum necessitatis[2]. Diximus *Clerici... aut Monachi;* nam laici medici ac chirurgi eam non incurrunt, *si secundum artis suæ regulas operentur*, ut ait Benedictus XIV[3]; neque enim

[1] Nec obstat, quod S. Concilii Congregatio, 13 junii 1703, judicaverit fuisse dispensationem ab irregularitate necessariam cuidam Diacono canonico qui militiæ nomen dedit, bellicis expeditionibus pluries interfuit, et tamen affirmavit a cædibus abstinuisse, eo quod sclopetum semper in aerem disploserit; et ideo se esse moraliter certum neminem læsisse. Nam S. Congregatio non probavit hanc suam certitudinem; etenim præterquam quod difficile intelligi potest quod semper aerem verberaverit in omnibus conflictibus, in quibus animi vehementer commoveri solent, non satis constat neminem fuisse læsum a globis plumbeis, qui deciderunt. Ita Benedictus XIV, *Notificatione* CI, ubi fuse.
[2] Cap. *Sententiam* ne Cler. vel Mon. — [3] *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. X.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eam jus imponit, neque ipsi id agunt ad punitionem vel vindictam; sed ex motivo pietatis. Usus tamen est, ut *ad cautelam* etiam quoad istos petatur dispensatio, si forte aliquando in sua arte culpabiliter deliquerint.

3. Eam incurrunt judices, *et omnes communiter, qui cooperantur in judicio justo ad mortem vel mutilationem*[1]. Hæc tamen cooperatio ut vere sit influxiva, debet esse: 1. activa, quia debet esse ex parte occidentis, non vero occisi; 2. efficax, unde qui efficaciter in mortem vel mutilationem non influit, irregularis non potest evadere: uti, v. g., qui ligna defert, quibus occisi corpus cremari debeat, vel qui morti assistit[2]; 3. proxima; et ideo non est irregularis qui gladios vendit; neque ille qui generatim hortatur, ut pœnis debitis mulctentur iniqui: item neque Ecclesiastici, dum leges pœnales et capitales ferunt contra malefactores in genere. — Sed irregulares appellabimus ex hoc capite assessores, scribas sententiam sanguinis vel mutilationis scripto exarantes, et ceteros eam exequentes; non tamen qui eam transcribunt. Item testes voluntarios, qui ultro se offerunt, licet protestentur. Item advocatos et procuratores accusatoris, nisi coacti sint ad eum defendendum; quia tunc non essent omnino voluntarii. Item accusatores criminis capitalis petentes vindictam item capitalem: qui si essent Clerici in Sacris vel Beneficiati insuper graviter peccarent; cum graviter ipsis vetitum sit sese in causa sanguinis ingerere.

Diximus *et omnes communiter*, etc.; nam jure excipitur Papa, qui suis legibus inhabilitantibus non tenetur. Item pontificio Solio assistentes Episcopi vel Cardinales, Inquisitores fidei et eorum Officiales. Et alii Ecclesiastici cum jurisdictione criminali, si tamen alteri eam delegent[3].

[1] Clem. *Si furiosus de hom.*; et c. *Sentent. ne Cler. vel Mon.*

[2] Excipe nisi sua præsentia in supplicium influat. Clerici in Minoribus per se non peccant interessendo hujusmodi suppliciis; et quoad alios Clericos commune est, id non excedere venialem culpam, citra scandalum: ita interpretantes textum *Sentent. ne Cler. vel Mon.*, in quo id vetatur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 463.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 10.



### Art. III. — De irregularitatis cassatione[1].

**333.** Q. 1. *Quomodo aufertur irregularitas?*

R. Hisce modis generatim irregularitas cessat:

1. Ordinarie cessat cessante causa, ob quam est inducta, si ea sit ex defectu; cum tunc tota ratio illius deficiat. Diximus si sit *ex defectu*, quia si esset ex delicto, non cessat per delicti cessationem Diximus *ordinarie*, nam sunt quæ non cessant per cessationem causæ: talis est irregularitas ex defectu lenitatis vel Sacramenti.

2. Legitima *Baptismi susceptione* aufertur ea quæ est ex delicto; jura enim præcipue respiciunt baptizatum. Item *religiosa professione* aufertur ea, quæ est ex defectu natalium, quantum ad Ordines.

3. *Superioris dispensatione* tollitur quæ non est in jure naturæ fundata. Porro Papa in omni irregularitate dispensat ecclesiastici juris; nam *ejus est permittere, cujus est vetare:* atque ad ipsum fit recursus pro foro externo. — Major autem Pœnitentiarius dispensat in cunctis fere casibus occultis pro foro interno ex Bulla *Pastor* Benedicti XIV. — Tandem Episcopus ex Tridentino dispensat per se vel per suum Vicarium specialiter ad id deputatum in irregularitatibus *ex delicto occulto provenientibus*[2], *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.* In iis vero quæ sunt ex defectu, Episcopus a jure habet tantum, ut dispenset in bigamia *similitudinaria*, ac cum illegitimis ad minores Ordines ac Beneficia simplicia[3].

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 352 et 368. — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, p. II.

[2] Non esset autem ex delicto occulto, si quis, v. g., in sua patria fuerit juridice condemnatus, sed eo fugerit ubi omnino sit ignota talis condemnatio; ideo tunc ad Pontificem recurrendum S. Pœnitentiariæ organo. Verum ut ille in nova Diœcesi incorporetur, certe hujus Diœcesis Episcopus vult attestationes Ordinarii, et sic venitur in cognitionem patrati criminis ab Episcopali Curia.

[3] Sess. XXIV, can. VI. — Refert L. Ferraris, v° *Irregularitas*, posse Episcopum dispensare ab homicidio occulto, quod quis ad suam vel aliorum

Quam autem Episcopus habet facultatem, eam plures tribuunt ex privilegio etiam Prælatis regularibus quoad proprios subditos [1].

**334.** Q. 2. *An si quando conceditur facultas absolvendi a censuris reservatis, intelligenda sit etiam concessa quoad irregularitatem?*

R. Negative : irregularitas enim non est censura : et difficilior est irregularitatum, quam censurarum relaxatio. Imo ex D. Carolo in *Instructione ad Confessarios*, et secundum stylum romanæ Curiæ numquam censetur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio : neque ipso Jubilæi tempore, nisi ea proveniat ex censuræ violatione. — Quilibet tamen Confessarius absolvere potest a peccatis irregularitatem adnexam habentibus, seclusa peculiari prohibitione et reservatione. Irregularitas enim adjuncta non impedit effectum absolutionis ; quia non pugnat cum statu gratiæ neque arcet a susceptione Sacramentorum, excepto Ordine. Ideoque potest quis liberari a peccato, et simul remanere ligatus irregularitate eidem adnexa.

Confessarius, qui facultatem obtinuerit dispensandi super irregularitate ex Rituali R. post datam absolutionem a peccatis, hac uti debet forma : *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus*), *in quam* (vel *in quas*) *ob talem causam* (vel *tales causas*) *incurristi : et habilem reddo, et restituo te executioni Ordinum et Officiorum tuorum. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.* — Si careat Ordine sacro, dicat : *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

Scholium. — *De cessatione a divinis.*

**335.** Cessatio a divinis est *impositio Clericis facta se abstinendi ab officiis divinis, et ecclesiastica sepultura.* Non est proprie dicta

defensionem, non servato moderamine, patravit ; quia tale homicidium non est simpliciter voluntarium.

Quoad dispensationem super irregularitate hæc notentur : « Sacra Congregatio (ita *Fagnanus*) censuit, quando delictum ex quo provenit irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit, Episcopum dispensare non posse ; veluti si Sacerdos publice excommunicatus vel notorie simoniacus, occulte Missam celebraverit. Quod si delictum occultum sit, v. g., excommunicatio, actus vero Missam celebrandi ex quo irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus Episcopum ab omni irregularitate absolvere ex Tridentino, c. vi, sess. xxiv, de R. »



censura : unde qui cessationem impositam a divinis violat, etsi graviter peccet, irregularis tamen non fit. Hæc imponitur vel in signum mœroris, vel ad reparandam injuriam gravissimam Deo illatam, uti, v. g., si sacrilegum furtum atque gravissimum in Ecclesia fuerit commissum, afficitque omnes, qui eo in loco sunt.

In cessatione a divinis ea possunt Sacramenta administrari, quæ possunt in interdicto. Cum autem hic habeatur verus actus jurisdictionis, ideo cessatio a divinis imponitur et aufertur eo modo, quo ipsa censura. Ita communiter cum Suarez [1].

---

## CAPUT QUINTUM

### DE ORDINATIONIS EFFECTIBUS ET ORDINATORUM OBLIGATIONIBUS

**336.** Q. 1. *Quotuplex est effectus Sacramenti Ordinis?*

R. Triplex, nempe 1, est *gratia habitualis* sive *sanctificans* (id est ejus augmentum, cum Ordo sit Sacramentum vivorum). Hinc Apostolus : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii* [2]. Quæ verba perpendens Angelicus habet : *Confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei ;* — 2. *gratia Sacramentalis,* quæ est jus fundatum in gratia sanctificante ad accipienda auxilia supernaturalia per gratias actuales, quæ consistunt in mentis illustrationibus et piis motionibus voluntatis ad officia ecclesiastica digne obeunda ; — 3. *character ;* inquit enim Tridentinum [3] : *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non*

[1] Ex c. *Non est vobis de spons.*, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 4 et 340.

[2] I Tim. iv. — *V.* Margotti, *Roma e Londra, confronti.* Torino, 1858, cap. ix : del Clero anglicano di Londra e del Clero cattolico di Roma.

[3] Sess. xxiii, can. iv. — Est autem probabilius, singulos Ordines characterem suum sibi proprium imprimere. In singulis enim diversæ tribuun-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere:* Accipe Spiritum sanctum; *aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui semel Sacerdos fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

**337.** Q. 2. *Quot sunt obligationes Ordinatorum?*

R. Multæ sunt obligationes ordinatorum : aliæ quidem sunt omnibus Clericis communes (de quibus in Tractatu *De Obligationibus*); aliæ iis sunt maxime propriæ, qui in Sacris ordinantur : et sunt tum obligatio divinum Officium recitandi (de quo in Tractatu *De Religione*); tum obligatio cælibatum perpetuo servandi.

### Art. unicus. — De Cælibatu ecclesiastico[1].

**338.** Q. 1. *Quosnam obstringit lex cælibatus?*

R. *In Ecclesia latina* omnes Clerici, ab Episcopatu ad Subdiaconatum inclusive, tenentur sub gravissimo præcepto servare perpetuam continentiam, ita ut nec licite uti possint matrimonio contracto ante sacram Ordinationem, nec licite nec valide postea illud contrahere. Constat ex pluribus juris canonici capitibus[2]. Unde Episcopus promovendos ad Subdiaconatum sic alloquitur ipso Ordinationis actu, uti videre est in Pontificali R.: *Filii dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus ultro appetitis; hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire. Quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire : sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari : et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit: atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est, cogitate ; et si in sancto proposito perseve-*

tur potestates : id est ex institutione Christi imprimitur iis Ordinibus, qui sunt Sacramenta; ex institutione Ecclesiæ iis, qui Sacramenta non sunt. Unde nullus ipsorum iterari debet.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 806 et seqq. Et *Opera dogmatica*, sess xxiii. It. *Selva di materie predicabili ed instruttive per dare gli esercizii ai Preti*, istr. iii.

[2] *Signanter*, c. i, dist. xxviii, et c. unic. *De voto* in 6.



*rare placet, in nomine Domini huc accedite.* — Hinc Tridentinum expresse declarat, nullum matrimonium initum ab iis, qui in sacris Ordinibus sunt constituti : *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit* [1].

Diximus *in Ecclesia latina :* nam quoad Græcos disciplina diversa est; etenim vel agitur de Græcis et Albanensibus in Italia eique adjacentibus Insulis degentibus, vel de Cophtis, ceterisque Orientalibus. — Si 1, Benedictus XIV Const. *Etsi Pastoralis* non prohibet quidem, ut Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores retineant, quas antea duxerunt (si tamen virgines, non viduas nec corruptas duxerint); sed nullum irritumque declarat eorum matrimonium post sacros Ordines contractum. Et qui nihilominus contrahere præsumpserit, remanet excommunicatus, ab Ordine deponendus est, et ab illegitima uxore separandus. — Si 2, idem Pontifex Const. *Eo quamvis* permittit quidem uxorem retinere, quæ ante Ordinationem ducta fuerit. Quid autem sit sentiendum de illorum matrimonio postea inito, Benedictus XIV reservat utique apostolicæ Sedi illud approbare ; cum aliunde graviter vetitum sit. Verum an non tantum illicitum, sed etiam irritum dicendum sit, noluit definire, quamvis Tribunalia Almæ Urbis opinioni eorum adhæreant, qui illa matrimonia nulla existimant.

Ceterum etiam apud ipsos Græcos Episcopis non solum contrahere, sed et propria uxore uti post Ordinationem, gravissime vetitum est : ita ex disciplina Synodi Constantinopolitanæ in Trullo anno 692, quæ quidem nunc viget vel apud ipsos Græcos catholicos.

[1] Sess. xxiv, can. ix. Clerici autem in Sacris matrimonium contrahentes, seu attentantes, præter matrimonii nullitatem, excommunicationem, et irregularitatem ipso facto incurrunt, ex cap. ii *Qui Clerici*. et *Clem.* unic. de cons. et affin., a qua tamen irregularitate Episcopus post pœnitentiam dispensare valet, dummodo, ut adnotat Barbosa, cum unica, eaque virgine, contraxerint; si namque cum vidua aut corrupta, vel binas inierint nuptias, tunc alia exurgit irregularitas ex defectu Sacramenti dicta, a qua Episcopus dispensare nequit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**339.** Q. 2. *Quid si quis promoveretur ad Ordines sacros vel invincibiliter ignorans castitatis obligationem iisdem adnexam? Vel expresse nolens obligationem ipsam vovere? Vel si esset metu gravi perductus, sed cum animo se ordinandi? Vel tandem si esset in ipsa infantili ætate ordinatus?*

R. In primo casu dicimus cum communi, eum ad castitatem adhuc teneri vel ex vi voti impliciti juxta S. Thomam, qui ait: *Etiamsi quis verbotenus* (votum) *non emittat, ex hoc ipso tamen quod Ordinem suscipit, secundum ritum occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse* [1]; vel teneri ex præcepto Ecclesiæ, maxime si intenderet (ut supponi debet) Ordinem suscipere cum obligatione, qua generatim suscipitur ab aliis [2].

In secundo casu est probabilius, eumdem teneri ad castitatem, non quidem ex voto; sed ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex Religionis motivo vult omnes esse omnino obstrictos, qui scienter Ordinem suscipiunt, cui quidem continentia adnexa est. Unde si iste peccaret contra castitatem, adhuc sacrilegium committeret; quia etsi non teneretur ad castitatem ex voto, teneretur tamen ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex Religionis motivo (ob reverentiam nempe Ordinis sacri) eum, deficiente voto adstringit. Ipse autem semper teneretur ad emittendum votum cum præceptum sit.

In tertio casu, si gravis ille metus ex justa causa infligatur, v. g., si Episcopus ob inopiam ministrorum quempiam metu gravi adstringeret ad Ordinationem, probabilius videtur sic ordinatum obligatione castitatis ligari; quia in tali casu ipse esset irrationabiliter invitus: nec talis metus tolleret omnino voluntarium, ac multo minus votum irritaret. Quod si gravis ille metus sit incussus ex causa injusta, quamvis probabilius sit non teneri ad votum sic ordinatum, quia votum ex quo provenit castitatis obligatio, metu gravi extortum est nullum saltem de jure positivo [3]; in praxi tamen consul-

[1] Suppl. q. 35, a. 3.

[2] Excipiunt aliqui, si hæc ignorantia sit positiva, ut si quis Sacris initietur ratus sibi propria uxore uti licere, quia Græcos novit illa uti.

[3] C. *Prælatorum*, etc., c. cum *dilectus* de his, qui vi, metuque, etc.



tum fuit, ut Clericus taliter ordinatus petat dispensationem, quam S. Congregatio Concilii jam alias elargita est, ubi solide metus ille probari valeat.

Tandem in quarto casu, qui ordinatur infans neque tenetur ad castitatem neque ad alia onera, nisi post 16$^{um}$ ætatis annum Ordinationem ratam habuerit, uti docet Benedictus XIV Constitutione *Eo quamvis*. Et merito; ad rem enim valde arduam ac perpetuam suscipiendam requiritur maturitas et quidem perfecta: et electio status a cujusque libertate pendet; et Altissimo nostra, non aliena vota reddere tenemur [1].

**340.** Q. 3. *An obligatio cælibatus sit de jure divino?*

R. Negative: si enim hæc lex esset de jure divino, non variaret circa illam latina a græca Ecclesia; si quidem jus divinum non variat pro diversitate locorum. Est ergo de ordinatione Ecclesiæ; utrum autem illa obligatio sit immediate ab Ecclesiæ præcepto, vel immediate a voto de præcepto Ecclesiæ emittendo, Tridentinum utrumque refert, sed non definivit. Sunt porro qui merito probabiliter docent, quod ordinati in Sacris non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ Ordinatione ad castitatem tenentur; tum quia nulla fit voti mentio; tum quia ad hoc præceptum Ecclesiæ satis est. Verum probabilius et communius alii hanc obligationem cum D. Thoma reputant immediate ex voto, quod in ipso facto Ordinationis emittitur juxta Ecclesiæ mentem, idque expresse habetur in jure [2]. Et hoc votum Bonifacius VIII solemne esse declaravit [3].

Cælibatus autem inimici sunt *hæretici*, *increduli* et *pseudopolitici*. Contendunt *primi* cælibatum adversari Scripturæ auctoritati, antiquitati Ecclesiasticæ, et ministerio sacro. Volunt *secundi* eumdem a jure ipso naturali improbari prorsus atque repelli. Tradunt *tertii* bono Reipublicæ et Societatis omnino nocere [4].

[1] Quæ quidem ratio probat ex Salmanticensibus id quoque obtinere in casu, quo quis post usum rationis ordinetur, sed ante adeptam pubertatem.

[2] C. *Cum olim* de Clericis conf.

[3] *De voto redempt.*, in 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 807.

[4] *V.* Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro.* Horum porro doctrinas

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**341**. Q. 4. *An cælibatus Scripturæ antiquitati, atque ministerio sacro adversetur?*

R. Cælibatus nedum Scripturæ, antiquitati et sacro ministerio adversetur, imo cum iisdem maxime convenit. — *Primo* : illa lex censeri debet scripturæ et antiquitati maxime congruere, quæ fundatur in exemplo Apostolorum : in consuetudine ab ipsis Apostolorum temporibus fere universaliter recepta, in antiquissimis sanctionibus Conciliorum atque Pontificum. Atqui talis est hæc lex cælibatus : de Apostolis sic aperte loquitur Hyeronimus : *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes*[1]. — De universali consuetudine dubitari non potest; licet enim nondum certa et declarata lege cælibatus fuisset Clericis impositus; ab Apostolis tamen obtinuit, ut Clerici, si ante Ordinationem habebant uxores, postea ab iisdem prorsus sese abstinerent. Testes sunt pro Ecclesiis orientalibus Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius; pro Ecclesia latina volunt eruditi, S. Petrum continentiæ legi cito subjecisse omnes Episcopos, Presbyteros atque Diaconos, ita ut nullum fas sit invenire exemplum Episcopi, Presbyteri aut Diaconi, qui impune continentiam violaverit. — Tandem antiquissimæ sanctiones Conciliorum atque Pontificum adstipulantur; *Conciliorum*, uti est Eliberitanum, Taurinense et Carthaginense II, celebrata sæculo IV. *Pontificum*, ut sunt Siricius qui sæculo IV, Innocentius I et Leo M. qui floruerunt sæculo V : qui omnes illam memorant legem; nec tamen innuunt, se de novo eamdem condere, sed ab Apostolica sanctione profectam urgere et instaurare[2].

*Secundo* : Cælibatus Ecclesiasticus ministerio sacro maxime conve-

Pius Pp. IX in sua Encyclica : *Qui pluribus*, 9 novembr., anno 1846, *conspirationis fœdissimæ* nomine jure merito noncupavit inquiens : *Huc* (nempe in Fidei et Ecclesiæ destructionem) *spectat fœdissima contra sacrum Clericorum cælibatum conspiratio, quæ a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriæ dignitatis misere obliti se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deleniri patiuntur.* Quæ autem hic disputantur de cælibatu, excerpta sunt fere ex toto ex eruditissimo Opere cujus in dies editiones Romæ, Taurini, Mediolani ac Parisiis videre est, sub titulo : *Prælectiones Theologiæ, quas in collegio Romano S. J. habebat* Joann. Perrone e *S. J.* : tract. *De Ordine*, cap. v, *De cælibatu eccl.*

[1] Ep. XLVIII, *Ad Pammachium*.

[2] Paulatim vero ab Ecclesia latina pervenit etiam ad orientalem, ut videre est penes Christianum Lupum (diss. *De latinorum Episcop. et Clericorum continentia*). Licet solus postea remanserit Episcopatus, ad quem promoventur cælibes vel continentes, ut plurimum ex Monachorum cœtu electi; reliquis autem Clericis majoribus integrum fuerit uxores ante Ordinationem ductas tenere. — *V.* Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Église*, lib. L.



nit. Lex illa ita se habet, quæ præfert specialem vitæ sanctitatem; quæ officiis divinis rite obeundis maxime conducit; quæ magis removet impedimenta quæ cum vitæ clericalis instituto nequeunt sociari. Atqui talis est lex cælibatus : — 1. *specialem vitæ sanctitatem præfert;* de hoc nemo poterit dubitare, ubi vix laudes eximias perspiciat, quibus in SS. Litteris Christus et Apostoli castitatem ad cœlum usque extulerunt atque statum virginitatis præ statu matrimonii celebrarunt[1]; — 2. *officiis divinis rite obeundis maxime conducit*; hæc enim sunt præcipua militiæ clericalis officia : Sacrificium offerre, orare, præesse, docere, Sacramenta ministrare, infirmorum et pauperum curam gerere. Quæ postulant virum alienis curis minime distractum, ita ut facile esse possit omnium consiliarius, judex, pater, imo omnium quasi famulus atque minister. Jam vero quis neget ad hæc munia præstanda valde magis cælibatum conducere, quam matrimonium? Id plane innuit Apostolus : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*[2]; — 3. per cælibatum magis *removentur impedimenta, quæ cum vita clericali nequeunt consociari.* Nonne conjugatus œconomicis et domesticis innumeris prope curis indesinenter obstringitur? nonne et conjugis et liberorum sustentationi consulere debet? horum educationi et futuræ sorti prospicere? et alia præstare hujus generis sine fine, quæ animum occupant diu noctuque? Non ergo Clerici hæc possent implere sine gravi ministerii sacri detrimento. Quid si Parœciæ præsint in vicis aut pagis, quæ vix præbeant victui proprio necessaria? si velint pauperes sustentare? si morbo contagioso laborantes invisere? si ad barbaras gentes lucem fidei afferre? Hoc patet quotidie exemplo tum græcorum presbyterorum, tum anglicanorum et prostestantium ministrorum, qui vix dominica die ministerio incumbunt, dum reliquam hebdomadis partem negotiis impendunt et familiæ. Toti sunt uxori et filiis alendis, instituendis ac ditandis; proventus non in pauperes, sed in rem domesticam convertunt[3]. Si lues aut contagiosus morbus grassetur, fugiunt. Si apud exteras regiones Missiones suscipiunt, mercatores agunt, ac stipendia ingentia a Biblica societate uti mercenarii percipiunt; ac interea, si molestias exci-

[1] *V.* De Virginitate, appendix, *De Restitutione*, t. III.

[2] I Cor. VII.

[3] Ut recens præbeamus exemplum, ut quid Hibernia maxima penuria continuo laborat, cum tamen illius regni Episcopi ditissimi sint, nisi quia uxorati pro familia divitias congerunt? Non suspectæ Anglicanæ ephemerides hisce ipsis diebus enarrant, undecim Hiberniæ Episcopos in morte propriis familiis reliquisse summam libellarum 51,375,000 (*Loyal-national-Repeal-Association*, 1849). — *V.* Margotti, *Roma e Londra, confronti*, c. IX.

pias, quas operariis catholicis creant, otio diffluunt, contemptumque sibi conciliant.

**342**. *Sed dices* 1 : Deus imperavit omnibus matrimonium dicens : *Crescite et multiplicamini et replete terram*[1]. Hinc Apostolus constituit, ut Episcopus sit *unius uxoris vir; et juniores nubant*[2]. — R. Ad 1 : Verba *crescite et multiplicamini* continent benedictionem et fœcunditatem, quam Deus contulit in creatione humani generis : non vero nuptiarum præceptum. Etiam piscibus maris dictum est ibi : *Crescite et multiplicamini et replete aquas maris* ; sed nemo hæc interpretatur de nuptiarum præcepto piscibus imposito. Sed esto præceptum importent : ad omne tempus et singulos homines pertinere haud poterit demonstrari. Imo contrarium colligitur ex verbis : *Et replete terram*, quæ satis exprimunt tale præceptum non respicere, nisi primordia, vel restaurationem generis humani : quod cessare debuit post sufficientem propagationem. Secus Christus et Apostoli non dedissent consilium continentiæ. — Ad 2 : Episcopus debet esse *unius uxoris vir*, id est non bigamus. Hoc sensu intelligi debent Apostoli verba ; alioquin nec Apostolus ipse fuisset idoneus ad Episcopatum, qui scribit nullam sibi uxorem fuisse[3]. Neque etiam concludunt verba : *Volo juniores nubere* ; ibi Apostolus loquitur de viduis junioribus et fornicariis, quas declarat, se malle matrimonio iterum jungi, quam incontinenter vivere.

**343**. Dices 2 : *Ex historia Ecclesiastica certum est, Apostolos et uxores retinuisse, et secum eas circumduxisse. Nemo ignorat historiam Paphnutii in Concilio Nicæno : cum ibi ageretur de lege cælibatus inducenda, obstitit Episcopus sanctissimus, et in ejus sententiam concesserunt Concilii Patres. Nemo ignorat in Ecclesia orientali post Synodum Trullanam, id est ab antiquis sæculis, solos Episcopos continentia obstringi; Presbyteris vero et Diaconis fas semper fuisse uxores ante Ordinationem ductas retinere.*

R. Ad 1 : falsum est Apostolos secum tenuisse uxores suas ; ait enim D. Petrus nomine omnium : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*[4]. Fœminæ autem, de quibus in objectione fit sermo, non erant uxores; sed piæ quædam quasi famulæ, quæ juxta morem Hebræorum sacros operarios comitabantur, ut ipsis ministrarent, prout de Christo ipso constat[5]. — Ad 2 : in Nicæno propositum fuerat disciplinam Ecclesiæ latinæ extendere ad Ecclesiam universalem. Paphnutius restitit quoad illos, qui matrimonio juncti ad Presbyteratum et Diaconatum jam ascendissent. Quoad reliquos vero, qui cælibes sacris essent

[1] Gen. II. — [2] I Tim. III et V.
[3] I Cor. VII. — [4] Matth. XIX. — [5] Matth. XXVII.



Ordinibus initiati, censuit *antiquam Ecclesiæ traditionem* esse servandam de nuptiis nunquam ineundis[1]. — Ad 3 : verum est quod dicitur de Ecclesia orientali, exceptis Diœcesibus non paucis, ubi Episcopi legem Ecclesiæ latinæ tulerunt ; sed Trullana Synodus contra majorum instituta egit et a puriori disciplina aberravit[2].

**344**. Dices 3 : *Nulli debet vetari quod Dominus liberum reliquit : atqui tale est conjugium. Adde, Sacerdotes mosaicos fuisse uxoratos : et tamen rite officia sua adimplebant. Idem de Ministris protestantibus affirmandum.*

R. Ad 1 : hæc difficultas primum a Calvino proposita fuit; sed a Calvino expostulamus : nonne Dominus liberam unicuique reliquit venationem, aleam et mercaturam ? et tamen ipsemet plurimum commendat Ecclesiæ decreta, quæ Clericis illa interdicunt. Videlicet Ecclesia facultatem habet condendi leges, quas jure putat in bonum fidelium spirituale esse evasuras. Adde Ecclesiam non absolute nuptias hominibus vetare : sed tantum in iis circumstantiis quibus velit quis ad SS. Ordines ascendere. — Ad 2 : quoad Sacerdotes mosaicos peculiares illius populi circumstantiæ expostulabant, ut cælibes non essent ; Deus enim constituerat Sacerdotium hæreditarium : et aliis modis propterea consuluerat tum Sacerdotum tum populi utilitati. Causæ autem istæ prorsus cessarunt in Religione christiana, quæ aliunde perfectionem longe majorem sibi requirit. Adde : quoties ipsi veteris Legis Sacerdotes ministerio fungebantur, toties continentes esse debebant, et separari a consortio suarum uxorum. Quid ergo de Sacerdotibus novæ Legis, qui jugiter suo ministerio præsto sint oportet? — Ad 3 : nulla potest comparatio institui inter officia Ministrorum Protestantium et Catholicorum ; illis enim, ut plurimum, nullum aliud onus incumbit, quam semel in hebdomada verba facere ad populum ; nullam fere in eumdem auctoritatem exercent, ideo ipsorum parum interest, si eis non habeatur tanta observantia. Sed Sacerdotes catholici tenentur quotidie Officium persolvere, Sacramenta ministrare, Confessiones

[1] Ceterum licet in dicto Concilio continentia perfecta non fuerit sancita; certum tamen est compures ex illis Episcopis reduces ad proprias Diœceses edixisse, ut omnes Clerici majoribus initiati vitam continentem agerent : sic S. Eustatius in Patriarchatu antiocheno : S. Alexander in Alexandrino et alii. Quanquam non est omittendum hanc historiam Paphnutii ab eruditis non paucis omnino rejici uti fabellam a Socrate confictam, cujus deinde fidem secuti sunt Sozomenus et Nicephorus.

[2] V. Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc., t. III, c. XXVII. — It. Opus. *Compendio di dottrine ortodosse intorno la questione del matrimonio dei Chierici maggiori;* quod maxime commendatur apud De Luca, *Annali*, ecc., vol. IX. — Liberius a Jesu, *Controversiæ*, t. V.

excipere, morituris præsto esse, concionari sæpissime, indigentibus occurrere, et alia innumera præstare, quæ nequeunt sociari cum matrimonio.

**345.** Q. 5. *An cælibatus ecclesiasticus juri naturæ adversetur?*

R. Negative : si cælibatus noster juri naturæ adversaretur, esset quia existit naturæ lex, quæ omnibus et singulis humani generis individuis matrimonium injungit. Atqui hæc lex non existit : — 1. quia alioquin omnes et singuli tam masculi quam fœminæ, tam pauperes quam divites, tam sani quam infirmi, tam idonei sustinendis Matrimonii oneribus quam non idonei; tam servi quam domini, omnes, inquam et singuli, nemine excepto, hac lege obligarentur; — 2. quia si existeret hujusmodi lex, eam sane cognovissent populi per orbem dispersi; eam non ignorassent legislatores, non sapientes, non juris naturalis periti. Sed hoc tantum abest, ut quinimo cælibatus sacri cultores summo semper in honore penes omnes populos habiti sint et laudibus celebrati, ut de Ægyptiis, Indis, Persis, Græcis ac Romanis eruditi ostendunt[1]; — 3. si esset contra naturam cælibatus, Christus et Apostoli continentiæ consilium et exemplum in semetipsis non dedissent; neque Patres et Ecclesia virginitatem adeo laudibus continuo cumularent.

**346.** Dices 1 : *Natura ipsa hominem ad matrimonium inclinat, et eum in finem sexuum diversitatem ordinavit. Dein nemo potest negare immortalitatis desiderium homini a natura inditum : atqui hoc desiderium expleri non potest, nisi per sui reproductionem in filiorum procreatione, in quibus pater vivere quasi pergit. Adde : negare existentiam alicui individuo idem ultimo est ac individuo nato vitam auferre : quod naturæ adversatur.*

R. Ad 1 : natura hominem inclinat ad matrimonium; quin peculiarem unicuique individuo illius contrahendi obligationem imponat. Unde omnes quidem possunt, si velint, matrimonium contrahere; sed nemo in particulari ad illud cogitur. Imo fas est eidem renuntiare, maxime si id fiat ob causam publicæ utilitatis, qualis est Religio. — Ad 2 : ridiculum est quod desumitur ex immortalitatis desiderio; istud enim respicit vitam propriam, non filiorum, in quibus pater dicitur quidem vivere, sed improprio atque lato sensu[2]. — Ad 3 : latum est discrimen inter eum qui natus est, et eum qui necdum ullo modo vivere cœpit : primus jus acquisivit ad conservationem; sed secundus jus illud neque acquisivit, neque etiam illud acquirere potuit.

[1] V. Frassinetti, *Il paradiso in terra nel celibato cristiano.* — Zaccaria, *Dissertazione previa sul celibato tra le nazioni prima di Gesù Cristo.*

[2] V. Antonius Bianchi, *Il libertinaggio esaminato.* — Milano, 1810. — It. Ségur, *Réponses courtes et familières*, ecc., § 15.



**347.** Dices 2 : *Illud naturali juri adversatur, quod naturæ instinctum extinguere nititur et corporis sanitatem. Atqui talis est cælibatus.* — R. Hanc difficultatem ex physiologia et medicina contra cælibatum multum urgent increduli; sed frustra, cum eos falsitatis arguant physiologi, medici et scriptores præclarissimi. Ostendunt videlicet, ipsa duce experientia, cælibes complures ad decrepitam usque ætatem pervenire, et quidem optime in salute valentes : hoc fassi sunt inter ceteros Baco de Verulamio, et ex veteribus ipse Galenus. Imo Brownus celebris medicus anglus in opere, *Errores populares*, demonstrat ex professo cælibatarios, ceteris paribus, diutius vivere quam conjugatos. Et Leonicenus doctissimus italus perfectam valetudinem, qua fruebatur ætate annorum 90, ad continentiam referebat[1].

**348.** Q. 6. *An cælibatus ecclesiasticus societatis bono adversetur?*

R. Cælibatus ecclesiasticus nedum societatis bono adversetur, imo illum mirifice promovet. Et sane illa lex bonum societatis mirifice promovet, quæ familiis perennitatem atque prosperitatem affert, quæ efficit, ut litteræ et artes vehementius excolantur; quæ publicæ beneficientiæ et charitatis instituta multiplicat. Atqui talis est lex cælibatus nostri :

1. *Cælibatus familiis perennitatem atque prosperitatem affert.* Per eam enim legem sacri ministri fiunt ministri publici, a quovis negotio domestico liberi, et concivium suorum utilitati mancipati. Hinc toti ipsi sunt (vel esse debent, si conditioni propriæ velint inhærere) in communicando vim moralem et religiosam hominibus, suadendo, *ut* genitores familiam recte moderentur; *ut* filii sint dociles erga parentes; *ut* conjugati se mutuo amore prosequantur; *ut* famuli fideles sint, et subjecti ex corde; *ut* pax domestica omnino servetur, et vitia procul sint. Quæ omnia ad familiarum perennitatem atque prosperitatem maxime influunt : cum porro ex bono familiarum pendeat bonum societatis, patet legem cælibatus ecclesiastici societatis bono mirifice prodesse; — 2. *hæc lex efficit, ut litteræ et artes vehementius excolantur.* Sane ille est longe aptior, qui totus hic esse potest, ac propter præstantissimum vitæ genus quod profitetur, et venerationem et fiduciam et amorem et auctoritatem sibi valet conciliare; quam ille, qui negotiis domesticis detinetur. Atqui talis est cælebs minister; — 3. *publica beneficientiæ et charitatis instituta favet ac multiplicat.* Sunt Ecclesiæ ministri, qui orphanorum, senum, infirmorum et mise-

[1] V. Scotti, *Catechismo medico*, c. XI. — Martini, *Lezioni di fisiologia*, t. X. — It. *Del celibato fisicamente considerato*, Commentario offerto alla classe medico-legale, non che al ceto ecclesiastico. Lucca, 1840.

rorum omnium veluti parentes et refugium habentur [1]. Qua vero de causa? certe ob eam præsertim, quod ab omnibus domesticis ac publicis negotiis immunes sint, et nullum in ipsis impedimentum inveniat charitas Christi, quominus in omnes libere et late diffundi possit. Cælibes Ministri sua vivendi ratione constituuntur mediatores inter egenos et divites, inter potentes et debiles; atque sine ulla suspicione, et facillime in nomine Christi Jesu subsidia sibi valent undique corrogare, quibus indigentium necessitatibus occurrant [2].

**349.** Dices 1 : *Cælibatus privat societatem civibus innumeris; ergo ejus bono adversatur. Hinc Græci et Romani eum proscripserunt. Hinc Provinciæ Protestantium maxime florent, squalentibus regionibus catholicis.*

R. Multiplex distinguitur cælibatus ratione artis vel finis, vi cujus observatur : alius *militaris*, alius *nauticus*, alius *philosophicus*, alius *famulatitius*, alius *libertinus* et *profanus*, alius *religiosus* et *sacer*, de quo hic. Porro si adversariis tantopere cordi est societatis augmentum, cur non insurgunt etiam in cælibatus omnes, a quibus revera innumerorum civium procreatio impeditur; et qui sunt causa tam effrenis libidinis? Eccur in solum Religiosum debacchantur, cujus ministri, si qua ex parte defraudant societatem quibusdam civibus, abunde compensant ex altera promovendo familiarum bonum, litterarum studia, bonarum artium culturam et publicæ beneficientiæ instituta? — Quod pertinet ad Græcos et Romanos, ipsi quidem proscripserunt cælibatum, sed libertinum, quem etiam nos tanquam societatis pestem damnamus. At religiosum summo semper in pretio habuerunt, et honoribus cumularunt, uti ex Henrico Morini ostendit P. Zaccaria. — Est tandem putidum mendacium quod dicitur de florentibus pro-

[1] Ipsa *infantiæ asyla*, quæ nunc temporis adeo prædicantur, ab ipsis Ecclesiæ catholicæ ministris, si non nomine, re primitus inventa sunt, videlicet ab archipresbytero mediolanensi *Datheo*, anno 787 (*V.* Muratori, *Antiq. It.*, diss. XXXVII, t. III). Hoc ipse fatetur Aporti, *Manuale di educazione ed ammasestramento per le scuole infantili.* Hinc in Brephotrophio, quod pius ille erexerat, hi versus legebantur :

*Sancte memento Deus, quia condidit iste Datheus*
*Hanc aulam miseris auxilio pueris.*

[2] *V.* De Maistre, *Du Pape*, l. III. — Scotti, *Teoremi*, ecc., par. II, teor. VII : Il Sacerdozio adorna e sostiene la società. — Jager, *Le célibat ecclésiastique dans ses rapports religieux et politiques.* — Gotti, *Colloquia theologica-polemica;* item, *La vera Chiesa di Cristo.* — Cobbet, *Storia della riforma protestante*, lett. 4. — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, l. II, cap. LX. — Charvaz, *Guida del catecumeno*, ragionamento ultimo. — Ferraris, *Bibliotheca*, v° Cælibatus, etc., etc.



vinciis protestantium, et de squalentibus Catholicorum : sola Italia nostra sufficit ad demonstrandum; hæc enim viris ecclesiasticis abundat magis, quam ceteræ mundi partes. Et tamen nemo dixerit eam squallere; ostendit enim clarissimus Balbi noster, Italiam, spectata soli area, ipsos Sinas exsuperare numero incolarum [1].

**350.** Dices 2 : *Utique lex cælibatus est Clericis omnibus convenientissima; sed in legibus ferendis ponderandum est quid valeant humeri, et communis hominum imbecillitas attendenda, nam si spiritus promptus est, caro est infirma : porro ab universo Clero continentia difficiliter sustinetur, cum eroismus sit paucorum; satius ergo erat obstringere episcopos et claustrales; ideo magis quia innumera exurgunt mala ex incontinentia ecclesiasticorum, ut de mediis sæculis (IX-XIV) notum omnibus est. Si itaque commoda incommodis componantur, valde disputabilis est utilitas cælibatus.*

R. Cum Martinet : *Vitia erunt donec homines* [2]; nec abjiciendæ leges, quia mali iis abutuntur; alioquin de ipsa lege christiani conjugii actum esset : quot enim adulteri, quot conjugicidii! idem currit de ceteris legibus. Neque video quomodo Clericus qui desideria carnis non cohibet tot munitus præsidiis, tot sustentatus gratiis, possit unius filiæ hominum amore contineri! Equidem caro est infirma, sed infirmitate carnis major est gratia divina. Neque extemplo ad sacrum ministerium assumuntur homines; sed gradatim in clericali educatione vires suas tentant, quotidianisque insultibus carnis, mundi et diaboli, opponunt scutum Dei, et fortes fiunt ac invincibiles in bello cibo immortalitatis sæpius comedendo, et vinum bibendo germinans virgines; quibus possunt *omnia tela nequissimi ignea extinguere* [3].

Re quidem vera hæc non intendentes plures ex angelis Christi quavis ætate, præsertim mediana, cesserunt pressuræ mundi. Sed maxima pars cœtus apostolici, conjunctæ petræ immobili super quam ædificata est Ecclesia, semper confidit, nec horrendis medii ævi tempestatibus,

[1] V. *Compendio di geografia.* — Bergier, *Dictionnaire*, art. Célibat. — Opus, *Saggio elementare di diritto pubblico Ecclesiastico*, t. II, p. III, c. II, art. Celibato, in fine. — Liber, *Integer legendus*, ut verbis utar Pii VI, qui inscribitur, *La lega della teologia moderna colla filosofia a' danni della Chiesa di Gesù Cristo svelata*, ecc. Novara, Miglio, p. 77. — *Civiltà Cattolica*, vol. X, ser. I. Del celibato sacro e profanato; et vol. XI : Osservazioni fisico-morali intorno al celibato. — Martinet, *Solution des grands problèmes;* it. *Institutiones Theol.*, t. IV, l. V, a. 5.

[2] *V.* Tacitus, *Hist.*, l. IV, c. LXXIV.

[3] Eph. VI. — *V. De obligat. Clericorum*; et *de peccatis* remedia ad continentiam servandam.

nec numero nec belluinis ululatibus clericorum incontinentium, nec molitionibus Cæsarum incontinentiæ maxime faventium, unquam adduci potuit, ut filii Dei ingressi ad filias hominum diluvium barbaricæ feritatis cumularent insanabilis corruptelæ diluvio. Et quia Ecclesia latina confidit in Christo, per clerum soli Christo nubentem vicit mundum, vicit barbariem intestinam, et barbariem externam propulsavit. Quid interea græci, qui deliberatione sua in *domo Cæsaris* (in *Trullo*) enervabant divinam hierarchiam *domus Dei vivi* donando uxoribus presbyteros, diaconos, hypodiaconos, et sic episcopis præcidendo ambas manus? Obscurata in Oriente luce mundi, infuscato sole terræ, gradatim cædere cœpit sol christianus bicorni lunæ mahumetanorum; corruptelæ cæsareæ accessit corruptela schismatis; et cum suo clero cæsareo, uxorio, photiano Oriens conculcatus est filiis spurcissimi pseudoprophetæ, et conculcabitur, donec eo revertatur a quo discessit. Ad rem modernus quidam : « De l'Orient désormais, il ne nous vient plus d'autre lumière que celle du soleil[1]. »

[1] Præstet concludere cum Torricelli : « Dieu vous a donné la terre à peupler, et à moi il me montre le ciel à contempler. Il vous destine à donner des fils à la patrie, et il m'appelle à la sanctifier. Suivez la carrière qu'il vous a ouverte, et ne me troublez pas dans ma vocation avec votre compassion feinte et vos calomnies. Laissez-moi au moins, pour obéir à la voix de Dieu et pour me livrer à ma grande affaire en ce monde, cette liberté que je vous laisse au sein de vos familles, au milieu du tourbillon d'un siècle qui ne songe point au salut. » — Audiendus etiam pro coronide Mislin, *Les saints lieux :* « Les prêtres séculiers du rit arménien catholique peuvent se marier; mais l'état d'abjection et de mépris dans lequel se trouvent les prêtres arméniens schismatiques, par suite d'un tel usage, a contribué à délivrer les catholiques de ces liens. Leur patriarche m'assurait que, parmi tous les prêtres de sa juridiction, deux seulement étaient mariés. »



# APPENDIX
# DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

## CAPUT PRIMUM

### DE BENEFICIORUM NATURA, DIVISIONE ET PROPRIETATE

**351**. Q. 1. *Quomodo Beneficium definitur?*

R. Beneficium ecclesiasticum in se spectatum est *portio bonorum Deo dicatorum adjuncta officio ecclesiastico legitime erecto, ac perpetuo subsistenti.* Respectu vero Beneficiarii communiter definitur beneficium ecclesiasticum : *Jus perpetuum competens Clerico legitime instituto percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.* Dicitur : 1. *jus*, id est vera potestas quæ duplex est : alia exercendi muneris spiritualis; alia fructus ecclesiasticos percipiendi ; — 2. *perpetuum*, non solum ex parte sui, cum bona ecclesiastica alienari non possint; sed etiam ex parte Clerici cui confertur, cum ad ejusdem vitam sit perduraturum[1]; — 3. *competens Clerico;* cum nonnisi Clericus ad ministeria ecclesiastica exercenda deputari valeat[2]; oportet tamen ut hoc jure ab ipsa Ecclesia vestiatur, ut rite illo fungi possit[3], et ideo additur *legitime instituto;* — 4. *percipiendi fructus*; neque enim Beneficiarii sunt domini Beneficiorum, sed tantum administratores et usufructuarii; — 5. *ex bonis ecclesiasticis*, quæ nempe ad Ecclesiam pertinent, sive uti ab ipsa acquisita, sive uti eidem a fidelibus consecrata; — 6. *propter officium spirituale;* ab Ecclesia non aluntur Clerici, ut otientur; sed ut officiis spiritualibus, quibus mancipantur, sedulo incumbant, ex quo

[1] C. *Præcepta* XII, dist. LV. — [2] Cad. Ex *Litteris* VI *de transact.*
[3] Cap. *Cum ad nostram* VII *de institutionibus.* — *V.* Ferraris, v° *Beneficium.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec numero nec belluinis ululatibus clericorum incontinentium, nec molitionibus Cæsarum incontinentiæ maxime faventium, unquam adduci potuit, ut filii Dei ingressi ad filias hominum diluvium barbaricæ feritatis cumularent insanabilis corruptelæ diluvio. Et quia Ecclesia latina confidit in Christo, per clerum soli Christo nubentem vicit mundum, vicit barbariem intestinam, et barbariem externam propulsavit. Quid interea græci, qui deliberatione sua in *domo Cæsaris* (in *Trullo*) enervabant divinam hierarchiam *domus Dei vivi* donando uxoribus presbyteros, diaconos, hypodiaconos, et sic episcopis præcidendo ambas manus? Obscurata in Oriente luce mundi, infuscato sole terræ, gradatim cædere cœpit sol christianus bicorni lunæ mahumetanorum; corruptelæ cæsareæ accessit corruptela schismatis; et cum suo clero cæsareo, uxorio, photiano Oriens conculcatus est filiis spurcissimi pseudoprophetæ, et conculcabitur, donec eo revertatur a quo discessit. Ad rem modernus quidam : « De l'Orient désormais, il ne nous vient plus d'autre lumière que celle du soleil[1]. »

[1] Præstet concludere cum Torricelli : « Dieu vous a donné la terre à peupler, et à moi il me montre le ciel à contempler. Il vous destine à donner des fils à la patrie, et il m'appelle à la sanctifier. Suivez la carrière qu'il vous a ouverte, et ne me troublez pas dans ma vocation avec votre compassion feinte et vos calomnies. Laissez-moi au moins, pour obéir à la voix de Dieu et pour me livrer à ma grande affaire en ce monde, cette liberté que je vous laisse au sein de vos familles, au milieu du tourbillon d'un siècle qui ne songe point au salut. » — Audiendus etiam pro coronide Mislin, *Les saints lieux* : « Les prêtres séculiers du rit arménien catholique peuvent se marier; mais l'état d'abjection et de mépris dans lequel se trouvent les prêtres arméniens schismatiques, par suite d'un tel usage, a contribué à délivrer les catholiques de ces liens. Leur patriarche m'assurait que, parmi tous les prêtres de sa juridiction, deux seulement étaient mariés. »



# APPENDIX
# DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

## CAPUT PRIMUM

### DE BENEFICIORUM NATURA, DIVISIONE ET PROPRIETATE

**351**. Q. 1. *Quomodo Beneficium definitur?*

R. Beneficium ecclesiasticum in se spectatum est *portio bonorum Deo dicatorum adjuncta officio ecclesiastico legitime erecto, ac perpetuo subsistenti.* Respectu vero Beneficiarii communiter definitur beneficium ecclesiasticum : *Jus perpetuum competens Clerico legitime instituto percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum.* Dicitur : 1. *jus*, id est vera potestas quæ duplex est : alia exercendi muneris spiritualis; alia fructus ecclesiasticos percipiendi ; — 2. *perpetuum*, non solum ex parte sui, cum bona ecclesiastica alienari non possint; sed etiam ex parte Clerici cui confertur, cum ad ejusdem vitam sit perduraturum[1]; — 3. *competens Clerico;* cum nonnisi Clericus ad ministeria ecclesiastica exercenda deputari valeat[2]; oportet tamen ut hoc jure ab ipsa Ecclesia vestiatur, ut rite illo fungi possit[3], et ideo additur *legitime instituto;* — 4. *percipiendi fructus ;* neque enim Beneficiarii sunt domini Beneficiorum, sed tantum administratores et usufructuarii; — 5. *ex bonis ecclesiasticis*, quæ nempe ad Ecclesiam pertinent, sive uti ab ipsa acquisita, sive uti eidem a fidelibus consecrata; — 6. *propter officium spirituale ;* ab Ecclesia non aluntur Clerici, ut otientur; sed ut officiis spiritualibus, quibus mancipantur, sedulo incumbant, ex quo

[1] C. *Præcepta* xII, dist. LV. — [2] Cad. Ex *Litteris* vI *de transact.*
[3] Cap. *Cum ad nostram* vII *de institutionibus.* — *V.* Ferraris, v° *Beneficium.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illud : *Beneficium propter officium*[1]; — 7. *auctoritate ipsius Ecclesiæ constitutum;* solius enim Prælati ecclesiastici proprium est ecclesiastica Officia et Beneficia instituere et erigere : eisdem temporales proventus adnectere, judicare quot et qualibus ministris Ecclesia indigeat, atque illis eadem conferre[2] (*I*).

**352.** Q. 2. *Quænam Beneficiorum divisio ?*

R. Præcipua divisio est, ut aliqua dicantur majora, alia minora. *Majora* sunt quibus hæret maximus in Ecclesia gradus, uti *Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Cardinalatus* (addunt *Abbatias* cum quasi episcopali jurisdictione). Hæc tamen non communi Beneficiorum vocabulo ; sed proprio solent indicari, et quandoque etiam Beneficia *consistorialia* dicuntur, eo quod eorum collationem R. Pontifex ordinarie facere soleat in Consistorio Cardinalium : et habent *Prælaturæ* nomen et jurisdictionem in foro externo[3]. — Beneficia autem illa, quæ in prædictorum numero non continentur, appellantur *minora;* quorum quidem :

1. Alia *sæcularia* sunt, alia *regularia*. Illa Clericis sæcularibus, hæc Regularibus jam professis traduntur, uti est Prioratus[4].

2. Alia sunt *duplicia*, alia *simplicia*. *Duplicia* dicuntur quæ duplici onere censentur obstricta, si nempe præter communem precum recitationem, quæ Beneficiis inhæret omnibus, adnexam habeat aliam qualitatem : scilicet vel præeminentiam, et jurisdictionem in foro interno, et dicuntur

[1] Cap. ult., *De rescript.*, in 6; Tridentinum, sess. XXI, c. III.

[2] Cap. *Nemo* IX *de cons.; Omnes*, dist. XXII; cap. *Nullus laicorum* XVIII, *caus.* XVI. Nihil refert quo nomine Beneficium donetur, modo requisitis constet conditionibus. Sic et *præbenda* vocatur, quamvis per se hæc minus pateat; cum proprie nonnisi fructus comprehendat seu dotem Beneficii. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 11. — Garcias, Devoti, Ferrante, Berardi.

[3] *V.* Bouix, *De Episcopo*, p. IV. — Ferraris, v° *Regularis Prælatus*.

[4] Hæc differentia dignoscitur ex fundationis lege vel institutione vel præscriptione. In dubio Beneficium præsumitur sæculare, quia status sæcularis est antiquior. Etsi autem plerumque beneficia regularia non tribuantur ad vitam, adhuc tamen tale jus perpetuum dici solet, seu stabile; quia a proviso illud exercetur proprio nomine, et nequit ad ejus libitum remitti.



*curata :* vel solam præeminentiam, et sunt *personatus :* vel aliquam administrationem, et dicuntur *officia :* vel præeminentiam et jurisdictionem in externo foro, et sunt *dignitates* (quanquam in nomine variant). — *Simplicia* instituta sunt ad solas preces Deo fundendas, atque ad altaris servitium, ut *Canonicatus*[1], *Capellania ecclesiastica*, etc. Simplicia alia sunt *sacerdotalia*, quæ scilicet necessario exigunt, ut conferantur vel actu Sacerdoti vel tali qui ea sit in ætate, ut intra annum possit Sacerdos fieri ; alia *non sacerdotalia*, quæ id non exigunt.

3. Alia sunt *residentiaria*, alia *non residentiaria*. Primis inhæret obligatio residendi personaliter in loco Beneficii, ut ejus munia Beneficiatus personaliter implere valeat. — Secundis vero talis lex non inhæret. Beneficia cuncta erant olim residentiaria ; sed temporum lapsu inducta est consuetudo contraria pro Beneficiis præsertim simplicibus[2].

4. Alia dicuntur *compatibilia* quæ simul possideri possunt ab uno eodemque Clerico. Alia vero *incompatibilia*, quæ e contrario non possunt ab uno eodemque Clerico simul retineri. Hujus generis sunt quibus alligatur vel cura animarum, vel aliud officium quod excludat in Beneficiato quodcumque aliud officium simile, v. g., onus celebrandi Missam festivam *per se ;* non enim Beneficiatus potest per seipsum duas Missas uno die celebrare[3]. Hujus generis sunt etiam quæ dicuntur Beneficia *uniformia sub eodem tecto*, quæ nempe concurrunt

[1] Sed (advertit Devoti), Canonicatus aliquo modo ad dignitates accedunt : ideoque in odiosis simplicium Beneficiorum nomine non continentur (imo alicubi invaluit usus, ut ea tantum simplicia dicantur, quæ residentiam non postulant). Solet autem Canonicatus definiri : *Officium tribuens fraternitatem in collegio, sedem in choro, suffragium in capitulo, et jus ad certas obventiones*. Bouix, *De Capitulo*, ubi plura.

[2] Residentiaria duplicis generis adhuc sunt ; nam alia dicuntur habere residentiam *præcisam* quoties nempe absens per notabile tempus ipso privatur Beneficio. Aliam residentiam *causativam*, si absens sola fructuum amissione punitur.

[3] Hic præstat adhuc animadvertere Beneficia alia esse et dici incompatibilia *titulo* (id est natura sua), uti duæ Parœciæ, quæ æquiparantur duobus Beneficiis sub eodem tecto uniformibus ; alia vero *retentione* tantum, uti duo Canonicatus in diversis Ecclesiis.

ad easdem functiones in eodem loco et eodem temporis puncto : ut essent duæ Capellaniæ ecclesiasticæ in una Ecclesia ; considerantur enim uti duæ sorores, quæ simul haberi non possunt.

5. Beneficia ratione modi quo conferuntur, alia sunt electiva, alia patronata, alia collativa. *Electiva*, si Clericus assumitur per simplicem electionem. *Patronata*, si conferuntur per patroni præsentationem. *Collativa*, si obtinentur per collationem libere factam ab eo, qui potestatem habet, quocumque modo hæc fiat, etiam per concursum[1].

**353**. Q. 3. *Quænam sunt Beneficiorum proprietates?*

R. Præcipuæ Beneficiorum proprietates sunt : — 1. ut ea sine causa ac debitis conditionibus neque dividantur, neque conjungantur (sive id fiat æque principaliter, utroque beneficio suum titulum retinente ; sive suppressive, uno nempe extincto) ; quia primum Beneficia depauperat, aliud Ministris privat Ecclesiam[2] ; — 2. ut sine Pontificis venia tributis ac vectigalibus laicorum non subdantur ; idque vetitum est in Bulla *Cœnæ* sub pœna excommunicationis ; cum enim bona Dei sint, in humano commercio versari non debent[3] (id tamen conventionibus intervenientibus non amplius viget[4]); — 3. ut neque ex parte distrahantur, sed inalienata atque perpetua maneant, nisi Ecclesiæ bonum aliud postulet, legitimo superiore probante, sufficientia redditum beneficio remanente et iis auditis quorum interest, ac Capitulo Cathedralis. Quæ conditiones generatim requiruntur etiam pro beneficiorum sive unione sive divisione.

Ii autem ordinarie possunt beneficia unire, dividere ac distrahere, qui illa possunt conferre, nempe episcopi. Attamen ob Tridentini regulas quædam sunt beneficia quæ episcopus nequit conjungere : 1. beneficia libera cum patronatis, ne illa cadant sub patronos ; 2. beneficia curata cum monasteriis, collegiis, locisque piis ; expedit enim ut pastor sit perpetuus omnesque habeat reditus ; 3. beneficium unius Diœcesis cum alio alterius vel unius regni cum altero alterius regni, ob plura incommoda quæ eveniunt ea diversis dominis sujiciendo ; 4. beneficia sæcularia cum regularibus ; 5. beneficia Sedi Apostolicæ reservata vel adfecta (nisi unienda sint Ecclesiis curatis, seminariis, aut Collegiatæ insigni ob paupertatem); 6. non sunt unienda beneficia ab episcopo suæ mensæ, etsi pauperi, ob turpis lucri suspicionem[1] (*J*).

[1] *V*. Corradus, *Praxis Benef.* — Garcias, *De Benef.* — Lotterius, *De re beneficiaria*.

[2] Can. VIII, XXVI et XXXVI, *De Præbendis*. Et can. XXIII, c. I, an. 7.

[3] Can. IV et VI, *De immun. Eccles.*

[4] Pro Regno Sabaudiæ vid. *Litteræ Apost. Leonis XII*, 14 maii 1828 ; ex quibus hodie illa tantum bona immunia sunt, quæ nullam temporalem utilitatem habent adnexam, uti Ecclesiæ materiales et cœmeteria.



### Scholium. — *De Beneficiis impropriis.*

**354**. Q. *Quid sunt Beneficia impropria?*

R. Beneficia impropria dicuntur ea, quæ veram non habent Beneficiorum naturam et qualitates, licet aliqua ex parte ad eas accedant. Talia sunt *patrimonia Clericalia*, quæ in titulum ecclesiasticum constitutio permittuntur in subsidium tituli ordinarii. *Coadjutoriæ Beneficii*, quæ nudam important alterius onera supplendi facultatem. *Beneficia manualia*, quæ nempe in alterius manu ita remanent, ut possint ad nutum auferri, et ideo dicuntur ad nutum patroni *amovibilia* ; quia scilicet patronus pro arbitrio, quin debeat probare causam, potest cappellanum (qui non sit passive vocatus) amovere et alium eligere, etsi ille primus jam a pluribus annis amovibilem capellaniam teneat ut docent communiter Conradus, Garcias, Gonzales, etc. Excipiunt aliqui, nisi remotio aperte probetur facta ex irrationabili causa aut vindictæ impulsu. *Legata pia*, quæ nihil aliud sunt, quam certa bonorum dispositio ad pium opus. Et laicalia *præstimonia*, seu certæ illæ portiones, quæ alicui præstantur, v. g., studiorum, paupertatis vel militiæ causa.

Hæc enim omnia maxime deficiunt in perpetuitate et ecclesiastica institutione, quæ duo præcipue ad veram Beneficii ecclesiastici naturam indagandam inspicienda sunt.

**355**. Hinc patet etiam nomine Beneficii improprii venire *Capellanias laicales* seu *non collativas*, licet perpetuas, quæ scilicet non aliud sunt quam piæ fundationes, quæ important obligationem aliqua ministeria obeundi in certa capella, vel altari[2]. Differunt enim a Beneficiis proprie dictis :

1. Quia verum Beneficium semper soli Clerico tradendum est ; Capellania autem laicalis etiam laico, imo etiam feminis et pueris tradi potest, per alios implendo onera ; — 2. quia in Beneficio intervenit semper auctoritas Prælati ecclesiastici in erectione et collatione ; in

[1] Sess. XIV, c. IX ; sess. XXIII, c. XVIII ; sess. XXV, c. IX et XVI, de R. — Ferraris, v° *Unio Benef.*

[2] *V*. Lanfredini, *Responsa juris*, vol. I, ubi plura et lucide. — A Mostazo, *De causis piis*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Capellania non ita : illam enim necessario non erigit episcopus nec confert, etsi eam adprobet et acceptet; — 3. quia Beneficium inter jura ecclesiastica recensetur, et ideo ejus titulus et administratio semper manet penes auctoritatem prælati ecclesiastici; sed in Capellaniis laicalibus hæc duo manent penes ipsum fundatorem et successores ejusdem. Hinc appellantur etiam *salaria mercenaria*, et capellanus *mercenarius*, quasi famulus a domino mercede ac salario conductus. Unde Capellaniarum bona sunt mere laicalia, et lites quæ suboriuntur inter patronos et passive vocatos; item quæ respiciunt permutationes bonorum et similia, res profanæ habentur, circa quas cognoscunt judices laici [1].

Cum tamen pias fundationes contineant, jus erit Episcopis eas visitandi, nisi expresse id fuerit vetitum in tabulis fundationis [2]. Item quando agitur de immutatione ac reductione onerum spiritualium ad romanam Sedem omnino confugiendum est; cum ejus tantummodo sit sacra tueri et moderari. Excipe nisi ex fundatione ipsa hoc habeat jus episcopus [3] (*K*).

---

## CAPUT SECUNDUM

### DE MODIS ECCLESIASTICI BENEFICII ACQUIRENDI

**356.** Beneficia ecclesiastica *vacua* (seu *vacantia*) esse debent, ut rite conferantur. Et collatio, imo et promissio Beneficii non vacantis, nisi fiat a romano Pontifice, nulla est. Imo qui scienter ad illud institui passus fuerit, is majori excommunicatione puniendus [4]. Hinc Tridentinum antiquavit omnia *mandata de providendo, reservationes mentales, gratias expectativas, et alias quascumque ad vacaturam* [5]. In hac autem re præstat ut semper præ oculis habeatur vulgare illud : *Beneficia sine diminutione, vacantia, dignioribus, gratis, sollicite conferantur.*

[1] *V.* De Luca, *De Benefic.*, disc. XCVII; *De alienat.*, disc. I; *De jurepat.*, disc. LIII; *In Miscell.*, disc. XXVIII. — Laurenius, *Forum beneficiale*, par. I, quæst. XCVI, cum Gonzales, Barbosa, etc.

[2] Tridentinum, sess. XXII, c. VIII et IX, de R. — Ferraris, v^is *Cappellania, Præstimonium.*

[3] V. *Pratica legale* pro Regno Sabaudiæ, p. II, t. X, l. I. — Beraldi, *De Benef. impropriis.*

[4] C. II et VII, *De conc. Præb.* — [5] Sess. XXIV, c. XIX, de R.



**357.** Q. *Quot modis Beneficia ecclesiastica acquiruntur?*

R. Tribus modis communiter ecclesiastica Beneficia acquiruntur : 1. per *electionem*, qua Clericus a toto capitulo vel congregatione eligitur, et a superiore confirmatur; 2. per *præsentationem*, qua quis a patrono offertur superiori, a quo acceptatur, si reperiatur idoneus. Huc referri potest *nominatio*, qua quis nempe, etsi non patronus, ex indulto tamen aliquem ad aliquod beneficium præsentat, ut illud ei conferatur a superiore; 3. per *collationem*, cum gratis solo jure prælati datur alicui, qui ideo adquirit jus in Beneficium illiusque possessionem petendi facultatem : hæc fit per symbola, v. g., per bireti impositionem, etc.

Collatio tribuenda est ab ecclesiastico superiore etiam electo et præsentato. Si tamen tribuitur præsentato, dicitur *institutio canonica;* si electo, appellatur *confirmatio;* nomen enim *liberæ collationis* retinet tantum, si beneficium detur solo jure prælati capacis. Postea remanet possessio, nempe *immissio in possessionem* seu *institutio corporalis*, quæ est corporalis investitio sive positio pedis in Beneficio, per quam demum habetur in illo quies : fit per ingressum in Ecclesiam Beneficii, per aditionem altaris, stalli occupationem, etc. Hæc possessio est magni ponderis; cum ab ipsa jura et onera hodie maxime incipiant.

---

### Art. I. — De electione, nominatione et præsentatione.

**358.** Q. 1. *Quid est electio et nominatio ad Beneficium?*

R. Ad 1 : Electio ad Beneficium non aliud est, quam *optio communibus suffragiis, et servatis conditionibus in jure requisitis peracta, vi cujus aliqua persona præ aliis ad vacans Beneficium designatur.* Sic evenit, v. g., in Capitulis Canonicorum, ubi ab ipsis inter multos unus sit eligendus ad Canonicatum : sic evenit etiam in piis laicorum confraternitatibus, ubi de eorum eligendo Capellano sit sermo. Conditiones in electionibus servandæ sunt : 1. ut omnes qui jus habent eligendi, juxta usus vigentes vocentur (attamen modo canonico impedimento non prohibeantur ut sunt hæretici,

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

schismatici, excommunicati); non tamen obstat, si quis vocatus non veniat[1]; 2. ut omnes eligentes in Cathedrali vel Collegiata sint saltem subdiaconi[2]; 3. ut electio sit omnino libera : *Cessat electio*, ait Gregorius IX, *dum libertas adimitur eligendi*[3]; 4. ut is eligatur, in quem sanior pars consentit : ita Lateranense IV. Hodie major numerus censetur etiam esse sanior, talis nempe qui canonum regulas servat.

Ex eodem Concilio electio fieri potest : 1. *per scrutinium :* est cum quilibet suum suffragium secreto tribuit; 2. *per compromissum :* est cum facultas eligendi in unum, vel plures designatos ex consensu transfertur; 3. *per inspirationem :* est cum subito quodam motu omnes eligentes in unum conspirant. Id si accidat in Romano Pontifice eligendo, electio dicitur facta *per adorationem.*

Electio absoluta electo est offerenda[4], qui intra mensem a notificatione consensum dare debet; et intra menses tres, a consensu dato, a superiore confirmationem petere. Et si agatur de electione episcopi, intra tres a confirmatione impetrata menses consecratio suscipienda est. Superior autem antequam electionem confirmet, de ejus legitimitate cognoscere debet, illam (generali edicto) ad valvas ecclesiæ publicando, ut si qui sint contrarii, præfinito tempore compareant.

R. Ad 2 : Nominatio est *actus quo exhibetur Superiori persona aliqua ad Beneficium vacans occupandum.* Fit per litteras : et sic hodie communiter eliguntur Episcopi; scilicet Principes ex concessis a Pontifice indultis ad cathedrales Ecclesias nominationem habent, seu ut aiunt pagmatici, supplicationem pro viris idoneis et episcopatu dignis. Hoc etiam modo Episcoporum coadjutores nominantur (*L*).

**359**. Q. 2. *Quid præsentatio ad Beneficium, et juspatronatus?*

[1] C. xxviii, *De elect.*, in 6. — *V.* Ferraris, vº *Absens.*
[2] Tridentinum, sess. xxii, c. iv, de R.
[3] L. I, t. LVI, c. iii, in 6.
[4] Cap. xv, xix, xxii, xxx et xliii, *De elect.* Si eligendus canonico aliquo impedimento laborat dispensabili, tunc electioni præmittitur *postulatio* Superiori, ut concedat *indultum eligibilitatis* (Ex c. i, *De postulat*). *V.* Salzano, *Lezioni di diritto Canonico pubblico e privato.*



R. *Præsentatio est exhibitio personæ idoneæ facta coram Episcopo ab eo, qui habet juspatronatum, ut in Beneficio instituatur.* Unde etiam patet quid sit juspatronatus; est *facultas* seu *jus offerendi Clericum, ut ei conferatur Beneficium vacans.* Antiquissima autem Ecclesiæ disciplina receptum est, ut iis qui Templa aut Beneficium vel erigerent vel dotarent vel restituerent, fas esset non tantum nomina sua et stemmata gentilitia in Templis ipsis retinere, ac jure alimentorum, sepulturæ, sedis, processionis, thuris, et ceteris hujusmodi frui; verum etiam Clericos sibi acceptos ad eadem Beneficia eligere, et Episcopis præsentare. Hinc sequens versus :

*Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*[1].

Juspatronatus est jus *honorificum*, quia maximi est honoris quempiam posse nominare ad Ecclesiæ officia. Est jus *onerosum*, quia tenetur patronus defendere Ecclesiam suam ejusque bona tueri. Est *utile*, quia si patronus inops fiat, est succurrendus præ ceteris jurispatronatus bonis[2]. Etsi autem non appelletur per se etiam *jus spirituale*, quia tamen juspatronatus et ab Ecclesiæ concessione proficiscitur et circa res spirituales versatur; ideo uti jus necessario cum re spirituali connexum considerari debet, adeo ut nequeat in commercium deduci[3].

**360**. Q. 3. *Quomodo juspatronatus dividitur?*

R. Juspatronatus 1 : aliud est *hæreditarium*, et est illud quod transit ad quoscumque vocatos hæredes, etiam extraneos. Aliud *gentilitium* seu *familiare*, et est illud quod relictum est iis qui sunt de tali familia vel gente. Aliud *mixtum ex hæreditario et gentilitio*, seu illud quod competit eis qui sunt simul et hæredes et de tali familia, ut cum illud est

[1] *V.* Tridentinum, sess. xxv, c. ix, de R. — Garcias, *De Beneficiis.* — De Luca, *De jure patronatus*, disc. lvii. — Marenco, *De Beneficiis.* — Viviani et Pitonius, *De jure patronatus.*
[2] Cap. *Filiis* xxxi, caus. xvi, q. 7; c. *Quicumque* ii, caus. xvi; c. *Nobis* xxv *de jure patronatus.*
[3] Cap. iii, *De judiciis*; c. xvi, *de jure patronatus.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

trasmittendum actu ultimæ voluntatis, sed tantum in eum qui sit de tali cognatione.

2. Aliud est *activum*, aliud *passivum*. Primum est jus quod patronus habet præsentandi aliquem ad Beneficium; secundum est jus competens aliquibus de tali familia vel loco qui si idonei, aliis exclusis, per patronum necessario debent præsentari. Juspatronatus activum subdividitur in *personale*, quod competit personæ patroni independenter a re aliqua vel loco; et in *reale* quod adnexum est alicui certæ rei vel loco, v. g., prædio, pago, etc., et hoc transit ad quemlibet etiam non hæredem, qui talem rem aut locum emptione, v. g., vel donatione acquirit.

3. Aliud est *ecclesiasticum*, quod ex bonis ecclesiasticis fundatum et erectum fuit; vel si fundatum fuit ex bonis laicalibus, fuit tamen aut ab initio aut postea, v. g., testamento, donatione, etc., translatum in ecclesiam aut capitulum seu collegium ecclesiasticorum, quorum proinde est præsentare. Aliud *laicale* quod laico (vel etiam clerico, non quidem ut clerico, sed ratione proprii patrimonii) competit ut præsentet. Aliud *mixtum ex utroque*[1], cujus præsentatio pertinet partim ad clericum ratione ejus Officii sacri, partim ad laicos[2].

**361**. Q. 4. *Quomodo juspatronatus adquiritur*[3]*?*

R. Dupliciter adquiritur, originaliter et derivative. *Originaliter :* 1. fundatione canonica, quæ includit areæ dationem, ædificationem, dotationem cum episcopi consensu; 2. sufficienti dotatione ecclesiæ jam constructæ, et ab episcopo probata; 3. romani Pontificis privilegio.

*Derivative*, seu ab antiquo patrono in alium transfertur : 1. per successionem sive testamentariam sive legitimam, si juspatronatus sit hæreditarium; 2. per donationem : verum si donatio fiat ab Ecclesia patrona, requiritur Apostolicum

[1] « Le patronage *mixte* peut venir de ce que par exemple un prêtre séculier a fondé un bénéfice en partie avec les biens d'une église, en partie avec ses biens patrimoniaux. » Nardi, *Lezioni di diritto eccl.*, § 618. — In dubio patronatus supponitur laicalis, non ecclesiasticus.

[2] *V.* Ferraris, *Bibl.*, etc., v° Juspatronatus, art. 1, ubi plura.

[3] Tridentinum, *loco cit. V.* Ferraris, v° *Familia.*



beneplacitum; si autem fiat a patrono laico, requiritur et sufficit episcopi consensus. Qui tamen non erit necessarius, si patronatus donetur compatrono (esset enim simplex remissio); vel ecclesiæ aut monasterio; vel si tantum alicui permittatur illius exercitium, ut nempe ipse hac aut altera vice quem voluerit, nominet; 3. permutatione, modo pro jure patronatus res alia spiritualis tribuatur, de episcopi consensu; 4. venditione loci vel fundi cui juspatronatus est adnexum. Hoc tamen non debet intelligi quod juspatronatus per se ac solitarie sumptum possit vendi; quia sic sumptum nec licite nec valide venditur; cum inconveniens sit vendi juspatronatus quod est spirituali adnexum.

*An etiam* (quæres) *præscriptione adquiratur juspatronatus?* R. Affirmative et quidem tam derivative quam originaliter. *Derivative*, si quis contra patronum ipsum præscribat, cum bona fide, aliquo titulo licet vitiato, et duabus vel tribus præsentationibus intervenientibus spatio 40 annorum (alii requirunt tantum 30, si patronatus sit laicalis). At si de titulo non constat, requiritur præscriptio immemorialis. — Adquiritur *originaliter*, si quis contra ecclesiam liberam, quæ scilicet nunquam hoc patronatu usa est, possit demonstrare, se jam a tempore immemoriali plures fecisse præsentationes[1] : quæ quidem authenticis scripturis probandæ sunt et omnes cum suo effectu factæ, si agatur de personis potentibus, a quibus hoc jus potius præsumitur usurpatum.

**362**. Q. 5. *Quandonam facienda est præsentatio?*

R. Si patronatus est *laicalis*, præsentatio facienda est intra menses quatuor. Si *Ecclesiasticus* intra menses sex computandos a die, quo Beneficii vacatio ad patroni notitiam potuit pervenire[2] : at Episcopus potest ad alios sex menses tempus prorogare, non amplius[3]. Item si *mixtus*, sufficit præsentare intra semestre, etsi pars clericorum sit minor : quia hic semper attenditur qualitas quæ magis favet patronis. Adde

[1] Tridentinum, sess. xxv, c. ix, *de R.* — Ferraris, v° *Juspatronatus*, art. 1.

[2] C. unico, § *Verum de jure pat.*, in 6.

[3] C. ii, *De conc. præb.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE

pars præstantior potius est attendenda, ut docent Barbosa, Lambertinius, et Rota definit[1].

Non currit tempus, si lis sit vel inter Episcopum et patronos, vel inter patronos et præsentatos, vel inter ipsos præsentatos; sed interea, durante lite, debet Beneficio deputari œconomus. At currit tempus, si lis sit inter ipsos patronos, puta si non conveniant in præsentando, vel si contenditur cui competat jus præsentandi[2]; excipe nisi unus ex litigantibus patronis sit cum bona fide in notoria possessione præsentandi: tunc valide præsentat, et lite non obstante præsentatus debet institui, et firmiter manebit, quamquam postea succumbat in judicio talis patronatus[3].

Patronus autem dignum, imo digniorem debet præsentare, ut Ecclesiæ bonum postulat. Si præsentat indignum, ubi patronus sit laicus, jubetur alium præsentare: si ecclesiasticus, ea vice jure præsentandi privatur[4]. Patronus nequit seipsum præsentare; rogare tamen potest Episcopum, ut si dignus est, sibi patrono Beneficium conferat. Potest item unus patronus præsentare alium compatronum; cum id non prohibeatur; renuntiando videlicet hoc secundo, illa vice jure præsentendi[5].

**363**. *Quid* (dices) *si multi simul præsententur ad Beneficium?*

R. Tres hic possunt hypotheses institui:

1. Si patronus, qui antea præsentavit, v. g., Petrum, postea præsentet alium, v. g., Paulum, si patronatus est *ecclesiasticus* vel *mixtus*, tunc *qui prior est tempore, potior est jure;* si est *laicalis*, poterit Prælatus eum instituere, quem maluerit; quia tunc præsentatio secunda non irritat primam, neque e contra. Ratio disparitatis est, quia patronatus ecclesiasticus vel mixtus præsumitur nosse digniorem; quem ideo nominare debet, neque mutare. Laicus vero præsumitur non

[1] *V.* Ferraris, v° *Juspatronatus*, art. 4.
[2] C. *Quoniam de jure patron.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 89.
[3] C. XXVI, *De jure patron.*; et Benedictus XIV, *Notificatione* XCV, § 5.
[4] C. *Cum autem de jure patr.*
[5] C. III et XXVII, *De jure patr.* Et c. in jure XXXIII *De elect.*



satis digniorem nosse; ideo plures potest præsentare cumulative[1].

2. Si ex duobus patronis alter unum, alter vero alterum præsentat, Prælatus jure Beneficium conferre potest suo arbitratu. Quamquam prudentia exigat, ut digniorem ex præsentatis eligat[2].

3. Si multi patroni sunt discordes inter se, ille erit jure instituendus, in quem convenit eorum pluralitas, nisi sit indignus: qui si talis fuerit, poterit tunc alter præsentatus a paucioribus, qui se dignum et idoneum præbeat, in Beneficio institui, vel etiam (si Episcopus voluerit) nova ab omnibus præsentatio præscribi[3].

**364**. Q. 6. *Quot modis amittitur juspatronatus?*

R. Multiplici de causa juspatronatus amittitur: — 1. *rei interitu*, ut si quod constituit juspatronatus, penitus pereat; cum amplius non habeat ubi consistat: at si, v. g., Ecclesia patronatus sit destructa, sed adhuc sit salva dos, non esset neganda patrono facultas præsentandi, quousque aut ab ipso nova Ecclesia esset extructa, aut ab extraneo, qui tunc esset in societatem juspatronatus admittendus; — 2. *facto ipsius patroni*, ut si suo jure abdicet aut illud alteri concedat; vel Ecclesiam nulla sui juris facta reservatione, Collegiatam fieri patiatur; vel prædium vendiderit, cui juspatronatus inhæret[4]; — 3. *ejusdem patroni crimine*, ut si in hæresim inciderit, si Ecclesiæ Rectorem aut Clericum per se vel per alium occidere aut mutilare ausus fuerit; item si jura Ecclesiæ usurpaverit; vel separatim a fundo jus vendiderit, quasi res sit appretiabilis[5]; — 4. demum *præscriptione*, si nempe spatio annorum 40 vel 30 juxta alios, patronus neglexerit Beneficium conferre non impeditus: modo tamen interea

[1] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. VII, n. 6.
[2] C. *Consultationibus* XIX *de jure patron.*
[3] Cap. VII, § 3; et cap. XXVI, in fine, *de elect.*
[4] Cap. un., *De jure patron.*, in 6; et Tridentinum, sess. XXV, c. IX, de R.
[5] Cap. VI et XVI, *De jure patron.*; cap. X, *De hæresi;* cap. XII, § *Sacris de pœnis.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ordinarius illud bis saltem contulerit, non jure devolutivo, sed jure sibi tanquam proprio[1] (*M*).

### Art. II. — De libera collatione.

**365.** Q. 1. *Quid est collatio libera Beneficii?*

R. Collatio libera Beneficii est: *Concessio vacantis Beneficii, ex mero arbitrio ac canonice facta ab eo, qui potestatem habet.* Hoc evenit quando solo jure Prælati illud tribuitur juxta canonum regulas, quin aliquod jus alteri competat. — In qualibet Diœcesi jure communi Episcopus est collator ordinarius Beneficiorum. Supremus autem et universalis collator est R. Pontifex. Ratio primi est, quod in sua Diœcesi Episcopus est sacrorum moderator. Ratio posterioris est, quod Papa est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, et Ordinarius Ordinariorum.

Collatio scripto fieri debet: Pontifex dat diplomata et *Bullæ* dicuntur quæ a pluribus Datariæ et Cancellariæ ministris obsignantur[2]; sed Episcopus id conficit publico instrumento a Cancellario obsignato. Episcoporum autem potestas quoad Beneficiorum collationem duobus maxime limitatur, *concursu* ac *reservatione*[3]. Quibus addendum est *jus devolutionis.*

**366.** Q. 2. *Quænam Beneficia acquiruntur per Concursum?*

R. Beneficia illa, quæ post Tridentinum acquiri nequeunt, nisi per eam examinis speciem, quam Canonistæ *concursum* appellant, sunt Parœciæ, quæ pertinent ad liberam Episcoporum collationem: et alia item minora Beneficia, quæ curam animarum adnexam habent. Nimirum Tridentinum perpendens quantum animabus expediat a pastoribus selectis Parochias

[1] Cap. xxiv, *De elect.* — *V.* Ferraris, Marenco et Schmalzgrueber.
[2] Solet etiam Pontifex largiri *Bullas novæ provisionis* ad convalidandam vel confirmandam priorem collationem aut a seipso aut ab Ordinario factam, ut suppleantur defectus et tollantur nullitates anteriores. — *V.* Galiardi, *De Beneficiis*, c. x, n. 10.
[3] Quoad Austriam, v. *Concordatum ultimum*, anno 1855, art. 22, 23, 24 et 25.



gubernari, expresse jussit eas non posse conferri, nisi dignioribus inter eos, qui experimento instituendo coram ipso Episcopo vel eo impedito[1], ab ejus Vicario generali et examinatoribus (synodalibus vel prosynodalibus) non paucioribus quam tribus, fuerint approbati, declarans provisiones secus factas et irritas nullas ipso jure[2]. Imo Pius V Constitutione *In conferendis* anno 1567, decernit provisiones *præter et contra formam ab eodem Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam*, factas nullum provisis jus aut titulum etiam coloratum possidenti præbere; et ea vice beneficii collationem Sedi Apostolicæ esse reservatam.

Parœciis adde præbendam Theologalem ac Pœnitentiariam, quæ item Beneficia per concursum sunt conferenda ex Benedicto XIII.

**367.** *Quid* (dices) *si Beneficium parochiale sit jurispatronatus?* Vel Beneficium parochiale est jurispatronatus laicalis; vel ecclesiastici.

Si 1, generatim loquendo nullus requiritur concursus. Sed præsentatus erit probandus de necessitate a tribus examinatoribus synodalibus (vel prosynodalibus) ut patet ex Tridentino[3]; et si idoneus, statim admittendus. Quod etiam currit ex S. C. C., si Beneficium sit jurispatronatus mixti: id statutum est, ne jura laici ob consortium cum ecclesiastico læderentur. Diximus *generatim loquendo*; nam si plures æqualiter præsententur, concursus esset indicendus: et tenetur episcopus eligere quem ex approbatis judicaverit magis idoneum.

Si 2, tunc patronus ipse quem putat digniorem, eligere debet ex approbatis in concursu ab examinatoribus, et eum Episcopo offerre, si institutio ad Episcopum spectet; si tamen

[1] Hisce tamen verbis *vel eo impedito* non tollitur quod etiam coram Vicario generali non possit fieri examen, etiam Episcopo non impedito; illa verba posita sunt ad denotandum, convenire ut ab Episcopo, quoad potest, compleatur examen. Nequit tamen a Vicario generali sine speciali mandato fieri collatio parochialis judicato et electo magis idoneo. *Garcias*, *Barbosa* et *Bouix*.
[2] Sess. xxiv, c. xviii.
[3] Sess. xxiv, c. xviii. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 109.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

institutio pertineat ad alium, tunc electio dignioris fit ab Episcopo ex Tridentino. Patroni vero est tantum digniorem sic electum ei præsentare, cujus est illum instituere[1].

**368**. *Quid* (quæres) *si Beneficium parochiale sit apostolicæ Sedi reservatum?* Si res sit de Beneficiis curatis, quæ tantum ratione mensium reservata sunt, Episcopus inter approbatos eligit magis idoneum et illum Datariæ significat; non tamen acta concursus transmittit, nisi requirantur. Si vero ea Beneficia ex alio capite sint reservata, attenta Constitutione Benedicti XIV *Cum illum*, peracto concursu, Episcopus abstinere debet a judicio, sed acta Datariæ exhibebit[2]. Diximus *attenta Benedicti XIV Constitutione*; nam apud nos invaluit usus, ut scripta Romam non mittantur, nisi episcopali Sede vacante.

**369**. *Quomodo* (quæres) *adspirantes ad concursum invitandi sunt?* Tridentinum præcipit, *ut Episcopus et qui juspatronatus habet intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum* examinandos vocet: quæ verba Pius V ita determinat, ut nequeat tempus illud ultra viginti dies protrahi. At formam vocandi adspirantes remisit Episcopi arbitrio vel Concilii provincialis; ideo si aliquid statuit Concilium Provinciale, illud erit observandum ex declaratione S. C. Congregationis. Porro quoad nos constituit D. Carolus in suo Provinciali I, *ut per edictum publicum ad januam Cathedralis et Ecclesiæ vacantis omnes invitentur, qui volunt examinari*. Si elapso edicti tempore, quis compareat, si res adhuc sit integra, nempe examen initium non habuerit, definivit S. C. C. ut adhuc ille admittatur; cum id cedat in bonum Ecclesiarum. Secus non, ne jam admissis fiat injuria.

Quod si nullus omnino vel nullus idoneus compareat, aut qui comparuit nolit se examini subjicere, novus concursus erit indicendus. Qui si adhuc frustra sit tentatus, ex S. C. C. fas erit Episcopo tertium concursum omittere, et privatim (adhibitis tribus semper examinatoribus synodalibus), illum probare, qui se exhibuerit[3]. Aliter tamen videtur resolvendum casu quo quis comparuerit, concursum pro omnibus Parœciis tentaverit, et idoneus repertus fuerit, non tamen omnes fuerint illæ parœciæ provisæ; tunc enim non verificatur, quod nemo idoneus ad illas se præsentaverit.

[1] *V*. Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. xxiv, etc.
[2] *De Syn.*, *Diœc.*, c. xiii, l. XXIV; et *Notificatione* vii.
[3] *V*. Corradus, *Praxis Beneficiarii*. — Massobrius, *Praxis habendi concursum*. — Ferraris, *Bibl.*, etc., v[is] Concursus et Beneficium, art. 3: Examen, Examinare.



**370**. *An* (addes) *examinatores debeant tantum judicare de scientia concurrentium, an etiam de ceteris dotibus moralibus?* — R. *Peracto examine*, ait Tridentinum, *renuntientur quotcumque ab iis* (examinatoribus) *idonei judicati fuerunt ætate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis*. Imo S. C. C. expresse declaravit, examinatores *graviter deesse muneri suo, si doctrinæ tantum judices sint; nec inquirant qui præ aliis probitate morum, laboribus, præstito ante Ecclesiæ obsequio ceterisque dotibus ad officium parochiale cumulate obeundum necessariis, sint idonei et commendabiles*. Imo addit nullam esse collationem, quæ facta sit super judicio examinatorum ad solam doctrinam limitato. Tandem Benedictus XIV Encyclica *Cum illud* aperte reprobavit abusum contrarium alicubi inolescentem[1]. *Unde videntur* (ait Garcias) *peccare mortaliter examinatores facientes relationem et approbationem solum quoad litteraturam seu scientiam; etiamsi Episcopus velit, quia non adimplent nec faciunt suum officium ut debent*[2].

Probabilius ac communius examinatores tenentur (nisi agatur de jure patronatus) denuntiare non solum omnes idoneos, sed etiam magis idoneos, omnibus ut supra pensatis. Est Tridentini mens, ut sic melius valeat Episcopus judicare, cujus est ultimum judicium: et in eo se immiscere non debent examinatores, nisi Episcopus, ut cautius agat, etiam hac in parte eorum consilium velit exquirere. Ita Corradus et Benedictus XIV Ad rem etiam Novariensis Episcopus Meraviglia lege 165 suæ celebris *Prudentiæ Episcopalis* notat: *Scientia unum est ex requisitis pro justa et recta beneficiorum collatione? cum tamen ipsa non sit omne requisitum, potuerunt Episcopi aliis in aliquo*

[1] *V*. etiam *De Synodo Diœcesana*, l. IV, c. viii.
[2] *De Beneficiis*, par. IX, c. ii, n. 106. De concursu ac vocatione et dotibus ad illum vid. Riccardi, *Dei doveri e dello spirito degli Ecclesiastici*, cap. ii. — *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 804; l. IV, n. 109, etc.

*concurrentibus requisitis, illum postponere qui in concursu perfectior in scientia fuerit inventus. Et ideo ab ipsis non erit semper attendendus examinis rigor; cum possit contingere, aliquem virum sapientiorem esse moribus, et vita improbiorem; in quo casu vitæ probitas est semper præferenda, ut res magis intrinseca statui ecclesiastico.* Id etiam constat ex S. Concilii C., et talis est mens etiam Constitutionum Apostolicarum.

**371**. *Quid* (quæres) *si quis inter concurrentes rejectus, atque posthabitus putet sibi injustitiam fuisse irrogatam? poteritne iste a judicio Episcopi appellare?* R. Poterit non electus appellare a tali electione ad Metropolitanum: vel si eligens sit Metropolitanus, ad Ordinarium viciniorem. Ita Pius V: sed appellatio intra decem dies a collatione Parochiæ est interponenda. Ceterum præterquamquod ad votum appellantis causa resolvi difficile potest, cum judicium non sit tantum super doctrina; hæc appellatio *impedire nullimode potest aut suspendere, quominus relatio examinatorum, ac Episcopi electio, et approbatio executionem habeat*, ut loquitur Tridentinum [1].

Si tamen aliquis de patroni judicio conqueratur, et Episcopus inquirendo dissentiat a judicio patroni ipsius, tunc appellatio datur etiam *in suspensivo*, non tantum *in devolutivo* (N).

**372**. Q. 3. *Quid est reservatio et quomodo inducta?*

R. *Reservationis* vocabulo intelligitur jus quod romanus Pontifex sibi ipsi tribuit circa Beneficia, ut ea ipse solus conferre possit certis in casibus, quæ ceteroquin essent liberæ collationis. Beneficia hæc appellantur reservata vel affecta, quasi nempe apostolicæ Sedi addicta; *affecta*, si in iis conferendis se miscuit seu manus apposuit Pontifex per aliquod speciale factum; *reservata*, quorum collatio Pontifici expresse in jure jam est reservata. Communi tamen usu primi et secundi generis Beneficia reservata dicuntur [2].

Mirum profecto quanta sententiarum diversitate inter Canonistas hac super re fuerit disputatum! Nos pro veritate certantes, quæ eadem semper est, affirmamus: 1. Pontificem tanquam caput totius Ecclesiæ et supremum bonorum Ecclesiasticorum dispensatorem posse certa Beneficia certis

[1] Plurimi casus in quibus appellatio non habet effectum devolutivum, numerantur a Benedicto XIV, Constit. *Ad militantis Ecclesiæ* 1742. — V. Ferraris, v° *Appellatio*.

[2] Ep. VIII, LXXIX et LXXX, l. I; col. 495, 563, etc.



Clericis conferre in omnibus Diœcesibus; cum id Ecclesiæ universæ necessitas vel utilitas postulat. Eo jure inter ceteros usus est S. Gregorius M. quem suspicari certo non licet jus alienum invasisse; 2. ad honorem etiam apostolicæ Sedi debitum pertinere, ut quandoque inferiores Antistites patiantur Clericos quosdam, licet sibi non subditos, ex Papæ liberalitate Beneficio aliquo in Diœcesi sua donari; 3. romani Pontificis munus esse, ut Antistitum omnium excessus cohibeat, defectus suppleat et culpas corrigat et emendet; si quando non idoneos ad beneficia elegerint [1].

Reservationes hujusmodi continentur tum in corpore juris canonici, in Extravagantibus, in Bullis, quæ omnia perpetuam habent vim; tum in regulis Cancellariæ apostolicæ, quæ quidem regulæ, mortuo Pontifice cessant, non tamen in omnibus; sed a novo electo Pontifice Romæ debitis modis statim promulgantur, et ex tunc incipiunt obligare ubique, nisi iis per Concordata derogatum sit. Imo observat Devoti, quod per obitum Pontificis tantum reservata esse desinunt Beneficia quæ continentur Regula nona, quæ scilicet respicit Beneficia quæ vacant in mensibus Papæ reservatis [2]. Verum hæc etiam Beneficia ut recte ab Episcopo conferantur expedienda est collatio, vacua Sede apostolica; nam electo Pontifice confirmatisque regulis, amittit Episcopus conferendi facultatem.

Attamen reservatio per se non obtinet nec supponitur in Beneficiis jurispatronatus laicalis et mixti; at hoc non obest, ut si talia Beneficia vacant apud Sedem, scilicet per obitum in Curia vel in loco vicino,

[1] *V.* Devoti, *Inst. can.*, l. I. — Pichler, *In* l. III decr., t. V. — Biner, *De jure beneficiali.* — Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars II. — Gerdil, *In Comment. a Just. Febronio in suam retractationem*, animadversio 31. — Zaccaria, *Antifebronio vendicato*, diss. VII.

[2] Quod ut intelligatur notandum, reservationes alias esse *certas*, et est, quando ante mortem beneficiati jam constat Beneficium ab ipso possessum esse reservatum; alias *incertas*, quando reservatio pendet ab eventu futuro et incerto qui nonnisi ab ipsa beneficiati morte certus fit. Porro reservationes certæ semper obtinent, etiamsi inductæ a regulis Cancellariæ, et vacet Sedes romana; non item incertæ. Sed incerta reservatio ex regulis Cancellariæ una tantum est, quæ scilicet respicit menses papales, ut supra; ergo, etc. Tres præcipuæ sunt Cancellariæ regulæ quæ ob maximam quam præ se ferunt utilitatem, semper obtinent, etiam mortuo Pontifice, nempe regula XIX *De viginti*, XX *De idiomate*, XXX *De verisimili notitia*. Rigantius et Marenco.

Pontifex ea Beneficia conferat, modo tamen non sint jurispatronatus regii [1] (*O*).

**373.** Q. 4. *Quid de collatione Beneficiorum facta jure devolutionis?*

R. Si ii, ad quos pertinet, non provident Beneficiis minoribus vacantibus intra tempus definitum (id est intra quatuor menses a notitia vacationis, si agatur de patronato laicali; intra menses sex, si agatur de patronato mixto vel ecclesiastico), jus Beneficium conferendi pro ea vice ad alium devolvitur, videlicet de patronis ad Episcopum, de Episcopo ad Metropolitanum, de hoc ad Papam in quo tamen jus sistit, quin ad alium fiat devolutio [2]. — Elapso tempore utili ad conferendum, per se loquendo non amplius valet collatio postea facta ab illo qui conferre distulit, etsi ille cujus favore devolutio facta est, Beneficium nondum contulerit; nam differendo jure suo cadit pro ea vice.

Attamen communi usu receptum videtur ut adhuc sustineatur collatio si fiat, antequam qui jure devolutionis gaudet, eo utatur : præstat sane ut quoad citius potest, unumquodque ecclesiasticum munus suum habeat rectorem, qui adnexa ministeria adimpleat [3].

---

## CAPUT TERTIUM

### DE BENEFICIATORUM QUALITATIBUS, JURIBUS ET ONERIBUS

**374.** Q. 1. *Quænam esse debent dotes Beneficiati?*

R. Beneficia non sunt conferenda nisi personis idoneis

[1] *V.* Rigantius, *In Reg.* I et XLII. *Pratica legale* quoad Reg. Pedemontanum, t. IX, p. II.

[2] Cap. II, *De concess. præbendæ*. Negligente Episcopo, ex Lateranensi Concilio, non illico ad Metropolitanum, sed primum ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ fit devolutio; at contrarius usus invaluit. *V.* Marenco, Berardi, Garcias, etc.

[3] Non curreret tempus pro patrono, si collator ageret in remotis, si esset



atque dignis, quæ scilicet præ se ferant conditiones seu qualitates a sacris canonibus requisitas. Quæ præcipuæ hisce versibus exprimi possunt :

*Sit probus ac edoctus, cælebs vivat, et ætas,*
*Legitimus, tonsus, sistens, nulloque potitus.*

Oportet nempe ut eligendus ad Beneficium sit :

1. *Probus*, seu honestis moribus : hinc merito repellitur improbus, facinorosus, irregularis, censuratus, simoniacus, infamis, hæreticus et ejus fautor, ut constat ex variis textibus juris [1].

2. *Doctus*, seu ut scientia polleat, quæ quidem ex Tridentino diversa est pro diversa Beneficiorum qualitate [2]. Huc referri potest regula 20 Cancellariæ, quæ statuit provisionem Beneficii curati nullam esse, si provisus non intelligat et intelligibiliter loqui nesciat idioma loci; sane nequit populo curam gerere, qui ejus linguam ignorat. Item huc respicit hodierna disciplina, qua statuitur, ut quædam Beneficia concedi nequeant nisi iis qui sint laurea vel licentia donati [3].

3. *Cælebs;* nam ex jure canonico conjugatus admitti non potest : et collatio facta ei qui matrimonio junctus est, invalida existit. Imo si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus

legitime impeditus, si obtineat temporis prorogationem. Ferraris, v° *Beneficium*. art. 3.

[1] Vid. supra, *De irregularitate*.

[2] Cap. II, dist. XXXVI *De temp. ordin.*, in 6. — *V.* Tridentinum, sess. VII, c. III, de R. Item *Analecta juris Pont.* an. 1857 : Discipline de l'Église, etc.

[3] Nempe ex moderna disciplina quæ ita explicat Tridentinum, sess. XXII, cap. II; sess. XXIII, cap. IV et XIV; sess. XXIV, cap. XII, de R., nonnisi doctoribus vel licentiatis in Theologia aut jure Canonico concedi possunt Beneficia quæ primam dignitatem adnexam habent in Ecclesiis cathedralibus, et etiam in Ecclesiis collegiatis, si tamen istæ sint insignes (ex Bouix, Scarfantonio et Ferraris, v° *Insignis*); quæ ideo Beneficia censentur vacare ipso jure, post annum ab eorum possessione, si ea conditio non sit verificata vel a R. Pontifice dispensata. Si tamen Canonicatus, etsi cum animarum cura, non sit prima Capituli dignitas, tunc ea qualitas non necessario requiritur. Etiam pro Pœnitentiaria ac Theologali hæc qualitas necessaria est. Optat vero Tridentinum, sess. XXIV, cap. XII, ut saltem dimidia pars Canonicatuum ultra omnes dignitates, in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis insignibus, sit laurea vel licentia ista donata.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habeat Beneficium et postea contraxit matrimonium, illud ipso jure perdit[1].

4. *Legitimis* ortus parentibus; secus nulla electio est. Cum illegitimo tamen Episcopus potest dispensare ad obtinendum beneficium simplex sed ad annum tantum, licet Beneficium sit tenue; et modo pater illud beneficium non jam primus obtinuerit, adeo ut ei succedat filius illegitimus[2].

5. Ut habeat *ætatem* præscriptam; commune autem est, quod si ætas deficiat etiam quoad unam horam, Beneficii collatio esset nulla. Nempe pro Episcopatu requiruntur 30 anni completi[3] (si excipias Gallicanos Episcopos, pro quibus satis est annus 27 inceptus); 25 pro Parœcia[4]; 40 pro Pœnitentiaria; 22 pro dignitate et personatu in Cathedrali[5]; 21 pro Canonicatu item in Cathedrali; 14 pro celeris Beneficiis[6]. Ubi notat Fagnanus, annum inceptum pro completo haberi, nisi aliud exprimatur[7]. Pro arctatis tamen, qui nempe ex fundatione ad Beneficium simplex vocantur, modo septennio sint majores, tonsura insigniri possunt, et Beneficium acquirere; quia Tridentinum antiquis hisce fundationibus expresse non derogavit.

6. Ut sit *prima* saltem *tonsura* insignitus; secus non confertur Clerico[8]. Si vero Beneficium certum Ordinem sacrum requirit, necesse est, ut intra annum a possessione Ordo ille suscipiatur[9]: excipe, nisi actu talem Ordinem exigat; tunc Ordo requiritur ipso tempore quo Beneficium obtinetur. Hic tamen notandum est, quod etiam de laico electio et nominatio fieri aliquando solet, *sub spe nempe futuri Clericatus*.

[1] Cap. II, III, V et VIII, *De Cler. conjug.*

[2] Cap. *Cum in de elect.*; cap. I, *De filiis Presb.* Tridentinum, sess. XXIV, cap. XV, de R.

[3] Cap. VII, *De elect.* — *V.* Reifenstuel, *De electione.*

[4] Tridentinum, sess. XXIV, c. XII. Item 25 anni requiruntur pro Archidiaconatu, sicubi aliquam exerceat jurisdictionem : quod hodie ferme ubique exolevit. Archidiaconi dicuntur *oculi Episcopi* in jure (Tridentinum, sess. XXIV, c. XII). — *V.* Ferraris, v° *Archidiaconus.*

[5] Tridentinum, sess. XXIV, c. XII. — [6] Tridentinum, sess. XXIII, c. VI.

[7] Cap. *Cunctis de elect.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 112. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Beneficium, art. 5.

[8] Cap. *Ex liberis*, in 6, *de transact.* — [9] Tridentinum, sess. XXII, c. IV.



7. Ut *veram intentionem habeat perseverandi in ecclesiastico statu et Ordinem sacrum suscipiendi, qui ad Beneficium requiritur*, nisi occurrat justa causa, quæ aliter suadeat : secus deciperet in re gravi Ecclesiam, cujus intentio est, ut Ordinem statuto tempore suscipiat. Unde graviter peccaret qui sine illa intentione Beneficium Ordinis sacri susciperet : quæ quidem intentio debet esse vera, et determinata; nec probabilius sufficeret intentio posita cum animo dubio vel conditionato, quia non esset absoluta. Imo si Beneficium susceptum esset parochiale, ipso jure, eo privaretur et teneretur ad fructuum restitutionem, nisi, intentione mutata, ante anni finem initietur Sacerdos[1].

8. Ut tandem Beneficio instituendus jam *alio Beneficio non sit provisus*; certum est enim jure Canonico Beneficiorum pluralitatem in uno Clerico absolute prohiberi[2] : imo ex communi et tenenda sententia secundum se id etiam jure naturæ vetitum est; nam, dicente Tridentino, hæc pluralitas minuit cultum divinum (neque enim unus potest duabus Ecclesiis satis deservire), privat Ecclesiam operariis, et pias fraudat fundatorum intentiones. Diximus tamen *secundum se*, nam id bene potest ex aliquibus circumstantiis cohonestari : ita si primum Beneficium non sufficiat ad honestam sustentationem, ex eodem Concilio licet conferre aliud simplex, modo utrumque personalem residentiam non requirat. Non tamen potest tertium conferri, si neque secundum satis est, etsi agatur de commendis, ac patronatis laicorum; excipe nisi sermo sit de ecclesiasticis pensionibus, aut de capellaniis laicalibus vel de legatis piis, quæ non sunt vera Beneficia[3].

Ceterum beneficia plura incompatibilia possunt uni conferri, accedente Pontificis dispensatione, cujus est judicare de causarum gravitate adeo, ut amplius non sit contra jus naturæ illa Beneficiorum pluralitas.

[1] Ex c. *Commissa*, § 7, *De elect.*, in 6. Si beneficium non habeat adnexum Ordinem sacrum, probabilius est sine dicta intentione illud suscipere non esse, nisi leve; quia nullo jure gravitas probatur : at nullum ex Concina est præceptum sub gravi imponendum, nisi evidens ratio suadeat. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. n. 113.

[2] Extr. *Execrab. de præb. et dign.*

[3] Tridentinum, sess. XXIV, cap. XVII, de R. Attamen ex sacra C. C. Congre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Causa esset : 1ª *necessitas Ecclesiæ*, si nempe desint alii ministri idonei, ne scilicet vacando Beneficia deteriora fiant, ut non semel contingere videmus ; 2ª *utilitas ejusdem*, ut si unus iste, licet absens, censeatur Ecclesiæ magis profuturus sua prudentia ac doctrina : quo quidem valet etiam de Beneficiis incompatibilibus; 3ª *evidens prærogativa meritorum* ; id enim in bonum Ecclesiæ cedit, cum aliis exemplo esse soleat[1]. At si nulla ex dictis causa intercedat, communiter docent Abelly, Bellarminus, aliique, plura Beneficia in conscientia, neque ipsa dispensatione obtenta, retineri posse; cum id sit contra jus naturæ.

*Quid* (dices) *de illo, qui sine legitima facultate secundum Beneficium est consecutus?* R. Si beneficia sunt incompatibilia titulo, statim *a pacifica possessione secundi*, vacat ipso jure primum; quod si provisus ad sex menses illud retinere præsumpserit, privatur ipso jure utroque[2]. Idem dicendum videtur de incompatibilibus *retentione;* cum id sit conformius verbis Tridentini, uti ostendit Garcias.

Diximus *a pacifica possessione secundi*, in quo aiunt dari bimestre ad dignoscendum, num de illo Beneficio molestiæ exoriantur[3].

**375.** Q. 2. *Quid de electione indigni ad Beneficium?*

R. Si hæc indignitas respiciat carentiam earum qualitatum, quæ stricto jure requiruntur ad validam Beneficii consecutionem, uti est ætas, legitimitas, cælibatus, clericatus, etc.,

gatione non esset inquietandus qui bona fide de Episcopi licentia tria vel quatuor Beneficia ecclesiastica insufficientia obtinuerit, ut tradit Benedictus XIV, *Notificationibus* XCI et XCVIII.

[1] C. *De multa*, § fin., *De præb. et dign.*

[2] C. *De multa de præfin.*, et Tridentinum, sess. VII, c. IV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 116.

[3] Juxta antiquam disciplinam (*Leg.* II, *cod. de epist. et cler.*, can. VIII, dist. LXXI) Beneficia diœcesanis erant conferenda : et sane ex Angelico *qui de gremio Ecclesiæ assumitur, in pluribus consuevit esse utilior quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus.* Hoc tamen in desuetudinem abiit, unde si aliud speciale non obstat, solet etiam non diœcesano Beneficium tradi. Ceterum adhuc habetur ratio regulæ XVII Cancellariæ *de concurrentibus in data*, qua cavetur ut ceteris paribus, oriundus non oriundo et diœcesanus non diœcesano præferatur. Item Beneficia non sunt conferenda alienigenis, ut habetur ex pluribus diversarum regionum Concordatis; attamen aiunt hodie fere ubique receptum esse, ut adhuc valeat collatio alienigenis facta, etsi Princeps consensum non dederit, nisi de aliquibus Beneficiis aliud specialiter cautum sit. *Marenco.*



tunc patet electionem illam nullam esse. Si vero solam indicet ineptitudinem ad officia præstanda ipsi Beneficio inhærentia, tunc electio non est in foro saltem externo ipso jure irrita; quia de hac (saltem circa Beneficia non curata) nihil habetur definitum. Est tamen irritanda ex Tridentino, quod præcepit, ut *Beneficia ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis et habilibus... conferantur; aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur*[1]. Ex quo Tridentini et alio simili Lateranensis præcepto patet, mortaliter peccare tum eum qui se indignum promoveri, tum alium qui talem scienter promovere curat (imo qui scienter eligit indignum, privatur per triennium jure electionis); quia hoc cedit in grave Ecclesiæ damnum, cui proinde debetur etiam restitutio, prout auctores docent communiter[2].

**376.** Q. 3. *An sit obligatio eligendi digniores ad Beneficia?*

R. *Dignus* ille habetur, qui aptus est ad officia Beneficii adimplenda; *dignior* qui magis Ecclesiæ et fidelibus utilis judicatur. Quod autem in præsentiarum de electione disputatur, idem valet de præsentatione, collatione et nominatione, cum horum omnium eadem sit ratio. Quo posito dicimus :

*a.* Si agitur de Beneficiis majoribus, certum est eligentes sive sint laici sive ecclesiastici, teneri sub mortali eligere quos omnibus coram Deo pensatis, judicant digniores. Id patet : 1. ex Tridentino, ubi aperte declaratur, eligentes *mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint*[3]; 2. ex contraria propositione damnata ab Innocentio XI, n. 47; 3. ex ratione, nam cum Beneficia seu dignitates hujusmodi institutæ sint ad commune Ecclesiæ bonum, multum ipsi detrahunt qui omittunt eligere magis dignos.

[1] Sess. VII, cap. III, de R. — It. Croix, *De Beneficiis.*

[2] *In Vita S. Alphonsi*, l. III, c. XXXII.

[3] Sess. XXIV, c. 1, de Ref.

*b.* Si agitur de beneficiis minoribus, et sermo sit de beneficiis curam animarum habentibus, pariter tenendum est sub gravi esse eligendos digniores; tum quia eadem occurrit ratio, cum etiam ad taliter provisos pertineat salus animarum; tum quia absolutum et gravissimum est Tridentini præceptum[1], ut ad hæc beneficia eligantur illi, qui ceteris *magis idonei, et Ecclesiæ magis utiles* judicabuntur[2].

*c.* Si vero agitur de beneficiis minoribus quæ sint sine cura animarum, tunc aliqui probabiliter putant eligentes sive Ecclesiasticos sive laicos non teneri sub culpa eligere digniorem, modo eligant idoneum. Nam cum Beneficia instituta sint saltem primario, non in bonum singulorum, sed communitatis, nullum damnum vel modicum huic infertur, si illa conferantur dignis, prætermissis dignioribus. Verum alii communius et probabilius docent etiam ad Beneficia simplicia digniores esse sub gravi eligendos, saltem generatim loquendo; nam ipsa Ecclesiæ utilitas, ob quam instituta sunt Beneficia, id postulat de se. Secus Clerici parum incumberent ad digniores sese faciendos, et sic valde deficeret Ecclesiæ bonum. Diximus *saltem generaliter loquendo;* nam docent : 1. non excedere veniale electionem minus digni, si vel dignitatis excessus sit parvus; vel Beneficium sit parvi momenti; vel dignior prævideatur illud Beneficium brevi cessurus. Tunc quod evenit damnum, leve est; 2. ne veniale quidem esse, vel si ex lege fundationis indicetur persona eligenda, modo indigna non sit; vel si id postulet charitas, v. g., ad aliquem ab inopia levandum, ad aliquod speciale Ecclesiæ bonum curandum aut malum impediendum.

**377.** Major dignitas non est accipienda absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiæ atque fidelium, ut aperte tradit Angelicus[3] : hoc recte deducunt ex Tridentino, quod vult non solum eligendos esse *ceteris magis idoneos*, sed etiam *Ecclesiæ magis utiles*. Communi autem canonistarum sensu, ceteris paribus dignior censetur : — 1. senior ob

[1] Sess. XXI, c. XVIII. — [2] Alii dicunt hoc præceptum non urgere, si eligentes sint laici; cum Tridentinum dicat admittendos esse ab his præsentatos, *si idonei sint reperti*. Verum contrarium est omnino tenendum, ratione videlicet publici boni, Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 91.
[3] 2, 2, q. 63, a. 2.



majorem experientiam; — 2. qui de bonis suis Ecclesiam fundavit in gratitudinis titulum, atque ut ipsorum bonorum major habeatur cura; — 3. qui Sacerdotio donatus est in comparatione illius, qui non habet nisi Diaconatum; cum illico valeat inservire; — 4 originarius respectu extranei; cum præsumatur magis sollicitus erga patriam suam; — 5. graduatus in aliqua scientia respectu non graduati; ut enim supponitur, majori doctrina pollet; — 6. qui præditus est majori sanctitate aut prudentia respectu illius, qui non præeminet nisi sola scientia; sola enim scientia præsumptionem parit; — 7. potens et nobilis, si hæ prærogativæ conducant ad bonum Ecclesiæ validius procurandum; — 8. pauper respectu divitis, ut et illi provideatur; — 9. item qui de Ecclesia benemeritus est et laudabiliter officium suum tenuit, respectu illius qui vix tyrocinium incipit vel munus suum non ita bene gessit, arrogantia forsan plenus, sed solida bonitate vacuus.

**378.** Q. 4. *An electio digni ad Beneficium, relicto digniori, sit valida?*

R. Si electio est ad Beneficium sine cura animarum, commune est, eam validam esse; quia lex nulla irritans citari potest[1]. Si vero electio sit ad Beneficium cum cura animarum, adhuc ipsa valet, si Beneficium fuerit jurispatronatus laicorum; quia ex Tridentino ab his præsentatus admitti debet, si idoneus repertus[2]. Si tandem Beneficium curatum sit jurispatronatus ecclesiastici vel liberæ collationis, tunc aliqui docent non sine probabilitate nullam esse electionem, tum quia Tridentinum postquam circa hæc Beneficia præscripserit, ut digniores eligerentur, addidit : *Ut provisiones seu institutiones præter supradictas formas factæ, subreptitiæ esse censeantur;* quænam autem forma principalior, quam ut dignior eligatur præ minus digno? tum quia in Bulla S. Pii V anno 1566 declarantur *nullæ* omnes collationes factæ præter formam Tridentini, et conceditur appellatio digniori, qui posthabitus fuit.

Sed hisce non obstantibus, probabilius affirmant Analectus, Croix, Garcias, Holzman, Lugo, Ugolinus, Vasquez, etc., talem electionem valere, nam *formæ* vocabulum, quo utitur Tridentinum, non significat, nisi modum exteriorem præscriptum, ut sunt, v. g., publicatio edicti, necessitas exami-

[1] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 102. — [2] Sess. XXIV, c. XII, de R.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nis, examinatorum numerus et qualitas et similia. Quod autem aliquis magis vel minus dignus judicetur, hoc pertinet ad internum eligentis judicium, a quo certe pendere non debet validitas actus[1]. *Ad hoc*, ait Angelicus, *quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam : sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter vel in comparatione ad bonum commune*[2].

**379**. Q. 5. *An eligentes minus dignum teneantur aliquid restituere?*

R. Tres habemus sententias : 1ª cum Salmanticensibus, Bannez, aliisque docet, teneri sic eligentes ad damni restitutionem faciendam digniori prætermisso et Ecclesiæ, quia damnum utrique redundat; 2ª vult restitutionem fieri debere non quidem prætermisso; sed ipsi Ecclesiæ, quæ quidem jus babet ad digniorem; 3ª vero cum Cano, Croix, Lessio, Lugo, Navarro, Sanchez, etc., tradit neque digniori prætermisso, neque Ecclesiæ restituendum. Non digniori; nam digniores jus strictum non habent ad Beneficia, nisi constet fundatorem habuisse principaliter rationem meritorum; non vero si constet id minus principaliter a fundatore fuisse intentum, uti est in casu nostro[3]. Non Ecclesiæ; quia hæc non intendit electores ad aliud obligare, quam ad ministros non indignos eligendos.

Excipiunt tamen communiter et multo probabilius cum Croix, Lugo, Sanchez, etc., si electio fiat per concursum; tunc enim dignior acquirit jus in Beneficium ratione pacti, quod inter electorem et concurrentes intercedit, ut sufficienter explicatur in Edicto; eo igitur in casu dignior prætermissus habet jus, ut sibi damnum compensetur. Quanquam hoc non improbabiliter negant Navarrus, Sotus et alii; quia Prælatus per eam formalem provisionem non intendit se stricto pacto obligare; sed tantum significare obligationem, quam habet ex officio dignioribus con-

[1] Præterea Pius V in dicta Bulla declaravit appellationem interpositam *non impedire*, quominus electio interim executioni mandetur; ideo electio habenda uti valida, donec judex appellationis eam revocaverit. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 102.

[2] 2, 2, q. 63, a. 3.

[3] Cum Beneficia instituta censeantur in bonum publicum, ut nempe Ecclesiæ inserviatur a bonis ministris, ideo nullum jus strictum et rigorosum ad ea sibi acquirunt nec digni nec digniores. Tres sententiæ valde probabiles sunt; sed probabilior est tertia, quia legitimus possessor ad restitutionem non tenetur, quandiu pro se habeat opinionem vere probabilem.



ferendi Beneficia; saltem non est absolute certum quod interveniat pactum rigorosum justitiæ commutativæ.

**380**. *Quid* (quæres) *de electo ad Beneficium, si se digniori prælatum cognoscat?* Videtur probabilius electum non peccare, si Beneficium acceptet, ut dicunt Sanchez, Salmanticenses, Sotus, etc.; modo non sit indignus. Nam Angelicus tradit, quod ille, qui debet assumere, *assumat meliorem ad regimen Ecclesiæ* : at pro eo qui assumitur, *non requiritur, ut reputet se aliis meliorem; sed sufficit, quod nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium*[1]. Tanto magis, quia electus potest prudenter præsumere, quod Episcopus habeat latentem causam excludendi, quem ipse putat digniorem. Adde : secus res semper scrupulis esset referta.

**381**. Q. 6. *Quænam sunt jura Beneficiatorum, et onera?*

R. ad 1. : Jura, quæ per Beneficium sibi collatum acquirit Clericus, vel respiciunt ipsum ministerium spirituale et officium Beneficio adnexum; vel respiciunt proventus et reditus temporales. Quare duplicis generis distinguuntur, alia *spiritualia*, alia *temporalia*.

De spiritualibus nihil occurrit; patent ex Beneficii natura ac fundationis tabulis. Jam vero temporalia in eo consistunt, quod Beneficiatus proprium Beneficium administret, et proventus inde percipiat. Huc etiam duo maxime spectant : 1. ut qui Beneficii ecclesiastici possessionem anni spatio retinuit, is inde dimoveri non possit, nisi primum lis petitorio judicio finita sit : en regula *de annali possessione*; 2. ut qui procul a vitio simoniæ triennii spatio Beneficium ecclesiasticum obtinuit, quovis titulo etiam colorato, is amplius ab ipso dimoveri non possit. En regula *de triennali possessione* a regulis Romanæ Cancellariæ una cum præcedenti constituta[2].

R. ad 2. : Onera Beneficiatorum comitantur jura, et iccirco in duplici differentia constituuntur : alia sunt spiritualia, alia temporalia. Spiritualia desumi debent ex tabulis fundationis, vel ex lege scripta, aut ex ipsa indole et natura Beneficii : ubi notandum onus divini Officii recitandi aliunde haberi, nempe

[1] 2, 2, q. 63, a. 3. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 110.

[2] *V.* Rigantius, *In Reg.* XXXV et XXXVI. — Quæ duæ regulæ valent etiam pro foro interno ex *Clement. de sequest.*, si adsit bona fides cum titulo saltem colorato. V. *De simonia*, t. II, p. 293.

ex Ecclesiæ præcepto : quare semel adepta possessione Beneficii, quocumque tandem nomine illud donetur vel *capellaniæ*, vel *canonicatus*, vel *præbendæ*, etc., si ecclesiasticum sit, ex Ecclesiæ lege Beneficiatus tenetur quotidie sub gravi Officii divini pensum persolvere.

Temporalia obligant Beneficiatos præcipue : — 1. ut accepta bona ipsi pro viribus teneantur suo tempore hypothecas renovando, et bona amissa aut perperam distracta, quoad fieri potest, vindicent, atque securius collocent, debita ab episcopo obtenta facultate : quod si locata, videant ne deteriora fiant, ut non raro evenit. Quot beneficia sensim sine sensu depauperantur beneficiatorum incuria et oscitantia; qui tamen in rebus propriis ultro solliciti sunt! Quid, quæso, supremo exactori erunt responsuri parochi ac ceteri beneficiati; cum tamen solemniter ea promiserint tueri et defensare; — 2. ut prædia redigant ad statum semper meliorem, et ædes ad Beneficium spectantes restaurent, ubi sit opus; — 3. ut alta mente repositum teneant non licere sibi opes ex Beneficio congerere, parentum patrimonium augere, in causas profanas sumptus facere. Sed quæ honestam vitæ sustentationem excedunt, ea in usus pios sub gravi convertenda (*P*).

**382.** *Quid* (quæres) *agere debet Beneficiatus ex Synodo Novariensi?* R. Hæc præcipue agere debet Beneficiatus ex Synodo Novariensi : 1. fidei professionem emittere coram Episcopo vel ejus Vicario, licet Beneficium non sit cum cura animarum ; 2. omnium bonorum inventarium conficere duplicatum, et a Cancellario foraneo subsignatum ; ac illorum unum ad Curiam episcopalem transmittere intra sex menses a possessione sub pœna solidorum argenteorum 25 (*francs* 25). Canonici vero exemplum inventarii in tabulario Capituli custodiendum tradant ; 3. intra tres menses saltem ab electione institutionem Beneficii assequi, et illico etiam possessionem ; 4. sine Episcopi licentia nullo prætextu vel ex toto vel ex parte ædes Beneficii potest demoliri. Sed debet omnia bona tueri non vendere, non alienare, etc., et hac de causa juramentum emittere (*pag.* 225 *et* 395).



### COROLLARIUM. — *De Bonis Ecclesiæ non alienandis*[1].

**383.** Q. 1. *An bona Ecclesiæ alienari possint?*

R. Vetustissima lex est, qua humano commercio eximuntur bona ecclesiastica, ita ut valide alienari non possint præterquam per Romanum Pontificem ex supremo quo gaudet jure in bona Ecclesiæ. Hac in re nos utimur jure, quod a Paulo II sæculo XV sancitum est in sua celebri Extravaganti *Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*[2]. Quo jure vetitum est sub nullitate et pœna Ecclesiæ bona tam mobilia, quam immobilia alienare, nisi id juste simul riteque fiat. *Juste* autem fieret, si ea alienentur, v. g., ad redimendos captivos, ad alendos in necessitate pauperes, ad satisfaciendum creditoribus si aliter non possit, ad dotem ecclesiæ meliorem efficiendam, etc. *Rite*, id est cum præscriptis a jure solemnitatibus : ac 1. si bona capituli aut monasterii alienentur, requiritur consensus Canonicorum et monachorum capitulariter datus ; 2. si bona mensæ episcopalis, consensus requiritur Episcopi et capituli ; 3. si bona ecclesiæ parochialis vel alterius beneficii, consensus Episcopi. Semper autem etiam beneplacitum et consensus requiritur S. Sedis in hisce omnibus alienationibus ; item possessoris rei alienandæ. Non tamen patroni ex S. Concilii Congregatione ; quamvis Ferrante scribat, ipsum quoque non inutiliter audiri.

Sunt tamen nonnulla, quæ alienantur sine licentia illa : — 1. ea quæ servando servari non possunt ad triennium sine notabili deterioratione, ut fructus, vestes, singularia jumenta, et similia quæ usu consumuntur. Item res, ad cujus conservationem ejus reditus non sufficiunt ; — 2. terrulæ et vineolæ non fertiles, et res ceteræ exiguæ seu

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 187 et seqq. — Pavone, *Spicilegio*, ecc., h. tit.

[2] Quanquam hæc lex antiquissima est, cum fiat illius mentio a Leone M. et Hilario pontificibus sæculo V. Imo in jurejurando quod Episcopi in sua consecratione emittunt, hujus legis observantiam spondent jam ab antiquis temporibus. *V.* Reifenstuel.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parvi valoris (ut sunt ex inducta consuetudine in Novariensi Diœcesi res, quarum valor non superat summam 600 libellarum imperialium seu mediolanensium, pro quibus nempe sufficit Episcopi licentia) : secus totum prædium non posset nisi per partes modicas alienari ; — 3. juxta plures ea bona, quæ a patronis sub hac conditione relicta sunt, ut alienari possint. Item dicunt si casus urgeat, vel si sit facienda remuneratio pro aliquo beneficio Ecclesiæ collato ; — 4. bona, quæ incapaci possidendi, prout sunt Minores observantes et Capuccini, relicta fuerunt ; poterit enim tunc pretium expendi in Ecclesiæ utilitatem [1].

**384**. Q. 2. *Quid venit nomine bonorum Ecclesiæ, et alienationis?*

R. Nomine *bonorum* si de immobilibus agatur, veniunt immobilia, jura et actiones ad immobilia ; item annui reditus perpetui, et summa pecuniæ donata et destinata ad immobilia emenda. Si de mobilibus, veniunt vasa aurea, argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, ornamenta pretiosa et similia excedentia valorem 25 aureorum ex S. C. C. Item greges et armenta totaliter considerata, arborum incisio et sylvarum, si fiat cum deterioratione in summa excedente libellas 600. Imo sunt mobilia quæ etsi pretio non æstimabilia, pretiosa tamen dicuntur et alienari nequeunt ut sunt reliquiæ insignes ex S. C. C. 14 jan. 1702.

Nomine vero *Ecclesiæ* præter ipsa ecclesiastica Beneficia et Ecclesias, veniunt etiam quæ ad Ecclesiæ dotem sunt destinata. Item monasteria, conventus, seminaria, et alia ecclesiastica bona.

Demum nomine *alienationis* veniunt venditio, donatio, permutatio, emphytheusis, ususfructus alteriusve cujuscumque servitutis realis constitutio, pignus, hypotheca, locatio, conductio, omne uno verbo pactum, quo dominium sive di-

[1] *V.* Croix, Del Bene, Barbosa, Piasecius, Felinus, Quaranta et alii qui sic explicant Extr. *Ambitiosæ;* Concilium agantense ; et plura S. C. C. decreta. Et can. *Terrulæ*, c. xii, q. 2. — Fagnanus, in c. *De rebus Eccl.*, etc. — Mamachius, *Del diritto libero della Chiesa di possedere*, t. III. — Bouix, *De jure Regul.*, t. II, p. V. — Ferraris, v[is] *Alienatio, Beneplacitum, Bona.*



rectum sive etiam utile transferatur, immutetur, imminuatur, obligetur uti in mutuo, etc.

In contractu autem locati conducti, Canonistarum mens est, illum permitti sine præscriptis solemnitatibus ad triennium, si tamen fructus percipiatur singulis annis. Imo usus invaluit, ut contractus fiat quidem per triennium ; sed hoc elapso, sine nova contractus renovatione, iterum duret ad triennium et sic successive etiam usque ad triennium quartum. Si autem fructus ex bonis locandis non percipiatur, nisi singulo biennio vel triennio ut si agatur de sylvis, etc., tunc permittitur locatio etiam per annos sex in primo casu, et per novem in altero absque ulla permissione ac solemnitate [1]. — Ceterum si occurrat contractum iniri, quem Episcopus permittere nequeat, si necessitas sit, ipse in tabulas redigatur, reservato Sedis apostolicæ beneplacito. Sed ne ante hujus expeditionem sequatur traditio realis bonorum : quod vetat gravissime Urbanus VIII Constitutione Humanæ (Q).

**385**. Q. 3. *Quænam pœnæ in alienantes bona Ecclesiæ sine licentia ?*

R. Præter nullitatem actus hæc jure statuta sunt, 1° excommunicatio, nemini tamen reservata, incurritur a præsumentibus tam alienare, quam alienata recipere vel illis subscribere ; 2° si Episcopi sint vel Abbates, subjacent interdicto ab Ecclesiæ ingressu : qui si per sex immediate sequentes menses absolvi distulerint, suspensi evadunt a Beneficii vel dignitatis administratione ; 3° si vero fuerint Prælati inferiores vel Ecclesiarum Rectores, ipso jure amittunt Beneficium et dignitatem, cujus bona alienarunt [2].

Regulares prohibentur Ecclesiarum suarum bona alienare absque S. C. C. facultate : secus privantur officiis suis, et ad ea inhabiles fiunt, vocemque activam et passivam amittunt ex *Decretali* Urbani VIII.

[1] Cit. *Extravag. V.* Covaruvias, Pignatelli et Reifenstuel. Notandum, Benedictum XV Const. *Universalis Ecclesiæ*, 29 aug. 1744, sub nullitate actus, excommunicationis pœna ac aliis statutis in alienantes, prohibuisse vendere universos fructus Beneficii ad vitam aut ad longum tempus, recipiendo una vel pluribus solutionibus certam pecuniæ quantitatem.

[2] Cit. *Extrav.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**386**. *Quid* (quæres) *Synodus Novariensis de bonorum Ecclesiæ alienatione?* R. Vel agitur de locatione bonorum, vel de arborum cæsione. Quoad *locationem bonorum* hæc statuta sunt per Synodum Novariensem : 1. ne Beneficiorum bona locentur patronis; aut iis, quorum cessione Beneficia obtinentur ; aut consanguineis promixioribus, nisi cognita utilitate ab Episcopo. Quod etiam in pecunia collocanda vel investienda observandum; 2. ne bona illa locentur viciniis. Quod si ex causa Episcopus id fieri permittat, instrumento locationis accurata inseratur confinium descriptio ; 3. ne fiant locationes in successorum præjudicium, anticipatis nempe pecuniæ solutionibus, quas jam invalidas declaravit Tridentinum Concilium [1].

Quoad *arborum cæsionem* declaravit Synodus, nefas esse arbores cædere aut evellere quocumque prætextu (excepta sylva cædua), sine facultate, quæ non datur, nisi alicujus periti ope causa cognita ac probata sit [2]. Erit autem tunc nova instituenda plantatio. Qui secus egerint, nisi agatur de arboribus demortuis, dupli pœnam subibunt, præter cetera resarcienda. Quod si plantæ demortuæ aut vi tempestatis ventorumque impetu dejectæ jaceant, tunc in Beneficiorum utilitatem pretium est convertendum, nova item plantatione peracta (*pag.* 225).

---

## CAPUT QUARTUM

### DE MODIS BENEFICII AMITTENDI

**387**. Q. 1. *Quot modis Beneficia amittuntur?*

R. Beneficia amittuntur tribus modis, nempe juris potestate, sententia judicis, et facta ipsius Beneficiati.

1. *Juris potestate* amittitur Beneficium : si Beneficiatus moriatur, quia ad hæredes transire non potest ; si Religionem profiteatur ; si uxorem ducat ; si assequatur Beneficium novum cum primo incompatibile [3].

[1] Sess. xxv, c. xi, de R.

[2] Quæ quidem non tantum a potestate Ecclesiastica, sed ab ipsa civili auctoritate obtinenda est et quidem sub gravi pœna, in Regno Pedemontano. Ubi notamus : Beneficiatus qui in magna quantitate, sine debita licentia, cædit arbores frugiferas sui beneficii, incurrit in excommunicationem ; quia istæ arbores solo cedunt, et judicantur pars fundi.

[3] Cap. *Si quis Clericor.* i; cap. *Beneficium* iv *de Regularib.*, in 6; cap. *Multa* xxviii *de præb.;* et Tridentinum, sess. vii, c. iv, de R.



2. *Sententia judicis*, vel condemnatoria, vel tantum admissi criminis declaratoria. *Condemnatoria*, si agatur de homicidio simplici, sacrilegio, adulterio, perjurio, induratione in excommunicatione ultra annum, concubinatu post tertiam monitionem, defectu residentiæ, etc., ob quæ Beneficium vacat tantum post sententiam. *Declaratoria*, si agatur de simonia reali in Beneficiis et confidentiali, de hæresi, sodomia, violenta ingressione in Beneficii possessionem. Item si electus aut præsentatus ante confirmationem vel institutionem per se vel per alium in Beneficium se ingerat ; si electus intra mensem a tempore electionis ei præsentatæ aut a tempore illi præstituto, non consenserit electioni ; vel si intra tres menses post præstitum consensum, non petierit confirmari. Item alienatione bonorum Beneficii sine debitis solemnitatibus. Propter omnia hæc post judicis declarationem illico Beneficium vacat [1].

3. *Facto ipsius Beneficiati*, uti si iste renuntiet simpliciter, absque ulla conditione, et dicitur *renuntiatio ;* vel renuntiet sub conditione, quod alteri Beneficium conferatur, et dicitur *resignatio in favorem ;* vel renuntiet ea lege, ut ipse resignando suum Beneficium a resignatario aliud Beneficium accipiat, et dicitur *permutatio.*

**388**. Q. 2. *Quid Beneficii renuntiatio, et quid ad eam requiritur?*

R. Beneficii renuntiatio est : *Spontanea proprii Beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore eam acceptante :* legitimus autem Superior est ipse legitimus Beneficiorum collator. Renuntiatio vel est tacita vel expressa : « La première, c'est lorsqu'on montre par un fait qu'on a renoncé implicitement au bénéfice, comme dans le cas d'un bénéfice incompatible (id est statim ac possessione secundi vacat primum Beneficium), ou lorsque le bénéficier contracte mariage, fait profession religieuse, ou quitte l'état clérical pour embrasser celui de la milice et fait publiquement le métier

[1] Vid. Pius V, Constit. *Horrendum;* Extrav. *Ambitiosæ;* cap. *Eam qui* xviii *de præbend.;* cap. *Avaritiæ cæcitas* v *de elect.*, in 6; cap. *Quam sit*, § *Electus de elect.*, in 6; et § *Ceterum* 6 *de elect.*, in 6. — Ferraris, v[is] *Resignatio, Vacatio.*

d'histrion. La seconde a lieu lorsque, par un signe extérieur c'est-à-dire par des paroles expresses ou par écrit, il remet le bénéfice aux mains du Supérieur qui l'accepte ». Ita Salzano ex ipso jure[1]. Quæ renuntiatio etiam per alios sive laicos sive Clericos fieri potest, modo de peculiari mandato constet. Facta autem semel et probata renuntiatione, frustra renuntiantem pœnitet.

Ad *validam* renuntiationem maxime requiritur, ut ea acceptetur a Superiore, et libere fiat actu legitimo[2]. Ad *licitam* autem requiritur aliqua causa; nemo enim quid agere debet sine ratione. Sex autem causas indicavit Innocentius III[3], quas quidem *Decretalium* breviatores hisce versiculis expresserunt :

*Debilis, ignarus, maliconscius, irregularis.*
*Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

Hoc tamen non impedit, quominus sint aliæ causæ. Hinc ipse Innocentius post assignatas, dicit Beneficium adhuc cedi posse *propter aliquam causam justam et honestam* : talis est ingressus in Religionem[4].

Curandum, ut renuntiatio intra mensem rata habeatur ab Episcopo, si ad ipsum pertineat collatio : secus jus totum ad Pontificem transfertur[5]. Peccat qui sine aliqua rationabili causa Beneficio renuntiat, si agatur de Beneficio curato; Parochus enim quoddam veluti matrimonium spirituale contrahit cum Ecclesia sua : et ejus vinculum secundum Canones ita firmum est, ut sine causa approbata disrumpi nequeat.

[1] *Lezioni di diritto Canonico pubblico e privato.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 154.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 133, l. III, n. 81; et *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 58. — Devoti, *Institutionum Canonicarum*, l. I, tit. VII : « Donc il est, en premier lieu, nécessaire (ait laud. Salzano) que la renonciation soit acceptée par le supérieur. D'où l'on voit qu'à l'exception du souverain pontife, lequel n'a pas de supérieur, la renonciation par un évêque doit être acceptée par le pape, et celle des bénéficiers moindres par l'évêque. »

[3] C. II et X, *De renunt.* — *V.* Devoti, *Instit. Canonic.*, l. I, tit. VII.

[4] V. t. I, *De oblig. Episcoporum*, p. 387.

[5] Const. *Humano* Gregorii XIII.



Hinc redarguendi qui Parochias rusticanas abjiciunt, quod non sibi satis honorificas existiment (*R*).

**389.** *Quibusnam* (quæres) *conferri possunt Beneficia simpliciter et sine ulla conditione renuntiata?* Vel agitur de Beneficiis liberæ collationis; vel de Beneficiis jurispatronatus. Si 1, conferri nequeunt personis, quæ sint consanguineæ vel affines, vel familiares tum renuntiantis tum collatoris, uti expresse constat ex Constitutione Pii V, *Quanta Ecclesiæ* : idque tenet etiam pro Beneficiis parochialibus per concursum providendis, uti declaravit S. Congregatio Concilii[1]. Si 2, conferri possunt omnia (non exclusis parochialibus) personis quibuscumque idoneis, tametsi consanguineæ sint, affines aut familiares tum collatoris tum renuntiantis. Ratio quia Pius V in citata Constitutione non prohibuit Patronis ad Beneficia per renuntiationem vacantia præsentare suos consanguineos, affines et familiares; ergo neque collatoribus dicendus est prohibuisse eadem iisdem conferre[2] : quod et praxis penes nos ubique recepta aperte declarat.

**390.** Q. 3. *Quid est Beneficii resignatio in favorem, et an licita?*

R. Beneficii resignatio est *Beneficii renuntiatio in favorem subjecti idonei*. Resignatio adjunctam habere debet conditionem, ut Beneficium renuntiatum non alteri tradatur quam Clerico, qui in renuntiationis actu indicatur, quique dici solet *resignatarius*.

Tales reservationes graviter in jure reprobantur; nam Canones vetant, ne Beneficiati eligant successores suos, et damnant quodcumque pacti genus in rebus spiritualibus. Accedit ratio : raro videlicet resignationes hujusmodi fiunt sine gravi communis boni detrimento, maxime si sermo sit de Beneficiis parochialibus : *tum* quia, ut plurimum, non habetur in successore illa ratio meritorum, quæ haberi solet, cum Beneficia conferuntur per vacationem; *tum* quia fiunt de more cum retentione pensionis, quæ in damnum paupe-

[1] Penes Garciam, *De Beneficiis*, t. II, n. 267. *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XXIV; et *Notificatione* XCI. — Ferraris, v° *Resignatio*, n. 40. — Parisius, *De resignatione*. — Gallarati Petrus Novariensis, *De renuntiationibus*; Novariæ, 1616.

[2] Ita declarasse Gregorium XIII refert Garcias, *De Beneficiis eccl.*, t. II, n. 268.

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum vertit. Attamen cum etiam contingere possit, ut nullum detrimentum Ecclesiæ obveniat, imo ut aliquando utile sit tales resignationes admitti, cumque aliunde R. Pontifex habeat facultatem dispensandi super omnibus juris canonici dispositionibus; ipse iccirco, et quidem nonnisi solus, potest (causis sibi cognitis) admittere tales resignationes.

Quæ resignationes (sicut et permutationes) ut validæ sint, requiritur ex jure ecclesiastico : 1. ut Beneficium sit vere resignantis, cum resignatio sit proprii juris dimissio; ut resignatio fiat libere, in manibus ejus qui facultatem habet illam admittendi, qui de facto eam admittat; 3. ut cui Beneficium confertur, illud acceptet; alias resignans non perdit Beneficium; 4. ut adsit consensus patroni vel electorum, si Beneficium sit patronale aut electivum; 5. ut resignans infirmus, supervivat adhuc viginti dies a resignatione : alias Beneficium censeretur vacare; 6. ut Beneficium non sit litigiosum; quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest; item ut Seminario unitum non sit[1]; 7. ut si resignatio fiat in Curia romana, intra sex menses publicetur in loco ipsius Beneficii. Si extra, publicanda erit in eodem loco intra mensem; si tamen agatur de Beneficiis episcopatu inferioribus[2].

*An* (quæres) *resignans debeat quærere digniorem?* Negant Lessius et Sanchez dicentes, resignantem in hoc casu non esse dispensatorem boni communis, sed sui proprii. Unde nec ipse peccat contra justitiam distributivam Beneficium resignans : nec peccat ipse Episcopus conferens postea illud resignatario, si sit satis idoneus; Decreta enim de eligendo digniore tantum loquuntur de collatione per vacationem facta. Alii e contrario cum Collet et Viva affirmant, teneri sub gravi resignantem quærere digniorem : secus licet non peccaret uti collator, peccaret tamen uti causa illicitæ collationis; nam collator hujusmodi resignationem acceptare non potest sine peccato in favorem alicujus, qui vix dignus esset; cum aliunde posset faciliter inveniri magis dignus. Alii cum Salmanticensibus et Vasquez admittunt resignationem factam etiam favore non dignioris cum resignatarius est æque dignus ac resignans; quia tunc nullum Ecclesiæ damnum irrogatur.

Sed videtur æquior sententia Lugo et Croix, qui dicunt, quod tota ratio culpæ sumenda est a damno, quod Ecclesiæ obveniret. Finis enim intrinsecus et principalis institutionis Beneficiorum cum sit bonum commune, Ecclesia illa conferendo tacite intendit hoc onus, ut casu

[1] Tridentinum, sess. XXI, c. V; et sess. XXIII, c. XVIII, de R.

[2] Pius V. Const. *Quanta;* et Benedictus XIV, Const. *In sublimi;* et Constit. *Ecclesiastica ministeria;* ac *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XXIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 134.



quo Beneficiati velint iisdem se abdicare, non resignent, nisi in bonum ipsum commune[1].

**391.** Q. 4. *Quid est Beneficii permutatio?*

R. Beneficii permutatio est *quædam species resignationis conditionatæ*. Fit cum duo Beneficiati unum vel plura Beneficia Pontifici non reservata in manus Ordinarii resignant ea conditione, ut postea alteri alterius Beneficium conferatur. Licita est, si a legitima auctoritate a qua sacrorum distributio pendet, perficiatur, et legitima sit causa ac conditiones, et non fiat intuitu commodi temporalis per talem permutationem permutantibus obventuri[2]. *In permutatione*, inquit Angelicus, *est simonia si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia*[3] : et fit in Curia episcopali, servatis tamen servandis. Ad permutationem autem ea omnia requiruntur, quæ ad resignationem in favorem.

Omnia Beneficia etsi unum sit curatum, aliud non; unum pingue, aliud macilentum inter se ab episcopo permutari possunt; quia in permutatione, ait Garcias, transfertur solum spiritualis titulus beneficii, non retenta dignitate rei adnexa, vel redditibus illius. Excipe 1. Beneficia unita, cum per unionem extinctus sit titulus ac nomen illorum; 2. ex dictis Beneficia Sedi Apostolicæ reservata, quorum permutatio fieri nequit coram Episcopo, cum illa conferre nequeat; 3. Beneficium litigiosum, quia tunc proprie non est litigantis, cum adsit contestatio; ideo nequit cedi[4].

*An* (quæres) *in permutatione Beneficii parochialis requiratur examen?* R. Distinguendo : vel permutatur Beneficium simplex cum Parochiali; vel parochiale cum alio parochiali.

[1] Finis porro intrinsecus sine culpa negligi non potest, et ideo resignationes præsertim in Beneficiis curatis raro licitæ sunt. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 98.

[2] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XXIV, nn. 3 et seqq.; Garcias et Rigantius.

[3] In 4. disp. XXV, q. 3, a. 3; et 2, 2, q. 100. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 27; et l. IV, n. 136.

[4] *V.* Gasparus, *Institutiones juris Canonici*, p. I, t. XIV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si 1, certum est examen requiri, ut de novo instituendus Parochus comprobetur : sufficiet autem examen instituere coram Episcopo vel ejus Vicario et tribus examinatoribus synodalibus. Neque concursus requiritur, cum Parœcia vacare communiter non censeatur. Si 2, nullum examen requiritur ; cum enim permutantes jam examinati sint et probati, injuria fieret prioribus examinatoribus, qui eos jam idoneos Episcopo renuntiarunt. Excipe nisi cohonestetur novum examen ex magna Parochianorum inæqualitate. Ita S. C. C. et Concilium Provinciale Mediolanense II[1].

Scholium. — *De pensionibus Ecclesiasticis, annatis spoliis, cathedratico, procuratione et regaliis.*

**392.** Q. 1. *Quid est pensio Ecclesiastica*[2]?

R. Nonnunquam Beneficia renuntiantur, resignantur ac permutantur sub reservatione pensionis. Hinc pensio ecclesiastica definitur : *Jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno.* Triplex est : 1° *temporalis*, quæ datur propter ministerium temporale, v. g., cantoris, æditui et defensoris Ecclesiæ; 2° *spiritualis*, quæ fundatur in titulo mere spirituali, v. g., concionatoris, Parochi vel Coadjutoris; 3° *media*, quæ fundatur in statu spirituali, non tamen in ipso officio, ut quæ datur, v. g., Clerico pauperi, vel Parocho seni ad vitæ propriæ sustentationem[3]. — Item distinguuntur pensiones in *personales*, quæ afficiunt personas tale Beneficium obtinentes et quoasdusque obtinent; et in *reales*, si directe pensio detrahitur a Beneficio, ad quemcumque illud devenerit.

Antiquissima est origo pensionis; jam enim ab ipso Gregorii Magni tempore ea obtinuit in Ecclesia[4] : et mentio fit in Conciliis ephesino et chalcedonensi sæculo V celebratis. Solet etiam vocari *census*. Ex communi Theologorum et Canonistarum sententia hæc generatim statuta sunt circa pensionem ecclesiasticam. Requiritur nempe :

[1] *V.* Garcias, *Praxis Benefic.*, p. IX, c. II, n. 165. — Ferraris, v° *Resignatio.*

[2] *V.* Clericatus, *De beneficiis et pensionibus.* — De Nigris, *De vocatione beneficiorum et p nsionibus ecclesiasticis.* Romæ, 1741. — Fagnanus, in c. *Nisi essent. de præb.*, n. 27.

[3] Duo posteriores dicuntur *Clericales*, quia Clericis; prima dicitur *Laicalis*, quia laicis tantummodo concedi solet. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., v° Pensio.

[4] L. III, Ep. LV; l. V, Ep. XII; l. XIII, Ep. V, t. II.



1. *Moderatio*, adeo ut Beneficiato non tollatur modus vitæ sustentandæ, aliisque oneribus satisfaciendi[1]. Talis plerumque censetur ea, quæ tertiam partem aut dimidiam fructuum non excedit.

2. *Justa causa.* Secus non excusaretur qui pensionem retinet, *quia Papa dedit; nam Papa non est Dominus bonorum Ecclesiæ, sed solum universalis distributor*, ut ait Toletus.

3. *Legitima auctoritas :* porro ex Tridentino possunt eam constituere Episcopi, si agatur de Vicario deputando imperitis, aut malis rectoribus[2]; et adhuc posse aiunt si agatur de lite finienda inter duos contendentes de beneficio[3]. Utrum vero possint, alia causa interveniente, v. g., ad Parochum senem vel infirmum alendum, qui beneficio ideo dimittit, ad compensandam inæqualitatem in Beneficiorum permutatione, ad succurrendum paupertati alicujus Clerici, cujus opera fuit utilis Ecclesiæ, alii cum Busembaum affirmant. At negant omnino Lessius ac Salmanticenses, et dicunt id esse solius Pontificis, quia talis est stylus Curiæ, qui facit jus, ut omnibus notum est. Alii permittunt, si agatur de pensione personali ; quia cum personæ, non beneficio imponatur, nulla videtur esse ejus dismembratio.

4. *Consensus patroni*, sed dumtaxat jure particulari, ut in Sabaudia ; et quoad Beneficia illa parochialia, ad quæ nominandi jus est penes Regem. Non autem de jure communi ; cum per impositionem pensionis nulla patrono fiat injuria, neque illius jus limitetur[4]. Quamquam alii consensum patroni requirant, si patronatus sit laicalis vel mixtus.

Pensionarius, si pensio Clericalis sit, ex Bullis Sixti V, et Pii V debet habitum et tonsuram deferre, ac Officium B. Virginis quotidie (sub onere restitutionis) recitare, nisi jam ad Officium majus obligetur.

Extinguitur pensio : 1. *morte pensionarii;* cum pensio habeat ra-

[1] Hinc Tridentinum, sess. XXIV, c. XIII, de R. statuit : « Ut omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedant, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. »

[2] Sess. XXI, c. VI, de R. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 59 ; *Op. Mor.*, l. IV, n. 137 ; l. III, n. 73.

[3] Ex c. *Nisi de præb.* — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. III, n. 78. — Ferrante, *Jus Can*

[4] Benedictus XIII, 6 sept. 1724. Bulla *Quanta pastoribus* prohibet Episcopo Beneficiatis parochialibus pensiones imponere. Quod vero pertinet ad pensiones reales, pensiones Beneficio parochiali impositæ, in Regno Sabaudiæ *regio placito* muniri non solent, nisi vel ipsi Beneficio aliqua dignitas aliquando unita fuerit ; vel agatur de permutationis casu, resignationis aut litis compositionis ; vel demum nisi respiciat pensio subventionem patrono pauperi præstandam, quod est debitum gratitudinis et honestatis. *V.* Canestri, *Giurispr. can. e civ. pei parochi del Piemonte*, tit. I, c. V.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionem ususfructus. Excipe, nisi ei illam in alium transferendi facultas data sit; 2. *redemptione;* quæ tamen irrita habetur, si vel antea pacta, vel intra sex a Beneficii possessione menses, vel sine romani Pontificis auctoritate, facta fuerit [1]; 3. *renuntiatione;* item *assecutione* ipsius beneficii: item si *beneficium perierit,* ut patet; 4. *dimissione* habitus clericalis; non tamen ipso jure, sed judicis sententia; 5. *Religionis professione, matrimonio, degradatione,* ac ceteris fere modis omnibus, quibus Beneficium ipsum amittitur.

**393.** Q. 2. *Quid annatæ, spolia, cathedraticum, procuratio et regalia?*

R. Duo priora cedunt Pontifici; sed ea hodie nullibi forte obtinent. Alia duo Episcopo debentur et vigent. Ultimum Principis est.

1. Sedes apostolica in conferendis Beneficiis reditus exigebat unius anni, si ea essent consistorialia. Secus dimidium reditus unius anni; si tamen proventus annui superarent summam 24 ducatorum aureorum *de Camera.* Quæ quidem *annatæ* noncupabantur et *mediæ annatæ.* — Antiquissimas dicimus et justissimas; cum inductæ essent ad propagandam fidem, ad opitulandum pauperibus ad Religionem nostram conversis, et cetera gravissima Pontificatus onera ferenda [2].

2. *Spolia* dicta sunt bona, quæ Clerici post obitum relinquebant: quibus tum ipsi tum illorum hæredes expoliabantur. Hæc jure pertinebant ad Sedem apostolicam, quæ ea exigebat per collectores, et in pios usus distribuebat. — Spolia instituta sunt tum ad coercendum avaritiam Clericorum, qui ex ecclesiasticis bonis quærebant opes, ut ditarent consanguineos; tum ad tuendos canones, ex quibus Ecclesiæ bona in pios usus conferenda sunt [3].

3. *Cathedraticum* est ordinarium tributum, quod a singulis Ecclesiis sæcularibus, et clericis Beneficiatis item sæcularibus solvitur quotannis episcopo in signum subjectionis, et honorem Cathedræ episcopalis. Antiquissimus profecto est [4]; neque illud sustulit Tridentinum.

[1] Innocentius XI, Constitutione *Circumspecta;* et Benedictus XIV, Constitutione *In sublimi.* — V. Cabassutius, *Theor. et prax.*, c. XIV, n. 15. — Fagnanus, in c. *De Præb.* — Vallensis, *De Beneficiis,* p. I, t. II, etc. — Devoti, *Inst. Can.*, l. II.

[2] *V.* Pallavicini, *Historia Concilii Tridentini,* l. II, c. VIII. — P. Zaccaria, *Antifebronius,* p. II, l. V, c. V. — Braschi, *De annatis.* — Biner. — Fagnanus. — Ferraris, v° *Annatæ.*

[3] *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. III, c. VIII, n. 6. — Ferraris, v^is *Spolium, Subcollectores.*

[4] Sess. XXIV, c. III, de R. — *V.* Thomasinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina,* p. II, t. II, c. XXXIV. — *V.* Ferraris, v^is *Cathedraticum, Subsidium charitativum.*



Quia tamen hodie illud in Synodo penditur ideo et *Synodaticum* appellari consuevit. — Est etiam *subsidium charitativum,* nempe tributum ab Episcopo ecclesiis et clericis sibi subjectis in necessitate impositum.

4. Pertinet quoque ad Episcopum *procuratio:* et est præstatio, quæ ei Diœcesim visitanti tribuitur, alimentorum nomine [1]; cum enim in visitatorum bonum visitatio cedat, æquum est ut ista illorum fiat sumptibus. Hic consuetudo ac conventiones sunt attendendæ: sunt enim loca quæ nihil tribuunt, uti hospitalia, monasteria si in iis non sit beneficium, civitas in qua Episcopus residet, etc.

5. *Regalia* est concessio sæcularibus Principibus *ab Ecclesia facta,* tum ad quædam Beneficia nominandi, tum reditus percipiendi a Beneficio vacante; est quasi donum illis tributum ad eorum protectionem erga Ecclesiam Dei remunerandam [2]. Dictum est *ab Ecclesia facta:* unde civilis potestas non potest illas proprio marte usurpare; res enim et bona Ecclesiæ sunt. — Hoc autem confundi non debet cum *Investituris,* quibus scilicet Principes Episcopos feudis investiebant; cum enim decursu temporis non tantum feuda, sed ipsa Beneficia tribuere contenderent, a Gregorio VII invicte atque sapienter condemnatæ fuerunt investituræ [3].

[1] C. VI et XXIII, *De cens. exact.;* et Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. X, c. X. Plures sunt Parochorum partes in Episcopi visitatione. *V.* Gavanti, *Praxis compendiaria visitationis Episcopalis.* — *Bibliotheca per i Parochi ed i Cappellani di campagna,* vol. XV. — Ferraris, v° *Procuratio.* De jurisdictione Episcopi quoad Ecclesias parochiales Regularium in visitatione vid. Constitutio Benedicti XIV, *Firmandis.* 6 nov., anno 1744.

[2] *V.* Salzano, *Storia ecclesiastica,* l. XV, n. 27. — *Pratica legale* pro Sabaudia.

[3] *V.* Salzano, *Storia ecclesiastica,* l. XIII, n. 10, prop. III. — It. Voigt, *Storia di papa Gregorio VII.* — It. Muzzarelli, *Il buon uso della logica,* opusc. XXXI; Gregorio VII. — Graveson, *Hist. Eccl.* t. IV, coll. 3. — Liber, cui titulus, *Lasciamo stare le cose come stanno,* ecc. Roma, 1856, pag. 63. — Præ ceteris Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Église.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# ADNOTATIONES

## AD TRACTATUM UNDECIMUM

—

### (1) Page 347.

**394.** Ipsa naturalis ratio postulat, ut res, loca et personæ sacræ summo in honore habeantur, atque distinguantur privilegiis, ex dictis de *Legibus* ubi de subjecto. *V.* Franco, *Risposte popolari alle obiezioni più comuni contro la religione*. Hinc triplex immunitas, realis, localis et personalis : quarum quidem immunitatum violatores incurrunt ipso facto excommunicationem Pontifici reservatam ex Bulla *Cœnæ*, ex Bulla Martini V *Ad reprimendas*, et Gregorii XIV *Cum alias*, etc. Quæ omnia innovat Tridentinum, *sess.* 25, *cap.* 20. — *V.* Civiltà Cattolica, ser. I, t. X : *L'unico foro nei governi ammodernati.* — Ferraris, V. *Clericus*, art. 2 et 7 : *Forum*, *Franchitiæ*, *Immunitas.* — Prælectiones juris canonici S. Sulpitii, t. II.

1. Est *immunitas realis*, sive exemptio bonorum tum Ecclesiæ tum Ecclesiasticorum a tributis et oneribus omnibus (can. *si quæ causæ* 26). Ad porro D. Thomas (*In Epist. XIII ad Rom.*) : *Ab hoc debito* (solvendi tributa), *liberi sunt Clerici ex privilegio Principum, quod quidem naturalem æquitatem habet :* et hoc mutuis conventionibus inter Papam et Principem firmatum est. Ceterum in Regno Sabaudiæ ex Litteris Leonis XII, 14 maii 1828 et ferme ubique ab hoc onere hodie eximuntur tantum res, quæ nihil afferunt utilitatis temporalis, uti ecclesiæ ipsæ, cœmeteria, vasa, vestes sacræ ad cultum pertinentes et similia. — *V.* Ferraris, vº *Contributio.*

2. Est *immunitas localis*, seu jus loco sacro concessum, ut ibi existentes vel eo confugientes tuti fiant a potestate laicali (et dicitur *jus asyli*) ; ex Constitutionibus *Cum alias* 1591, *In supremo* 1734, etc. Pro Regno Sabaudiæ vid. Instructiones Benedicti XIV 1742, Clementis XIII 1763, Clementis XIV 1769, Pii VI 1775 et Leo XII 1826. Quibus locis et personis competat hoc jus vide apud Talento et Alasia, *De Legibus.*

3. Est *immunitas personalis*, seu personæ ecclesiasticæ exemptio a personalibus oneribus, quæ componi non possint cum sanctitate et officiis clericalibus, sive ea sint onerosa sive honorifica. Hinc immunes sunt a servitio militari, a vilis operibus, ab assumenda tutela, ab onere recipiendi milites hospitio, a capitis censu seu tributo, quod personis



imponitur (*l. I. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.*; *l. I. Cod. de civ. capit*, etc.) ; in aliquibus tamen usu derogatum est. — Quibus privilegiis adde privilegium tum *competentiæ* in clericalis Ordinis honorem inductum ex *cap.* 3 *Eduardus clericus de solut.* quo Clericus impar solvendo debitis, nequit ad id obstringi, nisi prius deductis ad honestam sustentationem necessariis; tum *canonis* de quo dictum est ubi *de Censuris :* tum demum *fori* in eo consistens, ut Ecclesiastici nonnisi in foro ecclesiastico conveniri possint (*cap. etsi Clerici* 4; *Clerici* 8; *de foro compet.*). Hac tamen de re videantur Concordata. — Quoad Imperium austriacum vid. *Concord, ult.* anno 1855, § 13 *et* 14. Quoad Sabaudiæ vero Regnum clarissimus Alasia tum ex celebri Instructione Benedictina 6 jan. 1742, tum ex consuetudine inducta hæc resolvit (quæ tamen non omnia conveniunt cum jure Canonico).

« Quoad *causas civiles* Clericus adhuc subest judici laico : 1. in causis feudorum; 2. ratione cœpti judicii, quando scilicet causa fuit inchoata, cum reus nondum erat Clericus, aut ad Clericum res nondum spectabat; 3. quando vocantur nomine alieno, v. g., quia laici procuratorem vel tutorem egit; 4. ratione reconventionis, si nempe Clericus actor ad sæcularem forum aliquem traxerit (nomine et utilitate propria, non Ecclesiæ), hic eumdem Clericum in eodem foro laicali reconvenire poterit : quare si Clericus petat in foro laicali pecuniam sæculari mutuatam, poterit hic laicus suum æs quod vicissim illi credidit, in eodem foro reposcere. Item ex Concordato 27 martii 1841 Clerici directe subjiciuntur civili tribunali tum quoad delicta, si in iis complices habeant laicos, tum quoad crimina, tum quoad reatus vulgo *de contravention* et violationes regiarum gabellarum. — Quoad alias causas civiles, si ii qui litem habent, omnes sunt Clerici, nonnisi in foro ecclesiastico possunt quæstionem agere. Si vero actor sit Clericus, et reus laicus, tunc causa agitanda est in foro civili, quia actor sequitur forum rei. Si tandem actor sit laicus et reus Clericus, tunc casu quo laico competat solummodo actio personalis quæ nempe oritur ex jure ad rem, Clericus erit conveniendus coram judice ecclesiastico. Quod si laico competat actio realis seu jus in re, tunc Clericus etiam coram judice laico potest vocari ex longa consuetudine; nam etsi tunc conveniatur etiam persona, non tamen convenitur propter se, sed propter rem possessam; res autem laico subest judici.

« Quod autem pertinet ad *causas ecclesiasticas*, ad judicem ecclesiasticum omnino pertinet judicare de criminibus contra fidem ac cultum, de polygamia, de sponsalibus, de divortio, de sacris ritibus ac præcedentiis in functionibus. Quoad causas vero de beneficiis, decimis, aliisque bonis temporalibus quæ spectant ad Ecclesiam, distinguendum est : si judicium sit petitorium, in quo quæritur ad quem spectat

rei proprietas, res est definienda a judice ecclesiastico; si judicium sit possessorium, in quo quæritur ad quem possessio non spectet, permittitur judici laico se immiscere in possessoriis *retinendæ et reintegrandæ* (nisi petitorium ita perspicuum sit, ut possessorium absorbeat). Ceterum in possessorio una cum judice civili agere etiam potest judex ecclesiasticus, et ideo locus est præventioni. »

Tandem si debeat conveniri debitor Ecclesiæ, confraternitatum aut aliorum locorum piorum, tunc si iste debitor sit laicus coram judice laico, si vero sit ecclesiasticus, coram ecclesiastico citari debet ex Benedictina Instructione § 5.

Ut tamen Clericus gaudeat privilegio *fori*, requiritur ut prima saltem tonsura sit insignitus, habitum et tonsuram Clericalem deferat, alicui Ecclesiæ sit addictus vel in seminario aut alia schola de licentia Episcopi versetur. (Tridentinum, *sess*. 23, *c*. 6 *de Ref*.)

Nota : Qui compulsus est ad aliquam immunitatem violandam, puta si civilis judex debeat judicare Ecclesiasticum, ab ecclesiastica et legitima potestate permissionem postulet, quæ ipsi facultatem faciet, si alioquin grave detrimentum sit passurus in proprio statu.

### (*B*) Page 353.

**395.** Quoad sacram Ordinationem plura notanda pro praxi, ad plura etiam solvenda dubia, quæ Ordinantem et Ordinatos vexare solent.

*a*. In Ordinibus sacris conferendis requiritur, ut ab eodem Episcopo qui formam profert, materia tradatur: cum talis sit usus Ecclesiæ, et sic censetur Christus instituisse ex D. Thoma, *supp*., *q*. 38. Secus tamen in collatione Ordinum minorum.

*Tonsurandi* et ipsi dicant simul cum Pontifice in capillorum tonsione *Dominus pars*, etc. Quoad ceteros : — 1. Ordinandi *Acolyti* ad traditionem candelabri cum candela ; item urceoli vacui in pelvi (quæ omnia dextera manu singuli tangant) ; — 2. Ordinandi *Subdiaconi* ad amicti impositionem super caput (quod ideo paulisper incurvant); ad immissionem manipuli in sinistro brachio (quem ipsis porrectum prius osculantur); item ad totalem tunicæ immissionem ; atque traditionem libri Epistolarum (quem sicuti exorcistæ librum exorcismorum, manu dextra foris et intus digitis tangunt) ; — 3. Ordinandi *Diaconi* ad impositionem stolæ (quam porrectam osculantur, sicut presbyterandi); item ad totalem dalmaticæ immissionem ; atque traditionem libri Evangeliorum (quem ut supra tangere debent) ; — 4. Ordinandi *Presbyteri* ad manuum unctionem tum in forma crucis, tum totalem intus actam ; atque ad tactum calicis, patenæ et hostiæ (quæ omnia simul tangere



debent juntis manibus inter indices et medios digitos) : omnes, inquam, et singuli ordinati supra nominati ad verba Ordinantis Pontificis respondere debent *Amen*. Item Presbyteri respondent *Deo gratias* ad Casulæ impositionem ; quando autem Pontifex tenens manus presbyteri ipsum osculatur dicens *Pax Domini sit semper tecum*, presbyter respondeat : *Amen*. Respondet vero *promitto*, cum ante osculum interrogatur de reverentia et obedientia Episcopo exhibenda. — Cum autem post offertorium offerunt bini, et bini candelas, prius osculentur candelas ipsas, postea Pontificis annulum ; accedunt presbyteri, diaconi et ita porro. Hæc dicta sunt, ut res tanti momenti recto ordine fiant : cetera in Pontificali.

**396.** *b*. « On demande si on a donné valablement la tonsure cléricale à Edmond Pomer, appartenant au Collége anglais, les cheveux lui ayant été coupés non pas sur la tête, mais sur la perruque qu'il portait. » — Sanctissimus, attentis expositis super Tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione quatenus opus est, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius renovandum. *S. R. C.* 25 *sept*. 1846.

*c*. Q. 1 : in collatione primæ tonsuræ legitur in Pontificali : *Quilibet quum tondetur, dicit* : *Dominus* ; etc., hæc verba suntne proferenda etiam ab Episcopo? 2. Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores Ecclesiæ, debetne claudere et aperire etiam cum clavi? 3. *Amen* quod Pontificale præscribit respondendum in traditione materiæ vel sacrorum indumentorum in ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando, vel ab adstantibus? 4. Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante vel postquam communicati sunt Presbyteri? — Ad 1. *proferat juxta morem*. Ad 2. *non est stricte necessarium*. Ad 3. *juxta consuetudinem ab ordinando*. Ad 4. *post Communionem Presbyterorum*. Ita S. R. C 12 nov. 1831.

*d*. Quum in sacra Ordinatione episcopus imponat ordinando ad subdiaconatum amictum in capite, an illud in capite tenere debeat ad finem orationis, vel super scapulas dimittere et quando? *Dimittendum super scapulas post impositionem*. S. R. C. 11 sep. 1847.

*e*. In ordinatione privata possunt accendi quatuor Cerei ut ex Rubrica, sed in ecclesia et publica Ordinatione septem ut in missa Pontificali. *S. R. C.* 12 *nov*. 1831.

*f*. Episcopus perturbavit formam adnexam postremæ manuum impositioni in ordinatione presbyteri dicendo : *Quorum remiseritis peccata retenta sunt, et quorum retinueritis remissa sunt*. Quid? S. C. Inquisitionis 27 mai. 1840 respondit, probante Gregorio XVI : *Sub conditione in privato Oratorio quovis anni tempore suppleatur a quovis episcopo induto de more, tertia manuum impositio et*

*forma respectiva : accipe Spiritum S. etc.; non tamen repetendo cæremonias accidentales antea adhibitas.* — Et iterum S. Rituum C. 22 maii 1841 : vigore facultatem a SS. PP. Gregorio XVI specialiter tributam, concedit ut ad tramites dicti decreti S. Inquis. vitiata suppleantur quacumque anni die ab episcopo quovis induto de more ut in ordinatione et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante enuntiato presbytero sacerdotalibus vestimentis induto, et sic suppleatur tertia manuum impositio et respectiva forma *Accipe S. S.*, etc., quin tamen repeti debeant cæremoniæ accidentales antea adhibitæ.

*g.* S. Rituum Congregationi die 16 jun. 1837 exposuit Archiep. Taurinensis : generali ordinatione completa, et domum episcopalem jam reversus Ordinator accepit aliquos ordinandos in diaconos non se præsentasse ad traditionem libri, putantes nondum eorum tempus advenisse : librum tunc statim ipsis tradidit Archiepiscopus in privato Sacello. Quid S. C. consulta? respondit : *Si Amplitudo Tua prudenter judicat moram temporis quæ inter ordinationem horum subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercesserit haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formæ cum traditione materiæ merito censeatur abrupta, ordinatos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad præteritum et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis officium publice tuta conscientia* (*si aliud non obstet impedimentum*) *pro ratione sui status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantam fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum Auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa libri evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere, et ita ordinatos in suorum Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solum tradidit partialem materiam libri evangeliorum sine forma, tutius erit si ordinatis hujusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiæ simul cum probatione suæ formæ repetendo. Quo in casu si tempus proximæ futuræ Ordinationis ad hujusmodi supplementum a canone constitutum* (id est statuto tempore ad Ordines conferendos ex c. presbyter de sacram. non iterand.) *expectari nequeat vel ob periculum scandali vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias quas Amplitudo Tua probe noverit, nec aliud obstet impedimentum, poterit ab interstitiis dispensare et proximo quoque Festo defectum prædictum prudenter et secreto supplere*, etc... (*V.* Collectio Gardellini, *Decretum*, n. 4664.)



**397.** *h.* Materia a consecrando tangenda in Ordinatione Sacerdotum est calix cum patena. Sufficit autem (ut verius et communiter docent) tangere calicem ac patenam : *Neque magis*, ait Gonet, *necessarium est tangi hostiam ipsam patenæ superpositam, quam vinum in calice contentum, quod certe nullus Ordinandorum tangit. Quod propter nonnullus scrupulosiores notare obiter hic volui.* Ceterum etsi non tangenda hostia, nec vinum; attamen in calice vinum, et super patenam hostia adesse debet : aliter non daretur directa potestas ad integrum et verum sacrificium; et quidem eodem tempore debet tradi, cum potestas sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis : ita probabilior sententia omnino tenenda.

Qui vero loco patenæ tangeret hostiam, communiter ac probabilissime dicunt valide ordinari (si tamen simul tangat et calicem, uti supponimus) : ratio est, quia tangit id quod potius est, et quod constituit materiam substantialem Sacerdotii (quamquam alii dicunt cum Lugo talem ordinationem ad majorem animi tranquillitatem sub conditione iterari posse). Docent autem probabilius Concina, Vasquez, Palaus contra alios valere Ordinationem si tangatur tactu physico solum calicem, sed non patenam superpositam (aut vicissim patenam, sed non calicem); quia calix et patena tunc moraliter unum faciunt : attamen alii volunt talem ordinationem sub conditione repetendam esse; Pontificale enim tum calicis tum patenæ tactum requirit. Ceterum S. Congregatio Rituum die 3 decemb. 1661 : « Ad scrupulum Fratris Ephrem Chasteau proagentis recollectorum Galliæ, nempe se non tetigisse tactu physico calicem in sua Ordinatione ad Presbyteratum, S. C. respondit : *Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia. V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 750 et seqq.

Quæres : *An ad valorem sacræ ordinationis, requiratur tactus physicus instrumentorum?* Alii negant probabiliter; ratio quia hoc ipso quod quis alteri offerat et alter significet aliquo sensibili signo acceptare illam, jam censetur acceptare, quin tangat. At communius affirmant; talis enim est usus Ecclesiæ : sufficit tamen tangere una manu; item sufficit tactus mediatus, ut si tangatur calix, patena aut liber medio aliquo velo vel chirotheca; qui enim sic tangit, in omnium sensu vere tangere dicitur. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 745.

*An sit valide ordinatus cui in subdiaconatu non datus fuit calix vacuus, sed plenus vino cum aqua?* Affirmative; licet vacuitas instrumentorum exigeretur ad significandum ministerium quod subdiacono traditur, id sufficienter significatur per patenam vacuam. Quamquam sufficit quod sola vasa intendantur dari sine materia in iis contenta, sicut liber Missalis datus eidem subdiacono significat potentiam can-

tandi solas epistolas, et non evangelia, etsi evangelia etiam in eodem libro contineantur. Igitur vacuitas in vasibus non est pars materiæ necessariæ ad valorem, sed aliquid necessarium ex præcepto, ut melius significetur diminutio potestatis in subdiacono. *Lugo*.

*i.* « On demande si l'on peut considérer comme valide l'ordination d'un prêtre, auquel, dans l'imposition des mains du diaconat et du sacerdoce, l'évêque ne touchait point la tête, mais tenait ses mains à une certaine distance. — Nous pensons que l'ordination est valide. Sans doute l'imposition des mains est essentielle pour la validité, mais le rite prescrit dans cette imposition n'est pas essentiel, à savoir de toucher la tête de l'ordinant, puisque, sans contact, il y a véritable imposition. Ce qui le prouve, c'est que dans la seconde imposition de mains prescrite pour l'ordination du prêtre (et qui est la plus essentielle), le contact de la tête n'est point prescrit : *Tam Pontifex quam Sacerdos*, est-il dit, *teneat manus dexteras extensas super illos*. Dans la confirmation, on trouve la même règle : *Extensis versus confirmandos manibus*... En agissant autrement, on viole une rubrique préceptive, mais la consécration n'est pas invalide. » Ita Pavone, *Spicilegio canonico, morale*, ecc., § 205.

*j.* « Un évêque (iterum laudatus Auctor) à l'ordination, au lieu de dire, selon le pontifical : *Accipite ceroferarium...; accipite urceolum...; accipite librum epistolarum*..., etc., dit à la fois aux divers ordinants, en parlant au singulier : *Accipe*, etc. On demande si l'ordination est valide, l'évêque ayant eu l'intention d'ordonner tous ceux qui touchaient les objets présentés? — Nous avons répondu que le mot *accipe*, uni à l'intention du pontife, a la même valeur que *accipite*. Le mot *accipite* s'adressait à tous en général, le mot *accipe*, uni à cette intention, s'adresse à chacun en particulier, mais dans le même instant, ce qui revient au même. »

**398**. Cum ex Tridentino (sess. 22 in *Decreto de observand. et vitand. in celebratione Missæ*) vetitum sit munera tribuere pro Missis novis cumque fuerit disputatum, an adhuc liceret noviter Celebranti aliquam oblationem accipere in sua prima Missa, Gregorius XIII per S. C. C. 1573 decrevit : *Licere se vertere in medio altaris ad populum et accipere oblationes, non autem circuire Ecclesiam*. — Synodus Novariensis habet (pag. 104) : *Sub pœna suspensionis ad tres menses vetamus in primæ Missæ celebratione munera a novo Sacerdote in Ecclesia colligi* (aliud esset, pacem osculandam tradere), *necnon sumptuosa convivia ea occasione instrui*.

**399**. *k. Quid* (quæres) *dicendum est de Precibus et Missis, quæ in ipsa Ordinatione imponuntur Ordinatis ab Episcopo?* — R. Alii putant cum Lessio hæc persolvenda esse sub mortali, et sane materia



gravis est. Alii volunt probabiliter cum Soto hanc obligationem esse tantum decentiæ, non autem sub peccato; saltem tenet Croix non esse sub gravi, cum id Episcopi non declaraverint. *Nocturnum* autem quod imponitur Diaconis et Subdiaconis, non est Nocturnum feriæ istius diei quo fit Ordinatio; sed cujuscumque quem Episcopus designat : unde potest esse etiam alterius diei. Non enim dicitur *hujus diei*; sed *talis diei*, quasi diceret *talis vel talis diei*, illius videlicet, in quo recitatio præscribitur (si revera præscribatur), ut probat Gobat. Sufficit autem Nocturnum feriale sine Lectionibus, cum Lectiones non notentur; quando enim Episcopus vult, id declarat. Sic imponendo Tonsuratis et in Minoribus ordinatis Psalmos pœnitentiales, quia vult, ut simul et Litaniæ et versiculi et orationes dicantur, id exprimit. Item neque veniunt oratio dominica, salutatio angelica, symbolum, psalmus *Venite*, nec hymnus, cum nihil horum præscribatur uti notat Ransée.

Hac de re S. Rituum Congregatio 11 aug. 1860 habet : « Pontificale R. in titulo *de ordinatione* præscribit subdiaconis et diaconis, ut dicant *nocturnum talis diei.* » Hinc quæritur 1. utrum per nocturnum talis diei necessario intelligi debeat totum Officium nocturnum de tempore, sive Matutinum et Laudes ejus diei, in qua Ordines conferuntur, sive unum nocturnum habeat ut in Sabbatis quatuor temporum et in Sabbato passionis, sive tres ut in Sabbato Sancto et in Festis et Dominicis, in quibus Ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat? — 2. Utrum in potestate Episcopi Ordinantis sit injungere unum tantum Nocturnum quem maluerit sive Officii de tempore sive de Sanctis quod ipsa die concurrat? — 3. Utrum injungere possit unum Nocturnum de Officio defunctorum, vel parvo B. V. Mariæ, vel de alio Sancto? — 4. Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba Pontificalis sonant, utrum in potestate ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei in qua Ordines receperunt, vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore sive de Sanctis illius diei, in qua preces injunctas adimplere voluerint?

Ad 1. : Verba Pontificalis R. *Nocturnum talis diei* intelligi de unico Nocturno feriali vel de primo Dominicæ ut in psalterio, id est duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quoad 2, provisum in primo; quoad 3, provisum in primo; quoad 4, dicendum nocturnum ferialem ut supra, qui respondeat illi diei, in quo facta est sacra Ordinatio. »

Preces præscriptæ tum Tonsuratis tum Ordinatis in minoribus, ac majoribus impleri possunt etiam tempore Missæ de præcepto, etiam cum socio; quia non habent strictam rationem pœnitentiæ.

Quoad *Missas* votivas quæ imponuntur Presbyteris debent dici, quando juxta rubricas licet Missas votivas celebrare, ut notat Gavanti; neque absolute necesse est, ut servetur ordo in earum celebratione, adeo ut prima sit de Spiritu Sancto, secunda de B. Virgine, tertia pro defunctis, modo dicantur; possunt item diferri, si causa subsit, uti habet Cavalieri. Insuper sola Missæ qualitas, non Sacrificii applicatio præcipitur, ut ex contextu Pontificalis romani, dum ibi præscribatur tantum ab Episcopo, ut initiati pro eo orent, ideoque ipsi bene possunt Missas pro aliis applicare etiam cum stipendio; non sunt namque adstruenda onera, nisi verborum, quibus lex constat, tenor cogat. Ita Cavalieri, *Oper. lit.*, t. III, c. 12, n. 20. — Mazzota, *De Sacrif. Missæ* c. 4, § 3. — Synodus Vercellensis cel. an. 1842, pag. 343. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 829. — Et Pius Martinucci Pontificius Cæremoniarius.

**400.** Quær. 1. an quando unus in episcopali sacello ordinatur, palam interdicere debet episcopus per unum ex suis, ut habetur in Pontificali : *Ne quis accedat irregularis;* 2. an quando Ordines conferuntur sine cantu, subdiaconus ex noviter ordinatis post lectam, epistolam, debeat osculari manum episcopi stantis ad altare; necnon diaconus antequam evangelium legat, dicto *Munda cor meum*, benedictionem petere et manum episcopi osculari, et an postea episcopus evangelium deosculari? S. R. C. 25 sept. 1852 respondit ad 1. *affirmative;* ad 2. *negative et ab episcopo osculandum suum Missale.*

*I.* Sacerdotes quotannis die, quo sacerdotes fuerunt initiati, beneficii memoriam recolant, addendo in missa collectam pro seipso sacerdote, dummodo non sit dupl. 1 class. Ex *Conc. Provinc. Mediol.* 1.

### (C) Page 356.

**401.** Ex diversis ministrorum gradibus ac qualitatibus diversa unicuique adsignatur sedes et sua cuique tribuitur præcedentia, de qua tamen quot inter clericos et religiosos discordiæ! Hinc merito Tridentinum (*sess.* 25, *c.* 13 *de Reg.*) ad illas cito finiendas facultatem tribuit Episcopis, ut illas sine strepitu et extrajudicialiter componant, quibus partes obtemperare debent (etsi postea possint ad superiorem appellare), idque sapienter ad scandala to lenda.

In materia præcedentiæ legitima consuetudo per decem annos præscribit; si ea excipiatur, juxta plures, quæ est inducta contra Dignitates, quæ semper præcedere debent alios juxta ordinem suum. Inter



Episcopos qui prius electus, alteri postea electo præfertur; in Conciliis autem Provincialibus episcopi præcedunt juxta tempus ordinationis; *S. C. C.* 9 *apr.* 1593. Præcedentia debetur Capitulo Ecclesiæ Cathedralis super Capitulo Collegiatæ et Parochis in propriis etiam Ecclesiis; *S. C. C.* 12 *mart.* 1616; 28 *aug.* 1618. Canonici Clerici, ubi præbendæ non sunt distinctæ in presbyterales, diaconales et subdiaconales, quamvis receptione antiquiores, non sunt præferendi canonicis presbyteris, etiam postquam canonici Clerici fuerint effecti sacerdotes; et tunc nec ipsis competit reintegrationem, cum jus semel adeptum ex sacerdotio (*si tamen semper pertineant ac maneant in ea Ecclesia*) nunquam amittatur, non obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine; *S. C. C.* 17 *nov.* 1674. Canonicus provisus de novo Canonicatu, debet occupare stallum secundæ provisionis, et de novo incipere; *S. R. C.* 11 *jan.* 1701; et 16 *apr.* 1842.

Præcedentia inter parochos debetur illi qui primus assumptus est ad parœciam, nisi aliter postulet prærogativa Ecclesiæ, *S. R. C.* 23 *nov.* 1675; at parochus ipse præcedit in propria Ecclesia, excepto Capitulo Cathedrali; vel quando agitur de peculiari casu, uti, v. g., in Congregationibus. Si parochus transit de una in aliam parœciam, non amittit suam antianitatem ex *S. C. C.* 16 *jul.* 1701. — Vice-Parochus nulla gaudet præcedentia super sacerdotes ordinatione antiquiores, exceptis functionibus officio suo adnexis; *S. R. C.* 23 *feb.* 1849. Ceterum servetur consuetudo : S. R. C. 10 jan. 1852 declaravit, *præcedentiam petendam esse vel a dignitate ecclesiæ, vel ab antiquiori possessione, juxta ipsam locorum consuetudinem.*

Sacerdos beneficiatus uti beneficiatus in Ecclesia in qua nulla adest Collegiata, habere debet præcedentiam super alios sacerdotes non beneficiatos, etiam primo ordinatos in ordine sacerdotali et antianos; *S. R. C.* 11 *aug.* 1691. Beneficiatus sacerdos debet præcedere beneficiatos non sacerdotes, licet sint in possessione antiquiores; *S. R. C.* 16 *mart.* 1833.

Præcedentia inter Ecclesiasticos simplices debetur ei qui primus ordinatus est, licet ordinatus fuerit dum erat regularis. Præcedit inter ordinatos eodem die, qui primus vocatus, descriptus et ordinatus est; 15 *martii* 1664, 29 *nov.* 1681. — Regulares debent locum digniorem cedere Clero sæculari in processionibus, licet Prior regularis deferat in processione Reliquiam; 24 *sept.* 1695 *S. R. Congregatio.*

In Sypontina supplicatum fuit : « 1° Si les prêtres qui ne sont pas du chapitre, venant un jour de fête assister au chœur et à une procession, doivent s'y placer par rang d'ancienneté et d'ordination, ou bien si tel qui est gradué en droit canon ou en théologie, bien que moins ancien dans les ordres, peut prendre la préséance; 2° si le même ordre peut être suivi entre les diacres, les sous-diacres et les clercs; 3° si les

prêtres de la ville doivent prendre le pas sur ceux des autres parties du diocèse, et sur ceux qui habitent passagèrement dans la ville, quand même ces derniers seraient plus anciens dans les ordres; 4° si dans les églises appelées en Italie *chiese ricettizie*[1] la préséance doit-être donnée aux prêtres qui sont inscrits selon l'ancienneté de l'inscription ou d'après l'ancienneté d'ordination; 5° si un prêtre non inscrit arrivant dans une de ces églises peut prendre le pas sur ceux qui, déjà inscrits, auraient moins d'années de prêtrise; 6° si l'ordre établi dans ces divers cas pour la ville principale est applicable au reste du diocèse? — Ad 1, præcedentia inter presbyteros sumitur ex antianitate Ordinis, non ex gradu doctoratus, quia presbyteratus Ordo longe dignior est quam gradus doctoratus. Ad 2. idem servandum, ut supra ex iisdem rationibus. Ad 3, civitas et incolatus nullam majorem prærogativam tribuit. Ad 4, attendenda est antianitas Ordinum, dum in Ecclesiis adscriptiis non potest considerari aliquis honor seu aliquis titulus perpetuus et realis pro adscripto. Ad 5, affirmative ex proxima allata ratione. Ad 6, affirmative, cum militet eadem ratio. *S. R. C.* 23 *novemb.* 1675.

V. Ferraris, *Bibliotheca Canonica*, etc., v^is Præcedentia; Parochus art. 2; Stola; Superior. — Barbosa, *In suum Const. dec.*, v° Præcedentia. — Monacelli, Nicolius, Piesecius, Pignatelli, Scarfantonius; maxime Gothofredus, *De jure præcedentiæ.*

Quoad Consortia autem et Confraternitates statutum est, Confraternitati Cathedralis deberi regulariter præcedentiam supra alias. In ceteris vero esse animadvertendum ad qualitatem et antianitatem erectionis, et maxime ad possessionem legitimam præcedendi; in ista enim materia (observat De Luca, *De Regul.*, disc. XIX) peculiariter attendi debet consuetudo quæ totum facit et omnimoda regulatrix dicitur; et ita disponitur a Gregorio XIII Const. *Exposcit* 25 jul. 1585 ad has controversias sopiendas evulgata, ex qua habetur, *ut ii præcedant qui alias in quasi possessione præcedentiæ seu juris præcedendi illic fuerint; si vero non probetur aut non constet de quasi-possessione præcedentiæ hujusmodi, tunc ii præcedant qui antiquiores illo in loco sunt* (ut refert S. R. C. 6 jul. 1592). Excipe Confraternitatem SS. Sacramenti quæ ex privilegio habet in omnibus processionibus quibus defertur SS. Sacramentum, ut aliis sodalitiis præcedat, sit vel non sit antiquior; modo sit solita accedere ad alias processiones juxta prudentiam, et juxta judicium episcopi.

[1] « On appelle en Italie *chiese recettizie* des églises non paroissiales, enrichies de quelque bénéfice, et auxquelles sont attachés un certain nombre de prêtres qui ne vivent pas en communauté, mais qui prennent part au produit du bénéfice et qui desservent lesdites églises. » Not. edit.



Attamen in aliis processionibus ac festivitatibus et ipsa suum tenet locum juxta antianitatem suam vel possessionem. S. R. C. 19 jun. 1639; 14 nov. 1654; 4 mart. 1662; 26 sept. 1687; 17 august. 1835, etc. — V. Gardellini, *Decreta Authent.* ad n. 4421. — Bassus, *Tractatus de Sodalitiis*, q. XI. — Malaguzzi, *Manuale Parochorum*; p. II^a, colloquium XIII, totum *de Confraternitatibus.*

*Quid si festum agatur vel deducatur funus confratris alicujus Confraternitatis?* In processione ac ceteris præeminentiis, non ista Confraternitas potior habenda videtur; sed illa (cui est de jure ratione vel conventionis vel antianitatis vel possessionis) præcedere debet. Præcedentiam enim in propriis festivitatibus decreta concedunt tantum ex privilegio sodalitio SS. Sacramento, et quidem nonnisi quando defertur ipsum Sacramentum; at exceptio firmat regulam in contrarium. — Verum aliqui de illa Confraternitate jure deputantur ad propriam Imaginem vel Statuam in processione ipsa comitandam et gestandam, aut confratris feretrum deducendum de more : hoc enim ex cit. De Luca, *de Regul.*, disc. XX, non importat veram præcedentiam, sed ostendit solummodo comitatem, famulatum, propinquitatem; vel ut quidam ait, hoc non dicit *præeminentiam*, sed *attinentiam.*

### (*D*) Page 359.

**402.** Hic audiendus episc. Salzano, *Corso di Storia ecclesiastica*, l. II, cap. XIV : « Quelques-uns ont pris texte du mode d'élection des diacres pour soutenir que, de droit divin, le peuple doit intervenir dans l'élection des ministres du sanctuaire; et quelques jurisconsultes peu religieux, qui ont cru bien mériter du pouvoir laïque en amoindrissant le pouvoir ecclésiastique, ont pris soin de fomenter et d'appuyer cette erreur. Ils prétendent que, le peuple étant représenté dans la personne du souverain, celui-ci a un droit, qui lui est inhérent, dans le choix des ministres sacrés. Mais, pour peu qu'on jette les yeux sur les saintes Écritures et qu'on interroge la tradition de l'Église, qui ne voit que le peuple n'est jamais intervenu de droit divin dans les élections ecclésiastiques et qu'on ne peut rien conclure de ce qui se pratiquait pour l'élection des diacres? Et, en effet, on lit dans saint Paul que personne ne doit se revêtir lui-même de l'honneur (et il veut parler de l'honneur qui accompagne le ministère ecclésiastique); mais seulement celui qui est appelé de Dieu comme Aaron; or nous savons que Aaron a été établi pontife, d'après l'ordre de Dieu, par Moïse, sans aucun suffrage du peuple. De plus, Jésus-Christ, en donnant à ses disciples leur mission, leur a dit : « Comme mon Père m'a envoyé,

« je vous envoie; » or, si le Rédempteur n'a pas d'abord demandé pour cela le suffrage du public, on doit penser qu'il en est de même par rapport aux évêques et aux prêtres, et, en général, à tous les autres ordres qui ont pour but le sacerdoce, qui est leur complément. En outre, Jésus-Christ, en établissant son Église, lui a donné une organisation parfaite et l'a déclarée indépendante de tout lieu et de toute personne; il a voulu que cette société eût une forme monarchique, et par conséquent que le peuple n'y eût aucun pouvoir; or le pouvoir du peuple eût été immense s'il fût intervenu de droit divin dans les élections. Enfin, si, d'une part, tout ce qui est de droit divin est immuable et ne peut éprouver de variation, qui ne sait, d'autre part, d'après les seuls préliminaires de la science canonique, combien la discipline ecclésiastique a varié sur ce point? Quelquefois on a eu recours dans les élections au suffrage du peuple; d'autres fois, même dans les premiers temps, on n'y a point eu recours, comme nous le savons par le concile de Nicée et par le huitième concile œcuménique; et enfin on y a renoncé tout à fait, et, à la place du peuple, on a substitué ou le clergé, ou le chapitre, ou le chef de l'État, et cela par concession de la part de l'Église; tandis que, si le suffrage du peuple ou de toute autre personne eût été de droit divin, il n'y aurait assurément pas eu de changement. Il importe peu de citer l'exemple de l'élection des diacres, dans laquelle le peuple a été appelé à donner son suffrage, du moment que cela est arrivé par l'effet d'une concession de la part des Apôtres, qui ont dit : « Choisissez des hommes qui jouissent dans le public d'une bonne réputation ; » concession qui a été faite au peuple, de droit ecclésiastique, un grand nombre de fois, dans les temps postérieurs. De là on peut conclure avec toute raison que le choix et l'intervention du peuple dans la désignation de ses ministres n'ont point leur origine dans le droit divin. »

Ex hactenus disputatis patet neque eos esse audiendos, qui docuerunt *populum in electione Prælatorum habere jus divinum, non quidem constitutivum, sed morale; et quoad hoc populi interventum in pastoribus eligendis esse juris divini et naturalis divini, id est procedentis a natura institutionis pastorum, neque populum esse vel moraliter cogendum ad pastorem suscipiendum nomine, vultu, operibus, fama ignotum; nam oves pastorem suum cognoscunt.* — Nam illud *morale* non satis acerbitatem novitatemque doctrinæ temperat; quid enim tandem ea voce sit intelligendum, non apparet : vox est saltem nimis ambigua in hac materia. Adde si *jus est*, non jam nuda concessio ad simplicem nutum revocabilis; si *divinum est jus ac naturale*, præteriri non potest sine gravi peccato; si hoc jus procedit *a natura ipsa institutionis pastorum*, non est simplex conniventia, sed est jus firmum rei inhærens et ideo irrevocabile. Quæ omnia stare non possunt cum catholica doctrina : esto, quod pastores debeant cognosci ab ovibus suis; sed quando pastores semel sunt a legitima auctoritate constituti, tunc populus et eos cognoscere et eos sequi, et illis obedire tenetur. Absit autem ut credamus quod meliores haberentur ministri, si electio in manu populi esset : imo contrarium eveniret; quod quidem satis abunde et antiqua et hodierna probat historia, ex qua etiam habemus quot tumultibus, seditionibus, ac seductionibus obnoxia sit popularis electio. Hinc libellus, in quo id traditum est, in *Indicem librorum prohibitorum* fuit relatus Decr. 30 maii 1849; ejus tamen auctor laudabiliter se subjecit. — *V.* Nardi, *Elementi di diritto eccl.* Padova 1849, § 611. — *Analecta juris pontificii*, Romæ; anno 1860. — *Civil. Catt.*, ser. V, t. II, pag. 333.



Dices : Actorum, non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Matthiam et Barnabam, ut ex his Deus unum ad ministerium sacrum assumeret. Et Cyprianus aperte scribit : *De divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur* (epist. 68).

R. ad 1. : Cum D. Chrysostomo : quod tunc universa elegerit Ecclesia, factum est ex concessione Petri, non ex necessitate : *Quid? an non licebat ipsi Petro eligere? licebat et quidem maxime; verum id non fecit, ne cui videretur gratificari* (In Act. Ap.). Præterea illa non tam electio fuit, quam postulatio quædam.

Ad 2. : Cyprianus in citato loco non vult dicere descendere a jure divino, ut Prælatus a populo eligatur, sed ab exemplis divinis; sic enim loquitur narrando tria exempla Scripturarum Ordinationis habitæ coram populo, nempe Eleazari, Matthiæ et septem Diaconorum. At exempla simpliciter non faciunt jus divinum, sed divina præcepta; unde sola exempla non concludunt, nisi etiam præceptum includant. Vel etiam dici potest, quod Cyprianus hoc tantum tribuit populo, ut ferat testimonium de vita et moribus ordinandorum, quod etiam nunc servat Ecclesia : scribit nempe populum habere potestatem suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid novit boni vel mali de ordinando, et sic testimonio suo efficere, ut eligatur vel non eligatur. Talem esse ejus mentem patet; quia dicit debere in Ecclesia eligi pastorem, quomodo Scriptura docet fuisse electum Eleazarum (*Num.* xx); at Scriptura dicit Eleazarum electum a Moyse, et nihil tribuit populo, nisi coram eo fuisse Eleazarum electum. Adde : ipse Cyprianus non semper a populo consilium expostulavit et suffragium populi quæsivit in electionibus, ut patet de electione Aurelii et Celerini (*epist.* 33 et 34). V. Bellarminus, *De Clericis*, etc.

### (E) Page 365.

**403.** Nec dicas in vetustis monumentis occurrere vocabula *Episcoparum, Presbyterarum* et *Diaconissarum*, quas constat etiam consuevisse constitui per manuum impositionem. Nam iis nominibus donabantur mulieres, non quia aliquo essent sacro Ordine insignitæ; sed quia erant uxores eorum, qui ad Episcopatum vel Presbyteratum vel Diaconatum promovebantur; quod ubi contingebat, ipsæ se a maritis separabant et vovebant perpetuam castitatem. Illa autem manuum impositio erat mere cæremonialis. *Diaconissæ* autem dicebantur etiam illæ mulieres viduæ unius viri, ætate provectæ ac moribus spectatæ, quæ certis officiis ad fidelium bonum simpliciter deputabantur, quarum quidem origo est repetenda ab Apostolorum ætate. — De his vid. Devoti, *Institut. Canonic.*, l. I, tit. 9, § 22. — Billuart, *De Ordine*, Digressio 1ª historica. — Klee, *Hist. des Dogmes*, etc. — *Fasti della Chiesa nelle vite de' Sancti*; t. XII, vita di S. Olimpia; *in nota*. — Ferraris, vⁱˢ *Fœmina, Diaconissæ*.

« Nous ne nous arrêterons pas (addimus cum Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc., p. III, l. XII) à réfuter la fable de la papesse Jeanne, inventée par Scot au onzième siècle et accrue de mensonges affreux par des auteurs de peu de critique et d'un cœur corrompu. Éloigné de plus de deux siècles du fait qu'il raconte, il voudrait nous faire accroire qu'une Jeanne a gouverné l'Église pendant deux ans et plus. Son récit est une fable démentie par les auteurs contemporains ou peu éloignés du temps dont il raconte le fait, qui a été victorieusement réfuté par le cardinal Baronius, Bellarmin, Noël Alexandre et même par Blondel, ministre calviniste. » — *V.* le *Cours d'histoire ecclésiastique*, par M. l'abbé Blanc. Paris, t. I, p. 656. — Anglicani suam habent Papissam; non sane catholici. *V.* Margotti, *Roma e Londra*, cap. VII: il Papa e la Papessa. — Liberius a Jesu, *Controv.* De Ordine.

### (F) Page 367.

**404.** Ordinaria divinæ vocationis signa duo sunt præcipua : 1. est singularis quædam ad statum hunc propensio; hæc enim si dulcis, si constans, si fortis, nonnisi ab Auctore naturæ esse potest, qui omnia disponit nihil frustra moliendo; 2. est initium virtutum, quæ Ecclesiastico sunt propriæ, ut ardens charitas, sacrorum studium, castitatis



amor, rerum divinarum cura, quam perbelle describit more suo sanctus Hieronymus in suo Nepotiano adhuc Clerico : *Erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, si vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes cæremonias pia sollicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium.*

Principaliora autem media ad probandum, an vocationis spiritus a Deo sit, sunt : — 1. Oratio, dicente Scriptura (Luc. 11) : *Qui quærit, invenit.* Unde cum reali Psalmista frequenter ad Deum est inclamandum (Ps. 142) : *Notam fac mihi viam, in qua ambulem;* — 2. Consilium; ait enim Sapiens : *Sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis; astutus omnia agit cum consilio* (Eccl. 32; Prov. 13). Experientia sane constat, neminem sibi sufficere, quantumvis prudentem ac doctum. Unde Chrysostomus : *Licet mirum in modum sis sapiens, et perspicias quæ oportet; attamen homo es, et consiliario tibi opus est; solius Dei est nullo indigere consiliario* (Hom. *De Laud. Pauli*; v. Chiesa, *Vita del Venerabile Bescapè Vescovo di Novara;* exemplum t. I, c. 2). Verum ut consilium sit sine pœnitentia, omnia nude pio, docto, et prudenti consiliario sunt aperienda : quot inveniuntur, maxime juvenes, qui amant decipi, qui consilia cupientes sibi placentia, quæ magis sunt aperienda, cooperiunt, tacent, aut saltem dimidiant! vel nimis faciles consiliarios quærunt!

S. Pœnitentiaria 27 aug. 1829 respondit non esse cogendum ad suscipiendos sacros Ordines Clericum qui, licet a suis superioribus electus, et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit causa humilitatis vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus Ordinem. Sane cum omnes fateantur esse reale discrimen quoad obligationem moralem inter præcepta et consilia evangelica, dicendum neminem teneri amplecti statum clericalem cui annexa est praxis consilii castitatis et abdicationis curarum sæcularium, nisi constet de voluntate absoluta Dei præceptum imponentis. Porro in casu adducto non constat de hac voluntate, neque ad decisionem confessarii, quæ est simplex ac prudens judicium de subjecti idoneitate. Hinc Gregorius ad episcopum Salonitænum scribebat : *Justum est, ut nemo crescere compellatur invitus* (C. *episcopus* 1, *gesta* 2, dist. 74).

Excipe ex dictis, nisi judicetur absolutam intercedere voluntatem Dei per signa extraordinaria vel exterius vel interius in statu intimo animæ ordinandi manifestata. Item excipe gravem necessitatem ecclesiæ cui aliter nequeat provideri. Item habet Concilium Remense anno 1583 : *Adolescentes qui educati et nutriti fuerint seminarii sumptibus, confecto studiorum curriculo, si ætatem convenientem*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*attigerint, ad sacros Ordines suscipiendos compellantur, ut Deo et Ecclesiæ deserviant.* In hunc sensum Alumni Seminarii de *Propaganda Fide* juramentum ab Alexandro VII præscriptum emittunt : *Spondeo et juro quod volente S. Congregatione de Propaganda fide, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros etiam presbyteratus Ordines, cum superioribus visum fuerit, promovebor.* Hæc tamen, uti patet, supponunt nullum obstare impedimentum quominus clericus sacris initietur Ordinibus. V. *Prælectiones juris Canon. in Sem. S. Sulpitii;* par. 2, a. 1.

### (G) Page 374.

**405.** *An quis* (quæres) *possit ordinari titulo industriæ propriæ?* Sunt qui docent Clericum, qui, v. g., est pictor, ludimagister, etc., posse in ipsa sua professione fundare titulum ad Ordines. Attamen verius id inficiamur cum Benedicto XIV, qui refert declaratum fuisse a S. C. Congregatione. Et merito : neque enim iste titulus pacifice possidetur ac perpetuo; cum facile possit ob morbum aliamve causam in fumum abire. Adde ex Instructione Benedictina pro Regno Pedemontano exigi, ut in re, non in spe constituatur.

Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. IX, quærit : an onera Missarum sint omnino detrahenda ad titulum? Respondit id a S. Congregatione judicio et conscientiæ Episcoporum esse relictum, *qui spectatis locorum et personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuant, vel etiam in Synodo per modum legis decernant, an onera Missarum sint vel non detrahenda e reditibus Beneficii.* — V. etiam *Notificatio* XXVI, n. 6. — It. *de legibus* ubi *de derogatione.* — Rigantius, *in Regulam XXIV Cancell.:* de sacræ ordinat. titulo, § 5.

En regula ad videndum, utrum titulus sit ad taxam præfixam. Quoad reditus fundorum qui semper variant, computatio fit (a peritis tamen) habita ratione redituum unius novennii. Quoad onera Missarum vero, pro qualibet imposita Missa, detrahitur moneta una nova pedemontana (*un franc*) etiamsi agatur de festivis; festivæ autem in genere 70 numerari solent : hoc porro modo, detractione facta, videndum qui reditus remanent. Si vero defectus Beneficii sit modicus, licite quis ordinatur; secus si sit notabilis : notabilem autem merito esse censet Viva defectum quintæ partis. Qui actu possidet Beneficium, sed reditus exigere non possit usquedum Sacerdos, bene posset ordinari Subdiaconus et Diaconus juxta Barbosam et Garcias. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 815-816.



Si quis ordinetur titulo patrimonii sibi donati; sed clam data fide de eodem restituendo post Ordinationem, tunc si donator verum non habebat animum donandi, Clericus tenetur patrimonium restituere, cum ex donatione ficta nullum jus acquisierit. Et ideo ex Constitutione *Romanus Pontifex* S. Pii V incurrit suspensionem, utpote ordinatus sine vero titulo. Si vero donator verum habebat animum donandi, tunc Clericus nullam pœnam incurrit; cum patrimonium vere fuerit assecutus, licet peccet ob tale pactum. Imo ex Benedicto XIV (*Notific.* 26) non tenetur pactum servare, nempe patrimonium restituere, utpote præscriptioni Tridentini contrarium, quod statuit, ut *sine licentia Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possit.*

Quod si quis nullo præcedente pacto, post susceptum Subdiaconatum vel Diaconatum patrimonium vere donatum renuntiet donatori, vel quomodolibet alienet et sic Sacerdotio initietur, declaravit S. C. Congregatio 6 martii, 1638, eumdem non incidere in censuras; sed actum nullum efficere. Imo ex eadem S. C. 4 febr., 1652, Clericus sine licentia Episcopi non potest patrimonium renuntiare, licet aliunde habeat, ut honeste vivat; nam statim ac illud constitutum est, inter bona ecclesiastica adnumeratur. Attamen ex alio Decreto S. C. 5 feb. 1604, non est vetitum Clerico hypothecare patrimonium, quoad eam partem fructuum quæ supersit ad ejus sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, juxta judicis ecclesiastici arbitrium. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 821 et seq.

**406.** Nota. Constitutio patrimonii ecclesiastici per se non venit nomine donationis, ideoque a formulis pro donatione præscriptis est immunis. Sed est contractus *do ut facias;* cum detur Clerico ideo, ut Ordines suscipiat; ideo non indiget homologatione talis constitutio, ita decisum fuit Taurini, 26 junii 1855; et 6 apr. 1857, cassando contrarias sententias jam latas. *V.* Bettini, *Giurisprudenza degli Stati Sardi*, v. VIII, p. 741, par. 2.

In Belgio, in Gallia et alibi difficilior hisce temporibus evasit lex Tridentina de nemine sine titulo ordinando, suppressis injuria temporum ecclesiasticis collegiatis, ac beneficiis simplicibus penitus extinctis, nec valeant clerici patrimonium constituere. Hinc Episcopus Brugensis rogavit, quatenus Sanctitas Sua *benigne dispensare dignetur in lege Ecclesiæ, hac conditione, ut singulus ordinandus solvat semel tantum* 200 *francos, quod vellet extendi etiam ad divites ob uniformitatem* (ex quibus 200 franc. instituitur massa communis, ex qua egenis presbyteris providebitur). S. C. Concilii 24 aug. 1850, respondit, *negative et providebitur in casibus particularibus* (pro quibus singillatim recurrendum). *V.* Bouix, *de Episcopo*, part. V, c. XV.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Etiam Parœcia datur in titulum, sed tunc intra annum qui illam obtinuit, promoveri debet ad Sacerdotium ex S. C. C.

**(*H*) Page 390.**

**407.** Degradatio fit sequenti horrifico sane modo ex ipso Pontificali romano :

1. Degradatus vestitur indumentis proprio Ordini congruentibus, et sic in loco extra Ecclesiam ad id parato exhibetur Episcopo; — 2. Episcopus quasi exequendo sententiam jam prolatam, præsente judice laico cui postea degradandus traditur, publice abradit vitro vel cultello leviter sine ulla sanguinis effusione loca manuum illius, quæ in collatione Ordinum fuerunt inuncta; et etiam tonsuram præscriptam formam usurpans (hinc patet quid de modernis sciolis dicendum, qui de degradatione sermonem facientes immanitate et crudeli sævitia Ecclesiam incusant, et mendacia adeo portentosa historiæ commendant : cæremonia est, non vero carnificina); — 3. detrahit illi Episcopus singula ornamenta sacra, adhibens propriam ad unumquodque formulam; — 4. jubet per barbitonsorem ibi præsentem caput degradati totaliter tonderi inquiens : *Te veluti ingratum filium a sorte Domini.. abjicimus;* — 5. degradatum (amplius non tanges manibus suis) tradit præsenti judici laico, intercedens tamen pro miserrimo illo, ut nullum mortis vel mutilationis periculum eidem inferatur. Judex tandem eum sub sua custodia recipit, et sic omnes quiete discedunt.

**(*I*) Page 418.**

**408.** *Unde Beneficii origo?* Si Beneficii nomine quis intelligat jus competens Ministris sacris percipiendi ex rebus Ecclesiæ quæ ad honestam sustentationem sunt necessaria, Beneficiorum origo ab ipsa Apostolorum ætate repetenda est; Apostoli enim Christi vestigiis inhærentes fidelium oblationibus utebantur ad se aliosque Ecclesiæ ministros alendos. Ab Apostolis autem plena illa bonorum administratio transiit ad episcopos, qui utebantur opera præsertim Archidiaconi et œconomi, administrationis rationem in Concilio provinciali reddentes. — Si vero hoc nomine intelligatur adjudicatio certæ bonorum portionis jure perpetuo vel temporario facta certo ecclesiastico ministerio, ideoque Clerico illud agenti, Beneficiorum origo cœpit a sæculo V; sæculo autem VI, VII, aut VIII etiam *beneficii* nomen fuit usurpatum, exemplo ducto a



Romanis, quibus nempe mos erat, ut militibus de Republica bene meritis reditus aliqui ad honestam sustentationem ex publico ærario adsignarentur, cum onere tamen Reipublicæ assistendi : reditus latino vocabulo *Beneficia* noncupabantur; milites iisdem donati, *Beneficiarii* (Baronius ad an. 502 : quæ porro Latini *Beneficia*, Longobardi *feuda* appellabant). Item in Ecclesia catholica ubi temporum lapsu disciplina clericalis eo devenit, ut non amplius ministri vitam communem agerent, inductum fuit, ut iis pro vitæ sustentatione quædam prædia ejusdem Ecclesiæ traderentur cum jure percipiendi fructus; cum onere tamen quædam ecclesiastica officia obeundi : et cum usu etiam nomina *Beneficiorum* et *Beneficiariorum* obtinuerunt. Quæ etiam temporis decursu in titulum ordinationi dari cœperunt, cujus quidem sæculo XII meminit Alexander III.

Hoc porro jus sive potestas fructus percipiendi, etiamsi per se temporalis sit; tamen quatenus fundatur in officio spirituali et est eidem adnexa, spiritualitatem quamdam quasi induit. Sunt qui Ecclesiæ bona aggrediuntur, atque rapiunt, quin tamen desinant in ipsam Ecclesiam reverentiam et obsequium palam jactare, hac ratione, quia temporale cum spirituali confundi haud debet. Verum hoc impudentiæ portentum est; Judam isti imitantur : Ecclesiam osculantur et tradunt; suis bonis matrem expoliant, quasi debeat, adhuc in terris, vitam spiritu ducere; et nihilominus se eam amore prosequi contendunt. Quod ergo in privatis rapina est, quoad Ecclesiam obsequium erit? hoc neque ipsi infideles et barbari agunt; apud illos omnia temporalia diis suis destinata semper uti sacra et tecta habita sunt. Merito ergo Pius Papa IX, litteris 26 martii 1860, contra temporalis Ecclesiæ dominationis invasores latis habet : *Facile autem intelligitur quemadmodum ejusmodi R. Ecclesiæ principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacræ quam habet destinationis et arctissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianæ rationibus conjungitur.* — V. *Civiltà Cattolica*, ser. IV, t. VII, pag. 207. — Curà, *Il cristianesimo antico e moderno;* Roma 1862; discorso 3. — Et dicta tom. 1, p. 172 et seqq.

**409.** Aliquando etiam Beneficia *Commendata* appellantur : et sunt quæ quodam quasi depositi jure justa de causa per Pontificem Clericis, et etiam sæcularibus tribuuntur, quin ipsorum natura immutetur. Sic appellantur, quasi nempe sit custodiæ illorum facta alteri *commendatio*. Hoc eveniebat maxime, quando, v. g., Ecclesiæ erant ab hostibus occupatæ, dirutæ, neglectæ : commendabantur etiam sæcularibus dignitate et auctoritate præstantibus, ut illa bona vindicarent, instaurarent, etc. Vel quando in monasteriis disciplina erat collapsa; ea enim alicui clerico eximiæ probitatis ac prudentiæ committebantur, ut disci-

plinam restitueret. Item quando aliquis Episcopus vel Clericus ab Ecclesia, ad cujus titulum fuerat ordinatus, migrare cogebatur ob locorum occupationem ab hostibus, hæreticis aut infidelibus : ille alteri Ecclesiæ vacanti adscribebatur, cui servire et unde alimenta percipere possit; hæc autem Ecclesia dicebatur *commendata*. — Commendas perpetuas concedere solius est romani Pontificis, imo et temporarias (Cap. 15 *de elect*. Trident. *sess*. 24, *c*. 13 de R.), si forsan excipias Beneficia minora et simplicia quæ adhuc volunt posse Episcopum in Commendas concedere, si Ecclesiæ alicujus necessitas vel utilitas id pergat expostulare. Quidquid tandem sit, ex recenti disciplina quæ viget, Commendæ sunt *beneficia regularia clericis regularibus in perpetuam administrationem sic data, ut in illis habeant omne jus et auctoritatem ac si essent titulares*. *V*. Constitutio *Supernæ* Leonis X.

Commendæ Beneficiorum non sunt confundendæ cum iis Commendis, quæ fiunt ex privatorum bonis, quæ nullimode ad Ecclesiam pertinent; hæ fiunt ea lege, ut proprietas quidem ad aliquem Ordinem seu Religionem militarem transeat, ita tamen ut fundator ejusque hæredes vocati sint de iis bonis *commendæ* nomine investiendi; et tunc tantum usufructus cum proprietate favore Religionis consolidetur, cum omnes vocatorum lineæ defecerint. — *V*. Marenco, *de Beneficiis*, sess. 4. — Rigantius, *in Reg*. 45 *Cancell*., n. 49. — Berardi, *Comment. in jus Can*. — Natalis Alexander, *Hist. Eccles*., sæc. XV et XVI, c. VII, art. 4; et dissert. 12, art. 9. — Thomasinus, *Vetus et nova*, etc., part. II, l. VII. — Ferrante, *Jur. Can. Instit*.

### (J) Page 421.

**410.** Differt erectio a fundatione : est *fundatio* actus quo quis bona sua eo consilio in Ecclesiam confert, ut Episcopi auctoritate eleventur ad Beneficii perpetui dignitatem : est *erectio* actus, quo Superior ecclesiasticus talia bona sic elevat. — An autem in Regno Sabaudiæ etiam auctoritatis laicæ ad Beneficiorum fundationem licentia requiratur, si excipias regiones a Mediolanensi avulsas (uti est Diœcesis Novariensis) pro quibus ex § *collegiis* adhuc regium placitum requiritur, post Concordatum Benedicti XIII cum Rege Victorio Amedeo anno 1727 non requiritur talis licentia. Paragraphus *Collegiis* qui non respiciebat nisi stabilia et redditus super ipsa, abrogatus fuit a gubernio italico, decreto 20 maii 1814; at iterum apud nos revivixit anno 1817. Qui extensus fuit ad Januensem Ducatum Litteris Patentibus 29 maii 1817, ut refert Canestri, *Giurisprudenza canonica, civile del Piemonte*. (Adest tamen hodie nova lex civilis 5 junii 1850, quæ § *Collegiis* ad omnes regiones extendit.)



Ad erectionem beneficii ecclesiastici in genere requitur ex jure : 1. ut fiat ad cultum divinum; est enim ratio hujus institutionis; 2. ut designetur congrua dos, ut decenter provisus vivere possit; 3. ut non sit in præjudicium alterius beneficii; nec enim decet unum altare discooperire, ut aliud cooperiatur; 4. ut consensus et auctoritas adsit Episcopi, cujus est spiritualia moderari. *Reiffenstuel*.

Solemnitatis autem præscriptæ de jure communi (ex S. C. Congregatione, ex cap. 3 *de Eccles. ædific*., et Tridentino, *sess*. 21, *c*. 4) pro erigendo beneficio parochiali potissimum sunt : 1. ut interveniat justa causa, v. g., nimia distantia a parœcia; 2. ut fiat citatio rectoris matricis ecclesiæ et aliorum quorum interest; 3. ut Episcopus per se, vel per Vicarium specialiter ad hoc deputatum ad erectionem procedat; 4. ut habeatur Capituli cathedralis consensus; 5. ut in erigenda parochia sit sufficiens numerus parochianorum, quem ex decem familiis constare non sine ratione censent interpretes; 6. ut si dos pro nova Parochia tribuatur a matrice, hæc habeat jus præsentandi Rectorem; idem de aliis qui impensas tribuunt; 7. ut competens honor matrici præstetur, qui consistere potest, v. g., in annuo censu tribuendo vel similibus. Marenco, *De Beneficiis*. — *Prælectiones juris canon. in Semin. S. Sulpitii*, t. III. — Ferraris, v[is] *Competentia pastoralis, Dismembratio, Parochia*. — Et plura habent *Analecta juris pontif*., anno 1853, pag. 407, etc.

**411.** *Quænam requiritur auctoritas ad fundationem legatorum, vel capellaniæ laicalis erectionem?* Pluribus in locis hæc erigi non possunt sine Regis auctoritate; at in Regno Sabaudiæ si non opponatur fundatio art. Cod. civ. 885, nulla auctoritas requiritur. Neque obstat citata lex 5 jun. 1850; hæc enim agit de *corporibus moralibus*, et talia in communi usu non censentur Legata et Capellaniæ. Excipe nisi hæc legata sint corporibus moralibus relicta, tunc ex dicta lege civilis auctoritas requiritur. Item requiritur Episcopi adprobatio si agatur de acceptandis ab Ecclesia perpetuis oneribus Missarum ut fit in anniversariis, et aliis legatis; idque sub pœna interdicti latæ sententiæ, ex Bulla *Cum sæpe* 1625 Urbani VIII, et Bulla *Nuper* Innocentii XII 1692 (*V*. Canestri, *Giurisprudenza*, ecc., tit. VIII). Et dos quæ accipitur est assecuranda cum expressa mentione oneris quod ei imponitur.

Differt Capellania laicalis ab anniversariis, aliisque legatis piis, quod in Capellania certi fundi demonstrantur atque a patrimonio segregantur, quasi dos; sed in anniversariis et legatis ceteris præcipua habetur obligatio personalis, esto sint designati certi fundi. Ex quo fit, ut Ca-

pellania prorsus extinguatur, pereunte fundo; at non pereunt cetera pia legata, pereuntibus fundis. Insuper eruitur, fundos Capellaniæ alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum reipublicæ, et sine causæ cognitione; e contrario alienari posse ab hæredibus fundos demonstratos pro anniversariis ac piis legatis sine ulla solemnitate, nisi aliud ex fundatione constet, manente semper personali obligatione apud hæredes, aut in novum possessorem translata hypothecaria obligatione. Tandem Capellania semper individua est, et fundi non possunt inter hæredes dividi; cetera possunt utique dividi. Hæc L. Ferraris, *Biblioth. Can.*, etc., v[is] Capellania; Legatum.

### (K) Page 422.

**412.** *Patrimonia ecclesiastica, legata pia, præstimonia laicalia* et *laicales Capellaniæ* non sunt materia simoniæ, ideoque pretio æstimari possunt; ratio quia a superiore ecclesiastico spirituali officio non fuit adnexum jus percipiendi fructus, ideo illud jus remanet temporale. Item est de pensionibus, quæ etiam Clericis traduntur solvendæ ab Œconomatu in Regno Pedemontano. Idem de Capellaniis regiis dicendum; nam nullum onus spirituale est eis injunctum a superiore ecclesiastico, nec referunt ecclesiasticam institutionem. — Sed *pensiones ecclesiasticæ*, et *ecclesiastica præstimonia, vicariæ* et *coadjutoriæ*, item *Beneficia manualia*, si sint ab Ecclesia inducta, etsi veram Beneficii naturam non induant, possunt tamen esse materiæ simoniæ, si temporali pretio æstimentur, etc.; nam hæc omnia non tantum sunt adnexa ab Ecclesia clericali officio, et requirunt statum Clerici, sed etiam postulant ministerium spirituale, ratione cujus tales reditus sunt debiti, et acquiritur jus ad illos: ideo hoc jus est quid vere spirituale. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 112. — Alasia, *De Simonia*, cap. VIII. — Suarez, *De Simonia*, cap. XXVI et seqq.

### (L) Page 424.

**413.** Multi arbitrantur non jure divino, sed humano constitutum fuisse ut Papa designetur suffragiis electorum; inde concludunt Pontificem posse immutare modum consuetum, et illum etiam nominare qui post ejus mortem debeat esse Pontifex; et dicunt D. Petrum nominasse suum successorem. At Fagnanus negat id posse; nam (argumentatur Barbosa, *Jus eccl. univ.*, l. I, c.) effectus nominationis refertur ad tempus inhabile quo eligens Pontifex jam non est. Ego (addit



Suarez, *De fide*, disp. X, s. 4) nec simpliciter id concederem nec negarem simpliciter; potest ergo Papa ordinare modum electionis justum et utilem Ecclesiæ, qui non sit in ejus destructionem: quare si tentaret prædictum eligendi modum tanquam ordinarium præscribere, minime valeret, quia vergeret in perniciem Ecclesiæ. Attamen si in casu raro, urgente aperta necessitate faceret, juste ageret, legitimaque uteretur potestate, ut arbitror. — V. *Prælect. juris canon. Semin. S. Sulpitii*, t. I.

### (M) Page 430.

**414.** Patronus Ecclesiæ non privatur jure suo propter reædificationem illius ab alio factam, nisi Ecclesia sit omnino diruta, et ipse requisitus reædificare noluerit.

Ecclesia vel capella de jure patronatus non potest immutari vel alterari sine consensu patroni. *R. Rota* 23 *junii* 1673 *in Calaguritana.*

Patronus laici possunt facere compromissum super jure patronatus. *Cap. Examinata de confirmat. utili.*

Patronus laicus si donat jus patronatum Ecclesiæ, hic induit naturam Beneficii ecclesiastici. *Cap. Dilectus* 34.

Patroni plures si fuerint, non possunt unum de se præsentare. *Glossa hic.* Patronus debet præsentare gratis et liberaliter; secus committit simoniam. *Cap. Ex insinuat.*

Præsentatio largo modo dicitur etiam electio. *Cap. Querelam* 24 *de elect.*

Patronus laicus potest mutare voluntatem antequam Episcopus confirmet præsentatum, et ita non habet præsentatus ex sola electione plenum jus. *Glossa* 1 *in cap. Dilectus de offic. deleg.*

Si patronus pupillus major septem annorum præsentet unum, et ejus tutor alium, præsentatus a pupillo præfertur. *Can. Decernimus*, 16, q. 7.

Patronorum filii licet abstineant ab hæreditate, non ideo perdunt jus patronatus. *Glossa* 1 *in cap. Considerandum*, 16, q. 7.

Ex jure patronatus patronus non consequitur jus instituendi vel destituendi vel bona administrandi; sed solum habet jus præsentandi. *Cap. Præterea.*

Noverint conditores Basilicarum in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere; *sed juxta Canonum instituta*, sicut Ecclesiam, ita et dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. *Cap. Noverint X, quæst.* 1.

Patronus laicus si duos successive præsentet, valet institutio secundi,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

non obstante appellatione per primum prius facta; Episcopus tamen qui malitiose primum repulit, tenetur eidem providere de Beneficio competenti. *Cap. Pastoralis*, 29.

Adest etiam dispositio Clementis V (Clement. *Plures* de jurepatr.), qua statuitur ut ad obviandum discordiis possint patroni inter se convenire de præsentando alternis vicibus, sive per turnum, seu alternative. Turnus porro non consumitur quando omnes simul patroni præsentant; turnarius enim dicitur et est unicus patronus in suo turno. — Obesse autem potest turnario casus fortuitus, uti contingeret quoties ipse aliquem præsentasset, qui vel repentina morte correptus ab Ordinario institui non potuit, vel præsentationi (nondum facta institutione) renuntiavit. « Arbitror tunc (ait Berardi) turnarium rursum posse ad novam præsentationem devenire, quasi nulla fuerit acta præsentatio; cum idem sit non præsentare ac præsentare sine effectu, adeo ut novum tempus ad præsentandum concedi eidem debeat, uti in simili specie definitum est cap. XXVI *de elect. in* 6. » De patronorum alternativa fuse Franc. Maria Pitonius, *De controversiis patronorum*, tom. I.

Insignia, stemmata seu arma sculpi vel pingi in parietibus, portis aut turribus ecclesiarium, in capellis, altaribus, licet patronis de licentia tamen Prælati. — *V.* Pignatelli, *Consult.* t. VIII, cons. 25. — Ferraris, v° *Arma seu insignia*.

Præsumptio quod juspatronatus sit hæreditarium, locum obtinet ubi de ejus fundatione et origine constat. Ubi non constat, gentilitium præsumitur. Ad indagandum ejus naturam præcipue spectatur præteriti temporis observatio. Ubi juspatronatus est hæreditarium, patronus potest de eo libere disponere tam testamento, quam quocumque actu inter vivos. *Lanfredini*.

**415.** *An* (quæres) *patronus teneatur de suo Ecclesiam sui patronatus instaurare, dotem augere, si necesse sit et alia hujusmodi?* R. Per se loquendo non videtur ad id teneri; neque enim fundator qui liberalis esse voluit Ecclesiæ, præsumi potest ullam sibi suisque successoribus in patronatum obligationem imponere voluisse ad novam dotem constituendam vel augendam, vel alias expensas faciendas. Diximus *per se loquendo*; nam teneretur primo si aliquam fructus partem percipiat, pro rata; secundo si aliter Beneficium sustineri non possit et conservari, ut patet. Quæ exceptiones videntur conformes tum Tridentino, *sess.* 21, *cap.* 7 *de Ref.*; tum juri canonico, *cap.* 23 *de jurepatr.*; tum constitutioni Benedicti XIII, *Pius et misericors*, pro Italia anno 1724.

**416.** *Quid* (dices) *si inter diversos electos lis oriatur?* Valide et licite potest fieri compositio inter duos litigantes circa Beneficium, modo illa contingat per sententiam judicis ordinarii vel delegati, aut



arbitrorum Ecclesiasticorum a superiore deputatorum pro ineunda concordia : qui accedente partium consensu et *compromisso*, Beneficium adjudicent ei, cujus est probabilius jus, eidem imponendo annuam pensionem non impositam Beneficio, sed Beneficiato ad ejus vitam, vel certam pecuniæ summam alteri persolvendam, non quidem in compensationem juris, sed vel ob bonum pacis quæ conducit etiam ad bonum spirituale (c. II, *De arbitr.*, et c. XXI, *De præb.*; et Concord. Austriæ, art. 2); vel ob æquitatem, ne cedens remaneat sine alimentis, quibus indiget; vel ob laborem et expensas, quas cedens sit passus, atque alter passurus foret, si ille non cederet (Cap. *Nisi de præbend.*).

*Orta lite* (quæres) *de ecclesiastico Beneficio vel alia re spirituali, potestne aliquando fieri transactio sine superioris auctoritate?* In ipsis materiis spiritualibus quæ non sint res Beneficii ecclesiastici, certum est atque receptum, quod transactio sine simonia proprio marte fieri potest, dummodo sit de re spirituali cum spirituali; sicut etiam licet spirituale cum spirituali permutare : v. g., *ego dico Missas pro te, ut pro me dicas tot Rosaria*. Sed in re beneficiaria quoad hoc ordinarie loquendo requiritur saltem auctoritas Episcopi; idque ex jure definitum est, non solum si agatur de componenda lite cum aliquo onere, ita ut obtinens Beneficium solvat de suo aliquid cedenti : sed etiam si transigatur spirituale pro mere aliquo spirituali (c. *Super eo*; et c. *Statuimus de transact.*).

Diximus *saltem* requiri Episcopi auctoritatem; nam si in transactione laxatur pars aliqua rei jam ab Ecclesia possessæ, tunc requiritur auctoritas Pontificis, cum sit vera alienatio (Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 187). Diximus *ordinarie loquendo*, nam si agatur de simplici jurium cessione (nullo imposito onere cedenti nullaque facta redituum divisione), tunc et ipsi litigantes de se cedere possunt, aut se remittere arbitris a se electis, dummodo Clericis (cum materiæ et personæ ecclesiasticæ sint) qui rem totam parti illi adjudicabunt, quæ potior videtur in ratione. Imo Layman, Suarez, Salmanticenses, et Abbas cum Filliucio, Palao, Bonacina docent adhuc licitum esse arbitris a partibus electis, si tamen sint Clerici, componere litem, uni parti quæ potior jure videtur, Beneficium adjudicando, et alteram partem præstatione aliqua gravando; modo 1. non sit annua pensio; 2. a Beneficio non removeatur ille qui jam est in illius possessione; 3. neque pars aliqua rei ab Ecclesia jam possessæ sit dimittenda : hoc ex jure deducunt (c. *De cæter. de trans.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 72, 77 et 78).

Potest autem Prælatus transigere in rebus, in quarum perfecta possessione nondum existit Ecclesia, v. g., super delatam hæreditatem vel legatum, si moveatur lis, ut probabiliter docent cum Delbene Rabuffus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quaranta, Barbosa et Bonacina; quia tunc non alienatur quod habet Ecclesia : sed quod speratur sub dubio haberi, remittitur pro alicujus rei certæ acquisitione. Verum est quod quæ Ecclesiæ relinquuntur, ipso jure absque conditione transeunt in Ecclesiam; at non absolute, perfecte et irrevocabiliter, cum nondum sint Ecclesiæ incorporata : unde tunc dicunt fieri posse transactionem, non tamen totalem cessionem. Hac de re fusius Suarez, *De Relig.*, l. IV, c. 51. — Molina, *De contract.*, t. II, disp. 556. — Delbene, *De immunitate et jurisdict. ecclesiast.*, p. 2. — *Prælectiones juris Canon. in Semin. S. Sulpitii*, t. III, pag. 91. — Benedictus XIV, *Notificatione* 93, etc.

### (V) Page 434.

**417.** Præstat hic nonnulla præsertim ex Tridentino, et Benedicto XIV accuratius proferre circa examinatorum munus, numerum ac qualitatem. Triplex potest eorum quasi classis assignari : — 1. si agatur de illis, qui Ordines petunt, aut ad Confessiones approbari cupiunt, Episcopus potest examinatoribus uti, quos maluerit : — 2. si agatur de conferenda præbenda Theologali aut Pœnitentiaria (ex Benedicto XIII, Constitutione *Pastoralis* data anno 1725 pro tota Italia et Insulis adjacentibus), uti debet Episcopus quatuor examinatoribus. Non refert autem, si non fuerint Synodales vel Prosynodales, modo tunc examinatores sint aliquo academico gradu insigniti; in ceteris concursus, examen et collatio, sicut pro parœcia, obtinent. Attamen electi Theologi et Pœnitentiarii laurea debent esse insigniti, vel intra annum eam suscipere, secus præbenda eo ipso vacat, nisi a Papa dispensati : Pœnitentiarius debet esse annorum 40. — Officia Theologi ac Pœnitentiarii inducta primum a Lateranensibus III et IV, stabiliorem deinde formam acceperunt a Tridentino, quod jussit in Cathedralibus et Collegiatis insignibus Theologum eligi, et in omnibus Cathedralibus etiam Pœnitentiarium, sess. 5, c. 8, de R. (V. Ferraris, v° *Præbenda Theologal. et Pœnitentialis.* — *Analecta juris pontificii;* Romæ; anno primo); — 3. si agatur de parochiali Beneficio conferendo (sive collatio fiat per concursum, sive non), experimentum ad valorem ordinarie institui debet saltem a tribus examinatoribus a Synodo approbatis, qui sint magistri, vel doctores aut licentiati, vel alii Clerici etiam regulares, qui videbuntur magis idonei : qui insuper necessario jurare debent ad SS. Dei Evangelia se fideliter munus executores; et S. C. Congregatio 2 dec. 1628 censuit concursus factos non præstito hoc juramento, esse nullos; sed convalidandos facto Verbo Sanctissimo, qui convalidavit. Examinatores etsi singulis quibus deputantur annis, debeant juramen-



tum emittere, non tamen illud præstare debent in quolibet examine, sed satis est pro toto illo anno semel præstitutum (Garcias, *De Benefic.* p. 9, n. 359).

Ad minus sex sunt examinatores in Synodo eligendi; sed non ultra 20, ex declaratione S. C. C. (nisi obtineatur facultas plures eligendi ob vastitatem Diœcesis). — Electi in Synodo durant usque ad novam Synodum. Si vero primo anno a Synodo celebrata tot in illa electi moriantur, ut sex non supersint, eodem anno ab Episcopo, de Capituli consensu, alii eligi possunt ex indulto Clementis VIII. Sed anno elapso, isti sic electi ab Episcopo expirant; atque in posterum facultas alios examinatores extra Synodum deputandi, habito de necessitate consensu Capituli, est a S. C. Congregatione postulanda : quæ quidem eam nonnisi ad annum solet ordinarie elargiri. V. Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. IV, c. 7, n. 7.

Si examinatores non sint synodales (vel prosynodales, qui quidem ex jure synodalibus æquiparantur) vel sint pauciores tribus, vel non jurati, nulla est provisio; quia non amplius sunt tales quales Concilium præscribit; ita S. C. C. pluries; esto etiam quod parochialis præbenda sit jurispatronatus et tribuatur sine concursu. Excipit Garcias vicarios perpetuos parochialium unitarum puta Capitulo, qui sint de nominatione illorum, in quorum ecclesiis unitis ponuntur; tunc nec concursus requiritur nec examinatores synodales; sed sufficit examen nominati et approbatio Ordinarii, juxta Constitutionem *Ad exequendum*, Pii V, et Tridentinum, sess. 7, cap. 13, de R.

**418.** Sunt nonnullæ Ecclesiæ parochiales, quæ etiam sine concursu conferuntur. Esset, v. g., si illæ pauperes admodum sint, aut factionibus et rixis expositæ : ex Tridentino, sess. 24, c. 18, de R. Item Vicariæ perpetuæ Parochiarum unitarum, seu incorporatarum aliis Ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis : ex Pio V Constit. *Ad exequendum*. Item possunt esse dignitates curam animarum habentes in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis, ut probat Fagnanus, c. *Cum sit ars*, nn. 19 et 22, etc. Hoc valet etiam in permutationibus Ecclesiarum parochialium. Vel si Parochus sit amovibilis; vel si Parœciæ sint jurispatronatus laicorum. — *V.* Reiffenstuel Anacletus, *Jus canon.* — Laurenius, *Forum beneficiale*, p. 1, q. 120. — Giraldi, *de Officio Parochi*.

Quoad concursum præter Tridentini decretum, aliæ habentur leges latæ. — 1. a Pio V Constitutione *In conferendis*, anno 1567. — 2. quædam declaratio Innocentii XI, ut refert Benedictus XIV. — 3. decretum Clementis XI, anno 1721. — 4. Bulla *Cum illud*, anno 1742, Benedicti XIV : ubi fuse agit de modo servando in electione Parochorum. Nempe quæstiones omnibus concurrentibus (in eodem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conclave morantibus) proponantur quibus in scriptis satisfaciendum est una cum conciuncula exaranda idiomate, quo concionatur. Scripta sigillo munita consignantur Cancellario Curiæ assistenti, apud quem jam existit in epitomen radacta notitia concurrentium quoad personales eorum qualitates et Ecclesiæ servitium, etc.

S. C. C. 1573 declaravit Episcopum vel Vicarium habere votum decisivum in eligendo ex approbatis; non autem in approbando concurrentes, cum hoc sit examinatorum. Excipe casum quo examinatores sint pares aut singulares in votis suis; tunc ex Tridentino, sess. 24, c. 18, de R., *accedere potest Episcopus vel Vicarius quibus magis videbitur.* — Non est autem necesse, ut prælectio ab Episcopo fiat in actu concursus coram examinatoribus; relatio tamen super idoneitate vel non idoneitate coram Episcopo vel Vicario fieri debet ab omnibus examinatoribus collegiative antequam dissolvatur concursus : id est (prout habet Bulla *Cum illud*, Benedicti XIV) *omnibus conjunctim expensis* (nempe scientia, prudentia, gravitate, morum honestate, præstitis jam Ecclesiæ obsequiis, aliisque virtutum ornamentis), *inhabiles per sua suffragia rejiciant et idoneos Episcopos renuntient.* — V. De Luca, *de Parochis.* — Monacelli, *Formularium legale-praticum.* — Ferraris, *Bibliotheca can.*, etc., v° Beneficium, art. 5, n. 37. — Salzano, *Lezioni di diritto*, t. IV.

Viget alicubi consuetudo, ut vota ab examinatoribus dentur secreto per lapillos albos ac nigros in urnam conjectos. Nihil hac de re fuit præceptum, et ideo non refert, utrum suffragia hoc vel alio modo dentur. Tamen S. C. C. penes Benedictum XIV, loco citato, declaravit sibi congruentius videri, ut examinatores sua secum invicem suffragia communicent, ac dein Notario seu Cancellario curiali jubeant, ut in acta referat : v. g. *Titium esse approbatum, Sempronium rejectum* (*in tali gradu*).

### (O) Page 436.

**419.** Beneficii provisio a Pontifice fit Litteris apostolicis sive Bullis : quæ Bullæ dicuntur *in forma gratiosa* si Pontifex de Clerici idoneitate certior factus, Beneficium per se illico eidem conferat, quin alterius opera utatur. Dicuntur *in forma dignum*, si Pontifex alio committat, ut idoneo reperto Clerico, apostolica auctoritate conferat Beneficium. Ob bullarum expeditionem Sedes apostolica taxam exigit, idque merito ad sustinenda totius Catholicitatis onera : quæ taxa æquare solet plus minusve medietatem reditus unius anni, et si causæ sint, fit recursus pro ejus imminutione, quæ libenter concedi solet.



« Les minutes des bulles sont composées pour les suppliques par un des *abréviateurs;* puis, elles sont copiées par un des *écrivains* apostoliques; un des *compteurs* fixe la taxe : on confronte les bulles et les suppliques, et on les revoit et on met les signatures; enfin elles passent dans les mains du custode de la chancellerie, qui les vérifie et examine si elles ont été signées par qui de droit; lui-même les entoure de lignes, et les donne aux *plombeurs,* qui y mettent les sceaux de plomb et le cordon convenables. Il est bon de savoir que le plomb des bulles *in forma gratiosa* est attaché à un cordon de soie rouge; et celui des bulles *in forma dignum* à un cordon de fil. » Lunadoro, *Relazione della Corte di Roma*, t. II.

Pro executione Bullæ electum instituendo tres designantur, unus Romæ, nempe de romana Curia; alii duo in Diœcesi, nempe Decanus Cathedralis et Vicarius Generalis; quilibet ex tribus satis est ad effectum instituendum; attamen ordinarie eligitur Vicarius Generalis, cum rem magis habeat ad manus.

**420.** Nota. Cardinales habent facultatem, sive ut vocant indultum (ideo indultarii dicuntur) conferendi Beneficia reservata, quæ vacua fiunt in suis titulis, Ecclesiis cathedralibus, Diœcesibus, Abbatiis et Monasteriis sibi commendatis, sublato reservationum impedimento; si tamen excipias majores dignitates in Cathedralibus, et principes dignitates in Collegiatis, aliaque nonnulla Beneficia. Verum ut hoc gaudeant indulto ac privilegio, in Curia romana commorari debent; secus eo carent, nisi etiam absentes hoc a Pontifice impetraverint, ut impetrare solent. Sed tenetur provisus Beneficio intra sex menses a collatione sibi facta a Cardinali (secus non faceret fructus suos) obtinere Bullas pontificias et solvere jura Cameræ apostolicæ, si Beneficium excedat annuum reditum 24 ducatorum aureorum de Camera. Reditus computatur sine onerum detractione; ducatus auri de Camera (qui etiam dici solet florenus aureus) respondet libellis decem et centesimis quinquaginta monetæ novæ pedemontanæ. *V.* Marenco, *De reservationibus.* — Laurenius, *Forum beneficiale.* — De-Luca, *De Beneficiis*, disc. IV, n. 2. — Rigantius, *In regulas Cancell. rom.* 8. — *Pratica Legale* (apud nos), tom. II, p. 2; it. *Convenzione colla S. Sede*, 24 giug. 1750, art. 16.—Quoad Galliam Gousset, *Exposition des principes du Droit canonique*, c. X.

**421.** En reservationes et affectiones præcipuæ :

Ac *primo :* pluribus in casibus Beneficia romano Pontifici reservantur : — 1. si ea vacent apud Sedem apostolicam, vel in Curia romana, si Sedes pontificia non sit vacans. Non sufficit autem ut quis Romæ degat ratione originis vel domicilii, nisi etiam Curialis sit, et etiam ibi ratione dictæ Curiæ existat : dicuntur vero Curiales ad hunc effe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ctum qui Papæ vel Cardinalibus vel Prælatis aut aliis Officialibus romanæ Curiæ inserviunt. Dicitur etiam vacare in Curia, sive Beneficiatus Romæ moriatur sive extra per duas dietas, id est spatium 40 milliarium italicorum, seu per iter duorum dierum : *Cap.* 2 *et* 34 *de præbend. in* 6. Ubi notandum cum Rigantio, aliud esse, proprie loquendo, vacare *in Curia*, aliud *apud Sedem* : vacatio in Curia est nomen generale quod sub se continet duas species et vacationem per obitum naturalem quæ est vacatio *apud Sedem;* et vacationem per obitum civilem, v. g., privationem, promotionem, etc. — Item Beneficia familiarium et continuorum commensalium Papæ, aut Cardinalium, dummodo ab illis obtenta tempore famulatus hujusmodi.

2. Si vacent per promotionem Titularis ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum et Monasteriorum regimina, etiamsi promoto a summo Pontifice indultum sit retinendi Beneficium : quo in casu vacat post ejus mortem (*Extravag. Ad regimen;* et *Regula I Cancell.*).

3. Si vacent, dum Sedis episcopalis Diœcesis, in qua existunt, est viduata Pastore, nisi illa sint patronatus (*Pius V*, Bulla *Sanctissimus*).

4. Si vacent per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum Apostolica auctoritate provisorum, nisi fuerint resignata vel remissa ante postulationem Bullarum de provisione novi Beneficii (*Extravagans, Ad regimen*).

5. Si Beneficia sint dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus aut Patriarchalibus, et principales in Collegiatis (*Reg.* 4 *Cancell.*) : hæc reservatio plerisque in regionibus sic temperata est per Concordata, ut nominet Princeps, confirmet et consecret Pontifex. Bullæ adhuc requiruntur; quoad Regnum Pedemontanum vid. *Conventiones* 25 *octobr.* 1726, 5 *januarii* 1741, *etc.*; quoad Austriam, *V. Concordatum* 25 *septemb.* 1855, *art.* 22 *et seqq.*

6. Si vacent ob crimen hæresis patratum a possessore (*Pius V*, Bulla *Cum*); vel ob delictum ejus, qui offendit litigantes in Curia romana (*Alexander VI*, Bulla *In eminenti*); vel quia unus pro alio examini se subjicit; aut quia illi qui spoliantur eisdem, impetrarunt Beneficia pro aliis intentione simoniaca, ut scilicet ab ea obtinentes aliquid reciperent; aut quia spoliatus Beneficium impetravit eo animo ut illud postea resignet (*Paulus IV*, Bulla *Inter ceteras*).

7. Si collata fuerint contra dispositionem Concilii Tridentini; vel vacent ob non factam publicationem (*Pius V*, Bulla *In Conferendis; Gregorius XIII*, Bulla *Humano*).

8. Si Beneficio libere renuntiato, renuntians intra dies viginti a facta



renuntiatione moriatur et dicitur regula *de viginti*. Item est si Beneficium cum cura animarum sit collatum ei qui non intelligat nec intelligibiliter loqui sciat idioma loci Beneficii, et dicitur regula *de idiomate*. Item si provisio Beneficii sit facta ante verisimilem notitiam obitus prioris Beneficiati et dicitur regula *de verisimili notitia* (*Reg.* 19, 20 *et* 30 *Cancell.*).

9. Reservantur cuncta Beneficia quæ vacant mensibus januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris et novembris : *Reg. Cancell.* Excipiuntur tamen Beneficia quæ vacant, licet in dictis mensibus, per renuntiationem in manibus Ordinarii, vel per permutationem; item apud nos ex peculiari Sabaudiæ consuetudine omnia Beneficia simplicia : vid. Marenco, *De beneficiis*.

Si tamen Episcopo concedatur *alternativa*, tunc februarius, aprilis, junius, augustus, october et december assignantur ipsi Episcopo; ceteri menses S. Pontifici. Alternativa conceditur tantum ad vitam concedentis Pontificis et quidem sub expressa conditione, ut Episcopus *vere et personaliter* resideat in Diœcesi; unde si quando vacat Beneficium, non sit in Diœcesi, eo privilegio non gaudet etsi impeditus, etsi injuste expulsus (cui privilegio sine Pontificis venia nequit amplius renuntiare). Attamen conditio residentiæ non afficit Beneficia vacantia mensibus junii et decembris; nam alternativa etiam seposita (ut dicunt Garcias et Marenco, et praxis probat), menses isti sunt Episcopales, quæ ideo censentur retinere propriam qualitatem. Illud quoque receptum est a Rota, et tradit Rigantius contra Garcias et alios graves auctores, ut si Episcopus initio tantum mensium unice papalium absit, nequeat Beneficium conferre, licet die vacationis in Diœcesi moraretur illis mensibus. Gaudet tamen alternativa si vacationis die et in ipso mensis papalis initio resederet, etsi non per totum illum mensem in Diœcesi fuerit. Ceterum Episcopus pro iis solum Beneficiis alternativa gaudet, quæ (sublata papali reservatione) ad liberam ipsius collationem pertinerent, nec sunt de jure tertii, puta Capituli, Congregationis, aut alicujus patroni (*V.* Ferraris, v° *Alternativa*).

*Secundo :* Beneficia dicuntur effecta : — 1. Si Papa det Beneficium in Commendam; nam in ea appositione manus Papæ illud Beneficium affectum remanet, et solus Papa de eo providere debet : idem est in unione facta de Beneficio ad vitam alicujus (*Rota, par.* 4, *t. I, decis.* 70).

2. Si Papa concedit alicui mandatum de providendo de certo Beneficio, etiam ante vacationem (*Extravag. Ad Romani Pontificis providentiam*, 14 *de privil.*).

3. Ex Decreto per Papam apposito de Beneficio dimittendo in manibus Papæ (*Rota, decis.* 14 *de rerum permut.*).

4. Si Papa jure præventionis contulit Beneficium, et collatio non teneat ex aliquo defectu impetrantis, vel alias collatio sit inutilis; etenim ex quo Papa manus apposuit, Ordinarii manus remanserunt ligatæ: idem est si collatio sit facta absenti, qui ante acceptationem decedat (*Gonzales ad reg.* 8 *Cancell.; et Rota*, p. 2, *dec.* 401).

5. Si resignatio Beneficii fiat in manibus Papæ; vel si Papa electoribus Beneficii mandet, ne ad electionem procedant (*Rota, p.* 5, *tom. I, decis.* 34; *et cap. si eo tempore* 45 *de electionib.* in 6).

6. Si electus renuntiet juri ad rem sibi quæsitam ex electione in manibus Papæ, qui eamdem renuntiationem admittat.

7. Si Papa post electionem, ante confirmationem, manum apposuit in aliquo actu concernente validitatem electionis; nam tunc dicitur affecta confirmatio.

8. Si Papa per suum rescriptum mandet quod talis Beneficio privetur obtento; nam secuta privatione, Beneficium affectum remanet.

9. Habens collationem a Papa de Beneficio, si postea etiam ab Ordinario de eodem Beneficio collationem recipiat, cadit a jure quæsito ex dicta collatione Papæ, ut ingratus, et collatio Ordinarii tanquam de Beneficio affecto est invalida. Item habens collationem a Papa, si egeat aliqua dispensatione, non potest Episcopus cum eo quoad dictum Beneficium si affectum dispensare, quamvis alias posset.

10. Si quis fuerit provisus de Beneficio a Papa, quod sit incompatibile cum primo, hoc primum remanet affectum, per secundi Beneficii collationem (dicitur autem tunc vacare *per risulta*).

Prædicta tamen limitantur, ac : — 1. affectio non procedit, quando Beneficium ad effectum provisionis non vacat : uti si Beneficium alicui fuit collatum qui nondum acceptavit, nam si interim Papa alio conferat non erit affectum : sed si primus collatarius noluerit acceptare, vel cedat juri suo aut decedat, potest Ordinarius illud conferre; — 2. si Papa manum apposuit ad Beneficium vacaturum certo modo, puta per privationem : nam si Beneficium alio modo vacaverit, non erit affectum, quia appositio manuum fuit conditionalis, et deficiente conditione, non operatur; — 3. quando Papa apponit manum super Beneficio resignato, et resignatio non tenet, vel quia verus valor non fuit expressus, vel alia de causa : quia papa non censetur manum apposuisse, nisi ad effectum ut resignatio sequatur; — 4. cum Papa providet de Beneficio uti reservato, quod tamen reservatum non est. *V.* Rigantius, *In Regul. Canc.* — Gonzales, Garcias, etc. : item Ferraris, *Bibl. Canon.*, v° Beneficium, *art.* 8 *et* 9. — *Pratica Legale*, t. IX, p. 2ª, pro Subalpino Regno.

**422**. *Ultima decembris nocte obit beneficiarius; ambigitur an media nox esset elapsa; ad quem pertinet conferre beneficium, ad pontificem vel episcopum?* Hic datur locus præventioni et ille prævalebit qui prius conferet, ex juris regula : *Qui prior est tempore, potior est jure.* Si autem duo essent jam provisi, is qui possideret, præfereretur, *quia in dubio melior est conditio possidentis.* Si vero non appareret quisnam anterius providisset, provisus a Papa propter dignitatem ejus in possessionem immitteretur.



### (*P*) Page 446.

**423**. Si velint beneficiati, ne beneficii bona dissipentur, omnia documenta caute describant et custodiant in propria theca ; neque illa aut beneficii statum marte suo non legitimæ auctoritati communicent, inconsulto judice competenti, id est episcopo qui beneficiorum Diœcesis tutor est, moderator et vindex ; ne forte suis præbendis damno sint, dum student reditus augere.

Hoc etiam quilibet Beneficiatus curare debet, ut librum habeat, in quo post brevem sui Beneficii historiam, et suam in illud immissionem notet de vice in vice, ex una parte annuos reditus, ex alia adimplementa ; item omnia rescripta, reductiones, etc. Meminerit semper illud Ecclesiastici : *Quodcumque trades, numera et appende; datum vero et acceptum omne describe* (Eccli. 24). Si hæc adamussim servarentur ab omnibus, quot occurreretur inconvenientibus ! quot dicteriis ! quot malis ! Hoc valet de ipsis legatorum administratoribus, et laicalis Capellaniæ possessoribus. — Item præstat, ut unaquæque Ecclesia, Parœcia aut pius Locus suum habeat Archivium rite custoditum, in quo omnia per ordinem documenta studiose conserventur, ut sic fides et veritas rerum ad successores transmitti possint, et propria jura contra impugnatores defendi valeant. Hoc præcipit Concil. Provinciale Mediol. 1 ; sed maxime Benedictus XIII Constit. *Maxima vigilantia*, anno 1727, 12 junii. — *V.* Ferraris, vis *Archivium, Beneficiatus.*

Beneficiatus ad defendenda jura proprii beneficii totus esse debet ; et si lis intentatur contra commodum ipsius tantum, expensæ ad illum spectant. Si vero contra ipsum beneficium, adhuc expensæ sunt possessoris, si modicæ ; quia ususfructuarius tenetur ad sumptus modicos qui necessarii sunt ad sustinenda bona, quibus fruitur. Si expensæ sint magnæ, solvenda sunt de proprietate ipsius beneficii, de licentia superioris tamen. Ita Lugo, *De just. et jure, disp.* 4, *sec.* 3.

**424**. S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860 interrogata, an Ordinarii, parochi, beneficiati aliique bonorum ecclesiasticorum administratores si ab intruso gubernio sub gravi pœna cogantur dare propriorum reddi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuum inventaria, id possint? *R. permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actis a respectivis administratoribus super necessitate traditionis ad evitanda majora mala et pro tuitione jurium Ecclesiæ. Mens autem est SS. Domini, ut Ordinarii ante vel post traditionem, si fieri possit, super præmissis collectivam faciant protestationem reverenter quidem, sed cum evangelica libertate.*

Parochi qui ob decimarum abolitionem a gubernio illegitime factam damnum passi sunt, possunt juxta oraculum SS. titulo meræ compensationis, *percipere pensiones ab eodem gubernio assignatas, facta tamen prius ab Ordinario loci in communi sive a quolibet ex dictis parochis seu ecclesiasticis in particulari protestatione; per hoc non lædi jus Ecclesiæ; et caute monitis earum decimarum debitoribus, eos non esse ab hoc onere liberatos.* Non autem expedit ut parochi subsidia a gubernio intruso percipiant, si nullum habeant compensationis titulum.

Non sunt inquietandæ privatæ personæ quæ ut se servent indemnes ad gubernium usurpatorem *pro regio placet seu exequatur* quoad Bullas pontificias recurrunt. Verum Ordinarii hac in re quantum poterunt, passive se habeant; et si a gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiæ et ad formam sacrorum Canonum sententiam suam patefaciant. S. Pœnitentiaria, ut supra.

**425.** Quoad onera Missarum, ut ab illis obtineant Beneficiati a sancta Sede reductionem, Benedictus XIV assignat decrementum redituum, atque adauctam eleemosynam per Episcopum. Hoc tamen non impedit, ut et pro aliis causis recurratur, uti passim fit, cum urget necessitas propria vel fratrum, vel fabricæ Ecclesiæ, etc. Porro si reductio facienda est ex decremento redituum, tabulæ fundationis inspiciendæ sunt, an casum fundator sit contemplatus (quod semper fieri deberet); et quod præscripsit, præstetur. Si nihil habeatur definitum, iterum videndum est, an patroni hæredes teneantur, et possint supplere de proprio; quo in casu erunt cogendi. Secus en regulæ ex laudato Pontifice servandæ, cum ab Episcopo ad Missarum reductionem deveniendum est:

1. Si una cum Missis adsint alia pia onera eroganda, ut eleemosynæ, hæc potius reducantur, non Missæ; quia talis præsumitur fundatoris mens. Excipe semper, nisi aliud colligatur; — 2. reductio non extendatur ad Missas, quarum celebratione Ecclesia se obstrinxit ex inito contractu, nisi pars altera consentiat. Hinc etiam patronorum consensus solet requiri; — 3. si legatum complectitur Missas in cantu et lectas, illæ prius reducantur; vel etiam tollantur si fuerit opus, ut lectæ serventur; — 4. reductio componatur ad eleemosynam Missæ manualis juxta taxam Diœcesanam; non ad eleemosynam Missæ perpetuæ. Et reditus si in posterum augeantur, augeri quoque debet reductarum Missarum numerus, ut æquitas postulat. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 331, et Synodus Novariensis, p. 113.



Hic autem pro praxi notamus : — 1. apud nos non admittuntur fundationes pro Missis perpetuis et quotidie celebrandis, nisi eleemosyna pro singulis et unius franci et 25 centesimorum. Cetera onera Missarum perpetua non sunt suscipienda sine Episcopi consensu (Synod. p. 113); — 2. eleemosyna tam pro Missis manualibus, quam pro illis quæ ex beneficio vel legato sunt celebrandæ *ad ratam* (id est tot Missæ quot sunt reditus), hodie est apud nos libella una pedemontana (*un franc*). Si autem ex fundatione sive legati sive Beneficii statutus est numerus Missarum, tunc Missæ in præscripto numero celebrandæ sunt, etsi eleemosyna pro unaquaque sit minor *franco;* vel recurrendum ad Episcopum, ut attentis circumstantiis, provideat eas æquiparando Missis *ad ratam* (*v. Lett. Circ. ai Vic. Foranei e Parrochi del card. Morozzo*, 2 aprile 1819); — 3. tempore litis circa aliquod Beneficii jus non licet suspendere Missarum celebrationem ad litis expensas compensandas, nisi primum obtineatur facultas a superiore : item neque hoc modo compensare expensas pro canonica institutione et in Beneficium immissione, inconsulta sancta Sede. Item si debitor aliquis morosus sit ad canonem solvendum pro Beneficio, non ideo beneficiatus Missarum implementum proprio marte suspendere debet, si adhuc habeat reditus sufficientes pro adimplemento; — 4. non licet proprio marte Missas imminuere, quia fundi taxa majori gravati sunt, sed recurrendum ad superiorem : excipe nisi Beneficium sit *ad ratam reditus;* — 5. proposita interdicti latæ sententiæ pœna, prohibet S. C. C., approbantibus Urbano VIII et Innocentio XII, ne Capitula, Parochi, Confraternitates onera perpetua Missarum suscipiant sine expressa Episcopi licentia, cujus quidem est videre, num ea onera sustineri valeant.

**(Q) Page 449.**

**426.** Nulli dubium bona ab æditituis Ecclesiæ (vulgo *fabriciens*) administratis vere ecclesiastica esse, et ideo solius Ecclesiæ esse ea moderari, distribuere, etc. Omnia Ecclesiæ bona primitus cumulative administrabantur : postea in quatuor partes divisa, una fuit Episcopo assignata, altera Clericis, tertia Ecclesiis reparandis, quarta pauperibus; at ex diverso distribuendi modo, bonorum natura non immutatur. —

V. Parisiis, *De la liberté de l'Église.* — *L'Armonia,* Giorn. relig., anno 1857, n. 38 et seq. (febr.).

Quod vero pertinet ad hospitalia, Montes pietatis, consortia, confraternitates, legata, aliaque loca pia a laicis administrari solita, videndum an non tantum sint ab ecclesiastica auctoritate approbata, sed ipsa auctoritate S. Sedis vel Episcopi erecta sint (quod non supponitur in dubio); an non. In primo casu ea bona habentur uti Ecclesiastica cadentia in Extravagans *Ambitiosæ;* non vero in secundo casu, etsi adhuc visitationi Ordinarii subjaceant. Tridentinum, sess. 22, c. IX, de Ref.; imo neque visitari possunt, sine Regum licentia, si ea sub eorum immediata protectione sunt. Vid. de Luca, *De alienationibus,* diss. 1, etc. — V. Bouix, *De jure Regularium,* t. II, pars 5. — Ferrante, *Elementa juris Canonici,* nuper Romæ edita, l. II, tit. 20. — Ferraris, v[is] *Hospitale, Hospitalarius.*

Ceterum hac de re inspicienda sunt locorum Concordata atque consuetudines. Quoad Regnum Pedemontanum vid. *Instructio Benedictina,* § 5. — Canestri, *La Giurisprudenza canonica e civile del Piemonte,* tit. 8; et *Cod. Civ.,* art. 436; et lex 20 nov. 1859. Item notetur quod habet Bulla Leonis XII, 4 maii 1828, pro Regno Sabaudiæ: *Dotem Parœciis sive a regio ærario sive a municipiis assignatam vel proxime assignandam nulli unquam immutationi subjiciendam fore, etiamsi aut nova ipsis pia legata obveniant, aut decimarum alteriusve generis jura recuperentur.*

**427**. Casus. *Hesichius parochus, alienata sine licentia cuppa Calicis spectantis ad Ecclesiam, ex nummis inde susceptis comparavit munuscula quædam, quibus paulatim ad stuprum induxit Arthemisiam puellam suam parochianam. Quot peccata parochus ille commiserit, et an censuram latam a Paulo II incurrerit?*

R. Ad 1: plura commisit peccata; si enim cuppa erat adhuc apta sacrificio, et hoc non obstante, eam vendidit ut suam, sine animo reficiendi Ecclesiæ damnum, peccavit peccato furti sacrilegi, peccato infidelitatis in custodiendis rebus ecclesiæ suæ sibi commissis, et peccato inobedientiæ de rebus hisce non alienandis. Item commisit tot peccata mentalis stupri sacrilegi, quot habuit deliberata desideria deflorandi puellam moraliter distincta: quibus singulis addenda malitia incestus, si cognationem spiritualem aut carnalem cum illa habebat. Commisit etiam tot peccata scandali, quot interpolatis vicibus eamdem tentavit. His omnibus adde stuprum reale sacrilegum, aut si vis sacrilegam realem fornicationem, etc.

R. Ad 2: Me non latet Decretum S. C. Concilii extendens parvitatem materiæ usque ad 25 aureos, scutos 40 circiter monetæ romanæ æquivalentes. Quoniam vero eadem S. Congregatio, teste Fagnano (*In*



*l. III, Decret. de rebus Eccl. non alien.*) etiam dixit, tutum non esse definire in hac materia quænam res sint exiguæ, sicque ad quos limites materiæ parvitas reducatur: ideo saniores dicunt hanc esse determinandam, habito respectu ad majores vel minores talis ecclesiæ facultates, ad circumstantias loci ac temporis et ad consuetudinem. Unde valor cuppæ hisce attentis si habeatur ut exiguus judicio viri prudentis, parochus erit ab excommunicatione immunis; secus non, ni forte alienationis tempore ignorantia non affectata censuram ignorasset, aut ad illam non advertisset. *Ita Resolutio casuum sub Lambertini* (postea Benedicti XIV) *auspiciis data.*

« Un doute ayant été proposé sur la valeur estimative des *res exiguæ,* la S. Congrégation du Concile (in Favent. 22 mart. 1711), citée par le card. Petra, *Comment., ad Constit. V Pauli II,* a déclaré qu'on devait juger tels les objets dont la valeur ne dépasse pas 25 écus d'or, ce qui, dans la monnaie romaine actuelle, correspond à 41 écus, 15 baïoques[1]. » Ita Nardi, § 570. — V. Liguori, *Op. Mor.,* l. IV, n° 187, not. 6.

### (R) Page 453.

**428**. Quoad renuntiationem quædam notamus.

*a*. Spectata consuetudine romanæ Curiæ (quam Ordinarios imitari decet) nequeunt acceptari renuntiationes Beneficiorum curam animarum habentium, sine Pontificis dispensatione, si Beneficiatus saltem tribus annis Beneficium illum non possederit, ut tradit Beraldi, *De renuntiatione;* Layman, in c. *Admonet de renunt.;* Corradus, *In praxi beneficiali,* l. V; et Garcias, *de Beneficiis,* pars II, c. III, n. 45. Quod obtinet in Diœcesi Novariensi.

*b*. Plures renuntiationis causæ: — 1. Causa est *debilitas corporis,* quæ ex mala valetudine vel ex senectute procedit. — 2. *defectus scientiæ competentis,* quæ circa administrationem spiritualium potissimum est necessaria. — 3. *gravis culpa commissa,* cujus Beneficiatus sibi ipsi conscius sit, et quæ etiam pœnitentia peracta, impediat quominus functiones Beneficio inhærentes digne et utiliter exerceantur. — 4. *personæ irregularitas.* — 5. *malitia plebis,* quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut Pastor proficere non possit apud ipsam; esto etiam quod non sit in culpa ut habent cum Pitonio; nam tunc urget charitas ad curandum spirituale fidelium bonum. — 6. *morum iniquitas,* cum nempe retineri nequeat Beneficium sine scandalo, ubi aliter occurri non possit, quam renuntiatione.

[1] En monnaie française, 220 francs. — *Not. edit.*

*c.* Non tantum Parochi *ob quoddam matrimonium spirituale* quod contrahunt cum Ecclesia propria, redarguendi, si renuntient sine causa; sed etiam vituperandi qui Beneficia, quamvis non curata, dimittunt vel aliqua contradictione vexati, vel quodam animi impetu, et suo ingenio agentes : vel eo fine, ut se labori subducant, et commodius vivant : vel etiam ut tandem aliquando quiescant, talentum Domini sepelientes in tam magna populorum quotidie crescente necessitate, atque bonorum operariorum inopia. Deus pro nobis sustinuit crucem; at nos leves labores pro Deo sustinere recusamus! Requies in cœlo, in terra labor. Ceterum hic etiam illi repræhendendi sunt qui etsi communiter inepti habeantur, et forsan etiam populis damnosi, attamen obstinate renuunt dimittere munus, vel ideo de multis juribus contendunt. — Hac de re si coram Domino tuti esse velimus, sive in retinendo sive in renuntiando officium, consilium piorum, et maxime superioris exquiramus; in tanta re ne propriam causam ipsi nos judicemus. At semel habito consilio, strenue agamus omnes difficultates in Domino spernentes.

Diximus *quoddam matrimonium spirituale;* nam quod dicatur Curatos esse sponsos Ecclesiæ, patres et pastores populi, ideoque debere esse perpetuos, in proprio sensu intelligitur de Episcopis qui vere sunt animarum pastores a Christo Domino instituti; quoad Parochos vero nonnisi improprie, quia sunt ex primis cooperatoribus episcopalis sollicitudinis (Ita Pignatelli apud Bouix, *de Parocho*). Ad rem Angelicus, 2, 2, q. 185, a. 4 : et 189, a. 7 : *Presbyteri curati non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum, sicut obligantur Episcopi; unde Episcopi præsulatum non possunt deserere absque auctoritate romani Pontificis.* Imo communior et nobis probabilior sententia docet Episcopos teneri de jure divino permanere in suis Episcopatibus, et ideo nec licite nec valide posse papam cum eis dispensare sine gravi causa translationem, vel renuntiationem acceptando. Translatio autem a solo Pontifice probatur; hæc enim merito refertur inter causas majores; et qui propria auctoritate Episcopus se de una in aliam Ecclesiam transfert, utraque privatur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 104. — Bouix, *De Episcopo*, pars 3, c. 2.

*d.* Plures S. C. C. decisiones recentes quoad resignationes, depositiones, et permutationes circa Beneficia, vid. apud *Analecta juris Pontificii;* Romæ; *anno* 1854, pag. 2182; *anno* 1856, pag. 2184; *anno* 1858, pag. 790; *anno* 1859, pag. 1624 et 1767; *anno* 1861, pag. 578, etc.

# TRACTATUS DUODECIMUS

## DE SACRAMENTO MATRIMONII

Tractatum in sex disputationes dividimus : 1. erit de Matrimonii natura ac proprietatibus; 2. de illius præparatione, seu de sponsalibus; 3. de impedimentis eorumque dispensatione; 4. de illius celebratione; 5. de effectibus; 6. de dissolutione.

Divisionis ratio explanatur : 1. supponimus Parochum recens institutum, qui Matrimonium primo sit celebraturus. Ante omnia oportebit, ut bene perspectam habeat naturam ejusdem; 2. sequitur, ut omnia ad illud celebrandum præparentur : quare de sponsalibus disserendum, quæ sunt præparatio ad illud; 3. ad præparationem etiam pertinet, ut inspiciatur an aliquod adsit impedimentum, ut tolli possit; 4. si nullum sit impedimentum, vel quod aderat sublatum, restat ut ad celebrationem progrediatur; 5. matrimonium rite celebratum effectus quosdam producit, quos Parochus debet agnoscere, ut officiis suis satis faciat; 6. demum evenire poterit, ut matrimonii quæratur solutio; sciat ergo Parochus causas dissolutionis.

---

## DISPUTATIO PRIMA

## DE MATRIMONII NATURA, DIVISIONE, PROPRIETATIBUS

### CAPUT PRIMUM

### DE MATRIMONII NATURA AC DIVISIONE

**429.** Q. 1. *Undenam Matrimonii nomen?*

R. Matrimonii nomen *a matris munere* ductum est. A matre potius quam a patre hæc conjunctio appellata fuit : *Propter quod* (infans), ait Gregorius IX, *magis materno indiget solatio, quam paterno, sibique ante partum onerosus,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*c*. Non tantum Parochi *ob quoddam matrimonium spirituale* quod contrahunt cum Ecclesia propria, redarguendi, si renuntient sine causa; sed etiam vituperandi qui Beneficia, quamvis non curata, dimittunt vel aliqua contradictione vexati, vel quodam animi impetu, et suo ingenio agentes : vel eo fine, ut se labori subducant, et commodius vivant : vel etiam ut tandem aliquando quiescant, talentum Domini sepelientes in tam magna populorum quotidie crescente necessitate, atque bonorum operariorum inopia. Deus pro nobis sustinuit crucem; at nos leves labores pro Deo sustinere recusamus! Requies in cœlo, in terra labor. Ceterum hic etiam illi repræhendendi sunt qui etsi communiter inepti habeantur, et forsan etiam populis damnosi, attamen obstinate renuunt dimittere munus, vel ideo de multis juribus contendunt. — Hac de re si coram Domino tuti esse velimus, sive in retinendo sive in renuntiando officium, consilium piorum, et maxime superioris exquiramus; in tanta re ne propriam causam ipsi nos judicemus. At semel habito consilio, strenue agamus omnes difficultates in Domino spernentes.

Diximus *quoddam matrimonium spirituale;* nam quod dicatur Curatos esse sponsos Ecclesiæ, patres et pastores populi, ideoque debere esse perpetuos, in proprio sensu intelligitur de Episcopis qui vere sunt animarum pastores a Christo Domino instituti; quoad Parochos vero nonnisi improprie, quia sunt ex primis cooperatoribus episcopalis sollicitudinis (Ita Pignatelli apud Bouix, *de Parocho*). Ad rem Angelicus, 2, 2, q. 185, a. 4 : et 189, a. 7 : *Presbyteri curati non obligantur voto perpetuo et solemni ad curam animarum, sicut obligantur Episcopi; unde Episcopi præsulatum non possunt deserere absque auctoritate romani Pontificis.* Imo communior et nobis probabilior sententia docet Episcopos teneri de jure divino permanere in suis Episcopatibus, et ideo nec licite nec valide posse papam cum eis dispensare sine gravi causa translationem, vel renuntiationem acceptando. Translatio autem a solo Pontifice probatur; hæc enim merito refertur inter causas majores; et qui propria auctoritate Episcopus se de una in aliam Ecclesiam transfert, utraque privatur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 104. — Bouix, *De Episcopo*, pars 3, c. 2.

*d*. Plures S. C. C. decisiones recentes quoad resignationes, depositiones, et permutationes circa Beneficia, vid. apud *Analecta juris Pontificii*; Romæ; *anno* 1854, pag. 2182; *anno* 1856, pag. 2184; *anno* 1858, pag. 790; *anno* 1859, pag. 1624 et 1767; *anno* 1861, pag. 578, etc.

# TRACTATUS DUODECIMUS

## DE SACRAMENTO MATRIMONII

Tractatum in sex disputationes dividimus : 1. erit de Matrimonii natura ac proprietatibus; 2. de illius præparatione, seu de sponsalibus; 3. de impedimentis eorumque dispensatione; 4. de illius celebratione; 5. de effectibus; 6. de dissolutione.

Divisionis ratio explanatur : 1. supponimus Parochum recens institutum, qui Matrimonium primo sit celebraturus. Ante omnia oportebit, ut bene perspectam habeat naturam ejusdem; 2. sequitur, ut omnia ad illud celebrandum præparentur : quare de sponsalibus disserendum, quæ sunt præparatio ad illud; 3. ad præparationem etiam pertinet, ut inspiciatur an aliquod adsit impedimentum, ut tolli possit; 4. si nullum sit impedimentum, vel quod aderat sublatum, restat ut ad celebrationem progrediatur; 5. matrimonium rite celebratum effectus quosdam producit, quos Parochus debet agnoscere, ut officiis suis satis faciat; 6. demum evenire poterit, ut matrimonii quæratur solutio; sciat ergo Parochus causas dissolutionis.

---

## DISPUTATIO PRIMA

## DE MATRIMONII NATURA, DIVISIONE, PROPRIETATIBUS

### CAPUT PRIMUM

### DE MATRIMONII NATURA AC DIVISIONE

**429**. Q. 1. *Undenam Matrimonii nomen?*

R. Matrimonii nomen *a matris munere* ductum est. A matre potius quam a patre hæc conjunctio appellata fuit : *Propter quod* (infans), ait Gregorius IX, *magis materno indiget solatio, quam paterno, sibique ante partum onerosus,*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur* [1]. Dicitur etiam *conjugium*, quasi *junctio duorum sub uno eodemque jugo*, ad onera nempe matrimonii ferenda. Item *connubium* a verbo *nubo* aut *velo*; quia olim sponsæ actu, quo viris tradebantur, velo quasi nube caput sibi tegebant in signum tum verecundiæ et subjectionis, tum obedientiæ et humilitatis. Item *consortium*; quia vir et mulier communem habent sortem et societatem.

**430**. Matrimonium considerari potest triplici sub respectu: nempe 1. prout est in officium naturæ ad humani generis propagationem et conservationem ordinatum; 2. prout relationem habet cum civili potestate, cujus quidem est ejus effectus politicos moderari (subsequenter ad illius celebrationem) ad Reipublicæ pacem et perennitatem; 3. prout est Sacramentum novæ Legis ad Dei gratiam conjugibus impertiendam, qua possint tum fidem conjugalem inviolate servare, et communia conjugii onera patienter ferre; tum prolem pie educare, et concupiscentiæ etiam salutariter mederi.

**431**. Q. 2. *Quomodo matrimonium definitur?*

R. Si matrimonium accipitur, prout est in officium naturæ, scilicet in suo esse absoluto, primitivo et immutabili, definitur cum Catechismo Romano: *Viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens* [2]. Dicitur: 1. *conjunctio*, id est unio duorum; 2. *maritalis*, ut distinguatur ab aliis personarum conjunctionibus, puta ab amicitia; 3. *inter legitimas personas*, quæ nempe nulla lege impediantur a matrimonio contrahendo; 4. *individuam vitæ consuetudinem retinens*, id est societatem perpetuam et indissolubilem: in quo matrimonium a ceteris contractibus differt; cum isti mutuo contrahentium consensu dissolvi queant, matrimonium non ita.

Si vero matrimonium accipiatur uti Sacramentum, prout a Christianis semper debet accipi (nam non est nisi ipsa maritalis conjunctio, quæ elevata fuit ad dignitatem Sacramenti, pro omnibus baptizatis), tunc matrimonium communiter definitur: *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum, quo vir et mulier baptizati sibi mutuo et legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, et remedium concupiscentiæ* [1].

[1] *Decr.* Greg., l. III, t. XXXIII: De convers. infid., c. II.— *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 879.

[2] Id est, ut explicat Angelicus (Supp. 44, a. 1) *conjunctio ad ea quæ mariti officium requirit.*



**432**. Nolumus considerare matrimonium uti contractum mere civilem, cum omnino illud exorbitet a civili potestate, cujus partes non sunt nisi extrinsecæ, quatenus civiles effectus respicit, qui scilicet ad successiones, hæreditates et similia referuntur. Gubernium enim matrimonium non facit, non determinat, non moderatur, sed ab altiori potestate celebratum, sancitum, constitutum accipit. Matrimonium namque non solum est pactum omnia hominum pacta et statuta antecedens, ideo antecedens societatem domesticam cujus est fundamentum, et a fortiori societatem civilem quæ longe post ad societatis domesticæ tutelam et perfectionem constituta est; sed pactum est necessario religiosum, coram Deo ineundum (ut ab initio factum est); at quæ sunt religionis, in iis se ingerere nequit sæcularis [2] (*A*).

[1] Audiatur *Stapf*, § 474: *Postquam Christus conjugium Sacramentis novæ Legis inseruit, hæc nunquam separare licet. Insuper tum ipsius naturæ humanæ dignitas, tum sanctitas conjugii misere pessumdatur si matrimonium* pro mero contractu *accipitur. Hic non de rebus arbitrariæ hominum dispositioni relictis, sed de personis agitur, quæ totæ quantæ in jure Dei existunt, et in præsenti causa nonnisi juxta ipsius voluntatem de semetipsis disponere possunt* (Cf. etiam *Klée*).

[2] Ita Martinet, *Instit. Theol.*, vol. IV, l. III, a. 1: Qui ideo ad illa definitionis conjugii verba *maritalis conjunctio*, vult addenda necessario hæc alia *coram Deo inita*. Quod si adhuc placet consuetudine retineri nomen *contractus civilis*, retineatur, non tamen hoc sensu, quia per se et in natura sua inter Catholicos stare vel accipi possit sejunctim a Sacramento, vel quia substantialiter subsit potestati *civili*; sed quia celebratur ab homine in societate *civili*, quia ordinatur ex multiplici capite ad bonum etiam *civile*; quia multos effectus etiam *civiles* producit. Ad rem habet cl. conte della Motta, *Teoria dell' istituzione del matrimonio e della guerra multiforme cui soggiace* Torino, 1853, præf., p. 18, p. Iª: « Que dans le mariage il y ait un contrat ayant relation aux effets civils, personne ne le nie: mais que le mariage soit un contrat dépendant des lois civiles et rien de plus, ceci est faux, même pour la raison; car, outre que c'est un acte religieux, c'est encore pour les chrétiens un sacrement, c'est un état permanent, et non

*In quonam* (quæres) *matrimonii essentia sita est?* — R. Si matrimonium consideretur actu, quo initur, seu *in fieri*, ejus essentia sita est in mutua pactione, qua sponsi, consensu dato et acceptato, inter se perpetuo junguntur, ac legitimam sibi faciunt corporum potestatem. Sane etiam alii contractus in ea pactione consistunt, qua partes se ad aliquid obligant. Hinc aiebat Chrysostomus : *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas*[1]. — Si vero matrimonium consideretur prout jam initum est, seu *in esse*, tunc ejus essentia consistit in vinculo, *quod ex ea pactione efficitur*, ut ait Catechismus romanus : hoc enim vinculum est naturalis et legitimus illius pactionis effectus et ratio. Non consistit ergo matrimonium in ejus usu; nam usus non tribuit jus, sed illud supponit jam esse tributum.

**433.** Q. 3. *Quomodo dividitur matrimonium?*

R. Matrimonium dividitur in legitimum seu verum, in ratum et in consummatum. *Legitimum* est quod contrahitur solo legitimo consensu juxta legem primævam; tale est matrimonium initum inter infideles. *Ratum* est quod contrahitur inter fideles nullo impedimento sive naturali sive ecclesiastico irretitos : tale est matrimonium initum inter baptizatos. Dicitur *ratum;* quia non solum natura, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. *Consummatum* tunc dicitur, quando jam copula carnalis subsecuta fuerit.

### Art. II. — De Consensu ad matrimonium.

**434.** Q. 1. *An ad matrimonium requiratur consensus?*

R. Ad matrimonii naturam requiritur verus consensus, sive illud spectetur in ratione primævi contractus, sive in ratione Sacramenti. Et 1. in ratione *contractus :* quid est contractus? mutua partium conventio : verum hæc sine consensu nequit concipi; 2. in ratione *Sacramenti :* nam Sacramentum matrimonii est ipse contractus primævus evectus a Christo ad dignitatem Sacramenti; sed ad valorem contractus requiritur consensus, ergo et ad valorem Sacramenti.

Consensus ad matrimonium requisitus oportet, ut sit :

pas un simple lien conventionnel; ses relations avec la loi civile naissent de son essence et *non vice versa.* »

[1] Chrysostomus, vel auctor *Operis imperf.*, Hom. XXXII in Matth.



1. *de præsenti*, quia si esset de futuro, non traditionem, sed tantummodo traditionis ipsius promissionem contineret.

2. *Liber;* nam matrimonium est vinculum voluntatis, electionis, atque amoris, quod sine libertate nullimode concipi potest[1].

3. *Reciprocus;* ad matrimonium enim requiritur mutua corporum traditio : atqui hæc esse nequit sine consensu reciproco. Donatio autem annuli, vel traductio sponsæ per se non habent vim significandi proprie dictum voluntatis consensum; cum stare possint etiam cum voluntate contraria. Aliter tamen esset, si ex consuetudine locorum per ea signa soleret exprimi verus consensus : tunc ipse recte præsumitur.

4. *Interior;* nam consensus est actus voluntatis, qui proinde non potest esse, nisi interior.

5. *Exterior;* debet enim acceptari ab altera parte : sed quomodo acceptari poterit, si exterius aliquo modo satis certo non se prodat?

6. *Expressus per verba;* est enim ordinarius modus consensum nostrum manifestandi ab Ecclesia præscriptus. Attamen verba non sunt de necessitate Sacramenti, cum revera consensus aliter dari possit, et etiam muti et surdi contrahere valeant; sed ex recepta consuetudine sunt usurpanda : a qua sine causa rationabili non licet recedere, quæque probabilius obligat saltem sub veniali[2]. Hinc versus :

*Si de præsenti consensus, liber, utrinque,*
*Interior sit et exterior, per verba resultet.*

[1] Tridentinum, sess. XXIV, c. IX, in dominos temporales ac magistratus tulit excommunicationem latam, *si quovis modo vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.* Hanc verius non incurrunt parentes, quia Concilium loquitur tantum de dominis et magistratibus; neque probabilius illam incurrunt impedientes, nam a Concilio ea lata est tantum in cogentes. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 849.

[2] Quando autem causa adest, *tum nutus et signa quæ intimum consensum aperte indicant* (inquit Catechismus Romanus), *satis ad matrimonium esse possunt; tum etiam ipsa taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet : sed pro ea parentes loquuntur.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 887, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

**435**. Q. 2. *Quid de eo, qui matrimonio ficte consensit?*

R. Qui matrimonio fictum dedit consensum, peccavit mortaliter tum contra *veritatem* mentiendo in re adeo gravi; tum contra *Religionem* violando sanctitatem Sacramenti; tum contra *charitatem* decipiendo proximum in re magni momenti; tum contra *justitiam* alium decipiendo in re mutuo promissa. In hoc consentiunt omnes.

Sed quæstio est: *An teneantur præstare verum consensum; et sic emendare fraudem?* Affirmant Concina, Palaus, Roncaglia et Salmanticenses; nam cum una pars jam corpus suum tradidit per verum consensum, tenetur et altera pars, ut æqualitatem servet, tradere etiam corpus suum per consensum verum. Et valet quamvis adsit disparitas conditionis, modo tamen ea tanta non sit, ut debuerit mulier colligere fictionem. Sed alii cum Henriquez, Hurtado, Navarro et Sanchez sic distinguunt: vel aliter reparari nequeunt damna ex illa fraude alteri illata; vel aliter possunt reparari. Si 1, tenetur qui ficte consensit, verum consensum præstare; quia damna compensare tenetur, et hæc non possunt compensari alio modo ex hypothesi. Si 2 (reparatis damnis), non tenetur; nam contractus matrimonii nequit claudicare, quia est etiam Sacramentum: et ideo vel est confectum absolute, vel nullimode. Unde quando unus ficte consensit, nulla adest traditio alterius; et iccirco nulla remanet inæqualitas reparanda per præstationem consensus veri. Sane uterque est æqualiter liber ineundi alias nuptias [1].

[1] Ceterum parti affirmanti, se *ficte* matrimonio consensisse, in foro externo non creditur; alioquin nullus contractus firmus esset, si fictionis prætextu resilire liceret: occasio etiam præberetur a veris matrimoniis ad alia irrita convolandi. Et hac ratione, neutra pars in foro externo auditur, etsi uterque juret, se ficte consensisse. Unde in praxi qui ficte consensit, tenetur vere consentire: secus non satis damnum repararet; cum semel publice celebrato matrimonio, parti deceptæ non amplius permittatur alteri nubere. Ita c. v, *De eo qui*. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 908. Item notandum, compartem non teneri credere alteri parti asserenti se ficte matrimonio consensisse, etsi jurejurando id affirmaret, ideoque licite posse conjugale debitum petere; nullam siquidem promeretur fidem qui inficiatur quod solemniter professus est, nisi contrarium evidenter probet. Ita S. C. C. in Novariensi, 24 febr. 1720.



**436**. Q. 3. *Quid de consensu conditionato in matrimonio* [1]?

R. 1: Si conditio apposita matrimonio sit de præterito et extiterit; aut de præsenti et extet, quæcumque sit, valet matrimonium (et matrimonio contrahentes possunt etiam licite uti, dummodo verificatio conditionis ipsis innotescat); ratio quia consensus suspensus non est [2]. Et valet, licet conditio illa sit turpis: v. g., si quis dicat: *Te duco, si fornicasti: te duco, si odio habes Titium.*

2. Valet matrimonium, si ejus conditio sit de futuro necessario: v. g., *te duco, si crastina die sol orietur;* jam enim conditio illa est præsens et determinata in sua causa naturali [3]. Excipe nisi contrahentes conditionem illam revera uti contingentem reputent, tunc matrimonium suspenditur usque ad eventum; nam matrimonium omne ex contrahentium consensu pendet. Idem est, si per ea verba intendant suspendere tantisper, nempe usque ad crastinum matrimonium celebrandum: tunc nonnisi purificata conditione illa, valebit matrimonium. — Iterum valet si ejus conditio sit de futuro impossibili, v. g., *te duco, si digito cœlum tetigero;* habetur enim ea ex communi acceptione ac jure pro non adjecta [4]; cum nemo censeatur in re tanti momenti velle illudere.

3. Si conditio sit de futuro contingenti, nullum est matrimonium, si serio ponatur, et matrimonii substantialibus adversetur: id est si aversetur vel bono prolis, ut si quis dicat: *Contraho tecum, si generationem prolis evites*, aut *si prolem natam occidas;* vel bono sacramenti, ut si dicat *contraho tecum, donec inveniam aliam honore aut facultatibus digniorem*, aut *contraho tecum pro uno anno*; vel bono fidei, ut si

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. nn. 887 et seqq. — *Homo Apost.*, tr. XVIII, n. 33.

[2] L. X, *ff. de const. inst.* — [3] L. XI, § 1, *ff. de novat.*

[4] C. ult., *De cond. apposit.* Attamen advertendum hoc valere pro foro externo; nam pro interno, si hæc conditio serio ponatur, cum tollat consensum, nullum reddit matrimonium: qui tamen ita ageret, in foro externo non audiretur; et quidem merito, secus actum esset de matrimonii firmitate.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicat *contraho tecum, si quæstu adulterandam te tradas*[1]; hic consensus non esset conjugalis. Si vero substantialibus matrimonii non adversetur, videndum est, utrum conditio sit turpis, an honesta. Si 1, v. g., si dicas : *Contraho tecum, modo victum furto compares*, in foro externo habetur pro non adjecta ; ideo matrimonium non dirimit[2] : neque enim supponitur velle quis alium ad peccatum obligare. Si 2, certum est matrimonium non valere tempore, quo sic contrahitur ; cum voluntas futuræ conditioni alligetur : esset si quis dicat *contraho tecum si parentes consenserint*.

**437**. *Quid* (addes) *si matrimonium contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem?* Multi cum Alasia docent pactum illud excludere jus radicale utendi matrimonio, proinde ejus essentiam lædere, ac illud nullum facere. Alii vero plures cum Collet, et quidem probabilius ex Bouvier, id negant ; nam potestas bene separari potest ab usu : ideo hunc excludere non est illam destruere. Sane sola potestas copulæ est de matrimonii essentia, non vero illius usus. Quia tamen hæ vel similes conditiones ambiguæ esse solent ; ideo ex Billuart videndum, quid intendant contrahentes, an denegare jus, an vero dumtaxat usum ligare. Hinc S. C. Congregatio interrogata circa duos, qui contraxerunt sub pacto expresso nunquam consummandi, juri renuntiantes in corpora, respondit illos invalide contraxisse, quia etiam potentiam sic excluserunt (*B*).

**438**. Q. 4. *An ad matrimonia filiorumfamilias præter consensum proprium requiratur etiam consensus parentum?*

R. Consensus parentum non requiritur ad matrimonii validitatem ; requiritur tamen ad licitatem. — *Primo* non requiritur ad validitatem ; quod de fide est contra Lutheranos et Calvinistas ; nam Tridentinum *eos anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse ; et parentes ea rata vel irrita*

[1] C. ult., *De cond. appositis.* — *V.* Schulte, *Del diritto matrimoniale.*

[2] C. ult., *De cond. appositis.* In foro tamen interno, si sponsi vere non intenderent consentire sine tali conditione, matrimonium etiam esset invalidum ; in dubio autem debet judicari in favorem matrimonii.



*facere posse*[1]. Sane in talibus matrimoniis habetur id omne, quod ad eorum substantiam requiritur. Præclare ad rem facit quod Napoleoni primo Imperatori, postulanti ut invalidum et nullum declararetur matrimonium Baltimoræ in America initum a fratre suo Hieronymo ob defectum consensus parentum, rescripsit Pius Papa VII, 27 junii 1805, his verbis : « Il n'est pas exact de dire que la loi de France relative aux mariages des enfants non émancipés et des mineurs, contractés sans le consentement des parents et des tuteurs, les rende nuls quant au sacrement. Le pouvoir même législatif laïque a déclaré sur des représentations du clergé assemblé l'an 1629 qu'en établissant la nullité de ces mariages, les législateurs n'avaient entendu parler que de ce qui regarde les effets civils du mariage et que les juges laïques ne pouvaient donner aucun autre sens ou interprétation à la loi ; car Louis XIII, auteur de cette déclaration, sentait bien que le pouvoir séculier n'a pas le droit d'établir des empêchements au mariage comme sacrement. En effet, l'Église, bien loin de déclarer nuls quant au lien les mariages faits sans le consentement des parents et des tuteurs, les a, même en les blâmant, déclarés valides dans tous les temps et surtout dans le concile de Trente[2]. »

*Secundo* requiritur parentum consensus ad matrimonii licitatem, adeo ut filiifamilias, qui sine parentum consensu contrahunt, *nisi adsit causa*, peccent gravissime ex communiori sententia. Sane honor et reverentia parentibus debita expostulat, ne filii absque ipsorum consilio tam grave ac perpetuum negotium ineant ; cum in eo illi experientia edocti sint, ac generatim valeant auxilium ipsis præstare opportunum[3]. Hinc Tridentinum de matrimoniis alloquens sine hoc consensu a filiis celebratis ait : *Sancta Dei Ecclesia ex jus-*

[1] Sess. xxiv, cap. i, de R. matr. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.* l. I, n. 37. — Cosci protonot. apost, *De sponsalibus filiorumfamilias*, vota decisiva, etc. Romæ. — Muscettola, *Dissertatio theologico-legalis de sponsalibus et matrimoniis quæ a filiis familias contrahuntur, parentibus insciis vel juste invitis*, etc. Romæ, 1766.

[2] Artaud, *Hist. de Pie VII*, t. II, p. 69. Paris, 1836.

[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI. n. 849, ubi quatuor sententias erudite exponit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tissimis causis illa semper detestata est et prohibuit*. Merito ergo omnes Diœcesanæ Synodi (ut Novariensis) præcipiunt, ne hujusmodi conjugiis assistat Parochus[1] : tanto magis, quia Codices civiles graviter quoad effectus suos animadvertunt in contravenientes sponsos[2]. — Diximus *nisi adsit causa*; justa enim interveniente causa, nulli dubium est licere filiis matrimonium inire insciis etiam, vel invitis parentibus. Esset si filius in remotis terris versetur, et ei offeratur matrimonium honestum et valde utile, quod ob graves circumstantias sit ineundum, neque possit expectari parentum consensus : vel si parentes essent irrationabiliter inviti, etc.

*Sed* (quæres) *quid si pater rogatus taceat?* Si conjectura sit talis, quod jaceat, quia dissentit : v. g., si taceat, ne displiceat domino vel amico, tunc taciturnitas illa habenda erit pro expresso dissensu. Secus si conjectura sit, quod ideo taceat; quia sibi matrimonium non displicet. In dubio communius taciturnitas pro consensu existimatur; nam *qui tacet, consentire censetur*, maxime cum possit dissentire : et melius aliunde est judicare in favorem matrimonii.

**439**. *An* (quæres) *filii debeant obedire parentibus, qui ipsis matrimonium præcipiunt?* Audiatur Angelicus : *Pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa. Et tunc sicuti se habet filius ad causam illam; ita se habet ad præceptum patris : ut si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, et præceptum similiter cogat*[3]. Hinc non facit contra virtutem pietatis, si filius non obediat; quia vult meliorem statum eligere; quia aliis sponsalibus obstrictus est; quia nimis a tali muliere abhorret. Nam nemo tenetur meliorem statum negligere, vel potest datam fidem

[1] Pag. 150, § 9. Imo ex eadem Novariensi Synodo, licet parentes sint irrationabiliter inviti, a Parocho nihil, inconsulto Episcopo, est resolvendum.

[2] *Ad civiles effectus quod spectat*, defectus consensus parentum in Regno Sabaudiæ cognoscitur a Tribunali, januis clausis, absque actuum formalitate, et quam celerrime poterit, sola habita ratione veritatis factorum (*Cod civ.*, art. 112). Dictum est *ad civiles effectus quod spectat*; nam civili potestati non subditur cognitio licitatis contractus; cum res sacra sit ad Ecclesiæ Prælatos pertinens.

[3] In 4, d. 29, q. 1, a. 4.



violare, vel debet ex solo charitatis motivo se obligare ad perpetuo convivendum cum muliere, quam notabiliter horret.

Hæc si non interveniant, ex pietate teneretur filius patri obedire matrimonium contrahendo : uti si inde gravis inimicitia esset dirimenda vel familiæ pauperies auferenda.

**440**. Q. 5. *Quisnam esse debet matrimonii finis?*

R. Triplex generatim recensetur finis, seu causa cur vir et mulier inter se maritaliter contrahere debent :

*Proles, subsidium vitæ, cohibenda voluptas.*

1. Est prolis susceptio juxta illud : *Crescite et multiplicamini*[1]; 2. mutuum vitæ adjutorium juxta illud : *Non est bonum homini esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*[2]; 3. concupiscentiæ refrænatio juxta illud : *Si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri*[3]. Prolis susceptio est finis primarius intrinsecus et accidentalis. Concupiscentiæ autem refrænatio est finis secundarius, adhuc tamen intrinsecus et accidentalis, qui ceteris causis accessit tantum post corruptam hominis naturam. Mutuum vero vitæ adjutorium, an sit finis primarius vel secundarius, disputant.

Qui fines dicuntur : 1. *fines intrinseci* ad exclusionem illorum, qui non sunt inclusi in institutione matrimonii, et ideo extrinseci sunt, uti esset pax familiarum, divitiarum consecutio; 2. *fines accidentales*, cum non pertineant ad matrimonii essentiam : unde si quis hos fines non intenderet, non solum valide, sed et licite posset quandoque contrahere, prout si esset senex et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiæ, neque adjutorium. Sufficit enim ad matrimonium, ut salventur fines intrinseci essentiales, seu matrimonii ipsius essentia, quæ quidem consistit in mutua corporum traditione quoad debitum et in vinculo indissolubili : et sic contraxerunt Beata Virgo et Sanctus Joseph.

**441**. Quæres : *An remedium concupiscentiæ sit de se finis*

[1] Gen. I. — [2] Gen. II. — [3] I Cor. VII.

*honestus ad contrahendum, seu an fas sit matrimonium inire ad solam vitandam fornicationem?* R. Concina, Natalis Alexander, Navarrus, aliique cum divo Thoma putant contrahere principaliter in remedium concupiscentiæ esse veniale; nam licet remedium concupiscentiæ sit etiam finis honestus et intrinsecus matrimonii, est tamen secundarius; cum finis primarius sit procreatio prolis. Ergo agit cum aliqua rationis inordinatione qui finem secundarium eligit præ fine primario.

Sed Cajetanus, Croix, Holzman, Roncaglia, Salmanticenses cum Catechismo R. et SS. Bonaventura et Antonino non minus communiter, neque minus probabiliter docent, nullum in hoc ne veniale quidem adesse peccatum, modo contrahens non excludat expresse finem procreandæ prolis. Et quod dicunt de sponsis, idem asserunt de conjugibus, qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam propriam sedandam : neque ideo deordinatio est. Nam deordinatio quidem est, si finis primarius dirigatur ad secundarium; non tamen si ex duobus finibus æque per se licitis et honestis eligatur secundarius præ ipso primario, dummodo hic minime excludatur. Ratio autem est, quia matrimonium a Deo institutum est etiam in remedium concupiscentiæ, teste Apostolo : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat*[1]. Quæ verba non sunt intelligenda de amovendo periculo fornicationis in comparte; sed de vitanda fornicatione propria, sicut explicant Estius, Salmeron, A Lapide cum D. Chrysostomo, et clare constat ex contextu ipso. Ergo accedentibus ad uxores steriles, senes aut gravidas, vel quærentibus matrimonium unice ad fornicationem vitandam, Confessarius permittat, sicut permisit Apostolus, ne sapientior Apostolo esse velit, uti merito notat Alasia[2].

**442.** *Sed quid* (quæres) *de illo, qui contraheret matrimo-*

[1] I Cor. vii. — *V.* Liguori *Op. Mor.*, l. VI, n. 882. — Stapf, n. 480.

[2] Animadvertendum : ad hoc, ut fines intrinseci accidentales et secundarii liciti sint, et honesti, oportere ut referantur ad Deum, si non actualiter, saltem virtualiter vel habitualiter, uti docent communiter cum Bossio, Sanchez aliisque.



*nium ob solos fines extrinsecos?* R. Si finis ille extrinsecus *turpis* sit et *inhonestus*, v. g., pura ipsa voluptas, cupiditas divitiarum et vani honoris, tenent communiter non deesse peccatum matrimonium principaliter ob talem finem inire, etiamsi finis primarius non excludatur; adest enim evidens inordinatio in hoc, quod ad finem inhonestum et turpem dirigatur res sacra. Et peccatum hoc erit mortale, si contrahentes in fine ipso inhonesto et turpi constituant finem suum ultimum, ita ut *Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus :* habet enim potestatem diabolus super eos[1]. Veniale autem erit in casu contrario.

Si vero finis extrinsecus sit *honestus* et *bonus*, ut pax populi, amor inter consanguineos, honor familiæ, etc., putamus probabilius cum Cajetano, Coninchio, Salmanticensibus aliisque sine peccato matrimonium principaliter ob illum finem contrahi posse, modo semper, non excludatur finis primarius. Nulla enim videtur inordinatio, servato fine primario, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis, sive intrinsecus ipse sit sive extrinsecus : tunc bonus est finis, et bonum medium.

Scholium. — *De Matrimonio B. V. Mariæ cum S. Josepho*[2].

**443.** Matrimonium Beatæ Mariæ Virginis cum sancto Josepho et verum fuit et licitum et convenientissimum et perfectum.

1. *Verum :* hoc adeo certum est, ut oppositum *saltem sine temeritate* defendi non possit[3]; in Scripturis enim Joseph *vir Mariæ*, et Maria *Josephi uxor* sic vocatur simpliciter et absolute : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ; Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*[4]. Hæc etiam erat Judæorum persuasio, qui mysterium nescientes vulgo appellabant Jesum *filium Joseph*, *filium*

[1] Tob. vi. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 883.

[2] *V.* Fidelis Mazzola, *In Seminario Novariensi jampridem Professore, de B. M. V. Disputationes historico-theologicæ.* Taurini, typis Chirio et Mina, 1845, p. 104.

[3] *V.* Benedictus XIV, *De Festis*, l. II, c. i. — [4] Matth. i, et Luc. iii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*fabri*[1]: unde pro certo tenebant, matrimonium fuisse contractum inter Joseph et Mariam. — Nec obstat votum absolutum castitatis a Virgine ante desponsationem emissum; quia voti objectum fuit usus, non potestas copulæ: quam quidem potestatem absolute Virgo tradere potuit, licet haberet propositum castitatis; quia ut ait S. Thomas: *Illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum*[2]. Adde: nonne cunctis fatentibus, duo simplici castitatis voto ligati valide inter se contrahunt matrimonium, quamvis postea illius usus maneat ligatus ac prohibitus?

2. *Licitum*: vel enim, ut censet A. Lapide, *ipsa Virgo Josepho votum suum declaravit, ac Josephus in voti observationem consensit, eamque promisit, antequam ei nuberet*[3]. Vel, ut communiter alii tradunt cum divo Thoma[4], fuit certificata ex divina revelatione et instinctu, quod Joseph numquam erat debitum petiturus. Sic Virgo prudentissima illo matrimonio morem gentis suæ gessit; voto autem illo suam puritatem perpetuo Deo sacravit. Id definit Concilium romanum 1649; et 1680 constantinopolitanum tertium, œcumenicum juxta doctrinam Patrum scribit: *Mariæ virginitas ante partum, in partu et post partum intemerabilis est*[5].

3. *Convenientissimum*: et 1. ex parte Christi, tum ne tanquam illegitimus haberetur; tum ne in tenera ætate nutricio destitueretur; 2. ex parte Mariæ, tum ne haberetur uti fornicaria vel adultera; tum ne ejus partus virgineus a diabolo cognosceretur; 3. ex parte nostri, tum ut haberemus ex ipso Josephi testimonio Jesum de Virgine natum esse: tum ut hæreticos refutaremus nuptias damnantes[6].

4. *Perfectum*: essentialis matrimonio perfectio consistit in mutua, vera ac perfecta traditione et acceptatione potestatis in corpora; atqui hoc intervenit in matrimonio Beatæ Virginis. Quod si defuit illa accidentalis perfectio, nempe copula, per quam significatur *unio Christi cum Ecclesia* per naturam, hoc nihil detrahit huic conjugio, uti notat Billuart: nam non erat hic opus illa significatione; cum res ipsa in Virgine esset exhibenda, scilicet Verbi Incarnatio, per quam Christus conjungitur Ecclesiæ secundum naturam[7].

[1] Matth. XIII, et Luc. III.
[2] In 4 sent., dist. 30, q. 2, a. 1, ad 2.
[3] In Luc., c. I.
[4] In 4 sent., dist. 30, q. 2, a. 1, ad 2.
[5] *V.* Mermillod, *La Vierge Marie, ou Études sur sa perpétuelle virginité*. Paris, Genève, 1856. — Nicolas, *La Vierge Marie*, vol. II, c. VII.
[6] Alias rationes prosequitur Angelicus, p. III, q. 29, a. 1.
[7] De Matrimonio, diss. III, a. 7 in fine. *Digressio historica*.



Item neque Sacramentum fuit illius matrimonium; cum nondum esset ad hanc dignitatem tunc temporis elevatum conjugium[1].

## Art. II. — De idoneitate personarum.

Illæ personæ sunt ad valide contrahendum idoneæ, quæ nulla lege vel consuetudine prohibentur. Sed de hisce prohibitionibus agemus disputationibus III et IV: nunc erit de nonnullorum conjugiorum honestate vel modo[2].

**444.** Q. 1. *Quid sentiendum est de matrimonio infidelium?*

R. Matrimonium infidelium, si legitime contrahitur, nempe inter personas jure naturæ capaces, mutuo ac vero consensu, est verum ac firmum matrimonium. Nam est validus contractus naturalis, etsi sub aliqua ratione imperfectum, ut animadvertit S. Thomas[3]: quia illud est tantum ad prolem generandam, non autem ad illam etiam promovendam ad perfectum statum gratiæ; ideo illorum matrimonium Sacramentum non est, cum illius non baptizati sint prorsus incapaces.

Idem docet Billuart, si una pars tantum fidelis sit, etiam supposito valido contractu; quia uterque contrahens ad modum unius tantum concurrit ad materiam Sacramenti; unde si materia ex parte unius non sit idonea, neque erit ex parte alterius. Alii tamen cum Perrone probabilius contendunt ex parte fidelis matrimonium esse Sacramentum; nam fidelis id omne posuit quod ad Sacramentum requiritur: nec demonstrari potest unionem illam esse non posse Sacramentalem ex una parte, licet non sit ex altera. Sane nulla est repugnantia,

[1] *V.* Mazzola, *Opus laudatum*, pag. 350 in nota, ubi de omnibus Sacramentis inquisitionem instituit, num B. V. ea receperit.
[2] De hermaphroditis, qui scilicet de utroque sexu participant, vid. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1099, et Ferraris in sua *Bibl.* hoc tit. Moderni physici inter fabellas enumerant quidquid de hermaphroditis narratur; quamquam recentes casus proferantur. *V.* Martini, *Elementa medicinæ forensis*. — Debreyne, *Précis de physiologie humaine*, etc. — Bouvier, *Supplem. de matrimonio*.
[3] In 4 sent., dist. 39, q. 1, a. 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod ex duobus contrahentibus alter ob ejus incapacitatem Sacramentum non recipiat, recipiat vero ille qui ad Sacramentum est idoneus : sic ex duobus quibus uno eodemque actu confertur absolutio, alter gratia vivificatur ; alter nequaquam, pro modo videlicet dispositionis.

*Quid* (dices) *si baptizetur uterque conjux?* Billuart, Collet ac Tournely censent per Baptismum fieri non posse Sacramentum illorum matrimonium ; quia hujus Sacramenti materia est contractus in actu, at contractus initus jam fuit. Sed Bellarminus, Sanchez et Sylvius contrarium tuentur, et quidem probabiliter et communius ex Benedicto XIV [1]. Tum quia conversi ad finem non debent gratia Sacramentali privari absque evidenti ratione ; tum quia per Baptisma matrimonia infidelium evadunt etiam in faciem Ecclesiæ probata ; ergo evadunt etiam Sacramenta.

Si autem quæsieris : quando id præcise contingat, respondent aliqui id evenire actu ipso, quo infideles Baptisma suscipiunt ; quia tunc virtualiter et implicite etiam in præcedens matrimonium vere consentiunt. Alii vero requirunt novum consensum, id est prioris renovationem ; hanc tamen renovationem non curat Ecclesia. Imo si quando ad illam hortatur, expresse monet eam minime requiri ad conjugii firmitatem : ita S. C. Officii, 5 feb. 1780 [2].

445 Q. 2. *Quid de matrimoniis hæreticorum inter se?*

R. Hæretici et schismatici, qui ineundo matrimonium leges Ecclesiæ accurate servant, valide contrahunt et Sacramento muniuntur ; cum nihil sit, quod valori hujus Sacramenti obstare possit. Hoc confirmat praxis Ecclesiæ, quæ nullimode eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant.

*Quid* (dices) *sentiendum de matrimonio hæretici vel schismatici cum catholica, aut vice versa?* — R. Hoc matrimonium communi usu dicitur *mixtum*. Porro validæ sunt tales nuptiæ ; quia nullum de iis extat impedimentum dirimens ;

[1] *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. XII.

[2] *V.* Perrone. *De matrimonio christiano*, l. II, sec. I, c. VII.



cum cultus disparitas non respiciat, nisi matrimonia baptizatorum cum non baptizatis [1]. Imo erunt etiam Sacramentum, ut patet : *Ad contrahendum matrimonium uti elevatum in Sacramentum requiritur solum paritas Baptismi, non fidei*, ex romanæ Rotæ decisione penes Klée. Sed sunt per se prorsus illicitæ : 1. jure naturali ; propter grave periculum perversionis et jacturæ animæ propriæ, et prolis futuræ [2] ; 2. jure divino, nam si ex Apostolo hæreticus homo vitandus est [3], tanto magis prohibitum erit cum ipso societatem conjugalem inire adeo strictam et perpetuam ; 3. jure ecclesiastico : patet tum ex pluribus Conciliis incipiendo a Laodiceno, anno 332 ; tum ex romanis Pontificibus incipiendo a Clemente VIII ad nos usque, præsertim a Benedicto XIV, Pio VI, VII, VIII, et Gregorio XVI.

Diximus *per se* ; si enim, accedente gravi causa et interpositis quibusdam conditionibus, removeatur omne periculum perversionis in comparte catholica et filiis, et sic cesset omnis vis juris naturalis atque divini ; tunc interveniente dispensatione ab ecclesiastica lege, cessabunt tales nuptiæ esse illicitæ, et iniri poterunt [4]. Ad solum tamen Pontificem pertinet dispensationem elargiri ; quia leges, quæ conjugia mixta interdicunt, constitutæ sunt vel a Conciliis œcumenicis, vel a Synodis quidem particularibus, sed in Ecclesia universa usu receptis. Hæ autem sunt conditiones, sub quibus generatim Pontifex dispensat :

[1] Quanquam hodie merito etiam de validitate dubitari potest ; cum hæretici non ita semper certo valide baptizentur, ex dictis *de Baptismi ministro*.

[2] Hinc S. Ambrosius, l. I, de Abraham, c. IX : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro ; et unus spiritus est? quomodo potest congruere Christus, si discrepat fides?*

[3] Tit. VI.

[4] Neque pars catholica peccat sic communicando cum hæretica ; nam adest dispensatio. Neque peccat quasi concurrat ad profanandum Sacramentum : quia justa causa adveniente, potest quis ab alio petere rem in se bonam, etsi alter dando ex sui prava dispositione peccet. Justa autem causa est ; hæc enim conjugia fiunt instar contractuum civilium ad firmandas amicitiæ leges, ad tuendam pacem Reipublicæ, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 56. — Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. IX, c. III.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1ª Ut pars hæretica scripto ac juramento coram testibus promittat, se permissuram, ut pars catholica Religionem suam libere exerceat, prolemque omnem in ea instituat : unde contrarium pactum est omnino irritum habendum ; — 2ª ut similiter pars catholica eodem modo promittat, se hoc præstituram ; et insuper, quantum in se erit, curaturam, ut compartis conversionem procuret ; — 3ª ut tali matrimonio Parochus vel delegatus non assistat in loco sacro ; nec aliqua sacra veste indutus ; omissis etiam precibus quibuscumque ; omni item sacra benedictione. Quæ conditiones adeo necessariæ sunt, ut gravissimi peccati reus esset qui absque iis mixtas nuptias præsentia sua cohonestaret ; nam præter scandalum gravissimum violaret Canones Ecclesiæ in re pariter gravissima ; cooperaretur peccato aliorum item gravissimo ; et sacrilegum conjugium facto suo approbaret (C).

**446**. Q. 3. *Quid de matrimonio inito per procuratorem?*

R. Ex hodierna disciplina, etiam in Rituali probata, matrimonium per procuratorem celebrari potest. Et validum est non tantum in ratione contractus, ut patet de ceteris, sed etiam in ratione Sacramenti, ut commune est cum Bellarmino, Billuart, Sanchez, Tournely et aliis ; nam si contractus, ergo et Sacramentum inter Christianos : et sane Ecclesia id non permitteret, si aliter res se haberet. Neque obstat, quod postea a partibus renovetur consensus ; id enim *majoris duntaxat cautelæ gratia faciendum suaderi* ait Benedictus XIV [1]. — Mirum utique videri poterit primo intuitu gratiam sic conferri absenti, et forsan dormienti ; sed Deus gratiam largiri potest absenti sicut et præsenti : nec repugnat in dormiente effectum consequi ob consensum antea habitum

+ [1] Loco cit., *De Syn. Diœc.* Utrum vero valeat matrimonium, etiamsi mandans in perpetuam amentiam inciderit ante matrimonium celebratum per procuratorem, alii negant ; quia amens habetur ut mortuus, nec censetur tunc altera pars consentire : alii affirmant ; quia donec revocetur, prior consensus perseverat in virtute. Quod etiam dicendum est etsi dum procurator contrahit, principalis dormiat ; nam tunc quæ habetur intentio, verius dicenda est virtualis, quam habitualis ; cum procurator contrahat virtute mandati, sive consensus a principali præstiti. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 82.

+ lib. XIII. cap. 23. n. 9.



tempore vigiliæ. Ut tamen procurator valeat legitime matrimonium pro alio contrahere, jure hæc requiruntur :

1. Ut sit mandatum speciale ; sed sufficit etiam oretenus datum, si de eo constet. At non requiritur sexus diversitas : ideo procuratores esse possunt etiam duo mares vel duæ fœminæ ; nam non ipsi per se contrahunt, sed de alieno contractu consensum tantum tribuunt.

2. Ut mandatum sit de contrahendo cum persona determinata ; matrimonium enim nonnisi cum determinata persona esse potest. Neque procurator alium subdeleget, nisi ad id quoque specialem habeat licentiam : secus esset contra mandantis intentionem agere.

3. Ut mandatum Parocho et testibus exhibeatur, et coram ipsis matrimonium celebretur ; alioquin esset clandestinum et nullum. Oportet item ut mandatum ante celebrationem non fuerit revocatum (nec etiam mentaliter) a mandante. Secus mandatarius non amplius ipsius mandantis nomine ageret.

4. Ut procurator mandati fines minime excedat : secus non referret mandati sensus [1]. In hoc tamen animadverte, quod si conditio sit requisita a mandante, v. g., ut contrahatur tali dote vel tali tempore, si non servetur, matrimonium erit nullum. Si vero conditio jam sit requisita a jure, v. g., ut contrahatur præmissis denuntiationibus, obtenta licentia, tunc validum erit conjugium etiam sine ipsis initum, ut communiter docent ; quia hæ secundæ conditiones censentur appositæ a mandante juxta mentem juris ipsius, quod quidem respicit tantum licitum.

Attamen Parochus non debet propria auctoritate seu inconsulto episcopo tale matrimonium permittere ; cum ex praxi Ecclesiæ vix inter alios quam inter principes id vigeat.

*Quid* (quæres) *si mandans ficte mandatum dederit?* Si interius consentiat ante mandati executionem, probabilius videtur validum matrimonium ; mandatum enim per se validum est, nec aliud requiritur, quam ut interius convalidetur. Secus, si ficte exterius mandatum dederit, licet intus

[1] Cap. *Procurator. de procuratoribus*, in 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

serio consenserit; nam cum nullum fuit ab initio mandatum exterius, nequit solo interno consensu validari (*D*).

---

## CAPUT SECUNDUM

### DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS

#### Art. I. — De matrimonii honestate, obligatione et sanctitate.

**447**. Q. 1. *An matrimonium licitum sit et honestum?*

R. Antiquiores hæretici, Marcionitæ, Manichæi et Encratitæ docuere nuptias esse rem inhonestam et turpem. Sed contrarium docet catholica veritas; nam Christus sic de matrimonio alloquitur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*[1]; atqui illa, quæ a Deo conjuncta sunt, mala esse non possunt. Adde: Christus ipse præsentia sua nuptias in Cana Galilææ actas honoravit, et insigni simul miraculo eas voluit illustrare: *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias*, inquit S. Augustinus, *confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias; futuri enim erant dicentes, quod malum essent nuptiæ*[2].

Apostolus autem loquebatur de matrimonio, quando inquiebat: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia*[3]. Idem ait: *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere...; qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*[4]. Accedit ratio: quod ad naturæ corporalis conservationem ac speciei perpetuitatem pertinet, bonum et honestum est.

**448**. Q. 2. *An matrimonium cadat sub præcepto?*

R. Matrimonium cadit sub præcepto naturali; Deus enim naturæ auctor vult profecto propagationem et conservationem generis humani; atqui hæ haberi legitime non possunt absque matrimonio. Imo cadit etiam sub præcepto divino positivo juxta illud: *Crescite et multiplicamini*[1]. Hoc tamen præceptum obligat communitatem, ad quam quidem pertinet propriam conservationem curare; ejus iccirco esse deberet efficere, ut aliqui nubant, casu quod ex se jam non nuberent homines. Non vero obligat per se loquendo singulos homines; alioquin errasset Apostolus, cum homines invitat ad virginitatem inquiens: *Dico non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego*[2].

Diximus *per se loquendo*, quia contingere posset per accidens, ut quis matrimonium contrahere teneatur, v. g. Princeps ad impedienda bella civilia, ad præfocandas hæreses; vel quivis alius ad legitimandam prolem, damnum deflorationis reparandum, etc. Idem esset, si quis nollet alia media adhibere ad continentiam servandam[3].

**449**. Q. 3. *In quonam consistit matrimonii sanctitas?*

R. Matrimonii sanctitas in eo maxime consistit, quod ipsum ad verum Sacramentum fuerit a Christo Domino elevatum, ideoque conjuges sanctificet. Matrimonium verum esse Sacramentum negant protestantes: imo olim etiam nonnulli Catholici (ut Durandus Meldensis Episcopus) nondum data definitione ab Ecclesia, atque ad monumenta traditionis non satis attendentes dubitaverunt, an matrimonium esset proprie dictum Sacramentum, gratiam producens. Verum hodie de hac veritate nequit amplius dubitari; cum de fide sit a Tridentino sic contra Lutheranos et Calvinistas definita: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino*

[1] Matth. XIX. — [2] Tract. IX in Joann. — [3] Eph. V.
[4] I Cor. VII. Unde si quando Apostolus ac Patres videntur nuptias respuere, id intelligendum de earum abusu; vel in comparatione cum cælibatu.



[1] Gen. I et IX.
[2] I Cor. VII. Quinimo ad totius generis humani pulchritudinem et salutem pertinet ne omnes nubant. Si enim præstat, ut multitudo non tantum corporaliter multiplicetur, sed etiam ut spiritualiter proficiat; ideo conveniens fuit ut alii generationi, alii contemplationi vacarent. *Sicut etiam in exercitu*, ait D. Thomas, *quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant. Quæ tamen omnia de ita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt* (2, 2, q. 152, a. 2).
[3] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 209.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit* [1].

1. Id satis innuunt Scripturæ, ex sensu totius antiquitatis. Apostolus namque ait: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.... Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* [2]. Quibus verbis patet Christum Dominum sanctificasse symbolum suæ unionis cum Ecclesia; sed hujus unionis symbolum est ipsum matrimonium ex Apostolo. Sane sicut homo (ita loquitur D. Chrysostomus), ut adhæreat uxori suæ et fiat una caro cum illa, reliquit patrem et matrem; ita Verbum Dei, dimisso Patre, descendit et venit ad sponsam Ecclesiam, et factus est in spiritum unum [3]. Ergo Christus matrimonium sanctificavit, seu illud elevavit ad Sacramenti dignitatem.

2. Constans probat traditio, ut erudite demonstrat P. Perrone: etenim utriusque Ecclesiæ Patres iique antiquissimi matrimonium in numero Sacramentorum habuerunt: dum 1. Christianorum conjugium alii inter res sacras numerant, ad Religionem pertinentes, et a ministris Ecclesiæ certo ritu celebrandas, cujusmodi inter Græcos sunt S. Ignatius Martyr [4], Clemens Alexandrinus [5], et S. Basilius [6]; inter Latinos vero Tertullianus [7], S. Ambrosius [8], et S. Siricus Papa [9]. — Dum 2. alii tradunt Christum dum nuptiis interfuit, iisdem benedictionem, sanctitatem et gratiam, qua antea carebant, adjunxisse atque indicasse, uti ex Græcis Cyrillus Alexandri-

[1] Sess. xxiv, *De Matr.*, c. i. Hac de re *V.* Opus, *Teorica dell'istituzione del matrimonio*, parte seconda che tratta della guerra multiforme cui soggiace; per Emiliano Avogadro conte della Motta, ecc. Torino, 1854, tipografia Zecchi e Bona. — It. Liguori, *Opera dogmatica*, sess. xxv.

[2] Eph. iii. In græco textu habetur *in Christum et in Ecclesiam*; quod indicat referri mysterium conjugii tanquam in terminum, in Christum et in Ecclesiam, veluti signum seu symbolum ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, quam repræsentat.

[3] Homil. xx in cap. v, *Ad Ephes. V.* Gaume, *Catéchisme de persévérance*, vol. II. — *Civiltà Cattolica*, ser. I[a], v, x, p. 156. — Bernardius a Piconio, Estius et A Lapide in hunc locum.

[4] Epist. *ad Polycarp.* — [5] *Stromat.* l. III. — [6] *Hexamer.* : hom.

[7] L. II, *Ad uxorem*, c. viii. — [8] Epist. xiv, *Ad Vigil.*

[9] Epist. *Ad Himerium.*



nus [1], et Epiphanius [2]: ex Latinis Ambrosius [3], et Augustinus [4]. — Dum 3. denique alii *Sacramenti* nomine matrimonium noncuparunt, quod fecit Tertullianus [5], Ambrosius [6], Chrysostomus [7], atque Augustinus passim, præsertim in libro *de Bono conjugali.* ubi inter cetera: *In nostrarum fœminarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fœcunditas uteri* [8].

3. Argumentum præscriptionis demontstrat, seu perpetua et constans utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis consensio et praxis. De Ecclesia enim latina ante Tridentinum hujus rei fidem faciunt Eugenius IV [9]; ante Eugenium constantiense Concilium; ante Concilium constantiense Lucius III [10]; ante Lucium Gregorius M. prout fatentur adversarii nostri [11]; ante Gregorium sacramentalia et rituales libri, qui inter septem Sacramenta semper nuptias recensent [12]. — De Ecclesia græca constat ex Hieremia Græcorum patriarcha, qui sub finem sæculi XVI in censura *Confessionis Augustanæ* ex nomine totius Ecclesiæ græcæ septem profitetur esse in Ecclesia Sacramenta a Christo instituta, ac de matrimonio peculiariter ait: *Divinum Sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quæ Christus et Apostoli Ecclesiæ tradiderunt* [13]. Atque id ipsum profitentur diversa Concilia coacta adversus Cyrillum Lucarim nova dogmata fabricantem [14]. Ante hos omnes Concilium florentinum, quod in hac professione jam præcesserat Simeon thessalonicensis: quibus præiverant liturgici libri [15].

[1] L. II, *In Joann.*, c. xi. — [2] Hær. li.

[3] Epist. xlii, *Ad Siricium.* — [4] Tract. IX, *In Joann.*, n. 2.

[5] *De exhortat. castitat.*, c. v. — [6] L. I, *De Abraham*, c. vii, n. 59.

[7] Hom. xx, *In Epist. ad Ep.* — [8] C. xviii, n. 21.

[9] *Decret.* seu *Instruct. pro Armenis.* — [10] *Decreta contra hæret.*

[11] Ut Calvinus, *Instit.*, l. IV, c. xix.

[12] Cf. Martenium, *De antiq. Eccl. ritib.*, l. I, p. XI, c. ix, art. 5.

[13] Cf. Ep. cui tit. *Censura orientalis Ecclesiæ de præcipuis nostri sæculi hæreticorum dogmatibus, Hieremiæ Constantinopolitani patriarchæ*, etc., *a Stanislao Socolovio ex græco in latinum conversa.* Dilingæ, 1582, c. vii, pag. 105, 111 et 116.

[14] Cf. Renaudotium, *De la perpetuité*, etc., t. V, l. VI, c. i.

[15] Libri liturgici sunt veluti fidei promptuaria et indices rerum credendarum christiano opulo propositi, magnaque est illorum auctoritas, quando

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tandem hisce omnibus accedit testimonium sectarum quæ jam a sæculo V vel VI a Romana catholica Ecclesia separatæ sunt; quæ omnes eamdem tuentur veritatem mira consensione, non quidem uti rem de novo invectam, sed uti a veteribus acceptam et traditam [1].

Dices : *Sacramenta N. L. producunt quod significant; atqui matrimonium non producit quod significat, scilicet unionem Christi cum Ecclesia; ergo non est Sacramentum.* R. non producit quod significat sub uno respectu, concedo; sub altero, nego. Duo significat matrimonium : *speculative* unionem Christi cum Ecclesia; *practice* dilectionem inter sponsos, seu unionem animorum per gratiam. At matrimonium priorem tantum repræsentat; sed posteriorem etiam operatur (*E*).

**450.** Q. 4. *Quinam est matrimonii minister?*

R. Canus omnium fortasse primus anno 1563, Bailly, Collet, Concina, Dens, Estius, Sylvius, Tournely aliique censent, Sacerdotes esse ministros Sacramenti matrimonii. Quod dicunt esse conformius et Patrum et Conciliorum doctrinæ, in quibus habetur benedictione Sacerdotis matrimonium *sanctificari, conciliari, obsignari* [2]. Adde : Apostolus appellat Sacerdotes *dispensatores mysteriorum Dei*, id est Sacramentorum [3] : hoc porro non verificaretur in matrimonio, si ipsi essent dumtaxat testes conjunctionis sponsorum gratiam sibi invicem conferentium. Præterea Tridentinum hanc formam a Parocho usurpandam assignat : *Ego vos in matrimonium conjungo;* quæ verba vanum haberent sensum, si Parochus non esset hujus Sacramenti minister.

Sed communis sententia, quæ videtur moraliter certa, quæ et antiquitate et universalitate præstat; et quæ ita in Scholis ante Tridentinum dominabatur, ut teste Benedicto XIV, ad fidem pertinere crederetur; quamque invicte tuentur

n aliquo dogmate admittendo conspirant : *Lex supplicandi*, ait PP. Cœlestinus, *Regulam constituit credendi.*

[1] *V.* Perrone in absolutissimo Opere, *De matrimonio christiano*. Romæ, 1858, l. I, sect. I, c. I.

[2] Tertullianus, l. II, *Ad uxorem*; Ambrosius, Epist. XIX, *Ad Vigilium*; et Carthag. IV.

[3] I Cor. IV. — *V.* Klée, *Hist. des dogmes.*



Barbosa, Billuart, Fagnanus, Frassen, Gerdil, Gonet, Gotti, Layman, Liberius a Jesu, Liebermann, Martene, Devoti Patuzzi, Scotus, Suarez, Sardagna, Vasquez aliique innumeri cum Bellarmino ac D. Thoma, docet ipsos contrahentes esse ministros matrimonii.

Prob. 1. Eugenius IV in Decreto ad Armenos, sanam doctrinam circa septem Sacramenta compendiose tradere volens, ait de matrimonio : *Causa efficiens matrimonii regalariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus;* ergo ipsi contrahentes sunt ministri, si eorum consensus est causa efficiens matrimonii. Dixit *regulariter;* nam mutuus consensus potest etiam sine verbis, nempe per nutus aliquanto exprimi, ut evenit in mutis.

2. Tridentinum expresse declarat omnia conjugia clandestina (id est sine assistentia Parochi) ante ipsum Concilium celebrata, fuisse *rata et vera;* idque negantes anathemate percutit [1]. Jam vero, si talia matrimonia erant rata et vera, ergo erant etiam Sacramenta; matrimonia enim fidelium esse nequeunt rata et vera, quin simul sint etiam Sacramenta [2]. Sed si dicta matrimonia erant vera Sacramenta, quamvis sine Parochi præsentia celebrata; ergo necessario dicendum est solos sponsos eorum fuisse ministros, non Parochum. Hoc argumentum valde exaltat Benedictus XIV : qui etiam sententiam hanc nostram *communiorem magisque receptam* dicit [3].

3. Idem Tridentinum, dum nuptiæ ineuntur, imponit quidem Parocho, ut dicat : *Ego vos in matrimonium conjungo;* sed statim addit : *Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* At si Concilium putasset Parochum esse ministrum, quomodo potuisset ei pro forma

[1] Sess. XXIV, c. I, *de R. matr.*

[2] Sic enim habet Innocentius III (c. VII, *De div.*) : *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum et ratum existit; quia Sacramentum Fidei* (id est Baptisma) *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.*

[3] *De Syn. Diœc.*, l. VIII, c. XVIII; et l. XIII, c. XXIII ait : Quod Parochus assistit matrimonio tantummodo uti *testis auctorizabilis pro Ecclesia.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præscribere quæcumque verba, quæ sint juxta ritum in unaquaque Provincia receptum? Hoc argumentum dicit card. Pallavicini sibi evidens visum fuisse ad probandum contrahentes ipsos veros esse ministros, non vero Parochum aut alium Sacerdotem[1]. Adde: verba, quæ juxta adversarios formam sacramenti constituunt, nova esse ac desiderari prorsus in omnibus fere antiquis Ritualibus[2]: imo alicubi Sacerdos hæc sola verba pronuntiat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Adde: in matrimoniis mixtis nulla a parocho est adhibenda forma; et tamen illa vera matrimonia sunt et vera sacramenta. — Utique matrimonium res sacra est utpote sanctificatum a Christo Domino, qui amori naturali suam adjecit gratiam, ideo et in faciem Ecclesiæ juxta ejus leges celebrandum: hæc tamen minime evincunt gratiam necessario conferri debere per Sacerdotis benedictionem.

4. Pluries S. Concilii C. declaravit matrimonia valere etiam in facie Ecclesiæ, licet Parochus nulla verba proferat; licet affectet verba sponsorum non intelligere, oculos claudat, renuat, increpet, etc., modo præsens adsit humano modo, et quid agitur, revera intelligat. At si Parochus esset matrimonii minister, concipi nequit quomodo illud possit conficere passive tantum se habendo, imo reluctando omnino.

5. Si quod matrimonium invalide initum fuerit, jubentur

[1] *Hist. Conc. Trid.*, l. XX, c. IV, n. 1.

[2] Martene, *De Antiq. Eccl. ritibus*, l. I, p. II, c. IX. His addendum, quod Benedictus XIV scribit ut Pontifex in suo Decretali seu Epistola ad archiep. Geanum, incipiente *Paucis ab hinc*, anno 1758, 19 martii, ubi thesim nostram aperte tuetur, dum ait, quod matrimonii *materia est mutua corporum traditio verbis aut nutibus assensum exprimentibus; et mutua corporum acceptatio forma.*— Huc accedit responsio data a Pio VI ad episcopum Lucionensem, 28 maii 1793, pro tempore gallicanæ persecutionis, quando legitimi Parochi dispersi erant: *Quoniam complures ex illis fidelibus non possunt omnino Parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus et sine Parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a S. C. C. Tridentini interprete.* Cum autem omnia fidelium matrimonia sint Sacramenta, concludendum illorum ministrum non esse Sacerdotem; nam sine ipso celebrari possunt. Dissert S. Alphonsi, *Op. Mor.*, l. VI, n. 897; *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 28. Ferraris, v° *Matrimonium.* — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, § 376.



quidem conjuges consensum inter se renovare; non vero iterum Sacerdotis ministerio uti; quod probat sane Sacerdotem non esse ministrum, ne dicere velimus Ecclesiam esse sollicitam de procuranda validitate contractus, et non curare illius sanctitatem. Dicendum ergo cum Angelico: *Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat*[1]. Iterum: *Benedictio Sacerdotis non est de essentia matrimonii, sed quoddam sacramentale*[2].

*Hisce perpensis* (concludimus cum P. Perrone Romæ professore) *posteriori huic sententiæ, quæ in hac romana Ecclesia pariter viget, plene adhærendum ducimus, eique subscribimus*[3] (*F*).

**451**. Q. 5. *Quænam est materia et forma Sacramenti matrimonii?*

R. In eorum sententia, qui docent Sacerdotes esse ministros Sacramenti matrimonii, ejus *materia* est contractus valide initus: *forma* autem sunt verba sacerdotalis benedictionis.

In alia vero communi sententia, quæ tuetur ministros matrimonii esse ipsos contrahentes, ex SS. Antonino et Bonaventura docent materiam *remotam* esse corpora contrahentium mutuo sibi invicem tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius; *proximam* esse ipsam actualem traditionem juris in corpora factam per verba, seu signa consensum exprimentia; *formam* vere esse mutuam acceptationem verbis, aut signis expressam[4]. Nam sicut in ceteris contractibus res sunt materia remota; rerum traditio, materia proxima; consensus expressus per verba vel signa, forma: ita in matrimonio corpora (sive jus in corpora) sunt materia remota; traditio hujus juris, materia proxima; mutua autem acceptatio sive consensus exterius expressus, forma.

[1] Suppl. q. 45, a. 1.— [2] In 4 sent., dist. 26, q. 1, a. 3.

[3] *V.* tum ejus *Prælectiones Theologicæ*, tum ejus Opus, *De matrimonio christiano.*

[4] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 880

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## Art. II. — De matrimonii unitate et indissolubilitate.

**452**. Q. 1. *Quid est matrimonii unitas?*

R. Matrimonii unitas est *conjunctio unius cum una*, et dicitur *monogamia*. Unitatem matrimonio convenire patet ex Evangelio, quo prohibet quidquid monogamiæ adversatur : nempe tum *biviratus* simultaneus, seu multiplicitas virorum uno et eodem tempore cum una muliere (dicitur *polyandria*); tum *polygamia* item simultanea, seu multiplicitas uxorum uno eodemque tempore cum uno viro[1].

**453**. Q. 2. *An biviratus sit licitus?*

R. *Biviratus simultaneus* non minus divino juri quam ipsius naturæ legibus directe adversatur. Quod attinet ad jus divinum exinde constat quod nuspiam in sacris Litteris polyandriæ exemplum ullum afferatur, licet habeantur exempla polygamiæ. Imo Apostolus absolute pronuntiat : *Mulier vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro*[2]. Repugnat item juri naturali, nempe primariis matrimonii finibus, id est generationi et congruæ prolis educationi : 1. generationi, quia etiamsi generatio totaliter non tollatur, cum contingat mulierem bis fœtu evadere gravidam ; attamen multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio eveniat quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterutrum. Et experientia constat illas mulieres esse infœcundas ob mixtionem plurium seminum, prout patet in meretricibus[3]; 2. educationi, quia ex multorum congressu proles redditur incerta, ut nemo sit, qui ejus curam suscipere velit : *et ideo*, ait D. Thomas, *nulla lege, vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros*[4].

[1] Polyandria sic dicitur a *polys* plures, et *anêr* homo. Polygamia a *polys* plures, et *gamos* nuptiæ. Monogamia vero a *monos* solus, et *gamos* nuptiæ.

[2] Rom. VII, 3. *V.* Alasia, *De matrimonio;* Bouvier, Billuart, Knoll, etc.

[3] *V.* Debreyne, *Essai sur la Théol. mor.*, ubi legitur : « On compte, en général, que deux cents femmes prostituées ne produisent que deux ou trois enfants par an. »

[4] Suppl. q. 65, a. 4.



Diximus *biviratus simultaneus;* nihil enim prohibet, quominus mulier mortuo priori conjuge, alterum ducat ; est contra Montanistas et Novatianos. Hinc Apostolus : *Mulier alligata est legi* (matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est. Cui vult, nubat : tantum in Domino*[1]. Hinc Hieronymus : *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos*[2]. Hinc Eugenius IV ad Armenos : *Declaramus, non solum secundas, sed et tertias et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum canonicum non obstet, licite contrahi posse.* — Non negamus tamen sanctis Patribus secundas nuptias esse invisas, quando aliqua peculiaris non adsit circumstantia ; cum videantur esse signum parvæ continentiæ ac perfectionis. Et hac de causa in Ecclesia ut parum honorificæ habentur ; imo tanquam irregulares bigami ab Ordinibus arcentur, juxta quod præcipit Apostolus Paulus[3].

**454**. Q. 3. *An licita sit polygamia?*

R. *Polygamia simultanea, quamvis absolute non repugnet juri naturæ*, eam tamen Christus in Lege nova omnino prohibuit : de fide est contra Lutherum, Melanchthonem, Bucerum aliosque ejusdem sectæ. Christus expresse ait : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit*[4]; sed si adulter est qui dimissa uxore, aliam ducit ; multo magis adulter erit qui id agit, priore retenta. Dein Paulus hæc habet : *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*[5]; ergo injuriam facit uxori suæ vir ille, qui corpus suum alteri uxori tradit. Et Tridentinum : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit*[6]. Hinc si infidelis, qui plures uxores habet, ad Baptismum admitti velit, debet retinere unam tantum uxorem, nempe primo valide acceptam, alias uti illegitimas dimittendo[7].

**455**. Diximus : 1. *polygamia simultanea ;* successiva enim,

[1] I Cor. VII.

[2] Ep. XXX, Apol. *pro lib.* contra Jovin.

[3] Tit. I, 6 ; I Tit. III, 12. — *V.* Ferraris, v° *Bigamia.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 435.

[4] Marc. X. — [5] I Cor. VII.— [6] Sess. XXIV, can. II.— [7] C. VIII, *De divort.*

quæ evenit quando vir, mortua conjuge, aliam ducit, permittitur; 2. *quamvis absolute juri naturali non repugnet;* per se enim loquendo hæc illi non repugnat, ut observat Angelicus[1] : neque ex parte generationis, cum unus vir possit plures mulieres fœcundare; neque ex parte educationis prolis, quia unus pater valet educare plures filios, sicut unus magister plures discipulos. Hinc patet contra Calvinum non peccasse Patriarchas qui Deo permittente, plures habuerunt uxores[2].

**456.** Q. 4. *An matrimonium sit indissolubile?*

R. Certum est, vivente comparte, hoc matrimonio generatim loquendo convenire, ut nequeat amplius dissolvi : matrimonium contractus quidem est, sed contractus natura sua indissolubilis, ac nimium ab aliis contractibus diversus. Probatur : 1. ex Apostolo, qui ait : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*[3]; 2. ex Tridentino : *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generi parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*[4]. Quæ verba etiam de matrimonio rato sunt accipienda, ut notant Salmanticenses, cum ea indistincte prolata sint : 3. ex inconvenientibus : aliter enim lata esset via matrimoniorum dissolutionibus. Societas conjugalis concuteretur, familiæ turbarentur, et animi ubique forent anxii; quot enim, primo frigescente amore, novos semper inquirerent malæ libidinis vesania ducti! Esto, quod nonnunquam societas inter con-

[1] Suppl. q. 65, a. 4.

[2] Hoc tamen semper intelligendum est absolute loquendo, uti notavimus. Non enim negandum est, polygamiam non adeo naturali jure congruere; si enim se totam tradit mulier uni viro, ita et totum videtur quod debeat vir se tradere uni uxori. Adde numerosam prolem difficilius contineri; et plures simul uxores difficilius in pace vivere. Merito ergo Christus matrimonium ad primævam institutionem revocavit dicens : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una ; itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Matt. XIX. — *V.* Perrone, *De matrimonio christiano*, l. III, sect. I, c. II, a. 2. — Ferraris, vº *Polygamia.*

[3] I Cor. VII. — [4] Sess. XXIV, *De matr.*



juges sit importabilis; at privata incommoda patienter toleranda, ut bonum generale obtineatur. Adde : illis incommodis satis provideri potest per separationem corporis, habitationis et etiam bonorum conjugum (*G*).

---

# DISPUTATIO SECUNDA
## DE MATRIMONII PRÆPARATIONE SEU DE SPONSALIBUS

---

## CAPUT PRIMUM
### DE SPONSALIUM NATURA ET DIVISIONE.

**457.** Q. 1. *Quid sunt sponsalia?*

R. Sponsalia dicta sunt a *spondendo*, quia veteribus *mos fuit stipulari, et spondere sibi uxores futuras :* hinc puella quæ in uxorem promittitur, dicitur *sponsa :* ille vero, cui illa promittitur et qui ei repromittit, *sponsus*. Antiquissima est in Ecclesia catholica consuetudo præmittendi sponsalia matrimonio. Atque his fortasse de causis : 1. ut matrimonium maturiori consilio ineatur; 2. ut sponsi tempore intermedio valeant se præparare ad gratiam Sacramenti; 3. ut cognoscatur, an aliquod adsit impedimentum; 4. *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam*[1].

Quæ quidem causæ hisce versibus possunt exprimi :

*Serius ut volvas, animusque paretur ad alta,*
*Ne quid adhuc obsit, vincli ut mora firmet amores.*

**458.** Definiuntur sponsalia pressius : *Promissio mutua futuri matrimonii.* Communiter tamen definiri solent : *Promissio vera, deliberata, mutua, et signo sensibili expressa futuri matrimonii, inter personas idoneas ac determinatas.*

[1] S. Augustinus, l. VIII *Conf.*, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 831.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ evenit quando vir, mortua conjuge, aliam ducit, permittitur; 2. *quamvis absolute juri naturali non repugnet;* per se enim loquendo hæc illi non repugnat, ut observat Angelicus[1] : neque ex parte generationis, cum unus vir possit plures mulieres fœcundare; neque ex parte educationis prolis, quia unus pater valet educare plures filios, sicut unus magister plures discipulos. Hinc patet contra Calvinum non peccasse Patriarchas qui Deo permittente, plures habuerunt uxores[2].

**456.** Q. 4. *An matrimonium sit indissolubile?*

R. Certum est, vivente comparte, hoc matrimonio generatim loquendo convenire, ut nequeat amplius dissolvi : matrimonium contractus quidem est, sed contractus natura sua indissolubilis, ac nimium ab aliis contractibus diversus. Probatur : 1. ex Apostolo, qui ait : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*[3]; 2. ex Tridentino : *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generi parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*[4]. Quæ verba etiam de matrimonio rato sunt accipienda, ut notant Salmanticenses, cum ea indistincte prolata sint : 3. ex inconvenientibus : aliter enim lata esset via matrimoniorum dissolutionibus. Societas conjugalis concuteretur, familiæ turbarentur, et animi ubique forent anxii; quot enim, primo frigescente amore, novos semper inquirerent malæ libidinis vesania ducti! Esto, quod nonnunquam societas inter con-

[1] Suppl. q. 65, a. 4.

[2] Hoc tamen semper intelligendum est absolute loquendo, uti notavimus. Non enim negandum est, polygamiam non adeo naturali jure congruere; si enim se totam tradit mulier uni viro, ita et totum videtur quod debeat vir se tradere uni uxori. Adde numerosam prolem difficilius contineri; et plures simul uxores difficilius in pace vivere. Merito ergo Christus matrimonium ad primævam institutionem revocavit dicens : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Matt. XIX. — *V.* Perrone, *De matrimonio christiano*, l. III, sect. I, c. II, a. 2. — Ferraris, v° *Polygamia.*

[3] I Cor. VII. — [4] Sess. XXIV, *De matr.*



juges sit importabilis; at privata incommoda patienter toleranda, ut bonum generale obtineatur. Adde : illis incommodis satis provideri potest per separationem corporis, habitationis et etiam bonorum conjugum (*G*).

---

# DISPUTATIO SECUNDA

## DE MATRIMONII PRÆPARATIONE SEU DE SPONSALIBUS

### CAPUT PRIMUM

### DE SPONSALIUM NATURA ET DIVISIONE.

**457.** Q. 1. *Quid sunt sponsalia?*

R. Sponsalia dicta sunt a *spondendo*, quia veteribus *mos fuit stipulari, et spondere sibi uxores futuras :* hinc puella quæ in uxorem promittitur, dicitur *sponsa :* ille vero, cui illa promittitur et qui ei repromittit, *sponsus*. Antiquissima est in Ecclesia catholica consuetudo præmittendi sponsalia matrimonio. Atque his fortasse de causis : 1. ut matrimonium maturiori consilio ineatur; 2. ut sponsi tempore intermedio valeant se præparare ad gratiam Sacramenti; 3. ut cognoscatur, an aliquod adsit impedimentum; 4. *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam*[1].

Quæ quidem causæ hisce versibus possunt exprimi :

*Serius ut volvas, animusque paretur ad alta,*
*Ne quid adhuc obsit, vincli ut mora firmet amores.*

**458.** Definiuntur sponsalia pressius : *Promissio mutua futuri matrimonii.* Communiter tamen definiri solent : *Promissio vera, deliberata, mutua, et signo sensibili expressa futuri matrimonii, inter personas idoneas ac determinatas.*

[1] S. Augustinus, l. VIII *Conf.*, c. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 831.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dicitur : 1. *promissio*, non enim ad sponsalia sufficit simplex animi propositum. Sic qui diceret : *Volo te ducere in uxorem*, sponsalia non contraheret ; quia hæc verba ordinarie loquendo continent quidem propositum promissionis, sed non promissionem ipsam.

2. *Vera*, id est ex animo ; secus non esset nisi fictio promissionis. In foro tamen externo ad vitandas fraudes censentur verba menti conformia ; sane *nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit*[1].

3. *Deliberata*, scilicet cum tali mentis advertentia et libero voluntatis motu, qui sufficiat ad constituendum peccatum mortale; cum sponsalia obligent sub mortali. Hinc non remanet obligatus qui ad ea injuste inductus est vi aut dolo aut errore circa substantiam, vel circa substantialem conditionem. Hinc etiam sponsalia inita a furiosis, semifatuis nulla sunt ; non tamen ab iis qui rapti vehementi concupiscentia in mulierem, illi spondent, hæc enim concupiscentia communiter relinquit sufficientem advertentiam.

4. *Mutua*, id est cum reciproco consensu et repromissione ; nam contractus iste bilateralis esse debet : unde repromissione deficiente, nulla sunt sponsalia et invalida. Quare si Titius promittat nuptias Caiæ, quæ promissionem acceptet quidem, sed non repromittat, vi sponsalium in Titio nulla oritur obligatio; nam sponsalia ex jure debent esse *mentio et repromissio nuptiarum futurarum*, ac proinde involvere debent tacitam conditionem : *Si tu mihi repromiseris*[2].

5. *Signo sensibili expressa ;* omnis enim contractus inter homines celebratur per aliquod signum externum : puta verbis, nutibus, litteris. Hoc autem signum debet esse de futuro matrimonio, non de præsenti ; alioquin non promis-

[1] L. VII, § 2, *ff. de supel. leg.* — Ferraris, v° *Sponsalia.*

[2] L. I. *ff. de sponsalibus.* Neque, si desit talis repromissio, habetur impedimentum publicæ honestatis. Attamen si non vi sponsalium, obligaretur promittens vi promissionis ad fidelitatem servandam si revera constaret, ipsum voluisse se obligare independenter a repromissione alterius ; stare enim potest promissio unius cum acceptatione alterius, qui non repromittat. At regulariter una pars non censetur se obligare independenter ab alia; quia quisque censetur velle contractum juxta ejus naturam.



sionem matrimonii, sed ipsum matrimonium exprimeret. Et notamus, quod S. Concilii Congregatio declaravit matrimonia clandestina neque uti sponsalia valere pro puberibus[1].

6. *Inter personas idoneas*, id est, quæ tum ætatem a jure præscriptam habeant, tum nullo alio impedimento prohibeantur. Quoad ætatem jure canonico ad validitatem sponsalium septennium requiritur[2] ; et quidem completum ; cum agatur de re adeo gravi et obligatoria. Attamen probabilius et communius docent, quod jure naturæ etiam puer remanet obligatus, si perfecto usu rationis polleat, et aliquo modo onera comprehendat, quæ secum affert status conjugalis ; nam tum cum perfecta deliberatione se obstringeret. Quoad cetera autem impedimenta, illi dicuntur impediti, inter quos dari nequit matrimonium ; sponsalia enim sunt promissio matrimonii : at frustra promittitur quod suo tempore non potest tribui omnino ; vel nonnisi cum peccato, uti esset, v. g., sponsalia Catholici cum hæretica vel vicissim ; horum enim conjugium sine Pontificis dispensatione stricte vetatur.

7. *Determinatas :* sicut enim matrimonium debet esse unius cum una, ita et promissio illius. Hinc si quis duabus simul promitteret, se unam ex illis fore ducturum, hæc promissio licet ab aliis acceptata, induceret vinculum justitiæ, non sponsalium[3].

**459**. Q. 2. *An subarrhatio annuli, id est ejus in digitum immissio ; vel missio munerum jocalium teneant locum promissionis sponsalitiæ?*

[1] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI. Notant autem quod sponsalia, ubi Tridentinum non est promulgatum, transeunt in matrimonium per quodcumque signum maritali effectu exhibitum, v. g., per copulam. Ubi tamen obtinet Tridentinum, id non valet ; quia opponitur clandestinitas.

[2] C. ad dissolvend. XIII, *De desp. impub.*

[3] Aliter esset, si quis successive duabus promitteret : tunc cum prima contrahendum esset ; quia cum illa sponsalia rite sunt consummata. Posteriora vero sponsalia non tenent ; quia respiciunt promissionem jam alteri factam. Idque valet, ut communius et probabilius dicunt Anacletus, Croix, Elbel, Roncaglia, Sanchez, Sotus, quamvis cum secunda sponsa copula intercesserit, ac juramentum ; neque per habitam cum alia copulam, vel præstitum juramentum, jus alterius adimitur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 833.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. Hæc per se loquendo non tenent locum veræ promissionis sponsalitiæ; possunt enim fieri aliis de causis omnino diversis, v. g., ad solatium, ad risum, ad seductionem, etc. Excipe si hæc ex patriæ consuetudine veram promissionem determinarent : item si tractatus de matrimonio præcessisset inter amicos, et sic sponsus mitteret arrhas et munera jocalia, quæ a sponsa acceptentur. Ex his enim satis innuitur consensus. Ita communiter.

Verba vero hæc : *Non ducam aliam præter te*, non constituunt per se vera sponsalia, ut docent valde communius ac verius Anacletus, Laymam et Sanchez. Licet enim hæc important, quod si ille velit uxorem ducere, non possit ducere aliam ; præcise tamen non important, quod illam ducere teneatur; nam sunt verba negativa, et potest contingere, ut etiam ducat nullam : unde contractus remaneret suspensus. — Diximus *per se;* nam aliter esset, si ex circumstantiis colligeretur talem per illa verba voluisse sponsalia contrahere : vel si ipse verba adhiberet de præsenti, dicens, v. g., *nullam volo, nisi te*. In dubio verborum aut signi promissionis sponsalium, in foro interno videnda est intentio contrahentium : in foro externo standum est communi intelligentiæ inclinando in favorem libertatis, ut ait probabilius Viva ; quia quisque præsumitur se minus obligare voluisse, quam potest. Ita S. C. C. 5 apr. 1851 ; et 31 mart. 1760.

**460**. Q. 3. *Quid de sponsalibus initis per metum* [1]?

R. Si metus sit verus et gravis, atque injuste incussus ab extrinseca et libera causa, docet sententia probabilior et communissima cum Azorio, Laymano, Sa, Salmanticensibus et Sanchez contra Vivam, sponsalia esse ex se invalida. Id deducitur ex illo canonici juris capite, ubi agitur de quadam puella, quæ contraxerat sponsalia cum juramento ; sed invita minis parentum in domum sponsi adducta fuerat. Supponunt autem communiter cum Glossa, hanc puellam fuisse desponsatam per metum gravem injuste incussum. Res ad apostolicam Sedem delata est : quæ declaravit puellam liberam omnino ab illis sponsalibus [1].

[1] *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 844 et 1056; gravitas metus sumitur respective ad personas ; sane minus in femina, quam in viro ad animum dejiciendum requiritur.



Diximus : 1. *metus verus*, ut excludatur metus reverentialis, qui est quædam solummodo erubescentia, nisi ei accedant minæ, verbera et alia hujusmodi ; 2. *metus gravis ;* si enim levis est, sponsalia obligant juxta communiorem ac probabiliorem Bonacinæ, Croix ac Vivæ sententiam ; metus enim levis nulla fit æstimatio, cum is sufficientem advertentiam non auferat. Quod valere dicunt, licet metus causam dederit contractui, quamvis tunc permittant parti innocenti, ut resiliat ob injuriam irrogatam ; 3. *injuste incussus :* si enim juste incutiatur metus, valent sponsalia ; cum tunc ea nonnisi irrationabiliter respuantur ; 4. *ab extrinseca et libera causa ;* si enim sit vel ab intrinseco, v. g., morbo, vel a naturali causa, v. g., naufragio, valent sponsalia ; quia tunc nulla fit injuria metum passo, qui potius inter duo libere eligit matrimonium ad se tuendum a malo.

**461**. Q. 4. *Quid circa sponsalia inita sine consensu parentum ?*

R. Sponsalia sine consensu parentum contracta, nisi adsit rationabilis causa excusans, sunt illicita et peccaminosa ; nam reverentia parentibus debita postulat, ut in re adeo momentosa filii eorum consilium expostulent, ac judicium quærant. — An autem sint etiam invalida, affirmant Menochius, Gonet, Fagnanus cum aliis ; nam ad illicita non datur obligatio. Attamen communis sententia cum Alasia, Beraldi, Croix, Elbel, Layman, Sanchez, etc., docet hoc universim verum non esse ; etenim parentum consensus non de necessitate, sed de simplici honestate requiritur a jure canonico :

[1] Ex tit. XI, *De despons. impuber*. Neque dicas contractus ex metu initos de se valere, licet queant irritari ; nam circa sponsalia occurrit ratio diversa : in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, neque eis resistat ulla dispositio juris positivi, bene potest qui metum passus est, si nolit contractum rescindere, obstrictus manere ad illum exequendum. Sed nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, et cui expresse resistit dispositio juris, ut est matrimonium durante tali metu ineundum ; nam ex adagio : *Connexorum idem debet esse judicium ;* atqui matrimonium ex metu gravi injuste incusso est irritum ; ergo et sponsalia.

ideo nisi accedant aliæ circumstantiæ, hæc promissio (cum sit de re per se bona et honesta, uti est matrimonium) tenet, etsi non omnis modus observetur in ea emittenda.

**462**. Unde pro difficultatis solutione potius videndum est, an parentes sic initis sponsalibus renuant consentire irrationabiliter, vel rationabiliter. Si 1, sunt valida sponsalia; nam in iis quæ pertinent ad matrimonium filii sunt sui juris : qui nihilominus poterunt resilire a sponsalibus, si parentes eis minentur malum grave non prævisum, puta exhæredationem, quia omnia sponsalia etsi jurata intelliguntur contrahi sub conditione, quod non superveniat gravis rerum mutatio, aut damnum. Si 2, nulla sunt sponsalia, casu quo justa dissentiendi causa *sit perpetua*, uti si matrimonium vergeret in dedecus familiæ; nam nemo potest obligari ad rem injustam exequendam : quod valet etsi accedat juramentum, vel etiamsi sponsalia jungantur cum stupro, nam ideo non aufertur illicitas. Hinc Urbanus I ait, quod *canonum et legum auctoritas talia sponsalia non approbat*[1].

Diximus si causa sit *perpetua :* si enim justa dissentiendi causa sit temporanea, ut si timeantur minæ vel discordiæ, quæ tractu temporis (ipsa experientia teste) de facili cessare solent, tunc valent sponsalia; sed eorum executio differenda est usque ad causæ cessationem : in his enim sponsalibus duplex habetur obligatio : una contrahendi simpliciter, alia contrahendi tali tempore. Attamen compars non tenetur expectare diu, nisi consenserit in hisce sponsalibus sciens difficultatem.

**463**. *Quid si parentes sponsalia contrahant pro filiis?* Si parentes ipsi contrahant sponsalia pro filiis præsentibus et tacentibus, quoad forum externum, docent communiter sponsalia esse valida. Id declaravit Bonifacius VIII[2] : *Ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel*

[1] Relatus Can. *Si rerum* I; caus. I, q. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 877.

[2] C. un., § 2, *De desp. impub.*, in 6.



*tacite, ut si præsentes fuerint nec contradixerint, obligantur*[1]. Ceterum in foro interno, si filius dissentit, ad sponsalia illa non obligatur; ad veram enim obligationem contrahendam in foro interno, requiritur verus consensus : unde tunc præsumptio cedere debet veritati.

**464**. Si vero filii sint absentes, tunc si sponsalium a parentibus initorum conscii facti sint, non quidem casu, sed per nuntium vel epistolam a parentibus, probabilius dicunt Concina, Paludanus, Salmanticenses et Sporer, sufficere ad eorum validitatem filiorum taciturnitatem, nec requiri pro foro externo ratificationem. Nam in favorabilibus qui non dissentit cum potest dissentire, consentire censetur : porro sponsalia a parentibus inita censentur cedere in favorem filiorum ob vehementiam amoris quo eos diligunt. Unde D. Thomas : *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire in his, quæ per alios facta sunt*[2].

**465**. Q. 5. *An matrimonium mere civile, prout fit in Gallia (et alibi) coram magistratu laico, haberi possit saltem instar sponsalium?*

R. Cum Bouvier; affirmandum videtur, si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam; quia tunc non contrahunt matrimonium, sed tantum præscripto legis satisfaciunt ad effectus civiles, et simul se obligant, saltem implicite, ad vere postea contrahendum in faciem Ecclesiæ : unde promissio est. Si vero partes contrahant per verba de præsenti sine intentione recurrendi ad Ecclesiam, et tunc non

[1] Hic nomine *parentum* intelligitur etiam mater, ut communiter tradunt interpretes, hoc enim in loco non habetur respectus ad patriam potestatem, bene vero ad affectum parentum erga filios. Atqui matres non minus diligunt filios quam patres ipsi : hinc in textu non dicitur *patres*, sed *parentes*. Et ob hanc rationem id negatur de ceteris : nempe non currit de patruo pro nepte, de fratre pro sorore, de tutore pro minore : ac multo minus de extraneis; in iis enim quæ sunt obligatoria, non valet adagium : *Qui tacet, consentire videtur*. Sed valet illud : *Qui tacet, non consentit*. Excipe nisi in aliqua regione talis sit usus, qui legem faciat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 848.

[2] In 4, d. 27, q. 2, a. 2, ad 1. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habetur, nisi matrimonium clandestinum, quod vim sponsalium habere non potest, ut pluries declaravit S. C. C.

**466.** Q. 6. *Quomodo dividuntur sponsalia?*

R. Sponsalia dividuntur : 1. in *ecclesiastica*, quæ celebrantur coram Sacerdote ad id deputato, uti mos est in aliquibus locis, non apud nos : et in *clandestina*, quæ ineuntur absque ministerio Sacerdotali (hæc ab aliquibus dicuntur etiam *civilia*) ; 2. in *absoluta*, quæ a nulla pendent conditione : et in *conditionata*, quibus conditio adnexa est ; 3. in *simplicia*, quæ pœnam in resilientem non important : et in *pœnalia*, quæ pœnam continent.

---

## CAPUT SECUNDUM

### DE SPONSALIUM EFFECTIBUS [1]

**467.** Q. 1. *Quot sunt effectus sponsalium?*

R. Effectus sponsalium alii sunt a jure naturæ; et est : 1. gravis obligatio contrahendi matrimonium promissum ; 2. lex gravissima de non transeundo ad alia vota ; 3. jus inchoatum ad rem in corpora mutuo : hæc enim omnia directe fluunt ab ipsis sponsalibus.

Alii sunt a jure canonico : et est impedimentum, ut vocant, *publicæ honestatis*, per quod sponsus in uxorem ducere nequit consanguineam sponsæ in primo gradu et vicissim. Hic effectus semper durat ; et neque solutis sponsalibus solvitur, si ea valida et absoluta fuerint. Sponsalia autem valida sunt, etsi sola voce solisque signis inita sint, absque ulla publica authenticitate ; consensus enim ad sponsalia non est necessario ulla solemnitate ligatus. Attamen monet Benedictus XIV tutius esse, si sponsalia in tabulis publicis vel privatis exarentur, ut sic, ubi fuerit opus, melius valeant comprobari [2].

[1] V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 845.
[2] *De Syn.*, l. XII ; et *Notificatione* XLVI.



Alii denique sunt a jure civili ; et sunt ex nova, qua utimur lege, ut si unus ex sponsis datam fidem renuat implere, ab altero coram judice laico conveniri possit ad omnia damna sibi compensanda, quæ vere et realiter passus est ; nulla tamen habita ratione damnorum eventualium, vel clausulæ pœnalis. — Ut tamen civilis lex hanc actionem tribuat, tria requiruntur : 1. ut sponsalia sint valida, et de hoc si conveniant sponsi, nulla alia fit investigatio ; si non conveniant, judex ecclesiasticus id definit ex Tridentino [1], et Benedictina Instructione data anno 1742 ; 2. ut in publicam vel privatam scripturam redacta fuerint ; 3. ut consensus ascendentium vel concilii familiæ adfuerit per actum authenticum, si res sit de sponsalibus filiorum vel etiam minorum [2].

**468.** Q. 2. *An oriatur obligatio in eo, qui ficte sponsalia promisit?*

R. Certum est quod ille qui ficte promisit sponsalia alteri parti vere repromittenti, graviter peccat illam decipiendo in re gravissima, ac ideo tenetur de damnis ; cum fuerit illorum iniqua ac impellens causa. Imo et vere contrahere, si aliter damna illa reparare non valeat, vel si defloratio intercesserit, ut tenendum est cum D. Thoma ; quia tunc damnum nullo alio modo adæquato reparari potest [3]. — Verum utrum, præclusis damnis, ex vi ipsius promissionis ficte emissæ enascatur obligatio justitiæ adimplendi talia sponsalia, videndum est in quonam cadat fictio ; hæc enim potest in sponsalibus diversimode contingere : 1. si ea externe promittens non habuit animum vere contrahendi : 2. si habuit animum serio sponsalia contrahendi, sed non se ad ea obligandi ; 3. si animum habuit vere sponsalia contrahendi et se ad illa obligandi ; sed non postea ea ad effectum reducendi.

**469.** Hoc posito, dicimus : — 1. promittentem exterius sponsalia, sed sine animo vere contrahendi, non tenetur stare promissis ; quia promissioni defuit consensus internus, ergo nec fuit vera promissio : unde ex ea nulla oritur vera justitiæ

[1] Sess. XXIV, can. XII.
[2] Cod. Ped., art. 1508. — C. A. 1217. — C. G. 1387 et seqq.
[3] Suppl. q. 46, a. 2 — C. I, *De adult. et stupr.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 832.

obligatio ; sed fallacia tantum verba quasi jocando habentur prolata[1]; — 2. neque illum teneri qui habuit animum sponsalia contrahendi, non tamen animum ad ea se obligandi : quod valet probabilius, etsi quis noverit ex promissione obligationem oriri ; nam velle promittere et nolle se obligare, non est promittere : et sane qui ponit positivam intentionem non se obligandi, ponit conditionem contrariam substantiæ obligationis ; ergo ipsam penitus destruit[2]. Quod valet etsi promissio sit jurata, ut docent cum D. Thoma, D. Bonaventura et D. Antoninus; nam juramentum sequitur naturam promissionis : unde esto quod sic promittens peccet, Deum in testem falsitatis vocando, vel saltem inaniter usurpando ; non tamen obligatur stare promissis, quia obligatio nascitur ex promissione vera, non ficta ; — 3. certum est promittentem, qui habuit animum se obligandi ad sponsalia, non tamen ea implendi, teneri ad sponsalia, ideoque ad matrimonium ; quia jam contraxit obligationem. Quod valet, quamvis ad obligationem non advertat ; quia jam habet virtualem voluntatem se obligandi, cum ipse velit contrahere modo ordinario.

**470**. Q. 3. *Quandonam obligatio a sponsalibus orta implenda est?*

R. Si terminus fuit præfixus, eo adveniente, sponsalia sunt implenda : quia legitima pactio servanda est. Si nullum est

[1] Esto quod ficte promittens peccaverit contra justitiam alteram partem decipiendo, non tenetur tamen ex justitia ponere verum consensum; cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, et contra alter nullum acquisierit jus in eum ex suo consensu. Ideo tenetur quidem ratione deceptionis postea damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, et matrimonium contrahere.

[2] Dices : *Quando quis vere promittit, non potest nolle obligari ; cum id sit de natura contractus; obligatio enim est effectus naturalis promissionis, sicut calefacere est effectus naturalis ignis ; ergo sicut posito igne, necessario sequitur calefactio, ita posita promissione, necessario sequitur obligatio.* R. Hoc est quidem probabile; sed semper probabilius est contrarium; nam contractus a voluntate pendet; ergo ubi deest voluntas se obligandi, necessario deficit obligatio. Paritas autem ignis non tenet; nam ignis supponitur vivus et verus; sed quid si extinguatur, vel ignis sit fictus? et talis est in casu nostro ; extincta etenim obligatione, extinguitur, ut ita dicam, et ignis. *Sanchez.*



præfixum tempus, tunc si altera pars ex oblivione, timore aut verecundia, ut præcipue evenit in fœminis, non peteret, tenetur sponsus de se sine petitione contrahere, cum commode potest. Sed si altera pars, quæ potest commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire.

Hoc valet quoad sponsos ; sed quoad judicem ecclesiasticum recte docet Sanchez cum D. Bonaventura, Antonino, Concina, Navarro, Roncaglia et aliis innumeris, quod non debet judex renuentem cogere ad matrimonium, si inde scandala aut rixæ timeantur. Legitur in jure[1] : *Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit), in uxorem recipiat.* Hac de causa hanc praxim tradunt sequendam a Confessariis : *Adhortationibus præmant executionem promissionis, et si eam obtinere nequeant, præcipiant reparationem damni aut liberam utriusque partis compositionem, quod ordinarie melius est. Eam per se vel per mediationem alicujus tertiæ personæ petant.* Bouvier.

**471**. Q. 4. *Quid de sponsalibus sub conditione initis?*

R. Conditio sponsalibus apposita per se loquendo illis non officit ; cum tantummodo, modum, non eorum substantiam respiciat ; quomodo autem conditiones sint resolvendæ, non una sententia est. Alii docent eas accipiendas esse ad modum, quo accipitur conditio in ipso matrimonio apposita ; nam sponsalia sunt via ad matrimonium : unde habere debent eadem consectaria. Alii vero contendunt hasce conditiones esse resolvendas sicuti resolvuntur conditiones aliorum contractuum ; quia non currit eadem et adæquata ratio pro sponsalibus et matrimonio : sane hoc est insolubile, non item illa. Unde in hac sententia, si conditio est de re possibili, tenent sponsalia ; si de impossibili sive de jure sive de facto, nulla sunt et invalida[2].

*Quid autem* (quæres) *si sponsalia inita sint in gradu prohi-*

[1] C. x, *De spons.* Etiam in dubio melius erit, ut dicunt Tamburini et Concina, evitare damna talis matrimonii, quam damnum partis ; maxime quia hæc conjugia malos exitus habere solent. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 845.

[2] Devoti, *Inst. jur. ubi de matr.*, § 111.

*bito, sed sub conditione : si Papa dispensaverit?* Certum est promissionem esse nullam, si Papa in eo impedimento non sit solitus dispensare; nam quod Superior non solet concedere vel nonnisi difficillime, reputatur impossibile. Idem est, si Papa soleat quidem dispensare, sed spondentes causam non habeant; sicut enim Papa non debet dispensationem concedere sine causa legitima, ita nec sponsi illam petere. Tota ac gravis quæstio est, quando Papa in tali gradu solitus est dispensare cum causa, adestque talis causa. Alii cum Barbosa, Berardi, De Luca, Ledesma, Veracrux, Victoria et Vivaldo, dicunt illam promissionem sponsalitiam esse nullam, ideo requiri novum consensum, ut impetrata jam dispensatione, promissio convalescat, ac proinde licitum esse utrique contrahenti, ante impetratam dispensationem et renovatum consensum, etiam altero invito, resilire; nam impediti ad matrimonium sicut sunt inhabiles ad contrahendum, ita ad promittendum. Alii vero plures cum Alasia, Laymano, Lugo, Pontio, Salmanticensibus, Sanchez, Sporer ac D. Thoma [1], docent quod etsi illa sponsalia suspensa maneant ante dispensationem ob dirimens impedimentum, neque ante conditionis verificationem inducant impedimentum publicæ honestatis; attamen remanent sponsi obligati ad expectandum conditionis eventum, et sponsalia cum alia persona inita essent nulla; fides enim data servanda est. Unde eo in casu contractus differtur ad tempus verificationis conditionis : quo veniente, jam contractus validus fit et absolutus sine novo consensu, juxta illud : *Actus factus tempore inhabili, relatus ad tempus habile, valet pro illo.* Sic votum Episcopi transeundi ad Religionem, si Papa dispensaverit, secundum omnes validum est : sic vertente lite de Beneficio, licet pacisci contendentibus de pensione danda *si Papa dispensaverit* (etsi ea conditione seclusa, pactum esset simoniacum), et vere obligat; ergo similiter in casu nostro.

Quidquid tamen sit, praxis tribunalium habet hæc sponsalia uti nulla, adeo ut obtenta dispensatione, necessarius sit novus consensus; et interim utrique contrahenti in utroque foro liberum est alia sponsalia inire. Habentur enim prima illa in radice invalida, etsi jurata; quia cum talia sponsalia sint de sui natura prohibita, juramentum non potest illa confirmare. Rota romana hanc sententiam semper secuta est [2]; item S. Concilii Congregatio nuper etiam, die 2 oct. 1857 [3]. Quod valere dicunt, etiamsi agatur de consanguinea violata; nam esto quod stuprator debeat impetrari dispensationem, si matrimonium vere pro-

[1] In 4, distr. 39, a. 1, ad 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 650; et l. VI, n. 859.

[2] Decisio CVIII, part. VIII Recentiorum.

[3] V. *Analecta juris pontif.*, an. 1857.



misit; imo etsi promiserit ficte casu quo mulier non potuerit fictionem advertere : videlicet ratione damnorum, quibus aliter non satis providere possit : at non ratione sponsalitiæ promissionis, quæ nullius roboris habetur.

**472.** Q. 5. *An liceat sponsalibus apponere pœnam?*

R. Vel pœna sponsalibus apponitur generatim et absque personarum discrimine, ita ut quicumque ab iis resiliat, sive juste sive injuste, ad pœnam cogatur. Vel apponitur speciatim et cum limitatione ad solam eam partem, quæ injuste resiliat.

Si 1, pœna est illicita et invalida; quia per eam læditur matrimoniorum libertas : *Cum itaque*, legit jus canonicum, *libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus* [1], etc. Quo in casu si pœna soluta sit, probabilius docent Hurtadus, Palaus, Salmanticenses aliique contra Lessium et Sanchez, eam esse restituendam; quia nullus adest eam retinendi titulus, dum lex irritat talem promissionem [2]. Quod valet, etsi pœna hæc fuerit juramento firmata; quia juramentum non potest esse vinculum rei a lege prohibitæ.

Si 2, id est si pœna apponatur cum limitatione ad solam eam partem, quæ injuste resiliat, est quidem probabilis sententia Bonacinæ, Concinæ et Sanchez, qui etiam in illo casu invalidam tuentur pœnam appositam : quia adhuc aliquatenus libertas matrimonii læditur [3]. Attamen probabilior est

[1] Cap. *Gemma* XXIX *de sponsalib.*

[2] L. fin., c. *De spons.* Hinc communissime tradunt eos peccare (mortaliter juxta aliquos, juxta alios venialiter) qui sponsalia ineunt cum hac pœna vel a seipsis vel a consanguineis aut amicis apposita; quia faciunt contra legem, quæ libertatem matrimonii tuetur. Dicimus *vel a consanguineis aut amicis apposita;* cum enim damnum propinquorum et amicorum reputemus damnum nostrum, ideo semper est læsio libertatis, et periculum involuntarie contrahendi ob timorem illius pœnæ. Secus ergo esset, si motu proprio et absque ullo sponsorum mandato pœnam apponeret aliquis extraneus; extraneorum enim damnum non ita urget nos. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 853.

[3] Lex civilis Pedemontana hac de causa vetat, ne in adjudicanda damnorum compensatione in sponsalibus ratio habeatur clausulæ pœnalis; vid. supra, *De effect.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

opinio Anacleti, Laymani, Pontii, Roncagliæ, Salmanticensium, Suarez ac Vasquez, qui tunc affirmant pœnam esse validam et licitam; non est enim contra jus naturale, quin imo rationabile est in jure naturali, ut pœna imponatur injuste resilienti a contractu. Neque contra jus positivum; quia hoc jus loquitur de pœna, quæ turbat matrimonii libertatem : atqui pœna speciatim apposita cum limitatione indicata, rationabilem matrimonii libertatem non turbat.

**473.** Q. 6. *An sponsalibus apponi possint arrhæ?*

R. *Arrharum* nomine venit quod in pignus matrimonii celebrandi traditur a sponsis vel a parentibus [1]. Arrha differt: 1. a *pœna*, quæ per se culpam supponit et odiosa est; arrha autem nullam pœnam importat; 2. a *promissione*, qua nondum res est tradita. Hæc promissio in sponsalibus approbatur, si sit facta a muliere [2]; quia tunc censetur facta causa dotis : non vero si sit facta a viro [3]; quia tunc jure præsumitur facta ob causam turpem, nisi aliud juste colligi possit; 3. a *largitate sponsalitio*, quæ fit simpliciter in re parva ad captandam benevolentiam : et absolute tribui censetur. Quanquam aliquando hæc elargitio cum arrha confundatur.

Hoc posito, dicimus : arrhæ quæ sponsalibus apponi solent, probantur in jure; cum tribuantur, ut firmior evadat contractus : unde etiam, iis restitutis, vinculum sponsalium non solvitur [4]. Leges autem improbarunt pœnas ac promissiones, non arrhas; quia arrhæ utpote statim tradendæ, non solent concedi, nisi in exigua quantitate, et cum matura deliberatione. In pœna autem et promissione, cum res non tradatur cito, facile et incaute offertur in quantitate magna;

[1] L. XXXV, *De cont. emp.* — [2] C. *De illis* in *de cond. app.*

[3] L. XCVII, § 2, *ff. de verb. ob.* — *V.* Ferraris, v° *Arrha.*

[4] L. XXXV, *De contr. emp.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 852. Ab antiquo jure statutum est circa arrhas : 1. secuto matrimonio, arrhæ redeunt ad tradentem; 2. si qui arrhas dedit, juste resiliat a sponsalibus, eas sibi recuperat : si injuste, amittit; 3. si injuste resiliat qui arrhas accepit, reddet quantum accepit, si ætate sit minor. Si vero major, tunc restituet duplum, nempe amittet proprias et restituet acceptas. Imo ad quadruplum etiam teneri poterit, si ita conventum fuerit; ultra quadruplum leges pacisci prohibent. *V.* l. V, *Cod. ubi de spons. Arg.*, l. XIX, *ff. de verb. obl. D.*, l. V, *Arg. dictæ legis*, § *Patrem vero*, etc.



experientia enim quotidiana docet homines faciliores esse ad promittendum, quam ad cito dandum.

**474.** Q. 7. *Quænam sunt sponsorum officia post sponsalia inita?*

R. Sponsi post rite inita sponsalia curare debent :

1. Ut aliquo temporis spatio ante conjugium Confessionem faciant perito Confessario, eaque præsertim peccata aperiant, licet jam declarata, ex quibus oriri potest aliquod impedimentum. De hisce porro sunt caute interrogandi, ne facta, instantibus nuptiis, Confessione, in graves incidant angustias, si forte detegatur aliquod impedimentum.

2. Ut christianæ Religionis rudimentis, si opus sit, bene instruantur; Parochus enim tum ex Rituali R. tum ex decreto S. C. C. confirmato et a Clemente XI, et a Benedicto XIV Encyclica *Etsi*, 2 februarii 1742, nequit vel ad ipsas proclamationes procedere, nisi prius sponsos in rebus fidei instructos inveniat vel certo sciat : secus neque possent christiane prolem instituere. — Attamen non est a matrimonio prohibendus qui scit præcipua fidei nostræ mysteria, sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam illa retinere et recitare non valet, si saltem aliquo rudi modo ea perceperit; *sed curabit Parochus*, concludit idem Benedictus, *ut iste frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur* [1].

3. *Ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent* [2], prout habet Tri-

[1] V. *De Syn.*, l. VIII, c. XIV. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 54. Hic audiatur Synodus Laudensis celebrata anno 1854 : *Parochus ipse personaliter, nisi gravis necessitas coadjutorem substituere exigat, istud examen utriusque sponsi separatim instituat; et consensum, non promissionem de futuro matrimonio, antequam publicationes in Ecclesia fiant, excipiat; id vero fieri non liceat in domibus privatis, sed in cubiculo residentiæ parochialis, januis quidem apertis, sed comitatu sponsorum ita remoto, ut queat videre, non autem audire sponsos, dum interrogantur separatim a Parocho.*

[2] Sess. XXIV, c. I. « Cuilibet Parocho (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. VII, n. 32) elaborandum esset, ne verba sponsorum acciperet, nisi paulo ante matrimonium contrahendum cum experientia observemus, initis sponsalibus, totum illud temporis spatium inter nuptias intercedens esse tempus peccatorum. » — *V.* Ferraris, v° *Sponsi.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentinum; id enim esse non potest generatim sine animæ periculo. Et curandum etiam, ne celebrationem matrimonii diu protrahant; quia ex dilatione solent non raro sequi peccata et scandala. Et interim curetur, ne sponsi soli maneant, sed semper habeant aliquos propinquos, vel alios præsentes: quæ res uti gravissimi momenti observanda est.

**475.** Aliqui dicunt non esse negandam absolutionem juveni et puellæ, qui aliquo tempore sese solos invisunt animo matrimonium contrahendi; quia nemo tenetur ducere personam sibi ignotam. Hæc doctrina, quæ speculative videtur rationabilis, in praxi, teste experientia, valde periculosa est, et vix semel aut iterum et maxima cum cautela permittendum esset sponso ad domum sponsæ accedere, et sponsæ aut parentibus illum excipere. Nam testantur Confessarii, qui longo exercitio rerum hujusmodi experti sunt, raro inveniri qui in talibus accessibus non peccaverit, saltem verbis aut cogitatione; cum omnes aspectus et colloquia inter tales personas sint totidem proxima incentiva ad malum. Unde etiam vix sponsis permitti possunt oscula illa vel amplexus, quos mos patriæ permittit etiam non sponsis, et modo non sint pressi, neque per notabile tempus protracti. Quamvis enim illa publica sint, attamen (concludit S. Alphonsus) *moraliter est impossibile in talibus actibus causa voluptatis habitis se continere a non labendo in pollutionem, vel in copulæ consensum* [1] (*H*).

Synodus Novariensis vult graviter increpandos esse parentes in hoc delinquentes.

[1] *Op. Mor.*, l. VI, n. 854. Unde illud D. Thomæ, 2, 2, q. 154, a. 4; et q. 169, a. 2, licitum esse quibusdam signis et honestis significationibus ad matrimonium ineundum invitare, caute accipiendum est; versamur enim in re admodum periculosa *Qui puellam in matrimonio requirens, eam quandoque, v. g., in adventu et profectu, honeste amplexatur, sine periculo motuum libidinis, aut saltem sine periculo eis consentiendi, peccati mortalis non est accusandus: imo si adsit ratio hunc actum cohonestans, v. g., timor fundatus ne appareat scrupulosus, aut singularis, ne in derisionem aliorum incidat, nullatenus peccabit. Simili ratione excusatur puella quæ amplexus honestos declinare non potest, quin ludibrio exponatur, vel juveni eam requirenti displiceat.* Ita Bouvier, *Dissertatio in sextum præceptum*, etc. — V. *Metodo per la direzione delle anime*, articolo : Della cura dei giovani che si dispongono ad un collocamento.



## CAPUT TERTIUM

### DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE

**476.** Q. 1. *An possint sponsalia semel inita dissolvi?*

R. Certum est sponsalia semel inita, quoad matrimonii promissionem dissolvi posse, cum non pariant vinculum indissolubile, etsi jurata sint; quia juramentum contractui adnexum ejus naturam et conditiones sequitur. Diximus *quoad matrimonii promissionem*; nam impedimentum dirimens quod inde exurgit, remanet quoadusque dispensetur. Causæ autem legitimæ solutionis habentur communiter : *Sponsorum consensus*, *impedimentum superveniens*, *notabilis defectus animi vel corporis*, *discessus vel mora unius ex sponsis*, *melioris status electio*, et *auctoritas judicis* [1].

**477.** Q. 2. *An mutuo consensu possint dissolvi sponsalia?*

R. Sicut quilibet contractus dissolvitur per mutuum consensum, ita etiam sponsalia, si intercedant conditiones requisitæ. Ex notissimo enim juris principio, res eo modo dissolvi potest, quo fuit colligata. Atqui sponsalia per mutuum consensum obstringuntur; ergo per mutuum consensum possunt ordinarie dissolvi.

**478.** Diximus : *Si intercedant conditiones requisitæ*; et sunt : 1. *consensus liber* ex utraque parte; si enim adsit metus gravis vel dolus, sponsalia non dissolvuntur; nam quod metu gravi vel dolo fit, non fit libera voluntate; 2. *causa*, si sponsalia sint juramento firmata : idque ob illius reverentiam. Verum id tantum de honestate requiritur et sub levi; cum juramentum sequatur contractus naturam; 3. *pubertas* : quamvis enim impuberes valide sponsalia contrahere possint, non tamen ea solvere. Id prohibet lex canonica ob eorum levitatem et inconstantiam, ne continuo solvant et contrahant [2]. Unde impubes debet expectare pubertatem : qua adepta, etiam altero renuente, ei resilire fas est, modo id agat intra triduum a die cognitionis tum pubertatis tum privilegii [3].

[1] V. Zellinger, *Jur. Eccles.*, l. IV, tit. XXIX.
[2] C. *De illis* VII *de desp. impub.* — [3] L. III, *Eod. de err. adv.*

Excipe ex Alexandro III eos qui pubertati proximi sponsalia juramento vel copula firmaverint, qui quidem prohibentur resilire, comparte renuente [1].

**479.** Q. 3. *An ob impedimentum superveniens sponsalia solvantur?*

R. Distinguenda sunt impedimenta impedientia a dirimentibus:

1. Impedimenta impedientia (excepta melioris status electione) non solvunt sponsalia, ut docent probabilius et communissime Coninchius, Palaus, Paludanus et Sanchez contra Sotum; nam loquendo *de tempore feriato* et *Ecclesiæ vetito*, hæc tantum suspendunt matrimonii celebrationem. Loquendo vero de *novis sponsalibus* post prima initis, ea nullius roboris sunt: cum sint promissio de re jam alteri obligata [2]. Neque per se obtinent, licet priora illa dissolvantur; quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit [3].

2. Impedimenta dirimentia certe sponsalia dissolvunt ex parte innocentis, cum tunc matrimonium nequeat amplius locum habere, neque per ipsum stet quod fuerit impeditum: esset, v. g., si sponsus initis sponsalibus cum Callista, postea cum sorore Callistæ commercium carnale habeat; tum enim exurgit impedimentum dirimens affinitatis. At probabilius et communius est, sponsalia non solvi ex parte nocentis, qui scilicet impedimentum posuit; quia æquum non est, ut commodum ex sua iniquitate reportet, et alteri fidem frangat [4].

[1] C. *Ex lit.* x *de spons.* Præterea puberi, qui cum impubere contraxit, ex hoc capite resilire non licet sine alterius puberis facti consensu. Quia ille ex hujus privilegio odium tantum participat. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 855.

[2] Excipe si sponsalia inita sint cum copula iis in locis, in quibus Tridentinum non est promulgatum; in iis enim locis ista sponsalia transeunt in matrimonium.

[3] Hæc observanda sunt cum Alasia: 1. partem innocentem posse a sponsalibus resilire; quia quantum in se est, *frangenti fidem fides servanda non est;* 2. vim habere secunda sponsalia, si ea contrahens causam habeat a primis resiliendi; tunc enim ipso facto jam censetur resilire; 3. contrahentem secunda sponsalia invalida teneri compensare omnia damna secundæ sponsæ priorum sponsalium ignaræ; quia per suum delictum illorum causa impellens et iniqua fuit. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 857.

[4] Si tamen utraque pars sit innocens, tunc ex supervenienti impedimento dissolvuntur penitus sponsalia; quia sine culpa jam est factum impossibile matrimonium. Vel saltem difficile, si esset impetranda dispensatio, de qua nulla tunc obligatio.



Unde tunc obligatio sponsalium suspenditur usque dum tollatur per dispensationem impedimentum: hanc tamen dispensationem pars innocens non tenetur admittere, nisi forte gravia mala ex dissolutione sint oritura.

Quod si innocens matrimonium urgeat, probabilius tenetur nocens ære suo dispensationem expostulare: si dispensatio facile posset impetrari, secus nocenti sua iniquitas patrocinaretur. Si tamen ad eam requirerentur magnæ expensæ et longa mora, ad illam obtinendam deobligaretur, quia obligatio ex sponsalibus orta urget ad ponenda media tantum ordinaria: excipe nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famæ deperditæ; tunc etiam magnæ expensæ erogandæ sunt.

**480.** Casus: *Celerinus initis sponsalibus cum Berta, matrimonium contrahit cum Lucia; si Lucia uxor nunc moriatur, reviviscuntne prima illa sponsalia cum Berta contracta?* Nobis absolute probabilius est cum Gonet, Vega, Palao, Roncaglia et Sylvio prima illa sponsalia reviviscere ex regula generali, quod nemo potest ex suo delicto commodum reportare. Sane prima illa obligatio a nullo jure irritatur: non a jure positivo, quia hoc nullibi legimus constitutum: non a jure naturali, quia inspecto jure naturæ, hæc sponsalium obligatio suspenditur quidem, durante illo matrimonio; sed dici non potest extingui. Sic patet in eo, qui post votum ingrediendi Religionem matrimonium consummaret: iste fatentibus omnibus, mortua conjuge, ipse etiam jure naturali inspecto, teneretur votum implere [1].

[1] Nec dicas vinculum primum penitus extingui per vinculum subsequens; cum sit fortius et ejusdem naturæ, uti sunt matrimonium et sponsalia. Nam respondetur nihil referre, an obligatio subsequens sit fortior ac ejusdem naturæ, necne, semper ac possit primæ obligationi satisfieri; tantum attendenda est conditio vinculi subsequentis. Si hoc est natura sua perpetuum, utique extinguitur prima obligatio: si vero est temporarium, illa solummodo suspenditur, donec impleri possit, cessante vinculo illo. Si quis, v. g., equum suum venderet uni, et postea eumdem venderet et traderet alteri, casu quo in ejus dominium iterum veniet equus, nonne teneretur eum consignare emptori primo? L. XX, *Cod. de rei venditione.*—*V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 875.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**481**. Q. 4. *An per notabilem defectum sponsalia dissolvi possint?*

R. Ob defectus notabiles vel de novo supervenientes vel antecedentes, sed noviter detectos, sponsalia dissolvi posse certum est, licet jurata sint. Nam sponsalia semper inita censentur sub tacita conditione : *Ut mutatio notabilis non contingat*[1]; at per defectum notabilem notabiliter sponsorum conditio mutatur. Quod valet, etsi unus ex sponsis sit in mora culpabili; nam si peccavit differendo matrimonium, non peccat jure suo utendo, nempe solvendi sponsalia ob mutationem notabilem. Ea autem censetur mutatio notabilis, qua existente et nota, judicio prudentis, sponsalia inita non fuissent : quod quidem contingere potest in bonis tum animi, tum corporis, tum fortunæ.

**482**. *Quid* (quæres) *si defectus sint occulti? suntne aperiendi?* Vel agitur de defectibus, qui redderent nuptias perniciosas : uti esset, v. g., graviditas ex alio in sponsa; aut gravis infamia, lepra aut alius morbus contagiosus in alterutro. Vel agitur de defectibus, qui redderent quidem nuptias minus appetibiles, sed non perniciosas, v. g., si sponsa sit pauper quæ putabatur dives, deformis quæ pulchra, corrupta quæ virgo putabatur.

Si 1, tenetur pars laborans defectibus eosdem manifestare : aut melius, a matrimonio contrahendo desistere (nisi tamen altera pars eosdem vel similes defectus haberet, nam tunc esset compensatio). Sicut enim peccat contra justitiam, qui alteri vendit merces noxias credenti bonas; ita peccat a fortiori, qui cum suo pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. Si 2, non potest quidem sponsa virum decipere dicendo, vel fingendo se immunem a tali defectu; non tenetur tamen illum manifestare. Et ideo poterit etiam interrogata dissimulare ambigue respondendo, uti dicunt Croix, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez et Sporer contra Concinam; id enim videmus communi consuetudine receptum, et sane nemo tenetur defectum suum cum propria infamia detegere,

[1] Ex l. V, *Eod. de spons.*



quoties silentio alterius jus non lædit[1]. Excipe tamen, si periculum immineat, ne inito matrimonio defectus detegantur, qui ideo sint causa gravium malorum, rixarum, damnorum, etc.

**483**. Q. 5. *Quid de mutatione in bonis animi et corporis in sponsis?*

R. Ad 1. Notabilis mutatio in bonis animi sponsalia rite dissolvens contingit : 1. quando sponsus cognoscitur ebrietati, ludo, blasphemiis et impietati deditus; 2. quando in eo deprehenditur gravis morum asperitas, sævitia vel infamia. Hæc enim, quæ plerumque faciunt, ut contractum matrimonium quoad habitationem solvatur, multo magis facere debent, ut illud impediatur contrahendum. His adde : si ex conjugio timeantur graves inimicitiæ, odia, rixæ inter conjuges, vel inter eorum parentes et consanguineos[2].

R. Ad 2. Mutationem in bonis corporis ad dissolvenda sponsalia sufficientem sic jus explicat : *Si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica; vel oculos vel nasum amitteret; vel quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere*[3]? Idem valet de notabili venustatis amissione in sponsa, si amissio tanta sit, ut si ab initio exstitisset, sponsalia non fuissent inita (in sponso tamen major requiritur deformitas ad sponsalia solvenda; cum in eo non tanti venustas æstimetur). Idem valet, si sponsa clauda facta sit : ex S. C. C. 22 febr. 1698.

**484**. *Quid* (dices) *si in sponsis fornicatio contigerit?* Va-

[1] Neque dicas sponsum, cognito defectu, habere jus resiliendi, opponendo exceptionem defectus ejusdem : ideoque sponsam non recte talem defectum occultare. Nam usquedum ea exceptio non fit, sponsa prosequitur jus suum sponsum compellendo ad sua promissa implenda; sicut adultera, usquedum vir non opponit exceptionem propter patratum adulterium, potest ab eo debitum petere. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 865.

[2] Arg. c. XIII. in fine *De rest. spoliat.* — C. *Super eo* II *de consang.* — Arg., c. II et XVII, *De spons.* — S. C. C., 24 aug. 1723. — C. XXVII, *De spons.*

[3] Innocentius III in cap. XXV, *De jurej.* Item valet cum proportione *de viro.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

riæ hypotheses conficiendæ sunt ad solvendam quæstionem.

1. Si sponsus solus fornicatus sit post inita sponsalia, sponsa potest utique resilire, cum ei sit rupta fides. Si sit fornicatus ante sponsalia, dicunt communiter non posse sponsam resilire. Quia ex una parte fides nulla frangitur, nondum initis sponsalibus; ex altera in communi æstimatione non ideo censetur vir factus notabiliter vilior. Excipe nisi prolem suscepisset, non est probrosum mulieri talem virum habere; vel huic vitio esset deditus cum pluribus congressum habendo, nam tunc dubitari prudenter potest de illius fidelitate, etiam matrimonio contracto.

2. Si sponsa sola sit fornicata, initis sponsalibus, certum est, virum liberum fieri: quod valet, licet sponsa per vim cognita fuerit, ut dicunt communiter, et verius. Idque jus confirmat, quod quidem permittit sponso repudiare sponsam vi raptam, aut si ipsa permisit se impudice tangi [1]. Quod valere etiam dicunt, quamvis fornicatio sponsalia antecesserit, si de illa compars inscia fuerit. Ratio omnium est: quia sponsa in communi æstimatione fit notabiliter vilior per copulam, et sponsus contrahendo matrimonium bigamiam incurrit [2].

3. Si fornicatio se teneat ex utraque parte, non una sententia est. Alii cum Palao utrique sponso resiliendi jus tribuunt; quia fides violata est ex utraque parte. Alii cum Alasia, Bonacina, et Viva neutrum resilire posse tuentur; quia mutua delicta pari compensatione delentur: ex quo principio statuit Innocentius III per adulterium utriusque conjugis divortio locum non esse [3]. Alii tandem cum Concina, Layman, Sanchez, Sporer, et Salmanticensibus probabilius et communiter docent posse sponsum resilire, non sponsam; quia longe turpior est sponsæ fornicatio: unde licet detur compensatio delicti quoad ipsam fractionem fidei; non tamen,

[1] C. *Raptor*. XXXIII, caus. 28, q. 2.

[2] *V.* De irregularitate, tract. *De Ordine*.

[3] C. VI, *De adult*. Quæ autem de fornicatione item valent de *osculis*, *tactibus* et *impudicis amplexibus* (præsertim in sponsa); si hæc talia sint, ut recte præsumi possit violatio fidei conjugalis inito conjugio. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 860 et seqq.



uti aiunt, ea æque datur quoad vilitatem. Dispar autem est ratio divortii ob adulterium; quia obligatio matrimonii quoad torum difficilius et nonnisi in determinatis casibus solvitur; cum e contrario sponsorum obligatio solvi possit ex quacumque notabili mutatione superveniente.

**485**. Q. 6. *Quid de mutatione in bonis fortunæ quoad sponsalia?*

R. Mutatio in bonis fortunæ in sponsis contingit præsertim: 1. per supervenientem paupertatem in utroque sponso: vel si alteruter detegatur nimio ære alieno gravatus, quin habeat, ut de facili solvat; vel si inde timeat exhæredari, etc.; 2. per amissionem dotis, vel per notabile præjudicium in bonis paraphernalibus ex parte sponsæ. Sed in hac re non una regula esse potest: ut enim dissolvantur legitime sponsalia ob talem mutationem, videndum est, num omnibus pensatis, nuptiæ reddantur tantum minus appetibiles; an etiam nimis gravosæ et noxiæ, quibus prævisis, sponsalia inita non fuissent: nam tantum in secundo casu sponsalia solvi legitime possunt.

**486**. *Quid si alterutri sponsorum superveniat ingens hæreditas?* Negant communissime Concina, Roncaglia et Sanchez ideo sponsalia dissolvi posse; quia non fit magis onerosum matrimonium. Sed affirmant Leander, Hurtadus, Trullenchus, etc.; nam tunc conditio sponsorum revera mutatur [1]. Nos non audemus consulere, ut prima sententia deseratur: sed si conditio aliorum sponsalium esset longe melior, nec auderem (meliori advertentia salva) illico damnare sponsum, qui vellet a primis resilire; cum magni lucri amissio magno damno æquivaleat: ita invenimus sensisse multos Theologos in vita S. Joannis a Capistrano, qui tamen erat contrariæ opinionis.

**487**. *Quid* (quæres) *si sponsi sint notabiliter dispares conditione?* Status disparitas videtur sufficiens ad sponsalia sol-

[1] Hoc secundum probabilius dicit Bouvier: *Quia tunc tanta est mutatio fortunæ, ut persona, quæ eam prævidisset, eodem modo contrahere noluisset; si tamen resiliat, damnum alterius compensare debet.* Hinc patet etiam quid dicendum sit de casu, quo sponso post inita sponsalia offeratur conjugium cum sponsa longe ditiore.

venda, si sponsi illam ignorabant; sponsalia enim semper inita censentur inter pares. Si autem sponsi disparitatem status jam noverint, tunc si matrimonium non possit contrahi sine familiæ dedecore aut magno scandalo, adhuc promissio sponsalitia non obligat, utpote versans circa rem illicitam, ad quam nemo potest se obligare; sed ista disparitas debet esse notabilis quæ veram admirationem ac perturbationem in familia pariat: puta si vir nobilis desponsaret filiam vilis mechanici vel agricolæ.

Quod si matrimonium contrahi possit sine familiæ dedecore, nempe si disparitas sit tantum in divitiis, non vero in nobilitate, eo in casu adhuc per se loquendo videtur dicendum sponsalia non obligare; quia illa promissio est nimis prodiga, ideoque illicita: at nemo tenetur ad exequendum illicitum, quamvis tantum venialiter illicitum, ut communius et verius tradunt Suarez, Sotus, etc. Diximus *per se loquendo*; nam valerent sponsalia, si fœmina peculiari prærogativa honestatis, nobilitatis, prudentiæ ac pulchritudinis præstaret, propter quam putet sponsus se cum ea quietam ducturum vitam; tunc enim fieret compensatio. Et idem omnino est, si intercesserit defloratio; nam proditio virginitatis aut bonæ famæ saltem æquivalet excessui disparitatis sponsi: unde cessat tunc prodigalitas.

**488.** *Quid* (addes) *si adsit causa sic contrahendi, sed contradicant parentes, et inde ex conjugio timeantur damna et odia inter ipsos?*

Sanchez docet, abstinendum a matrimonio ex lege charitatis: imo nulla esse sponsalia; cum sint promissio de illicito. *Fateor* (ait S. Alphonsus, qui sedulo hanc quæstionem discutit: cum hic casus frequenter occurrat), *fateor quidem, hanc esse communem sententiam, et per se loquendo veram, quando filius commode hujusmodi scandalum vitare posset. Sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductæ videtur obstare, quod charitas non obligat cum gravi incommodo... Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur matrimonium cum puella, cum qua credit quietam ducturum vitam ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam?... Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis junioribus videbatur cum Palao, tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus ab hujusmodi matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis, quod* (*ut dicunt ipse Sanchez et Holzman*) *hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur; inito tamen matrimonio, facile evanescunt, et animi conciliantur. Ceterum cum hoc sit contra commune, propterea sapientibus discutiendum relinquo* [1].



**489.** Aliter esset, si ex tali matrimonio sit oriturum malum commune toti regioni: ut si in oppido parvo plures graviter perturbarentur familiæ. Nam bonum communitatis privato præferendum est.

**490.** Q. 7. *An ob discessum unius e sponsis possint solvi sponsalia?*

R. Si sponsus alio transferat suum domicilium, inscia vel invita sponsa, aut si abeat in longinquam regionem, etiamsi cum animo redeundi, jure poterit sponsa transire ad nuptias alias [2]; censetur enim sponsus eo facto juri suo renuntiasse. Neque compars est liganda cum periculo incontinentiæ, vel alias amittendi nuptias.

Si vero sponsus non alio transferat domicilium, et non abeat nisi in locum propinquum, tunc vel expectandum donec redeat; vel postulari debet, ut intra certum tempus accedat. Quod si requisitus reditum ex justa causa distulerit, causa ipsa remittenda erit arbitrio judicis Ecclesiastici, cujus *erit admonere partem absentem, ut intra certum tempus contrahat: et terminum debebit eidem determinare, quo transacto, liberum erit alteri parti a sponsalibus resilire.* Ita S. C. C. 2 oct. 1725 [3]. Nec obstant veteres leges civiles, quæ obligant ad expectandum ad biennium vel triennium vel quadriennium juxta rerum adjuncta. Nam hæ leges respiciunt amissiones dumtaxat arrharum [4].

**491.** Q. 8. *Quid de mora in promissione sponsalitia adimplenda?*

[1] *Op. Mor.*, l. VI, n. 851; et *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 19.
[2] C. *De illis* v *de spons.* — [3] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI.
[4] L. II, *Cod. de spons.* — L. II, *Cod. de repud.* — L. XVII, *De spons.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. Si nullus terminus sit præfixus ad sponsalia implenda, per moram ex neutra parte ea dissolvuntur; quia cum absolute ac indeterminate inita sint, omni tempore obligationem servant. Hoc tamen cum grano salis accipiendum; si enim nimis differatur tempus, sponsalia solvi possunt ex parte ejus, qui non est causa dilationis; nam altera pars sic videtur cedere juri suo [1].

Si autem terminus sit præfixus, videndum est: an præfixus sit tantum ad obligationem sollicitandam, vel ad eam non differendam: v. g., *contraho tecum, et volo, ut non protrahatur celebratio matrimonii ultra bimestre*. An vero ad obligationem terminandam et extinguendam: v. g., *contraho tecum, dummodo intra bimestre matrimonium celebretur; secus nulla et invalida sit hæc nostra promissio*. Si 1, duplex est obligatio, una contrahendi, altera contrahendi intra bimestre: patet autem tunc qui secundam obligationem neglexerit, eum priore adhuc esse devinctum: licere e contrario parti paratæ resilire, ob culpabilem alterius moram [2]. Si 2, licet parti, per quam non stetit dilatio, resilire, uti omnes docent cum Angelico [3]: quod communiter et probabilius cum Concina, Laymano, Navarro et Roncaglia valere contendunt, etiamsi terminus defectu alterius partis inculpabiliter fuisset elapsus; nam tempus apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis.

**492**. *Quid* (dices) *si dilatio sit culpabilis et terminus ad obligationem extinguendam jam elapsus sit?* R. Si ex utraque parte stet culpa, utraque a sponsalibus liberatur; quia utraque pars tempore præfixo non contrahendo, implicite proprio juri cedit. Si vero stet culpa ex parte unius tantum, an iste liberetur, duæ sunt sententiæ: non improbabiliter affirmant Concina et Roncaglia cum D. Thoma [4]; quia terminus est conditio intrinsece afficiens contractum: ergo illo quomodo-

[1] Quænam autem *gravis mora* sit, alii dicunt *annum*; alii *duos* annos; alii *tres*. Sed melius ad omnem litem de medio tollendam, attentis circumstantiis, id omnino erit a judice ipso definiendum. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 858.

[2] C. *Sicut* xxii *de spons.* — [3] In 4, d. 27, q. 2, a. 3.

[4] L. cit. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 867.



cumque deficiente, et contractus deficit. Sed attenta ratione et communiori sententia Coninchii, Laymani, Navarri, Salmanticensium, Sanchesii, etc., videtur valde probabilius oppositum: sane nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare.

**493**. Ut autem dignosci possit, an terminus præfixus ad implenda sponsalia sit ad sollicitandam, an vero ad extinguendam obligationem, tres communiter regulæ assignantur: — *a*. si terminus ab una tantum parte ponatur, altera se negative habente, censetur appositus ad sollicitandam obligationem, non vero ad finiendam: si vero ponatur ab utraque, censetur appositus ad eam terminandam; — *b*. si terminus ponatur antequam sponsalia celebrentur, censetur ad terminandam; si post, censetur positus ad obligationem sollicitandam; — *c*. si adhuc res dubia sit, censebitur terminus appositus ad sollicitandam obligationem, si adhuc commode contraheretur matrimonium: secus ad eam terminandam.

**494**. Q. 9. *An post inita sponsalia fas sit eligere Religionem?*

R. Per se loquendo fas est post inita sponsalia Religionem eligere; quia promissio sponsalitia semper de jure censetur emissa sub conditione: *nisi status perfectior eligatur*: est certum. Imo in sententia communissima (et per se loquendo veriori) hoc valet, etiamsi juramento fuerint sponsalia confirmata; quia juramentum contractui adnexum sequitur naturam ejusdem. Unde etiam votum Religionis ingrediendæ, eamque confitendi licet emittere; quia est de bono meliori.

Diximus *per se loquendo*; nam si sponsus jam sponsam spe matrimonii deflorasset, et multo magis si proles inde nata esset; vel aliter scandalo aut sponsæ infamiæ occurri non posset, teneretur tunc a Religione abstinere, votique dispensationem petere, si eam forte vovisset. Ratio urgens est, tum quia sic agens censeretur illi conditioni tacite renuntiasse; tum quia ex ipso naturali jure scandalum, alterius infamiam, aut aliud quodcumque grave damnum per nos illatum tollere cogimur, potius quam Religionem eligere [1]. Neque dicas, quod defloratio non potest immutare

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 870.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

sponsalium naturam, quæ semper censentur facta sub conditione *nisi melior status eligatur*. Esto; at tunc melior status eligendus est ut scandalum reparetur et damnum resarciatur; seu tunc una conditio ab alia fortiori vincitur.

**495**. *Sed* (quæres) *an per ingressum unius e sponsis in Religionem solvantur sponsalia emissa ante ipsam professionem*[1]? Per ingressum in Religionem tantummodo, vel etiam per solam habitus vestitionem, ex sententia communiori (quam absolute probabiliorem censemus cum Viva, Gonet aliisque) dicimus: 1. sponsalia utique solvi ex parte sponsæ in sæculo manentis; tum quia pro dedecore habetur nubere cum eo, qui ingressus, postea Religionem deseruit; tum quia alter censetur cessisse juri suo; 2. non ea solvi ex parte ingredientis vel habitum vestientis, quia per id ipse non redditur inhabilis ad contrahendum matrimonium, sicut redderetur per professionem, atque ideo nulla ei juris dispositio suffragatur. Unde egrediens aut propositum mutans, si altera pars petat, tenetur adhuc stare promissis.

**496**. Q. 10. *An liceat desponsato Ordines sacros suscipere, inscia vel invita sponsa?*

R. Prima sententia cum Sanchez et Croix docet id non licere sine gravi peccato; nam nullo jure concessum est Ordini sacro sponsalia dirimere, sicuti est datum in jure statui religioso. Secunda non minus probabilis sententia cum Sylvio, Soto, etc., id licitum esse affirmat; ratio quia in promissione sponsalium imbibita semper est conditio *nisi melior status eligatur*; neque sane æquum est, ut ad serviendum creaturæ impediatur status Creatori se perpetuo dicandi. Attamen in praxi aiunt hodie difficulter admitti ad Ordines sponsum, sponsa invita, ob dicteria quæ inde sequerentur.

**497**. *Quid* (quæres) *de voto facto a sponso vel ingrediendi religionem vel suscipiendi Ordines sacros vel castitatis perpetuæ servandæ?* Certum est, quod vovens ingredi religionem, licite vovet et illam debet ingredi, nec tenetur stare sponsalibus (etsi stare teneatur, si casu egrediatur, utpote adhuc habilis); nam agitur de statu meliori; 2. quod per illa tria vota solvuntur sponsalia ex parte non voventis, nam alter suo voto censetur merito sponsalibus renuntiasse; 3. quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiam profitendi religionem, tunc ex parte utriusque solvuntur; quia tunc vovens fit omnino inhabilis ad contrahendum matrimonium. At dubium est, an etiam per votum castitatis servandæ perpetuo, vel Ordines sacros suscipiendi dissolvantur ex parte voventis sponsalia, si emissa sint ante votum illud; si enim votum antecedat, certum est sponsalia nullius esse roboris, cum Deo jam sit facta obligatio, ideoque esset promissio de illicito[1].

[1] Certum supponimus sponsalia solvi per Religionis professionem; quia per eam, quemadmodum et per Ordinis sacri susceptionem, ratione votorum solemnium iis inhærentium, homo constituitur in eo statu, in quo ex Tridentino, sess. XXIV, c. IX, nullimode potest valide matrimonium contrahere.



Hac de re duæ sunt sententiæ probabiles: prima cum S. Antonino, Cabassutio, Laymano, Roncaglia, Sanchez, Sylvio, etc., negat; quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, et ab eo acceptatæ; nullo autem certo jure probatur, quod sponsalia per hæc vota dirimantur; utique id admittitur pro religiosa professione; at hæc exceptio firmat potius regulam in contrarium. Alii vero cum Concina, Gonet, Suarez, Vasquez et D. Thoma[2] docent votum illud et validum et licitum esse; tum quia ubi occurrunt duæ obligationes, potior est præferenda; tum quia promissio sponsalium censetur generatim facta sub conditione: *nisi status melior eligatur: non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat*[3]. Imo Pithonius pro hac sententia affert declarationem S. C. Concilii sub die 4 martii 1701. Excipiunt, si nuptiæ celebrandæ sint ad prolem legitimandam, scandalum reparandum vel honori sponsæ providendum, cum aliter his malis non potest occurri. Item notant, quod voventis obligatio non penitus extinguitur, sed suspenditur donec votum servatur: unde si casu voti dispen-

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 873.
[2] Suppl. q. 53, a. 1. — [3] Cap. III, *De jurej.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sationem vovens impetraverit, adhuc teneretur stare initis sponsalibus[1].

Si tamen votum sit tantum de suscipiendis Ordinibus minoribus, imo etsi minores Ordines jam suscepti sint, sententia communior et verior cum Sanchez docet, ex neutra parte tunc dissolvi sponsalia; quia status Ordinum minorum per se non est incompossibilis cum matrimonio[2].

**498.** Q. 11. *An ad legitimam sponsalium solutionem requiratur ipsa judicis auctoritas?*

R. Si causa sponsalia dissolvendi est certa, non requiritur judicis auctoritas, ut patet: excipe nisi necessaria sit in aliquo casu particulari ad vitandum grave scandalum, uti si sponsalia publica sint, et causa solvendi occulta. Si vero causa non est certa, nemo poterit auctoritate propria dissolvere sponsalia, ne se periculo exponat privandi alterum jure suo: sed recurrendum ad judicem Ecclesiasticum[3]. Quod si causa est vera ac certa, sed nequeat probari coram judice, pars innocens poterit per se a sponsalibus resilire, modo caveat a scandalo; quia defectus externi judicii suum ipsi jus non adimit[4] (*I*).

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 649; l. IV, n. 65; l. VI, nn. 871 et seqq.

[2] Cap. I et II, *De Cleric. conjug.*

[3] Cap. VII, *De sponsal.*; et Bulla *Auctorem fidei*, prop. 58. Instructio Benedictina pro Regno Sabaudiæ habet: *Sono di privativa cognizione della sola Podestà ecclesiastica... le cause matrimoniali, nelle quali si tratta sopra la validità, o invalidità si del matrimonio, che degli sponsali.* — It. vid. *Concordatum Austriæ*, art. 10.

[4] Si sponsorum alteruter, cognito suo ex quocumque capite resiliendi jure; alterum nihilominus carnaliter cognoscit, suo jure excidit; quia sic vel ei renuntiasse, vel sponsalia renovasse in foro externo censetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 878, 996 et 997.



# DISPUTATIO TERTIA

## DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS EORUMQUE DISPENSATIONE

**499.** Q. *Quid, ac quotuplicis generis sunt matrimonii impedimenta?*

R. Matrimonii impedimenta sint *ea obstacula, quæ vetant ritam matrimonii celebrationem*. Sunt autem duplicis generis: alia reddunt matrimonium illicitum; et *technice* in Scholis nuncupantur *impedientia*: alia vero non solum illud faciunt illicitum, sed etiam nullum et invalidum; et dicuntur *dirimentia*, quæ nimirum, ut ait Bellarminus, matrimonium de jure dirimunt, irritumque reddunt, ubi fortasse de facto fuerit attentatum. Imo qui scienter cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, voti vel ordinis sacri illud contrahere præsumunt (præter grave peccatum, et sacrilegium) excommunicationem illico incurrunt, non tamen reservatam[1].

**500.** Impedimenta ligant etiam ea invincibiliter ignorantes, quia non sunt lata principaliter in pœnam; sed sunt inhabilitates, quæ per se obtinent, independenter a cognitione et voluntate nostra; idque sive ignoretur impedimentum in se, sive ignoretur ex tali actu aut persona illud oriri. — Si impedimenta sint juris naturalis vel divini, omnes obstringunt etiam infideles; cum illo jure omnes subdantur. Si vero sint juris tantum ecclesiastici, obligant tantummodo fideles; quid enim Ecclesia de iis qui foris sunt?

Sed quid de HÆRETICIS? Inter varias sententias, hæc dicenda

[1] Clement. *unica de consang. et affin.* Alii impedimentum matrimonii genere definiunt, ut sic: *Obstaculum morale, sive inhabilitas faciens, ut matrimonium pro libito contrahi nequeat.* Hoc tamen non omnes admittunt; nam illud *morale* videtur excludere impotentiam, quæ est obstaculum physicum naturale; illud autem *inhabilitas*, videtur tantum convenire impedimentis dirimentibus. Ideo manca est definitio. — *V.* Ferraris, v° *Matrimonium*, a. 5 et 6.

sationem vovens impetraverit, adhuc teneretur stare initis sponsalibus[1].

Si tamen votum sit tantum de suscipiendis Ordinibus minoribus, imo etsi minores Ordines jam suscepti sint, sententia communior et verior cum Sanchez docet, ex neutra parte tunc dissolvi sponsalia ; quia status Ordinum minorum per se non est incompossibilis cum matrimonio[2].

**498**. Q. 11. *An ad legitimam sponsalium solutionem requiratur ipsa judicis auctoritas?*

R. Si causa sponsalia dissolvendi est certa, non requiritur judicis auctoritas, ut patet : excipe nisi necessaria sit in aliquo casu particulari ad vitandum grave scandalum, uti si sponsalia publica sint, et causa solvendi occulta. Si vero causa non est certa, nemo poterit auctoritate propria dissolvere sponsalia, ne se periculo exponat privandi alterum jure suo : sed recurrendum ad judicem Ecclesiasticum[3]. Quod si causa est vera ac certa, sed nequeat probari coram judice, pars innocens poterit per se a sponsalibus resilire, modo caveat a scandalo ; quia defectus externi judicii suum ipsi jus non adimit[4] (*I*).

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 649 ; l. IV, n. 65 ; l. VI, nn. 871 et seqq.

[2] Cap. I et II, *De Cleric. conjug.*

[3] Cap. VII, *De sponsal.*; et Bulla *Auctorem fidei*, prop. 58. Instructio Benedictina pro Regno Sabaudiæ habet : *Sono di privativa cognizione della sola Podestà ecclesiastica... le cause matrimoniali, nelle quali si tratta sopra la validità, o invalidità si del matrimonio, che degli sponsali.* — It. vid. *Concordatum Austriæ*, art. 10.

[4] Si sponsorum alteruter, cognito suo ex quocumque capite resiliendi jure ; alterum nihilominus carnaliter cognoscit, suo jure excidit ; quia sic vel ei renuntiasse, vel sponsalia renovasse in foro externo censetur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 878, 996 et 997.



# DISPUTATIO TERTIA

## DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS EORUMQUE DISPENSATIONE

**499**. Q. *Quid, ac quotuplicis generis sunt matrimonii impedimenta?*

R. Matrimonii impedimenta sint *ea obstacula, quæ vetant ritam matrimonii celebrationem*. Sunt autem duplicis generis : alia reddunt matrimonium illicitum ; et *technice* in Scholis nuncupantur *impedientia :* alia vero non solum illud faciunt illicitum, sed etiam nullum et invalidum ; et dicuntur *dirimentia*, quæ nimirum, ut ait Bellarminus, matrimonium de jure dirimunt, irritumque reddunt, ubi fortasse de facto fuerit attentatum. Imo qui scienter cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, voti vel ordinis sacri illud contrahere præsumunt (præter grave peccatum, et sacrilegium) excommunicationem illico incurrunt, non tamen reservatam[1].

**500**. Impedimenta ligant etiam ea invincibiliter ignorantes, quia non sunt lata principaliter in pœnam ; sed sunt inhabilitates, quæ per se obtinent, independenter a cognitione et voluntate nostra ; idque sive ignoretur impedimentum in se, sive ignoretur ex tali actu aut persona illud oriri. — Si impedimenta sint juris naturalis vel divini, omnes obstringunt etiam infideles ; cum illo jure omnes subdantur. Si vero sint juris tantum ecclesiastici, obligant tantummodo fideles ; quid enim Ecclesia de iis qui foris sunt?

Sed quid de HÆRETICIS? Inter varias sententias, hæc dicenda

[1] Clement. *unica de consang. et affin.* Alii impedimentum matrimonii genere definiunt, ut sic : *Obstaculum morale, sive inhabilitas faciens, ut matrimonium pro libito contrahi nequeat.* Hoc tamen non omnes admittunt ; nam illud *morale* videtur excludere impotentiam, quæ est obstaculum physicum naturale ; illud autem *inhabilitas*, videtur tantum convenire impedimentis dirimentibus. Ideo manca est definitio. — *V.* Ferraris, v° *Matrimonium*, a. 5 et 6.

videntur : 1. quædam sunt impedimenta, quæ hæreticos certe afficiunt : sic omnes docent irrita esse matrimonia inita a sacerdotibus, vel religiosis apostatis ; 2. si agatur de impedimentis, quæ solum post peractam hæreticorum separationem ab Ecclesia statuta sunt, communiter receptum est eos hujusmodi legibus ex ipsius Ecclesiæ benignitate, non teneri ; 3. quoad reliqua impedimenta hæretici iis subjacent ; neque sane ab auctoritate et legibus Ecclesiæ ob eorum desertionem suo marte liberandi sunt[1]. Quam quidem doctrinam inculcat ac late prosequitur Pius VII ad Archiepiscopum Maguntinum Brevi 8 oct. 1803.

**501**. Antequam hæc disputemus, vice una pro omnibus monitum habeant Confessarii ac Parochi : nempe recurrendum esse in casibus difficilioribus atque implicatis ad Episcopum pro consilio ac resolutione, ut ita securius agatur ; res enim est de gravi negotio, de jure videlicet tertii, ac magni Sacramenti valore. Si ergo pro modo gravitatis rei et diligentia inquisitionis habenda est (ubi tempus suppetat) id præstandum esse, re ipsa loquitur. — Oportet autem ut Episcopus quoad citius in Domino potest, suam sententiam poscenti dilucide aperiat, vel ipse ex se providendo, si in ejus facultate sit ; secus petentem illico mittendo ad superius tribunal. Consilii enim ambiguus ac tardus fere semper improvidus est ; imo difficultates auget, angustias creat, dicteria suscitat, ac negotiis detrimentum affert. Hinc illud cujusdam S. Patris effatum : *Episcopus dubius nihil facit.*

---

## CAPUT PRIMUM

### DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IMPEDIENTIBUS

**502**. Q. *Quot sunt impedimenta impedientia ?*

R. Præter peccatum mortale et excommunicationem, quæ duo prohibent Sacramentum vivorum utiliter suscipere ; in

[1] Hinc fit ut cum hæretici conjuges ad fidem orthodoxam revertuntur, dispensari soleant ab impedimentis, si quibus forte ligati contraxerint. — *V.* tamen infra de *clandestinitate* nonnullæ exceptiones. — Perrone, *De matrimonio christiano*, l. II, sec. I, c. VI.



præsenti quatuor enumerantur impedimenta matrimonii impedientia[1]. Hinc versus :

*Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

1. *Ecclesiæ vetitum :* quo nomine intelligitur prohibitio Ecclesiæ ; quæ quidem alia *generalis* est, et est quæ jure generali statuitur, ut si fuerint omissæ sine causa proclamationes ; si a sponsis rudimenta fidei ignorentur ; si Catholica velit hæreticam ducere personam. Alia vero *particularis*, quæ respicit tantum matrimonium, quod hic et nunc vult iniri : ut si adsit suspicio latentis impedimentis dirimentis vel impedientis, v.g., consanguinitatis vel excommunicationis : item timor gravis mali, puta scandali, rixarum. Hæc particularis prohibitio datur a Parocho vel Episcopo vel Papa, qui tamen ultimus decreto vetanti etiam irritantem clausulam potest utique adjungere[2].

2. *Tempus :* est illud, quo Ecclesia sub gravi vetat nuptiarum solemnitates, et vulgo dicitur *tempus feriarum* aut *feriatum* (vel etiam *tempus sacratum* aut *clausum*). Incipit ab Adventu Domini, a primis Vesperis, usque ad diem Epiphaniæ inclusive ; et ab ipsa die Cinerum usque ad Octavam Paschæ, item inclusive ex Tridentino[3].

Nomine *solemnitate nuptiarum* intelliguntur communiter : *a.* benedictio solemnis, quæ fit una cum Missa pro sponso et sponsa, ut extat in Missali ; *b.* solemnis et publica traductio sponsæ in domum sponsi ; *c.* convivia splendidiora, et similia profanæ lætitiæ signa, ut choreæ, soni, cantica. Non autem prohibetur vel proclamationes peragere, vel ipsum matrimo-

[1] *V.* Benedictus XIV, *Notificatione* LXXX. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 982.

[2] Cap. IV, *De spons. duor.* Sponsi tenentur sub gravi obtemperare, et graviter peccarent si contra agerent : imo possunt etiam excommunicationis pœna mulctari ex cap. ult., *De matrimonio.* Excipe, si prohibitio sit, ne fiat tali die ob venerationem alicujus festi tantummodo ; tunc inobedientia illa non esset nisi venialis. — *V.* Ferraris, v° *Nuptiæ.*

[3] Sess. XXIV, c. X, de R. Concil. *Laodicense*, can. LII ; Concil. *Salegustadinum*, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nium quiete inire[1]. Causa ob quam Ecclesia tulit hanc legem, est quia indecorum videtur in Christifidelibus, quod diebus quibus pœnitentiæ vacare debent, conviviis indulgeant atque animorum lætitiæ. Hinc merito Tridentinum : *Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias cæremonias quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit*[2]. Attamen convivia et tripudia non prohibentur sub gravi, nisi excessus sit magnus : imo si fiant moderate, nulla erit culpa ea agere ex Sanchez.

3. *Sponsalia :* cum una persona jam inita sponsalia et nondum dissoluta impediunt profecto, quominus conjugium contrahatur cum alia; cum non liceat uni traderere, quod jam alteri promissum est.

4. *Votum :* hic intelligitur votum simplex sive castitatis, sive Religionem ingrediendi, sive etiam non nubendi, vel suscipiendi Ordines sacros. Porro per tale votum corpus voventis promittitur Deo ; ergo non potest amplius dari alteri, quin violetur fides Deo data[3].

---

## CAPUT SECUNDUM

### DE IMPEDIMENTIS SACRAMENTI MATRIMONII DIRIMENTIS

**503.** Q. 1. *An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia?*

R. 1 : Circa hanc legislativam Ecclesiæ potestatem plurimi

[1] Tanto minus prohibetur jam contractum matrimonium consummare tempore illo feriato. ut *verius* et *recte* dicunt Bellarminus, Sanchez, etc. Si qui autem canones videantur contrarium innuere, consilium continent, teste Benedicto XIV, *Notificatione* VIII.

[2] Can. XI, sess. XXIV. Notamus autem pluribus in locis in more positum esse, ut tempore Adventus et Quadragesimæ matrimonia non celebrentur omnino sine expressa licentia Episcopi. Ita in Novariensi Diœcesi : et hoc quidem servari jubet ejusdem Synodus, p. 154.

[3] *De voto, V.* caput seq., a. 1 ; et c. III. — It. tract. *De virt. Rel.* ubi *de voto*, n. 73.



errarunt. Waldenses sæculo XII omnium hæreticorum primi hæc matrimonii impedimenta contemnere ausi sunt. Lutherus et Calvinus sæculo XVI habentes matrimonium uti nudum contractum ; ea tantum agnovere impedimenta, quæ in Levitico (c. 18) constituta sunt : cetera hac de re civili potestati dederunt. — Sæculo XVII Antonius De Dominis archiepiscopus Spalatensis docuit causas omnes matrimoniales nullimode Ecclesiæ subjici, dato etiam, quod conjugium verum Sacramentum sit. Apostatam hunc magna ex parte descripsit Launoius doctor Sorbonicus, qui voluit Ecclesiam facultatem circa impedimenta dirimentia exercere non posse, nisi vel usurpatione vel indulgentia Principum, ad quos ea nativo seu proprio jure perpetuo spectat.

Hanc doctrinam fere demortuam sæculo XVIII suscitarunt nonnulli Canonistæ catholici postquam nempe a Josepho II anno 1783 matrimonialis legislatio data fuit quæ quidem jus omne in conjugium christianorum principatui civili adscribebatur[1]; et mirum, quot excogitaverint subtilitates, ut catholici personam retinerent, et faverent simul civili potestati. Illam defendere conantur Litta, Tamburini, Nestius, Le Plat ac ceteri jansenianorum placitis addicti : illamque adoptavit pseudo-synodus Pistoriensis celebrata anno 1786.

Supremum vero attigit gradum antireligiosa doctrina in lege Gallicana promulgata anno 1792, quæ conjugium spectans ut mere civilem contractum, nullam Sacramenti rationem habuit vel impedimentorum. Napoleo I codicem reipublicæ emendavit ; sed religioni matrimonium non restituit.

Aliud refugium in eo alii adstruxerunt, quod hæc impedimentorum constituendorum auctoritas et civili et ecclesiasticæ potestati ex æquo conveniant, cui quidem sententiæ Gallicani non pauci adstipulati sunt[2]. Censet tandem nuper

[1] At conventione facta cum Apostolica Sede anno 1855 a piissimo Imperatore, matrimonium revocatum fuit ad canonicas sanctiones, Pio IX (*Allocutione* habita die 3 nov.), Cardinalibus, Episcopis, ac toto catholico orbe jure meritoque plaudentibus.

[2] Aliqui etiam clari nominis Theologi non satis attendentes ad Sacramenti materiam, putantes videlicet non jam contractum naturalem, sed civilem illam constituere, hanc impedimentorum potestatem etiam Principibus tri-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dupin, hodie matrimonium haberi uti contractum essentialiter civilem, cui Ecclesia suam adjungit benedictionem ad hoc tantum, ut etiam gratias Sacramenti obtineant contrahentes[1]. Quæ principia in regio taurinensi athenæo adoptarunt passim juris canonici professores, præsertim Bon, et ex eo Nuytz[2]. *Talis est* (ut verbis utamur cl. Perrone) *historiæ summa de hac controversia, quæ excitata primum est a protestantibus; et instaurata ab apostata Marco Antonio De Dominis; deinde vero a Launoio; postea vero a jansenistis aulicis scriptoribus, ad nos pervenit*[3].

**504**. R. 2 : Ecclesia jure proprio et originario potest legitime statuere impedimenta matrimonii dirimentia. De fide est; Tridentinum enim sessione 24 *de matr.* canone 3° definivit : *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare; aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit.* Quibus verbis omnes protestantes aperte confixi sunt, qui quidem hac de re potestatem Ecclesiæ denegabant.

Canone vero 4° Concilium ait : *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia; vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Quod est contra eos, qui negant, id Ecclesiam proprio et originario jure efficere posse : et sane hic Tridentinum vult refellere novatores ; verum cum novatores jam faterentur Ecclesiam utique posse, Principe permittente, impedimenta constituere ; dicendum est canonem loqui de jure proprio et originario, non vero de jure quasiconcessionali. Quod hodie sine errore in fide in dubium revocari non potest, postquam in dogmatica Bulla *Auctorem fidei*, propositio contraria Synodi Pistoriensis sub n. 59, damnata fuit uti *horum canonum eversiva, et hæretica.*

buerunt, ut Billuart, Sotus, Selvagius. At Sanchez et Salmanticenses hoc jus eis tribuunt, cum dependentia ab Ecclesia; Tournely, concurrente Ecclesia ; Pontius ex concessione Ecclesiæ, etc.

[1] Illius *Manuale juris publici eccles.*, proscriptum fuit a S. C. ind., 5 apr. 1845.

[2] Illius liberculus damnatus fuit a Pio PP. IX, Brevi 22 aug. 1851. — *V.* Avogadro Della Motta, *Teoria del matrimonio*, par. I.

[3] Materiam hanc fusius, data opera, ac totis viribus ea quæ sua est, eruditione, Auctor celeberrimus prosequitur, tum in *Prælectionibus*, tum in libro *De matrimonio*.



**505**. Confirmatur : « 1° Chez tous les peuples le mariage a eu un caractère religieux ; — 2° l'Église peut légitimement interpréter la loi naturelle, et le mariage est avant tout un contrat naturel ; — 3° l'Église a le droit et le devoir de se perpétuer, et le mariage chrétien, origine et fondement de la vie chrétienne, en est le moyen nécessaire ; — 4° l'Église a reçu la mission divine de conduire tous les hommes, d'abord à la vertu, et ensuite au salut éternel : le mariage, selon qu'il est heureusement ou malheureusement contracté, devient un secours ou un obstacle à cette fin ; — 5° le mariage est un sacrement, et l'Église est la gardienne et la dispensatrice des Sacrements ; il lui appartient donc de déterminer les conditions dans lesquelles on les recevra ; — 6° l'Église est l'héritière du pouvoir de Jésus-Christ, qui a établi des empêchements et des règles pour le mariage[1]; — 7° l'histoire atteste que l'Église, depuis les premiers siècles jusqu'à nos jours, a exercé ce pouvoir par les Conciles et les Papes, et cela d'elle-même, indépendamment du pouvoir civil[2] ; —

[1] Matth. v et IX ; Marc. X ; Luc. XVI.

[2] « S. Paul (ad rem cel. Della Motta), dans ses Épîtres, condamne, d'un côté, comme de vrais adultères les mariages contractés après le divorce légal, et, de l'autre, il défend de contracter avec les infidèles. Il donne la liberté de le délier pour des causes inconnues à la loi romaine, et qu'elle ne pouvait admettre, telle est celle de la disparité du culte (I ad Cor., VII, 10 et seqq.). André, au témoignage du Jules l'Africain, défend les mariages entre cousins, autorisés par les lois romaines. Ignace, martyr (*ad Polycarpum*, c. v), veut que l'union conjugale se fasse d'après le consentement et le jugement de l'évêque; les canons apostoliques (document ancien, comme chacun le sait, mais non apostolique) prescrivent, à l'égard des mariages des clercs et de celui du rapt, des choses sur lesquelles la loi romaine et la loi divine se taisent (Can. XXV, LXVI). Le concile de Néocésarée de l'an 314 défendit le mariage entre cousins autorisé par les lois civiles (Can. XII).» Neque dicant hoc fecisse Ecclesiam vel usurpando potestatem, vel principe eam concedente : hæc enim repugnant omnino; repugnat quod tanto tempore Ecclesia usurpaverit potestatem non suam, et Principes

8° tous les écrivains catholiques jusqu'à la fin du siècle dernier, à de rares exceptions près, ont reconnu à l'Église ce pouvoir. » Ita ad rem clarissimus Nardi, qui pressius et erudite a primis temporibus ad nos usque refert etiam matrimonialis legislationis historiam[1].

**506**. Imo non tantummodo matrimonium, sed ipsæ etiam causæ matrimoniales quæ scilicet rationem habent ad sacramenti matrimonii præparationem, celebrationem et vinculum, ad Ecclesiam spectant; prout definitum est ab eodem Tridentino : *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit*[2].

**507**. Q. 2. *An præter Ecclesiam etiam Principes sæculares nativam habeant potestatem constituendi impedimenta matrimonii dirimentia?*

R. Ultro damus Principes posse ob bonum publicum societatis leges ferre quibus conjugia omnium subditorum politice legitima fiant, et ideo ea constituere, quæ spectant ad civiles effectus, successiones nempe, dotem, hæreditates aliaque similia, quæ vinculo matrimonii extrinseca sunt. At negamus, ipsos posse jure proprio constituere impedimenta quæ ipsa matrimonia Christianorum dirimant.

Prob. 1 : *Auctoritate SS. Pontificum*, qui constantissime hanc doctrinam tradiderunt. Inter ceteros laudamus : — 1. Benedictum XIV, qui Constitutione 9 febr. 1749 ad Card. Eboracensem, loquens de lege Theodosii matrimonium inter Christianos et Judæos prohibentis, ait *hæc lex, utpote a laico Principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet*; — 2. Pium VI, qui sermonem faciens de Gallicana lege, quæ matrimonium civile indixerat, scribit ad episcopum Lucionensem 28 maii 1793 : *Nihil impedimento esse quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, præscriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab illis tunc contrahi matrimonium,*

non reclamaverint : repugnat quod Principes qui primis sæculis Ecclesiam persequebantur, hanc illi facultatem concesserint.

[1] *Elementi di diritto Ecclesiastico.* Padova, 1854, § 381.

[2] Sess. cit., c. XII.



*sed actum mere civilem exerceri;* — 3. Pium VII, qui in Consistorio 16 martii 1808 de eadem gallicana lege tradit : *Compertum est vobis et quoties et quam graviter conquesti simus tum de legibus matrimoniorum atque divortii, tum de compluribus aliis et ab Evangelio abhorrentibus et contra ecclesiasticas constitutiones piaque instituta latis;*— 4. Pium VIII, qui Encyclica 24 maii 1829 tradit matrimonium *Ecclesiæ omnino subjici ;* — 5. Gregorium XVI, qui Encyclica 15 aug. 1832 docet, quoad matrimonium Ecclesiæ legibus parendum esse sancte accurateque, *ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur ac justa consociatio ;* — 6. Pium IX, qui Allocutione 27 sept. 1852 affirmat : *Quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris præter Sacramentum conjunctionem, cujusvis etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum*[1].

Prob. 2 : *Ipsa Ecclesiæ praxi* et *doctrina*, quæ semper sibi soli hanc potestatem vindicavit. Constat ex eo, quod vel primis Ecclesiæ temporibus ipsa impedimenta, et cum exclusione Principum constituerit, ut idem fatetur Van-Espen. Constat ex eo, quod Ecclesia semper uti valida habuerit matrimonia canonice contracta, quodcumque obstaret impedimentum civile ; e contrario uti adulterina ea, quæ cum impedimento canonico inita erant, licet civilis lex ea rata haberet : ita responsum fuit anno 1804 ad episcopum Brexinonensem, et anno 1824 ad episcopum Vivariensem[2]. Constat ex civilium legum correctione, irritatione, ampliatione, quæ per jus canonicum factæ fuerunt circa impedimenta[3], tum ex ipsa agendi ratione Principum Christianorum sive in conden-

[1] Quamvis laudati Pontifices hisce verbis ex cathedra aperte non definierint controversiam hanc, quod nempe *sola* Ecclesia possit dirimentia impedimenta constituere (ideoque hæc veritas non sit de fide expressa) ; satis tamen ostendunt quæ ipsis sit mens, et quinam catholicæ Ecclesiæ sensus ac praxis.

[2] Responsa vid. in Opere *Examen raisonné*, t. II, pag. 347. Et in *Adnotionibus*.

[3] Benedictus XIV, *De Syn.*, etc., l. IX, c. LXXI. — It. vid. Gerdil, *De matrimonio*.

dis legibus suis ad Canonum normam, ut robur adipiscerentur; sive in rogandis Conciliis, cum optabant aliquod impedimentum constitui. Falsum est ergo, Ecclesiam legibus civilibus quas invenit circa matrimonium, se subjecisse.

Prob. 3 : *Ratione*. Ex quo Christus contractum matrimonii ad Sacramenti dignitatem evexit, et ita evexit, ut quoties personæ hunc contractum legitime efficerent, toties conficerent Sacramentum, matrimonium factum est quid unum et sacrum, atque ad forum ecclesiasticum pertransiit : sicque omne exercitium, si quod erat, potestatis civilis ex natura rei et ipsa ordinatione Christi fuit prohibitum omnino. Adde : fieri non potest, ut scite observat Bellarminus[1], quod una et eadem potestas æque, immediate et proprie ad duo tribunalia pertineat; utraque enim esset suprema et independens circa idem objectum, quod repugnat; nam si oriantur collisiones, ita ut una prohibeat quod altera vetat, cui parendum? ex qua parte erit legitima potestas? Concludendum ergo Principum impedimenta Christianos nullimode obstringere, nisi quoad effectus mere civiles (*J*).

**508**. Dices 1. : *Tridentinum definit Ecclesiam potuisse et posse matrimonii impedimenta constituere; at nomine Ecclesiæ non jam venit ordo ecclesiasticus, sed universus fidelium cœtus : quod adeo verum est, ut ipsum Concilium in eadem sessione constituat matrimonium esse celebrandum* in facie Ecclesiæ, *id est fidelium sive clerici sive laici sint. Ergo si non tota Ecclesia, saltem principes qui sunt nobilior Ecclesiæ pars, poterunt impedimenta statuere, ac matrimonia moderare.*

R. Nomen *Ecclesiæ* adhiberi potest in sensu generalissimo et sensu specifico : primo sensu significatur fidelium omnium cœtus sub pastoribus suis; posteriori vero sensu ac veluti antonomastice solus indicatur pastorum cœtus, seu ecclesiasticus ordo : quod dignoscitur ex subjecta materia. Hujus distinctionis fundamentum præbet ipse Christus; nam in prima significatione ait : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est fideles omnes qui eamdem cum Petro fidem profi-

[1] *De matr.*, c. XXI, n. 44, Nec refert, quod sub diverso respectu, et ad diversos fines matrimonii essentiam duæ potestates attingerent; nam si utraque potestas est æque immediata, suprema et independens, unaquæque totum objectum sibi vindicat ac facit; quod repugnat, cum una res ad duos dominos absolutos et independentes pertinere non possit.



tentur eique subsunt; in altera vero dicit : *Si eos non audierit, dic Ecclesiæ*, nempe Ecclesiæ prælatis[1]. Quapropter dum Tridentinum constituit conjugium celebrandum esse *in facie Ecclesiæ*, cum nihil sit quod ad coarctandam hujus vocis significationem compellat, in amplissimo sensu sumi potest. At quando agit de potestate impedimentorum omnia evincunt nomen illud nonnisi sacerdotalem cœtum designari. Id patet ex natura rei; agebatur enim de definienda illa potestate, cujus pacifica possessione fruebatur Ecclesia tum Concilii ætate tum anterioribus sæculis; jam vero, ipsis fatentibus adversariis, ecclesiasticus cœtus exclusive in hac erat possessione. Patet ex definitionis scopo, qui erat Lutheri errorem configere : porro Lutherus denegabat Pontificibus summis potestatem circa conjugiorum impedimenta; ideo *Ecclesiæ* nomine Sacerdotium significatur, non omnes fideles. Patet ex facto ipsius Tridentini Concilii : quidnam constituit impedimentum clandestinitatis? Tridentinum, id est cœtus non jam fidelium, sed pastorum; ergo Concilium suo ipso facto, nomine *Ecclesiæ*, indicare profecto voluit ecclesiasticam hierarchiam.

**509**. Dices 2. : *Christus contractum civilem, seu contractum ad normam legum civilium initum ad Sacramenti dignitatem evexit; sed contractum ad normam legum civilium moderari Principum est : ergo Principes irritando contractum possunt etiam per consequens ipsum Sacramentum matrimonii irritare.*

R. Negamus majorem; Christus non jam civilem contractum, sed contractum naturalem qualem Deus instituit ante peccatum, quemque antiqui Patriarchæ priusquam civiles leges constituerentur, inierunt, ad sacramentalem dignitatem evexit. Ad rem Margotti[2] : « Le mariage a précédé toute loi, tout gouvernement, toute société. Et c'est à ce contrat purement naturel que Jésus-Christ en appelle lorsqu'il répond aux Pharisiens : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*[3]. « Les sauvages qui mènent la vie nomade, en dehors de toute société et de toute loi civile, sont capables de ce sacrement, du moment qu'ils deviennent chrétiens :

[1] Matth., cap. XVI et XVIII.
[2] In Opere, *Processo di Nepomuceno Nuytz*. — *V*. It. Costa Della Torre, *Della giurisdizione della Chiesa cattolica sul contratto del matrimonio*, ecc., § 5.
[3] Cap. XIX.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA ... DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

le contrat civil ne saurait donc en être la matière. C'est ainsi encore que l'on considère comme capables de ce sacrement ceux qui sont condamnés au bannissement, aux galères; qui, d'une manière quelconque, ont perdu tout droit civil et sont hors la loi. »

Adde absurda quæ sequerentur in adversariorum hypothesi, nempe Christum Principibus ethnicis, hæreticis et impiis reliquisse facultatem moderandi materiam proximam Sacramenti, ita ut sacramentalis valor penderet omnino et semper ab eorum arbitrio. Hinc Pius VI Apostolicis Litteris ad Episcopum Agriæ 11 julii 1789 aperte tradit : *Matrimonium esse contractum jure divino ante omnem civilem societatem institutum et firmatum : hocque insigni discrimine differre ab alio quocumque civili contractu.*

**510.** Addes : *Esto, quod Christus naturalem contractum evexerit ad Sacramenti dignitatem; sed nonne Principes ob bonum publicum contractus etiam naturales annullare possunt, apponendo conditiones, sine quibus validi esse nequeunt?*

R Utique Principes sæculares possunt ratione boni publici contractus mere temporales irritare : at non ita est de contractu matrimoniali Christianorum; ex quo enim elevatus fuit ad dignitatem Sacramenti, omnino spiritualis evasit et a Sacramento ipso inseparabilis; illum ergo moderari ad illam solam auctoritatem spectat, cui a Christo demandata est Sacramentorum cura et administratio. Hinc Tridentinum : *Sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum*[1]. Concludendum ergo cum Pio VI Brevi ad episcopum Motulensem : *Dogma fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem Legis evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum. Hinc fit, ut ad solam Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto.*

[1] Sess. XXIV, c. X. Hinc non abs re plurimi contendunt, Christianorum matrimonium nonnisi improprie *contractus* nomine donari; cum in officium naturæ independenter ab omni sæculari potestate fuerit firmatum. *Quoad naturam ac substantiam suam consideratum matrimonium nihil minus est, quam contractus; deest enim objectum seu res, super qua contrahi possit. Substantiam quippe matrimonii efficit mutua obligatio conjugum ad amorem et fidelitatem, quæ omnem contrahendi ac paciscendi naturam refugit.* Sic cl. Episcopus Rostaway, auctores plurimos citans in Opere, *De potestate Ecclesiæ legislativa circa matrimonium.* — V. It. Riccardi, *I gemiti della Chiesa di Spagna*, convers. V. — *Civiltà Cattolica*, vol. X, pag. 162, 597 et seqq.; ser. II, vol. II et III.



**511.** Dices 3. : *Si matrimonium Sacramentum est, neque Ecclesia aliquid circa ipsum potest; cum Ecclesia nihil omnino possit in materia Sacramentorum.*

R. Cum Billuart : Christus non elevavit qualemcumque contractum matrimonialem ad esse Sacramenti, sed tantum contractum legitimum : cum vero Dominus præcise non definierit in quonam ista legitimitas sit collocanda, id publico fidelium bono exigente, bene potuit Ecclesia statuere, cui sacra a Christo ipso concredita sunt. Hoc autem non est mutare materiam et formam Sacramentorum in se ac formaliter sumptam (nam est semper sicut fuit contractus validus, seu consensus legitimus); sed tantum indirecte et materialiter, faciendo scilicet, ut quod prius erat consensus legitimus et contractus validus, amplius non sit talis, ideoque non elevabilis ad esse Sacramenti. Sic, v. g., qui ex aqua cervisiam faceret aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam Baptismi aut Eucharistiæ formaliter sumptam, quamvis faceret, ut quod prius erat materia illorum Sacramentorum, jam non sit res quæ sit eorum materia. Tunc tantum mutaret formaliter, quando faceret, ut quod prius erat materia, manens immutatum desineret esse materia, nempe aqua manens aqua, vinum remanens vinum.

En quod hic facit Ecclesia : non facit, ut consensus seu contractus manens legitimus non sit materia matrimonii; sed tantum facit, ut quod erat contractus legitimus, talis amplius non sit.

**512.** Dices 4. : *Matrimonium spectat ad hominem, ad civem et christianum; ergo moderandum a codice rationis, a codice civili et a codice religionis.*

R. Ex eo quod matrimonium spectari possit, per mentis abstractionem, ut contractus naturalis, civilis et sacramentalis, exinde non sequitur esse tres realitates a se invicem divisas vel dividendas. Sed est unum idemque conjugium, quod spectari potest ut officium naturæ, ut officium communitatis et ut officium religionis, et sub quolibet hoc respectu bene attingitur a lege naturali, a lege civili et ab Ecclesia seu religione, et quidem sub respectivo suo ordine. *A lege naturæ*, ne fiat contra honestatem; *a lege civili*, ne contra bonum civile ac politicum redundet; *ab Ecclesia*, quæ efficit ut contractus naturalis qui est fundamentum, legitimus sit et Sacramento tanquam materia inserviat : seu verius est Sacramentum ipsum, a quo contractus reipsa non distinguitur : nam ex contractu fit Sacramentum, et per Sacramentum actu contractus in suo esse constituitur ac perficitur. — Matrimonium igitur, quod aliud non est nisi contractus naturalis effectus Sacramentum, in solidum pertinere debet ad Ecclesiam, cui soli a Christo Sa-

cramentorum administratio demandata est. Etiam civilis lex hic suas habet partes, sed tantum extrinsece, quoad effectus videlicet civiles; societati igitur civili libenter damus quod suum est : ideo leges condat quæ jura civilia attingant; atque conditiones apponat quas cives, qui conjugium celebrant, servare debeant, si politicis ac civilibus suis privilegiis perfrui velint. Perrone.

**513.** Dices 5. : *Principes infideles jus habent constituendi matrimonii impedimenta dirimentia quoad infideles qui ipsis subsunt; eccur ea potestate destituuntur principes catholici? neque enim quia catholici effecti sunt inferioris conditionis evadunt.*

Responderi potest in eorum sententia, qui cum Sanchez et aliis non paucis hanc infidelibus principibus quoad infideles potestatem tribuunt, quod per evectionem contractus conjugalis ad dignitatem Sacramenti a Christo factam, hoc ipso matrimonium Sacramentum a principibus substractum a Christo sit : ac principes qui profiteutur religionem christianam, novam relationem erga Ecclesiam habere, quæ non sinit eos in conjugii vinculum antiqua jura si quæ habuerunt, conservare. Substractio autem hujusce potestatis abunde compensatur aliis infinitis bonis quæ catholici effecti principes acquisiere. Verum clarissimus Perrone cum Barruel, Feller, Muzzarelli, Martin, Reuser, etc., fuse ac solide tuetur, populorum rectores, quicumque demum ii fuerint aut sint, infideles, hæretici, catholici, nullam unquam habuisse potestatem in matrimonium etiam infidelium in se spectatum; sed tota ipsorum auctoritas coarctatur ad effectus extrinsecos et mere civiles. Etenim Deus ipse est, qui in paradiso protoparentes matrimonio conjunxit, et primus præoccupavit quamcumque legislationem humanam quæ in posterum fieri posset, duasque proprietates præcipuas constituit conjugii, unitatem videlicet et indissolubilitatem, quibus nulla unquam potestas derogare valuit humana. Cum porro Christus hunc divino-naturalem contractum ad dignitatem Sacramenti evexit per adjectionem gratiæ suæ, nihil circa ejus intimam immutavit naturam, nihilque substraxit principibus, sed jus quod habebant intactum reliquit, jus nempe quod attingit effectus exteriores et civiles; atque Ecclesiæ auctoritati Sacramentum matrimonii commisit.

Ad rem Pius VI in suis Litteris ad episcopum Agriæ 11 jul. 1789; præmissa divina matrimonii institutione, ita prosequitur : *Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturæ, ac sane ante multo quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet Sacramenti ratio a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est*



*matrimonium, perstare debet omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine, divino jure, matrimonio ita adhæret, ut nulli subsit civili potestati* [1].

**514.** Q. 3. *In quonam in Ecclesia potestas impedimentorum residet?*

R. Nulli dubium est potestatem impedimenta constituendi residere in romano Pontifice, qui plenitudinem jurisdictionis habet : item in Concilio œcumenico, cum totam repræsentet Ecclesiam: idem dicendum de consuetudine legitime præscripta, quæ vim legis induit. At de potestate ordinaria ea constituere non potest Episcopus; tum quia res maximi momenti non decernuntur, nisi a suprema Sede; tum quia ita fert inveterata consuetudo ; tum quia S. C. C. id expresse Episcopis prohibuit, Urbano VIII approbante, ut testatur Benedictus XIV [2].

**515.** Q. 4. *An convenienter Ecclesia impedimenta induxerit?*

R. Affirmative: sapienti et paterna erga filios suos sollicitudine Ecclesia mota fuit, dum impedimenta dirimentia statuit [3]. Ut quid enim hæc constituta habemus? ut inter pares indivisibilis illa societas ineatur ; en impedimentum *conditionis*. Ne lædatur illa reverentia, quam sibi mutuo debent propinqui; en *cognatio*, *honestas*, *affinitas*. Ad plurima delicta præcavenda, *criminis*. Ad matrimonii libertatem curandam, *raptus*. Ad legitimitatem tuendam, *clandestinitatis*. Ad ejus sanctitatem fovendam, *disparitatis cultus* impedimentum habemus. Ut tandem amicos nobis extraneos faciamus eosque multiplicemus, varii adnotantur in prohibitione gradus. — Profecto si modum conjugiis imponendum esse vel ipsi protestantes ultro fassi sunt [4]; nullus sanæ mentis id uni

[1] *V.* Perrone, *De matrim. christ.*, l. II, sec. II, c. III.
[2] *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. V, n. 2.
[3] D. Thomas, *Suppl.* q. 50. — *V.* Taparelli, *Saggio teoretico*, ecc., n. 1540.
[4] *V.* Valter, *Manuel du droit ecclésiastique de toutes les confessions chrétiennes.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ecclesiæ denegabit, quæ sola proprio et originario omnino jure ea constituendi auctoritate pollet[1] (*K*).

**516**. *Quot sunt* (quæres) *numero impedimenta dirimentia?* Quindecim enumerantur impedimenta dirimentia hisce versiculis :

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Ætas, affinis, si clandestinus et impos,*
*Raptave si mulier, parti nec reddita tutæ.*
*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.*

## Art. I. — Error, conditio, votum.

**517**. Q. 1. *Quid de impedimento erroris quoad matrimonium?*

Nota. Quadruplex distinguitur error : personæ, fortunæ, conditionis ac qualitatis. *Error personæ* est quando hic putatur Virgilius, et tamen est Plato. *Error fortunæ*, quando hic putatur dives, et tamen est pauper, vel e converso. *Error conditionis*, quando hic putatur liber, et tamem est servus. *Error qualitatis* quando hic putatur bonus, et tamen est malus. Hoc posito :

R. 1 : Error circa *personam* dirimit matrimonium ipso jure naturæ ; personæ enim contrahentium sunt ipsum substantiale objectum : ideo si erratur circa personam, erratur circa substantiam contractus, qui consequenter erit prorsus invalidus. Id tenet, etiamsi error sit concomitans, vincibilis et crassissimus ; est semper error : errantis autem nulla voluntas, ideo nullus consensus. Hinc matrimonium Jacob cum Lia fuit nullum ; quia ipse putabat eam esse Rachelem : quare nonnisi accedente postea consensu, validum evasit. Aliter esset, si quis cum muliere præsenti, quæcumque ea sit, intendat actualiter contrahere ; nam tunc nullus error circa substantiam ; validum ideo erit matrimonium.

[1] Aut quia privatus unus ideo in sua voluntate ac libidine coarctatur, hanc in publicum bonum constitutam a matre Ecclesia disciplinam despicere quis nostrum audebit?



R. 2 : Error circa *fortunam* et *qualitatem* non irritat per se matrimonium ; error enim contractum non irritat, nisi cadat in ipsius objectum : atqui error circa qualitatem ac fortunam non cadit in objectum contractus, cum objectum hic sit persona ipsa, non ejus qualitas, vel fortuna. Esset si quis contraheret cum muliere paupere aut ignobili, quam putabat divitem aut nobilem. Et hoc currit juxta communem ac veriorem sententiam cum D. Thoma, etiamsi error dederit causam contractui[1] ; nam in hoc etiam casu habemus voluntarium simpliciter circa substantiam, quæ est persona. Deinde si aliter esset, quot numero conjugia evaderent dubia et litibus exposita !

**518**. Diximus *per se;* nam si vel fortuna redundaret in substantiam, utique matrimonium esset nullum : quia tunc qualitas ac fortuna fieret objectum consensus, uti ait Angelicus. — Ad dignoscendum autem, an error afficiat ipsam substantiam, ita ut non habeatur matrimonium, tres regulas exhibemus cum communi :

1° Quando qui contrahit, aperte nunc exprimit, vel antecedenter expressit, quod non intendit contrahere, nisi sub conditione talis fortunæ et qualitatis ; tunc deficiente conditione, deficit consensus. Hinc Pontius narrat, nullum fuisse declaratum ipso jure naturæ matrimonium puellæ, quæ protestabatur, se nolle uniri cum viro qui esset a Judæo natus ; sed postea cum tali juncta fuit, qui an esset talis, antea a puella ipsa interrogatus, aperte negavit.

2° Quando adjuncta personæ non sunt communia cum aliis, sed propria et individualia ipsius : v. g., si quis crederet se contrahere cum primogenita Regis Hispaniæ, et illa non sit ; tunc qualitas redundat in ipsam personam, cum illa qualitas fiat objectum consensus. Aliter esset in nostra sententia contra Sanchez et Bonacinam, si quis putaret contrahere cum filia Regis Hispaniæ (non determinando qualem, si plures sint Regis filiæ) ; quia cum qualitas filiæ sit communis aliis filiabus Regis Hispaniæ, qualitas illa non est individualis ; et ideo non redundaret in personam.

[1] Suppl. q. 31, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1043.

3ª Quando consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, ut si quis diceret : *Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam; volo ducere divitem et ideo duco Titium;* tunc error qualitatis redundat in substantiam. Secus tamen si diceret : *Volo ducere Luciam quam puto esse nobilem;* tunc error non redundaret in substantiam. Ceterum in foro externo, nisi apertissime constet, personæ qualitatem fuisse principaliter intentam, locus non datur solutioni matrimonii ; et merito, secus de pluribus matrimoniis actum esset, cum sæpe aliqua qualitas ignoretur[1].

**519.** Q. 2. *Quid de impedimento conditionis quoad matrimonium?*

Nota. Vocabulum *conditionis* agendo de impedimento matrimonii, indicat statum servitutis in alterutro a sponsis. Servorum quadruplex genus : 1. alii sunt *famuli*, qui locant operas suas, et dicuntur *domestici ;* 2. alii sunt *servi glebæ* seu *adscriptitii*, qui nempe glebæ seu agro colendo in dominorum suorum utilitatem adscripti sunt ; 3. alii sunt servi *stricte tales*, et nuncupantur *mancipia*[2] ; quia sunt in totali potestate domini ita, ut eos et vendere et locare valeat, eorumque lucra semper eidem domino acquirantur ; 4. alii sunt *servi pœnæ*, qui nempe ob crimina damnati sunt ad

[1] « Cassandre Lucri épousait le 28 novembre 1798 Vincent Venturini de Tarfa, qui se donnait pour le fils d'un certain Étienne de Valence et se faisait appeler Vincent Bellouch. Il fut bientôt prouvé qu'il n'appartenait point à cette noble et riche famille espagnole, et qu'il n'était qu'un aventurier. La femme plaidait la nullité du mariage, *quum consensus non simpliciter in personam Venturini futuri viri, sed principaliter in eam tanquam nepotem divitis hispani Sacerdotis, qualem se gesserat, ab ipsa præstitutus fuisset.* La Sacrée Congrégation du concile répondit qu'il fallait prouver si Cassandre avait principalement en vue cette qualité de la personne autant avant de conclure le mariage que pendant qu'elle le concluait ; s'il en était ainsi, qu'il y avait évidemment défaut de consentement. Cela n'ayant pas été prouvé, la Sacrée Congrégation déclarait, le 9 avril 1817 et le 27 mai 1820, que le mariage subsistait de droit. » *Schulte.*

[2] Servis proprie dictis opponuntur *liberi*, *liberti* ac *libertini* ex romana lege ; liberi sunt qui nascuntur ab illis qui semper fuerunt libertate donati (dicuntur etiam *ingenui*, quasi iis sit ingenita libertas) ; liberti dicuntur facti liberi ; libertini qui nati sunt ex jam factis liberis.



pœnam : v. g., ad triremes, exilium, etc. Hic quæstio est de mancipiis, non de aliis servis, quorum matrimonium nullo irritatur jure. Hoc posito :

R. Si persona libera contrahat cum mancipio ejus servitutem ignorans, matrimonium nullum est, tum ecclesiastico jure[1], tum jure gentium, seu consuetudine ubique recepta ; nam leges canonicæ hoc impedimentum non statuunt, sed jam supponunt. Inductum, est, ut tollatur magna contractus inæqualitas inter personas, ac gravissima injuria, quæ liberæ personæ irrogaretur. Diximus : 1. *si persona libera;* nam servus valide servam ducit, etsi eam liberam putet. Id patet ex fine legis, ex aptitudine servorum ad essentialia matrimonii, et ex jure[2]. Diximus : 2. *ejus servitutem ignorans :* et adhuc foret nullum matrimonium, etsi compartis ignorantia sit crassa, ut docent probabilius Coninchius, Salmanticenses, Sanchez aliique. Secus si sciat aliam partem esse servam, vel si cognita servitute, matrimonium ratificet : valide tunc contraheret, sed fieret irregularis[3].

**520.** Q. 2. *Quodnam votum dirimit matrimonium?*

R. Votum, quod matrimonium dirimit (præter illud, quod Ordini sacro adnexum est) est votum solemne castitatis per solemnem professionem sponte emissam in Religione approbata. Diximus *votum solemne*, quia votum simplex est quidem impedimentum, sed impediens, non vero dirimens, ut ait Cœlestinus PP. III[4] ; si excipias : — 1. votum simplex castitatis, quod emittere debet uxor, quæ consentiat virum sacro Ordine initiari. Tunc viro e vivis erepto, mulier non potest ratione illius voti alio matrimonio valide copulari : id ecclesiastica lege constitutum est in reverentiam Ordinis suscepti a viro, ut docet communior et valde probabilis sententia[5];

[1] C. IV, *De conj. servor.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1017.

[2] Can. I, caus. XXIX, q. 2. — [3] Can. *Si quis*, dist. XXXIII.

[4] C. VI, *Qui Clerici vel vov.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1025.

[5] C. *Quia sunt*, d. XXVIII ; it. c. *Si qua vidua*, d. XXVIII ; et c. *Seriatim*, d. XXXII. Ita pro certo docet et fusius Sanchez cum Azorio, Paludano, D. Bonaventura, D. Antonino : et hoc ipsum supponit Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XII : ubi quærit, num id etiam valet de viro, qui voto emisso consensit uxori, ut proliteatur, et postea uxor moriatur ; quod du-

— 2. votum simplex castitatis in Societate Jesu emissum post biennium novitiatus. Hoc item dirimit matrimonium ex Bulla Pontificis Gregorii XIII *Ascendente*, nisi Generalis illius Ordinis dispenset.

**521.** Porro non est dubium, quin votum solemne castitatis in approbata Religione emissum dirimat jure ecclesiastico matrimonium. Constat ex jure canonico[1]; et firmatur doctrina Patrum, qui adulteras et incestas pronuntiant virgines, quæ, velo suscepto, ad sæculares nuptias transibant[2]. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit*[3].

Utrum autem hoc solemne votum etiam divino jure matrimonium dirimat, negant Bouvier, Gerson, Sanchez, Scotus, etc.; cum certum sit, quod votum solemne non dirimat matrimonium ratione voti: secus etiam votum simplex illud dirimeret; nam ex jure *votum simplex apud Deum non minus obligat quam solemne*. Ergo irritat tantum ratione solemnitatis; sed cum solemnitas sit tantum ex jure ecclesiastico[4], ideo solo jure ecclesiastico dirimit matrimonium.

Sed probabilius alii docent cum D. Thoma, Bonaventura, Billuart, Henriquez, Victoria, etc., votum solemne emissum in Religione approbata matrimonium dirimere divino jure; nam in voto simplici corpus tantum promittitur Deo; sed in solemni per acceptationem legitimam Prælatorum, corpus insuper traditur Deo: unde non jam est solemnitas per se, quæ facit divino jure irritum conjugium, sed Prælati acceptatio nomine Dei facta, quæ quidem in ea solemnitate locum habet. Hoc tamen non obstante, probabilius est cum Angelico, posse Pontificem ob suam supremam potestatem, gravissima urgente causa, in illo voto bium non solvit. Sed satis probabiliter id alii negant, contendentes textus legis improbare quidem, non vero nullum declarare tale matrimonium. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 812.

[1] Cap. *Meminimus* III; cap. *Insinuandæ* VII; qui clerici, etc.; et c. un., *De voto et voti redempt.*, in 6.

[2] Cyprianus, Epist. LXII, *Ad Pomp.*; Chrysostomus, *Parænesi ad Theod. lapsum*; Ambrosius, *Ad Virg. lapsam*; Augustinus, in Ps. LXXXIII; Hieronymus, *Adversus Jovinian.*, l. I

[3] Sess. XXIV, can. IX.

[4] C. un., *De votis*, in 6.



dispensare, seu declarare in ea facti specie, Deum votum illud relaxare: et revera Pontifex nonnunquam dispensavit[1].

## Art. II. — Cognatio.

**522.** *Cognatio* hic sumitur pro *vinculo personarum*: et alia est *naturalis*, quæ oritur a generatione carnali; alia *spiritualis*, quæ oritur e Baptismo et Confirmatione; alia *legalis*, quæ oritur ex adoptione.

**523.** Q. 1. *Quid est cognatio naturalis?*

R. Cognatio naturalis (quæ dicitur etiam *consanguinitas*, quasi *sanguinis unitas*) definitur: *Vinculum quarumdam personarum ex eodem proximo stipite descendentium carnali generatione contractum.* Dicitur: 1. *vinculum quarumdam personarum ex eodem proximo stipite descendentium.* Quia stipitis remoti in linea transversali (obliqua etiam, vel collaterali dicta) nulla habetur ratio; alioquin omnes homines essent consanguinei, utpote ab uno Adamo procedentes; 2. *carnali generatione contractum*, id est ex copula carnali, quæ nihil refert ad consanguinitatem utrum licita an illicita; sicuti neque refert, utrum ex patre et matre simul, an vero ab alterutro tantum generatio deducatur, ut ab Innocentio III expresse declaratum fuit: ideoque matrimonium æque prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos et germanos[2].

**524.** Tria autem in consanguinitate consideranda sunt: *Stipes*, seu persona, ex qua aliæ originem ducunt; *gradus*, seu mensura distantiæ unius personæ ab altera; tandem *linea*, seu personarum series ab uno stipite descendentium. Linea duplex est: alia *recta*, et est series personarum, quarum una descendit ab alia: ut sunt pater et filius; alia *colla-*

[1] V. *De Virtute Relig.*, ubi *de voto*, t. II, p. 524.

[2] Ita in II Decreti p. causa XXXV, q. 10, can. II. Hoc impedimentum ex D. Thoma inductum est, tum ut multiplicarentur amici cum extraneis contrahendo; tum ne læderetur reverentia, quam sibi mutuo debent consanguinei; tum ne ipsi consanguinei in eadem domo minus caste viverent, nempe sub matrimonii spe (2, 2, q. 144, a. 9). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1029.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*teralis*, et est series personarum, quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis non descendunt, sed sunt quasi a latere juncti, ut sunt fratres. Ipsa linea collateralis est *æqualis* vel *inæqualis*, prout videlicet consanguinei æqualiter a communi stipite distant, vel inæqualiter.

**525.** Porro *de jure ecclesiastico* certum est, consanguinitatem in quocumque lineæ rectæ gradu matrimonium dirimere[1]. In linea autem collaterali olim Ecclesia matrimonium dirimebat usque ad septimum gradum; sed in Lateranensi IV (anno 1215) illud restrictum fuit ad quartum inclusive, ut faciliores redderentur nuptiæ. Scienter autem tentantes matrimonium contrahere in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis, ipso facto incurrunt excommunicationem, non tamen reservatam[2]: imo ex Tridentina Synodo sunt separandi sine ulla spe dispensationis[3] (*L*).

Loquendo *de jure naturæ*, certum videtur matrimonium irritum esse in primo lineæ rectæ gradu, ut inter patrem et filiam, prout docent SS. Ambrosius ac Thomas[4]. Sane id intrinsecam refert turpitudinem; nam pugnat cum superioritate, quam ordine naturæ indelebiliter habent parentes in filios, siquidem matrimonium quamdam æqualitatem inter personas inducit: quin imo vel ipsis barbaris hoc conjugium opprobriosum est.

Quod vero spectat ad alios gradus, utrum nempe jure naturæ consanguinitas dirimat matrimonium in omnibus, quæstio est. Scotus id omnibus gradibus tribuit in linea recta; Sotus (duntaxat duobus primis; Sylvius id tradidit de primo gradu tum lineæ rectæ, tum lineæ transversalis, ut inter patrem et filiam, inter fratrem et sororem.

[1] Nicolaus V, *Ad consulta Bulgarorum*. Hic notanda sunt: — 1. quoad matrimonium contrahendum solam canonicam computationem retinendam esse, ut expresse statuit Alexander III : quare civilis computatio (de qua in tract. *De justitia*) valet dumtaxat quoad civiles ipsos effectus, nempe pro successionibus, hæreditatibus, etc.;—2. consanguinitatem inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri posse; et tunc est multiplex sanguinis propinquitas in dispensatione aperienda : sic si duo fratres uxores ducant duas consobrinas, vel si vir uxorem ducat sibi consanguineam; hoc in casu filii orti ex tali matrimonio erunt ex duplici capite inter se consanguinei.

[2] Clem. un., *De cons.* — [3] Sess. XXIV, c. V.

[4] Ep. LXVI, *Ad Paternam*. — In 4, d. 40, q. 1, a. 3. — *V* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 470.



Verum satis probabiliter D. Thomas id nulli gradui tribuit præterquam primo lineæ rectæ; quia, exceptis parentibus, inter alios non videtur adesse tanta indecentia, ut ipso naturali jure irritum esse debeat matrimonium; cum hæc non ita immediate ceteras attingat personas. Unde Innocentius III (uti observat Billuart) nulla facta linearum distinctione, indistincte permittit infidelibus ad fidem conversis, ut suas retineant uxores sibi in secundo gradu consanguineas[1]. Dicit tamen Benedictus XIV Constitutione *Ætas anni*, nullum citari exemplum concessæ dispensationis quoad fratrem et sororem. Et sane *commixtio sororum et fratrum quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, Religione prohibente*, ex eodem Angelico[2].

**526.** Q. 2. *Quid dicendum de cognatione spirituali?*

R. *Cognatio spiritualis* est *propinquitas personarum orta ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis*. Hæc dirimit matrimonium jure tantum ecclesiastico; ab Ecclesia igitur extenditur et moderatur tale impedimentum. Congruentur autem inductum est; nam cum Baptismus sit quædam generatio spiritualis, et Confirmatio sit Baptismi ipsius complementum, congruum fuit, ut sicut ex generatione naturali oritur cognatio naturalis; ita ex generatione spirituali Ecclesia deduceret cognationem spiritualem. Olim inter plures cognatio spiritualis contrahebatur; sed hodie ex Tridentino contrahitur tantum, si de Baptismo sit sermo, *inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, necnon inter susceptorem et susceptum, et hujus patrem et matrem*. Idem est de Confirmatione dicendum[3].

At plures conditiones requiruntur, aliæ quidem ad valide, aliæ vero ad cognationem etiam licite contrahendam.

**527.** *Quid* (quæres) *requiritur ad valide cognationem spiritualem contrahendam?* R. Ad valide in Baptismate contrahendam cognationem requiritur : — 1. ut susceptores sint baptizati ; quia nequit spiritualis esse pater, qui spiritualiter

[1] Cap. *Gaudemus* VIII *de divort.* — [2] 2, 2, q. 154, a. 9.

[3] Sess. XXIV, c. II. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1028. Ex quo patet patrinum et matrinam posse inter se contrahere : cum nulla inter ipsos cognatio oriatur. Hinc etiam duo conjuges ex Angelico possunt alienam prolem suscipere : et consuetudine firmatum est.

nondum natus est[1]; — 2. ut habeant usum rationis, alioquin humanitus capaces non forent illius muneris suscipiendi; — 3. ut gerant intentionem tale obeundi officium: secus actio illorum esset pure materialis; — 4. ut infantem de sacro suscipiant fonte ex Tridentini lege, id est infantem teneant vel saltem suscipiant de manu baptizantis, etsi non necessario requiratur ut respondeant ad interrogationes. Si quis autem infantem susciperet de manu patrini, non contraheret cognationem, quia non levaret de sacro fonte, sed ab alio jam levatum susciperet; attamen sufficit suscipere infantem ab obstetrice[2]; — 5. ut sint a parentibus designati vel a Parocho, cujus est supplere parentes. Unde ex Tridentino: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt;* — 6. ut Baptismum reapse administretur; quod enim nullum est, nullum potest parere effectum. Quare patrini, qui in solis supplendis cæremoniis adhibentur, cognationem non contrahunt.

Hinc versus:

*Baptismus, ratio præsens, intentio, factum,*
*Sint designati, vere tingatur et infans.*

**528.** Ad valide vero cognationem in Confirmatione contrahendam præter dicta de Baptismate, ut nempe susceptores sint baptizati, habeant usum rationis, sint designati, et habeant animum tale officium gerendi et de facto gerant in Confirmatione valida: requiritur insuper ut jam confirmati sint, prout docet probabilius Renzi afferens declarationem S. Concilii Congregationis. Hinc alius versiculus addendus:

*Insuper et sacro peruncti chrismate sunto*

*Quid* (addes) *requiritur, ut etiam licite contrahatur cognatio spiritualis?* R. Plura requiruntur, sine quibus, licet prohibeamur esse patrini, cognationem tamen contrahimus, si nihilominus hoc officio fungamur. Sic in *Baptismate* prohibentur esse patrini: 1. monachi et moniales[1]; — 2. publice criminosi aut infames; schismatici, apostatæ et hæretici; manifestim excommunicati vel interdicti; quique rudimenta fidei ignorant ex Rituali R.; — 3. conjuges respectu propriæ prolis; — 4. plures duobus. Cum tamen dicat Tridentinum, *sive vir, sive mulier*, patrinus si unicus sit, probabilius potest esse tam masculus, quam fœmina in omni casu; — 5. insuper ex variis Constitutionibus Synodalibus (prout in ultima Synodo Novariensi, pag. 82) prohibentur Sacerdos et Clerici sine speciali Episcopi licentia. Item muti, impuberes, qui præcepto Paschali non fecerint satis: qui nondum confirmati: item exteri ignotique.

[1] Hæc conditio etiam in baptizante requiritur: item secunda et ultima. Quod etiam de confirmante dicendum est. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 146. — Ferraris, v° *Cognatio.*

[2] S. C. Congregatio, 18 dec. 1688. *V.* Alasia.



In *Confirmatione* vero prohibetur esse patrinus: 1. patrinus Bptismatis, nisi adsit necessitas: est commune[2]; 2. persona diversi sexus a confirmando; pater aut mater: manifestus excommunicatus aut interdictus, aut gravioribus facinoribus alligatus, aut fidei rudimentorum ignarus, ex Pontificali R.; 3. prohibentur plures, cum unicus sit oportet, uti docent ex antiquo jure haud innovato[3]; 4. ex Synodis Diœcesani (uti ex Novariensi pagg. 87 et 285), insuper debet esse patrinus saltem ejusdem ætatis ac confirmandus; nec eodem ipse die confirmatus. Item illi omnes excluduntur qui supra in Baptismate, si excipias Sacerdotes ac Clericos, qui ideo in Confirmatione, quin petant licentiam, patrini munus suscipere possunt (*M*).

**529.** Q. 3. *Quid est cognatio legalis, et an dirimat matrimonium?*

R. *Cognatio legalis* est *propinquitas personarum prove-*

[1] « Ceci ne s'applique qu'à ceux qui font partie d'un ordre religieux proprement dit: les personnes qui appartiennent à une congrégation religieuse, mais séculière, comme sont les filles de Saint-Vincent, les sœurs de l'Enfant-Jésus, ne sont pas comprises dans cette prohibition. » Gousset.

[2] Colligitur ex cap. *Non plures*, et cap. *In Catechismo de consecr.*, dist. IV.

[3] Cap. fin. *De cogn. spir.* Et Tridentinum vult tantum ut parentes patrinos designent. Attamen in casu necessitatis, si nempe nulla adesset, patrini officio etiam parentes fungi poterunt, ut dicunt; nam licet non sit necessarius patrinus; præstat tamen illum adhibere ad perfectam sacramenti significationem. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 156.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

*niens ex adoptione*, quæ definitur ab Angelico : *Extraneæ personæ in filium, vel nepotem vel deinceps legitima assumptio*[1]. Dicitur *legitima*, id est juxta leges. *In filium, vel nepotem vel deinceps;* en terminus assumptionis et adoptionis subjectum ; non enim potest esse adoptio in fratrem, vel alium similem gradum, sed in filium, in nepotem, pronepotem, etc. : hodie tamen adoptio non est, nisi in filium. *Personæ extraneæ*, id est quæ non sit in adoptantis potestate. Quæ cognatio inventa in solatium orbitatis filiorum, inducta fuit a civilibus legibus, sed per SS. Canones recepta. Ideo etsi pro dispensatione semper sit recurrendum ad Ecclesiam quoad effectus canonicos, si tamen casus occurrat, in quo dubitetur de hac cognatione, ad leges civiles recurrendum est, atque ex eorum tenore controversia definienda, ut docet Benedictus XIV[2].

**530.** Cognatio legalis juxta jus romanum (quod suum fecit canonica lex, quodque fere apud omnes catholicos nationes adhuc viget) habet triplicem speciem :—*a*. alia est in linea recta seu alia est *paternitas;* et hæc dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum atque ab isto descendentes, existentes sub ejus potestate tempore adoptionis ; talis autem cognatio semper durat licet adoptione soluta ; — *b*. alia est in linea transversali seu est *fraternitas ;* et hæc dirimit inter adoptatum, et filios adoptantis legitimos, existentes quoque sub adoptantis potestate ; sed soluta adoptione, per mortem vel aliter, expirat : *Ideoque* (habet jus) *eam quam pater meus adoptavit et emancipavit, potero uxorem habere; æque ac si, me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio*[3] ; — *c*. alia est *affinitas*, quæ matrimonium dirimit inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum at uxorem adoptantis : hæc porro semper durat, etiam soluta adoptione[4].

[1] In 4, d. 24, q. 2, a. 1. — [2] *De Syn.*, etc., l. IX, c. x.
[3] L. *Per adopt.* xvii ff. de ritu nuptiar. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1027.
[4] Cap. un. *De cogn. leg.* Cognatio legalis non oritur inter ipsos adoptivos; non oritur inter adoptatum et filiam illegitimam adoptantis; nec inter filiam illegitimam adoptati et adoptantem vel legitimos ejus liberos. Non oritur inter adoptantem et parentes adoptati ; neque inter filios duorum fratrum adoptivorum. Patet ex supratraditis principiis; *V.* Reifenstuel, Salmanticenses, et Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 5.



**531.** Duplex adoptio olim distinguebatur : una *perfecta*, quæ dicebatur *adrogatio*, qua nempe adoptandus sui juris existens, Principis rescripto transit in potestatem adoptantis, fitque illius hæres necessarius etiam ex testamento. Alia *imperfecta*, qua adoptandus adhuc sub patris potestate, magistratus inferioris auctoritate, assumitur in filium, quin transeat in familiam et potestatem adoptantis; sed ei succedit duntaxat ab intestato[1]. Quæstio autem est, an ex utraque adoptione legalis cognatio oriatur. Alasia et Palaus cum aliis eam ex utraque adoptione oriri contendunt ; quia jus indistincte loquitur. Sed Salmanticenses et Sanchez cum D. Thoma tenent probabilius cognationem ex sola adrogatione oriri ; quia imperfecta adoptio vera adoptio non est, sed via ad illam. Cum tamen res non adhuc sit certa, *casu adveniente*, ait Bouvier, *petenda esset dispensatio ad cautelam*.

**532.** Hæc generatim : ex Codice enim civili Regni Pedemontan adoptio hodie non amplius distinguitur; sed una tantum admittitur quæ videtur participare aliquo modo de utraque specie, sed magis de adoptione *imperfecta;* nam adoptatus subtrahitur a propria familia nec transit in potestatem adoptantis; sed unice adoptantis cognomen suo jungit; et mutua alimentorum jura oriuntur, ac successio adoptati in adoptantis bona. Attamen hanc adoptionem matrimonium dirimere in supra numeratis gradibus, non videtur dubitandum; id enim, teste Carriere, fuit declaratum per S. Pœnitentiariam 17 maii 1816 de adoptione inducta a Codice Gallicano, cui quidem Albertinus Codex valde conformis est in hac re (*N*).

## Art. III. — Crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, ætas, affinis.

**533.** Q. 1. *Quid de impedimento criminis quoad matrimonium?*

R. Impedimentum criminis definitur : *Inhabilitas canonica ad contrahendum matrimonium vel ex adulterio, vel ex conjugicidio, vel ex utroque simul orta inter eos, qui eadem crimina sub datis limitationibus perpetrarunt*. Constat ex

[1] § *Cum autem* 3 *inst. de adopt.*, l. II, *Cod.* — § 2, vid. *Sed et hodie inst. de adopt.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jure canonico[1], a quo impedimentum inductum est[2]. Illud ergo obtinet: vel ob solum adulterium, vel ob solum homicidium, vel ob utrumque simul; attamen sub certis conditionibus.

**534.** *Quidnam* (quæres) *de impedimento criminis, si agatur de solo adulterio?*

R. Dupliciter impedimentum criminis ob solum adulterium contrahitur: vel per adulterium una cum matrimonii promissione[3]; vel per adulterium una cum matrimonii attentatione.

Primo: *Ut adulterium cum promissione matrimonii inducat criminis impedimentum*, alia requiruntur ex parte adulterii, alia ex parte promissionis. Ex parte adulterii requiritur: 1. ut illud sit verum, nimirum, in matrimonio valido; 2. consummatum, sive ut vir et fœmina efficiantur una caro per seminum mixtionem, prout commune est cum D. Bonaventura et D. Thoma[4]; 3. formale ex utraque parte, nempe ut uterque cognoscat alterutram partem esse conjugatam. Quare si fœmina rem haberet cum conjugato quem putabat solutum, impedimentum non contrahitur. An autem excuset tunc ignorantia crassa et culpabilis adulterii, alii negant; sed alii probabiliter affirmant cum Sanchez, quia ignorantia crassa, nisi fuerit etiam affectata, non includit dolum ad adulterium requisitum[5].

Ex parte vero promissionis requiritur: — 1. ut ea facta sit vivente eodem conjuge: quia non contrahitur impedimentum, si promissio in uno matrimonio facta sit, et adulterium in alio perpetratum, aut vicissim. Hinc si Titius uxoratus

[1] C. *De eo qui dixit*, decret., l. IV, t. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1033.

[2] Ex D. Thoma, *In* 4, distr. 37, q. 2, a. 2.

[3] Ex c. *Veniens de eo qui duxit.* Qui vero sibi mutuo paciscuntur (quin adulterentur), de contrahendo matrimonio post obitum conjugis licet non contrahant impedimentum, secluso adulterio et conjugicidio; peccant tamen mortaliter, ut docent Elbel, Layman, Sanchez. Quia hoc pactum inhonestum est, et a jure reprobatum; cum ansam præbeat machinandi vel saltem desiderandi mortem conjugis.

[4] Suppl. q. 55, a. 4. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1033.

[5] Ex glossa in *Magn.* ff. de verb. sign.; et ex l. pœn. ff. ad 1 jul.



promittat matrimonium Caiæ, si fiat viduus; dein viduus factus ducat Corneliam: et tunc adulterium cum ipsa Caia committat, impedimento non tenetur; — 2. ut sit externa et acceptata: communius tamen et probabilius non requiritur repromissio; cum in jure sola requiratur *fides data*[1], quæ esse profecto potest sine repromissione; — 3. ut ea non fuerit ante adulterium serio revocata. Dixi *ante adulterium*, nam si fuerit revocata postea, tunc remanet impedimentum (cum jam contractum sit), sive promissio antecesserit sive subsecuta fuerit adulterium; — 4. ut promissio illa non fuerit ficta, uti probabilius et communius docent contra Sanchez; jus enim positivum requirit *fidem datum*, sive veram promissionem matrimonii: atqui promissio ficta non est nec fides data, nec vera promissio[2]; — 5. ut non sit conditionata, uti docent item probabilius contra Collet, nam hic versamur in odiosis, ideoque est intelligenda vera, absoluta et consummata promissio, maxime cum per promissionem conditionatam non ita detur causa captandæ mortis conjugis. Exceptionem tamen apponunt communiter: et est si posita conditio verificata fuerit ante mortem conjugis, nondum promissione illa revocata; tunc enim ipsa fieret absoluta.

Secundo: *Ut adulterium cum matrimonii attentatione inducat criminis impedimentum*, alia item requiruntur ex parte adulterii, alia ex parte attentationis[3]. Ex parte *adul-*

[1] Ex c. I et VI, *De eo qui duxit*, etc.

[2] Esto quod per talem fictam promissionem in adultera decepta non vitetur periculum captandæ mortis conjugis, in quo sita est causa impedimenti; sed cum agatur de lege prohibitiva, et de materia odiosa; semper facienda est interpretatio stricta, maxime cum finis præcepti non cadat sub ipso præcepto.

[3] *Attentatio matrimonii* tunc, e. g., habetur, quando duo conscii matrimonii hic et nunc existentis, ante vel post adulterium, consensum emittunt de præsenti, et volunt haberi uti conjuges. Esto quod exterius omnia requisita observent, uti si fugerent, alibi domicilium sisterent, ac ibi coram decepto Parocho contraherent. Eo in casu non solum nullum esset sic attentatum matrimonium ob impedimentum ligaminis; sed nullum quoque foret, si postea vellent illud revalidare, conjuge mortua, ob criminis videlicet impedimentum, quod modo exposuimus. — Quæ matrimonii attentatio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*terii* requiritur quod supra, ut nempe illud sit verum, consummatum et formale. Ex parte autem *attentationis* requiritur probabilius, ut adulterium et matrimonii attentatio fiant, durante eodem conjugio[1], uti jam de promissione explicavimus.

**535.** *Quid* (dices) *de criminis impedimento, si agatur de solo homicidio; vel de homicidio una cum adulterio?*

R. Ad 1 : Ut homicidium solum inducat criminis impedimentum, requiritur : 1. ut occisio secuta sit ex communi consilio viri et mulieris[2] : nihil autem refert ferrone an veneno, propriisne manibus an alienis, ex consilione an mandato sit cædes illata; 2. ut fiat cum intentione matrimonii ineundi cum complice homicidii : ita communissime[3]; secus non est ratio impedimenti. Hinc si vir uxorem occidat ex alia causa, v. g., ut liberius adulteram teneat, etiamsi ista in homicidium conspiraverit, sed sine matrimonii intentione, non contraheretur impedimentum. Sufficit autem ut hæc intentio sit ex parte unius, quia jam adest finis impedimenti; requiritur tamen probabilius ut aliquo modo alteri manifestetur intentio illa, uti esset si præcesserint indicia sufficientia, v. g., munera, epistolæ amatoriæ, familiaritates; neque enim Ecclesia potest punire quod non potest cognoscere.

Ex peculiari autem Cœlestini V dispositione etiam una tantum pars fidelis hoc impedimentum contrahit, illudque communicat infideli complici, quacumque etiam ad fidem conversa contrahere nequit[4].

R. Ad 2 : Ad inducendum criminis impedimentum ex homicidio una cum adulterio alia requiruntur ex parte adulterii; alia ex parte homicidii. Ex parte nempe *adulterii* semper requiritur, ut illud sit verum, consummatum atque formale. Ex parte vero *homicidii*, quando hoc est cum adulterio conjunctum, requiritur quidem certe, ut cum inten-

non refert, sive ante sive post adulterium, sive coram Parocho, sive etiam clandestine contingat.

[1] C. ult. *De eo qui duxit.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 1037.
[2] Cap. *Laudabilem* I *de conv. infid.*
[3] Can. v, causa XXXI, q. 1, *De conv. infid.*
[4] Cap. *De conv. infid.*



tione matrimonii ineundi sit perpetratum, et probabilius ut hæc intentio sit comparti aliquo modo manifestata; non tamen requiritur, ut illud ex communi consilio secutum sit[1].

**536.** Q. 2. *Quænam cultus disparitas dirimit matrimonium?*

R. Per *cultus disparitatem*, quæ matrimonium dirimit, intelligitur illa Religionis diversitas, quæ existit inter baptizatum et non baptizatum : quare invalide contraheret baptizatus cum catechumeno ; vel cum invalide baptizato, licet id ignoretur. « Anciennement, ait *Nardi*[2], cet empêchement n'existait pas, soit parce que le petit nombre des chrétiens épars au milieu des païens aurait trop limité les mariages, soit parce que la vivacité de la foi à cette époque empêchait de craindre l'apostasie. Souvent alors, au contraire, le mariage était un moyen d'amener une âme païenne au christianisme, comme on le voit par une foule d'exemples, entre autres ceux de sainte Monique unie à Patricius, père de saint Augustin, et de sainte Clotilde, unie à Clovis. Mais les mariages des chrétiens avec les païens n'étaient pas approuvés en général[3] et encore moins avec les juifs. Les lois romaines de Justinien elles-mêmes comparaient les unions entre chrétiens et juifs à l'adultère[4]. »

Lex irritans cœpit inter Christianos et hebræos, dein inter omnes baptizatos et non baptizatos, non jure sacrorum Canonum, cum nihil in illis habeatur constitutum ; sed *generali Ecclesiæ more, qui pluribus abhinc sæculis viget, et vim legis obtinet* (id est a XII fere sæculo) : verba sunt Benedicti XIV Constitutione *Singulari* 9 febr. 1749.

**537.** Q. 3. *Quid de vi, ut est impedimentum dirimens matrimonii?*

[1] Cap. *Si quis vivente* v, caus. XXXI, q. 1.
[2] Éléments de droit ecclésiastique.
[3] I Cor. VII; II Cor. v; Tertullianus, *Ad Uxor.*, l. II, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1044.
[4] L. IV, *Cod. de judæis*, l. IX; *Conc. Toletanum IV*, an. 633. Etiam in veteri Lege non permittebatur ut hebræi ducerent infideles. — *V.* Weith, *Scriptura Sacra contra incredulos vindicata*, in Ruth.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

R. *Vis*, prout constituit impedimentum dirimens matrimonii, intelligitur non solum vis absoluta seu violenta coactio; sed etiam vis, ut aiunt, conditionalis: Seu *metus gravis injuste incussus ab extrinseca et libera causa ad matrimonium extorquendum*. Quo quidem, jure saltem ecclesiastico, matrimonium dirimitur, licet ei accedat juramentum [1].

Dicimus: 1. *metus gravis*, qui nempe talis sit respective; nulla enim lege levis metus invalidat matrimonium, cum non auferat sufficientem ac necessariam deliberationem [2]. Idem dicendum cum communi de *metu reverentiali*, nisi sit conjunctus cum timore gravis damni, ut diuturni odii, etc., nam metus mere reverentialis non est proprie metus, sed simplex reverentia, quæ per se quamdam solam erubescentiam importat, quæque ab intrinseco potius quam ab extrinseco ortum habet.

2. *Injuste incussus;* si enim metus incutiatur justa de causa, et qui eum patitur, ipse de se matrimonium eligat ad metum effugiendum, valebit matrimonium; quia vel jam est sufficienter voluntarium in suo principio, vel certe nulla tunc intervenit injuria. Hinc valebit, si illud contrahat deflorator virginis ad vitandam mortem, vel alias pœnas ex criminis delatione futuras. Valebit item, si quis contrahat ex metu gehennæ aut mortis in morbo vel naufragio; quia nulla ei injuria infertur, sed liber ipse eligit conjugium.

3. *Ad matrimonium extorquendum;* quia matrimonium ex metu contractum etiam gravissimo, qui non sit incussus ad ipsum extorquendum, validum est; tunc enim non contrahitur matrimonium ex metu, sed ipsum eligitur ut medium ad declinandum malum, quod timetur: ideoque est voluntarium simpliciter. Sic si pater inveniat stupratorem filiæ suæ, et minas mortis incutiat ad matrimonium extorquendum, illud erit invalidum: sed si minas ipsas incutiat ad ulciscendum tantum injuriam sibimet irrogatam, et stuprator ad

[1] Cap. *Significavit; Veniens de eo; Consultationi de spon. et matrim.*

[2] S. Thomas, suppl. q. 47, a. 3. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1045. Pro metu gravi intelligunt communiter periculum mortis, exilii, diuturni carceris, infamiæ; aut alterius damni gravis sibi vel conjunctis ad quartum gradum impendentis.



ejus iram sedandam et se liberandum, nuptias offerat, valebit conjugium. Quia licet metus fuerit injuste incussus (non enim est privatorum ulcisci injurias); attamen quia non fuit incussus ad matrimonium extorquendum, ideo non aufert ei libertatem relate ad illud eligendum [1].

4. *Jure saltem ecclesiastico;* nam de jure naturæ quæstio est. Negant de jure naturali metum invalidare conjugium Collet, Concina, Layman et Lessius; quia libertas ex tali metu minuitur tantum, et ita dicendum de aliis contractibus. Verum non minus probabiliter, et forsan probabilius affirmant Bossius, Covarruvias, Holzman, Navarrus et Pontas cum D. Thoma [2]; tum quia matrimonium est vinculum perpetui amoris, at repugnat ut amor a metu producatur; tum quia matrimonium (si semel esset validum), cum sit indissolubile, non posset amplius gaudere beneficio rescissionis, ut fit quoad alios contractus per injustum metum initos. Unde a natura habere debet, quod per metum initum sit nullum. Adde, quod jus canonicum statuens hoc impedimentum, non videtur nisi jus naturale promulgare [3].

[1] Ex his resolve: — 1. si quis juste ad mortem damnatus, ducat filiam judicis ei oblatam, ut mortem vitet, valebit conjugium; quia metus non infertur a judice, potius aufertur; — 2. erit e contra irritum, si judex ut illum ad hoc induceret, injustam tulisset sententiam; quia in secundo hoc casu metus est ad matrimonium extorquendum illatus; — 3. erit validum si judex alicui a se injuste damnato ad mortem, non intuitu matrimonii; sed postea offerat libertatem, si ducat talem puellam: quia nunc metus non est incussus ad extorquendum consensum; — 4. erit irritum, si medicus nollet mederi puellam, nisi nubat sibi vel filio suo, saltem qui urgeat medicinæ necessitas, vel medicus ex justitia mederi teneatur: patet ex dictis; — 5. « Titius était accusé par le bruit public et par la déposition de Sempronia *illam gravidasse;* il est mis en prison pour cela, et on lui propose l'alternative, ou de l'épouser ou de la doter, et il est menacé des galères dans le cas où il ne prendrait ni l'un ni l'autre parti. Comme il ne peut offrir une dot, il épouse, *sed non consummat matrimonium*. La Sacrée Congrégation du concile a déclaré, le 26 mars 1707, ce mariage nul, parce que le commerce criminel n'ayant pas été prouvé, l'incarcération avait été injuste, et lui paraissait avoir été un moyen direct de contraindre au mariage. » *Schulte*.

[2] Suppl. q. 47, a. 3.

[3] Pap. *Cum locum* XIV *de spons.*

5. *Licet ei accedat juramentum;* nam juramentum sequitur naturam contractus[1]. Hæc tamen notanda : *a.* metum non ita facile probari posse, ideoque judicandum esse ordinarie in favorem matrimonii[2] ; *b.* matrimonium in facie Ecclesiæ rite celebratum, sed per metum, convalescere per spontaneam cohabitationem, vel copulam; habentur enim hæc uti signa novi ac liberi consensus[3].

**538**. Q. 4. *Quid de impedimento Ordinis ad matrimonium?*

R. *Ordo*, qui ex jure dirimit matrimonium, est Ordo sacer seu major[4]. Imo qui dixerint Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Religionem solemniter professos posse matrimonium valide contrahere, excommunicantur[5]; sicut excommunicantur ipso facto Clerici in Sacris vel Religiosi solemniter professi, qui illud attentaverint : quod si illud consummaverint, incurrunt etiam irregularitatem[6].

Attamen non ita certum est, quo jure Ordo sacer matrimonium dirimat, an jure divino, vel ecclesiastico tantum. Prima sententia dicit matrimonium dirimere jure divino; quia votum solemne Ordinis sacri solet in jure canonico[6] æquiparari professioni religiosæ, quæ sic irritat matrimonium. Verum secunda communior et probabilior sententia cum D. Thoma, Billuart, Sanchez, Suarez, etc., docet votum Ordini sacro adnexum dirimere matrimonium solo jure Ecclesiæ; nam continentia non est Ordini de necessitate naturæ adnexa, sed tantum de Ecclesiæ ordinatione. Unde patet disparitas; nempe Ordinatio sacra ex se non dicit traditionem Ordinati ad continentiam, sed ad sacrum ministerium, de cujus essentia non est cælibatus, sicuti est de essentia Religionis.

[1] Cap. II, *De eo qui duxit.* — [2] Cap. XLVII in fin., *De test.*
[3] Cap. XXIV, *De spons.* — C. IV, *Qui matr. accus.*
[4] Cap. *Ex diacono;* et c. *Ex litterar.* Qui Cler. vel vovent ; et in Extrav. *Antiquæ de voto;* et Tridentinum, sess. XXIV, c. IX. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1059 ; l. III, n. 256, etc.
[5] Tridentinum, sess. XXIV, can. IX.
[6] C. unic., *De voto*, in 6. Vid. quæ dicta sunt *de ordine*, ubi *de cælibatu*, ubi etiam actum est de diversa Græcorum disciplina, hac in re.



**539**. Q. 5. *Quid de impedimento ligaminis quoad matrimonium?*

R. *Ligaminis* voce, prout est impedimentum dirimens matrimonii, intelligitur *vinculum, vi cujus ille, qui jam matrimonio ligatus est, non potest aliud inire*. Idque oritur ex jure tum humano (ecclesiastico et civili[1]); tum divino ; imo ipsi voci naturæ congruum est[2]. Unde qui bona fide contraxerit secundum matrimonium, putans priorem conjugem esse mortuam, si postea certo sciat ipsam vivere, etsi id firmiter probare non possit, debet a secunda conjuge separari[3]. Si vero dubitat de vita prioris conjugis, tenetur ante diligentem veritatis inquisitionem abstinere a debito petendo. Ex his patet, certa indicia requiri solutionis prioris conjugii, ut aliud permittatur. Nec sufficit sola et longa unius conjugis absentia ; nam absentia non certo arguit mortem. Nec sola fama ex incerto rumore ; quia dictum inane facile sequitur multitudo. Nec unicus testis ; cum vox unius sit vox nullius, cum agitur de solvendo vinculo, quod quidem omni jure arctissime colligatum est[4].

**540**. Ceterum matrimonium ob aliquod impedimentum nullum, si sit ab una saltem parte bona fide contractum, non tantum a jure canonico[5], sed fere ubique ab ipsa civili lege (quoad suos respective effectus) habetur ut legitimum ; si tamen fuerit præscriptis ab Ecclesia solemnitatibus celebratum[6].

**541**. Q. 6. *Quid de impedimento honestatis quoad matrimonium?*

R. Impedimentum *honestatis* est *quædam propinquitas personarum, quæ oritur tum ex sponsalibus, tum ex matri-*

[1] Cap. VIII. *De divort.* — In *Cod. pœn. Gallico*, art. 340 : punitur qui contra agit.
[2] *V.* Tridentinum, sess. XXIV, c. II.
[3] Cap. II, *De secundis nuptiis.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1060.
[4] Synodus Novariensis nonnulla præscripsit, pag. 153 ad dubietatem auferendam.
[5] Cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legitim.
[6] V. *Cod. civil. Albert.*, art. 115 et 162. — C. A. civ., § 160. — C. G. 201. — C. S. 192.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*monio rato nondum consummato*. Dicitur etiam *impedimentum publicæ honestatis*, quia jure ecclesiastico inductum est ob publicam decentiam quæ requirit, ut qui iniit sponsalia vel matrimonium cum muliere, aliam postea non debeat ducere ex consanguineis ejusdem [1]. Hoc impedimentum perpetuum est, et durat etiam sponsalibus solutis ac matrimonio; non enim a contrahentibus pendet, sed ab Ecclesia. Et ita declaravit S. C. Concilii approbante Alexandro VII 6 julii 1658.

Publica honestas provenit vel a sponsalibus, vel a matrimonio rato. Si 1, ex Tridentino matrimonium dirimit inter sponsos et eorum parentes legitimos vel illegitimos ad primum gradum tantummodo : sic, v. g., si Caius sponsalia contraxit cum Berta, invalide contraheret quidem cum matre vel sorore vel filia suæ sponsæ; valide autem cum ejus nepte vel consobrina vel avia [2]. Ut tamen ex sponsalibus oriatur hoc impedimentum, necesse est ut ea sint : *a. certa*, id est cum determinata persona inita; *b. absoluta*, vel si conditionata, ut conditio verificata sit; *c. valida* [3], etsi postea solvantur; nam Concilium hoc solum considerat, quod a principio valida sint, ut declaravit S. C. C. approbante Alexandro VII 6 julii 1658.

Si 2, ex antiquo jure a Tridentino non innovato (ut declaravit Pius V Const. *Ad romanum* 1 julii 1568) extenditur publica honestas usque ad quartum consanguinitatis gradum inclusive, sive validum sit matrimonium, sive invalidum ex aliquo impedimento dirimente, uti impotentiæ, raptus, clandestinitatis, etc.

Diximus *sive invalidum;* attamen excipe : — 1. si matrimonii invaliditas veniat ex impedimento honestatis orto ex sponsalibus jam valide contractis; tunc jure constitutum

[1] Cap. III, IV et VIII, *De spons.*

[2] Sess. XXIV, c. III. « Ils (les fiancés) peuvent épouser les alliés de leur fiancée, à quelque degré que soit leur alliance. Ainsi, par exemple, un fiancé contracte validement, sans dispense, avec la belle-mère, ou la belle-sœur, ou la belle-fille de sa fiancée. » Gousset, *Théologie morale*, t. II, n. 818.

[3] Cap. unic., *De spons.*, in 6; et Tridentinum, sess. XXIV, cap. III.



est, ut non oriatur impedimentum relate ad personam desponsatam. Hinc si Caius, initis sponsalibus cum Lucia, eaque relicta, ejus sororem ducat, ad Luciam redire potest (imo et debet, ut satisfaciat promissis), quin indigeat dispensatione; quia ex tali matrimonio invalido non oritur impedimentum honestatis relate ad Luciam [1]. Aliter tamen esset, si Caius illud matrimonium etiam consummaverit : tunc neutram valet ducere : non Luciam ob exortam affinitatem ex illo commercio cum sorore; non sororem ob jam existens honestatis impedimentum; — 2. excipe si invaliditas matrimonii proveniat ex defectu consensus; eo in casu non oritur honestatis impedimentum. Hinc non oritur ex matrimonio inito cum amente, cum ebrio, ex errore personæ, ex metu gravi, vel cum ficto consensu, ut declaravit S. C. C. 23 martii anni 1644 [2]. Ratio quia in omnibus sic contrahentibus deficit consensus omnis, vel saltem qualis requiritur.

**542**. *An* (quæres) *publica honestas oriatur a matrimonio nullo eo quod fuerit clandestinum, uti esset matrimonium civiliter tantum contractum?* Negat Sanchez, nam Bonifacius VIII definivit non oriri impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo ob defectum consensus : tale est autem matrimonium clandestinum, cum careat eo consensu, quem exigit Ecclesia. Attamen verior sententia cum Concina, Continuatore Tournely, Laymano, Roncaglia et aliis affirmat

[1] Cap. unic., *De spons.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 1061 et seqq. Sed oritur relate ad ejus consanguineos; cum exceptio sit tantum inducta pro primis sponsalibus. *Quid vero si antequam Caius Luciæ sororem duceret, fuissent jure soluta sponsalia inita inter ipsum et Luciam? posset adhuc Caius redire ad ipsam Luciam?* Plures adhuc affirmant; nam canonico jure statutum est secunda sponsalia non habere vim retroagendi ad dirimendum matrimonium primitus promissum : nec refert quod soluta sint priora sponsalia; si enim nova contrahantur, non tam nova sunt, quam priorum renovatio et reviviscentia. Alii vero id negant, et contendunt id declaratum a S. C. C.; et ratio est (inquiunt), quia publica honestas tunc tantum habet hoc privilegium non retroagendi, cum est in præjudicium priorum sponsalium; sed cum priora sponsalia in hypothesi non amplius existant, non possunt præjudicari : ergo eo in casu publica honestas impedimentum inducit, adeo ut Caius nequeat amplius Luciam ducere sine dispensatione.

[2] *V.* Monacelli, tit XVI, form. II; et Bonifacius VIII, in c. IV et VIII, *De spons.*

oriri impedimentum, sive contrahentes intendant postea contrahere coram Ecclesia, sive non; nam si 1, censetur contractus sponsalitius, et honestas est ad primum gradum. Si 2, est matrimonium clandestinum dirimens ad quartum gradum, licet invalidum sit; nam tantum ex matrimonio nullo præcise ob defectum consensus, non autem ex alia causa impedimentum cessat oriri. Quod quidem declarasse ipsam Sacram Concilii Congregationem refert Holzman.

**543.** Q. 7. *Quid de impedimento ætatis quoad matrimonium?*

R. Impedimentum *ætatis* quoad matrimonium in eo consistit, quod ad ejus valorem jure canonico requiratur annus completus, nempe quartusdecimus in viro, et duodecimus in fœmina. Jure tamen naturæ inspecto, non esset invalidum matrimonium, si adesset discretio ante impubertatem in contrahentibus; nam contractum facit voluntas [1].

Si tamen malitia suppleat ætatem, nimirum si habeatur et doli capacitas, id est discretio, ad intelligendam vim consensus conjugalis, et potentia naturalis seu physica ad copulam, sive ad consummandum conjugalem actum (quod quidem fieri posse probat D. Hieronymus exemplo Regis Achaz, qui anno ætatis suæ undecimo genuit Ezechiam [2]); tunc etiam ante pubertatem ipso canonico jure valide contrahitur [3]. Imo et licite ex Episcopi venia, qui auditis probationibus, potest declarare, an adsit potentia illa; quia tunc etsi adhuc impuberes lege, jam sunt natura puberes ob validas corporis vires. Verum cum id probare difficile sit (si casus excipiatur, quo fœmina conceperit) tutius erit supremam Sedem adire. Ita Benedictus XIV Constitutione, *Magnæ nobis*.

At pubertate legali completa, etsi nondum advenerit potentia naturalis seu physica, valet matrimonium etiam jure ecclesiastico, quod tunc non requirit potentiam actu expedi-

[1] Addunt posse Papam dispensare cum Principibus, si expedit ob bonum pacis. At si non adsit dispensatio, et impuberes contrahant, matrimonium est nullum, sed valet uti sponsalia ex c. unic., § *Idem de spons. imp.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 841 et 1066.

[2] Ex IV Reg. XVI et XVIII.

[3] Ex cap. *De illis*, et cap. ult., *De desponsat. impub.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1065.



tam; sed potentiam, quæ possit aliquando expediri. Neque solet ab ipso jure impotentia perpetua declarari ante annum 18 in viro, et 14 in fœmina.

**545.** Q. 8. *Quid de affinitate prout dirimit matrimonium?*

R. *Affinitas*, quæ semper durat, est *propinquitas personarum quarumdam orta ex copula carnali completa, sive licita sive illicita.* Fundamentum habet in eo, quod duo fiunt una caro; et sic unus consanguineos alterius tangere censetur: et ideo affinitatem, sicuti et consanguinitatem contrahunt etiam infideles, qui ad fidem conversi cum tali impedimento conjungi non possunt sine dispensatione.

Diximus: 1. *personarum quarumdam;* quia hæc propinquitas oritur tantum inter consanguineos viri, qui cognovit mulierem, ac mulierem ipsam; et inter consanguineos mulieris, ac ipsum virum [1]; 2. *ex copula carnali completa*, id est ad producendam generationem sufficienti. Neque refert, an ea habita sit cum invita vel amente; quia semper verificatur divisio carnis [2]; 3. *sive licita*, hoc est ex matrimonio legitime contracto; *sive illicita*, nempe orta ex fornicatione, adulterio, vel incestu [3].

Jure Ecclesiæ in linea recta affinitas matrimonium dirimit ad infinitum: unde Titius non potest ducere neque matrem, neque aviam, neque filias, neque filiarum filias (et sic successive) suæ uxoris. In linea vero collaterali, si affinitas provenit ex commercio licito, extenditur ad quartum gradum inclu-

[1] « Il faut remarquer qu'on ne contracte l'affinité qu'avec les parents proprement dits de la personne qu'on a connue soit licitement, soit illicitement; elle ne s'étend point à ses alliés: *Affinitas non parit affinitatem* (*id est affinitas, quam contraho cum consanguineis, non facit me affinem cum affinibus eorumdem consanguineorum*). D'après ce principe, les deux frères peuvent épouser les deux sœurs; le père et le fils peuvent épouser la mère et la fille; un homme peut épouser successivement les veuves de deux frères. De même, celui qui a épousé la sœur de Titius pourra, après la mort de sa femme, épouser la veuve de ce même Titius. » Ita Gousset, *Théologie Morale*, t. II, n. 813. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1068.

[2] Can. XI, caus. XXXV, q. 2 et 3. Et c. *Discretion.* VI, *de eo qui cognov.*

[3] Jure tamen civili affinitas oritur tantum ex copula maritali.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE

sive, sicut consanguinitas [1]; si autem provenit ex commercio illicito, tunc extenditur tantummodo ad secundum gradum [2].

**545**. *Ad quem gradum* (inquires) *ex jure ecclesiastico extenditur affinitas ex matrimonio, quod sit invalide contractum?* Si matrimonium sit invalide contractum in mala fide, non videtur cur affinitas extendi debeat ultra secundum gradum ; nam apud omnes habetur revera uti illicita copula. Si vero matrimonium sit invalide contractum in bona fide, alii tunc affinitatem extendunt ad 4um gradum ; quia cum fide bona nullum nefas, nulla illicitas est in copula. Alii extendunt ad gradum 2um tantummodo, quia revera copula illa fornicaria est in se, et matrimonium nonnisi in fictione subsistit. — Cum res dubia sit, ad cautelam petenda est dispensatio juxta alios. Interim si non oriatur affinitas ultra secundum gradum, attamen ex illo matrimonio, nisi invalidum sit ex defectu consensus, orietur impedimentum publicæ honestatis ad quartum gradum.

**546**. *An* (quæres) *affinitas dirimat matrimonium etiam jure naturæ?* Consentiunt illud affinitatem dirimere solo jure canonico : 1. quando affinitas oritur ex copula illicita sive in linea recta sive in linea transversali; nam hæc nullam reverentiam vel amicitiam generat : et in eo datur dispensatio; 2. quando agitur de linea transversali, etiam in primo gradu, licet affinitas ex copula licita oriatur. Sane in veteri Lege non solum permittebatur, sed etiam præcipiebatur ut frater duceret uxorem fratris sui sine liberis defuncti [3] : et Pontifices hic aliquando dispensant.

Quæstio tota est de primo lineæ rectæ gradu ex copula licita, v. g., inter privignum et novercam, inter soceram et generum. Sunt qui cum Bellarmino tuentur in hoc gradu affinitatem dirimere matrimonium de jure naturali; quia hic indecentia videtur manifesta, et ab ipsa natura inducta. Verum alii negant cum Angelico, Candido, Cornejo, Gabriele, Gonet, Veracruce, etc. ; quia in aliquibus Conciliis (uti sunt Agathense anno 506, et Aurelianense III an. 538 celebrata) prohibentur dissolvi matrimonia eorum, qui in infidelitate duxerunt sibi affines in primo lineæ rectæ gradu [4] : quod quidem factum non fuisset, si talis conjunctio vetita esset de jure naturæ.

[1] Lateranense IV. — [2] Tridentinum, sess. XXIV, c. IV, *De ref. matr.*
[3] Deut. XXV. — *V.* Alasia, Billuart, etc.
[4] Adde : adversariis fatentibus, affinitas ex copula illicita, ne in ipso primo



**547**. Ad dignoscendum gradum, in quo quis cum alio est affinis, inservit regula notissima : *Quo gradu consanguinitatis quis est junctus viro, eodem gradu affinitatis junctus est mulieri.* Vicissim : *Quo gradu consanguinitatis quis junctus est mulieri, eodem gradu affinitatis junctus est viro.* Seu clarius : eo gradu una persona affinis est consanguineis alterius personæ quam cognovit, quo gradu illi ab ista persona carnaliter cognita distant : v. g. Petrus, qui Annam cognovit, est affinis cum matre et filia Annæ in primo lineæ rectæ gradu ; cum sorore ejusdem in primo gradu lineæ collateralis, cum nepte in secundo, etc. Etiam notandum, quod quis alicui potest fieri affinis ex duplici capite, licet in eodem gradu, ut si carnaliter cognovisset duas sorores suæ sponsæ.

### Art. IV. — Si clandestinus.

**548**. Q. 1. *Quid de clandestinitatis impedimento quoad matrimonium ?*

R. Impedimentum clandestinitatis situm est in illo Tridentini decreto qui jussit, ut cuncta fidelium matrimonia celebrentur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia ; et simul coram duobus vel tribus testibus. Matrimonia aliter contracta dicuntur *clandestina*, id est *occulta*, opposita nempe huic publicitati, quam requirit Concilium. Porro iis in locis, ubi Tridentinum publicatum est, conjugia clandestine inita nulla sunt et invalida (imo neque in sponsalia transire possunt, ut declaravit S. C. Congregatio penes Fagnanum). En verba Concilii [1] : *Qui aliter quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat* [2].

gradu lineæ rectæ est impedimentum dirimens de jure naturali ; ergo idem dicendum pro affinitate orta ex copula licita in gradu eodem ; eadem enim militat ratio. A tali tamen dispensatione, etsi pluries rogati semper Pontifices abstinuerunt, referente Benedicto XIV, *De Syn. Diœc.*, l. IX, c. XIII.

[1] Sess. XXIV, c. I, *De Ref. matr.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1078.
[2] Ratio, ob quam Tridentinum tulit hanc legem, fuit bonum commune, ut

**549.** Obligatio autem contrahendi coram Parocho atque testibus est et *localis* et *personalis*. Quatenus *localis* afficit territorium, et eos qui ibi matrimonio jungendi sunt, obligat; unde Catholici Angliæ, ubi non est promulgatum Concilium, in Italia nostra contrahentes, hanc legem servare tenentur. Quatenus vero *personalis* eos obligat, qui domicilium habentes in loco, ubi Tridentinum est promulgatum, in extraneo loco ubi promulgatum non est, contrahere vellent : hinc Itali per Angliam transeuntes inter se clandestine contrahere nequeunt. At possunt si domicilium vel quasi-domicilium ibi acquirant. Ita S. C. Congregatio approbante Urbano VIII 14 aug. 1622 ; in qua declaratione hoc etiam habetur, scilicet non obstare si eo transferant habitationem solo animo ut absque parocho et testibus contrahant, modo verum domicilium vel quasi-domicilium ibi adquirant ; hoc enim non est facere fraudem, sed conditionem ponere a Tridentino requisitam ; et *licet fraus intercesserit* (ait Benedictus XIV Constit. *Paucis ab hinc* anno 1758 19 mart.) *nihilominus is qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium seu quasi-domicilium adeptus erat in loco ubi matrimonium inivit.* — Diximus autem *inter se*; quia si Italus cum Angla in Anglia contraheret, valeret conjugium clandestinum ; nam cum Angla exempta sit ab illa lege, privilegium Italo communicat ob individuitatem contractus. Ita Clemens XIII anno 1767 ad archiepiscopum Mechlinensem.

**550.** *Quid* (quæres) *de locis, ubi Tridentinum non est promulgatum?* In iis locis clandestinum matrimonium validum est, ut in Anglia, Scotia, Suevia, Dania, et pluribus Helvetiæ locis : item Saxonia, Borussia aliisque provinciis septentrionalibus, quæ a fide defecerunt ante 1564, quo decreta Concilii confirmata et promulgata fuere. Etenim Tridentinum statuit, ut illa lex non obtineat, nisi post 30 dies a

nempe evitarentur mala illa gravissima, quæ a matrimoniis clandestinis oriri solent ; nam plerique, relicta uxore priori, quacum clam contraxerunt, cum alia contraherent palam ; et sic perpetuo viverent in adulterio. Quæ proinde lex cum lata est in præsumptione periculi universalis, non cessat in casu particulari, quo nullum tale timeatur damnum. Nam stat semper illa generalis periculi præsumptio.

19 de mayo



facta in unaquaque Parochia promulgatione : quæ tamen promulgatio ex declaratione S. C. Congregationis, referente Zallinger, satis censetur obtinere, etiam per solam observantiam et usum decreti : et ita etiam respondit cardinalis Zelada nomine Pii VI ad episcopum Lucionensem 28 maii 1793.

**551.** Quæstio maxime esse potest de provinciis fœderatis Hollandiæ et Belgii (*Pays-Bas*), ubi fuit Tridentina lex promulgata, et in praxim deducta; sed postea ibi calviniana hæresis principatum obtinuit. Benedictus XIV, Const. *Matrimonia* anno 1741, 4 novemb. quæstionem solvit statuens matrimonia clandestina in dictis provinciis celebrata non tantum ab hæreticis inter se, sed etiam a Catholicis cum hæreticis, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum pro validis habenda esse. Hæc tamen declaratio seu Pontificium indultum non respicit Catholicorum conjugia inter se, ut ipse Pontifex declaravit in epistola Decretali *Redditæ nobis* 17 sept. 1746 [1]. Item solas respicit *fœderatas illas provincias*, ut respondit Pius VII ad Vicarios generales Pictavienses, 29 aug. 1818; nisi illud indultum de facto ad alias extendatur a Romana Sede (*O*).

**552.** *Quid* (dices) *si neque ad Parochum neque ad Sacerdotem ab eo delegatum recurrere possint contrahentes?* R. Si agatur de casu aliquo speciali quo sit absens Parochus et urgeat matrimonium, puta moribundi ad legitimandam prolem, tunc matrimonium non potest valide celebrari ; neque enim lex respicit accidentia. Si vero agatur non de aliquo accidente, sed de tota communitate, quæ non amplius Parochum vel ab eo delegatum habere possit, neque ullo modo ad ecclesiasticum superiorem fieri possit recursus, tunc matrimonia contracta tantummodo coram testibus valida sunt ; idque merito, secus Tridentina lex vergeret in ruinam societatis. Ita declaravit Pius VI, 28 maii 1793 ad episcopum Lucionensem : quod valet etiam *cum contrahentes ad Parochum aut Superiorem legitimum nonnisi difficillime seu periculosissime recurrere possint*, ex ejusdem Pontificis responsione 5 oct. 1793 ad episcopum Genevensem. Quæ quidem resolutiones datæ pro tempore perturbationis Gallicæ debent etiam applicari matrimoniis Catholicorum in India, apud Sinenses, etc., qui ad Missionarium catholicum recurrere nequeunt.

**553.** Q. 2. *Qui Parochus matrimonio assistere debet?*

R. Ad validam assistentiam requiritur Parochus proprius,

[1] *De Syn. Diœc.*, l. V.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quo nomine intelligitur qui hic et nunc, nempe tempore celebrationis, habet ordinariam jurisdictionem in contrahentes. Est autem Parochus tum domicilii tum quasi-domicilii, in quo nempe quis versatur; non vero originis in quo quis natus est; ut declaravit Sacra C. Congregatio. Nihil autem refert, si parochus domicilii vel quasi-domicilii, aut ab ipso delegatus sacerdos extra Parœciam vel Diœcesim assistat, etiam contradicente Parocho loci; actus enim assistendi actus est potestatis assistendi uti testis, non actus jurisdictionalis; vel si actus jurisdictionis non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, quæ etiam extra territorium exerceri potest. Neque etiam refert, quod extra Ecclesiam Parochus vel delegatus assistat; quia nihil tale præcipitur ad ipsum matrimonii valorem.

Diximus: 1. *domicilii:* ad domicilium autem acquirendum requiritur factum habitationis cum animo hic et nunc illam perpetuo tenendi: et acquiritur ipso primo habitationis die [1]; 2. *quasi-domicilii:* contrahitur autem quasi domicilium ab eo qui habitat alicubi non per transitum, sed per majorem anni partem, aut cum animo permanendi ibi per majorem anni partem. Imo communiter receptum est cum Layman, Navarro et Benedicto XIV sufficere ad contrahendum quasi-domicilium habitationem per aliquam notabilem anni partem causa alicujus negotii, puta ad studendum, vel ad exercendum officium judicis, medici, professoris, mercatoris, famuli, tabernarii et similium [2]. Attamen ut quis contrahat in aliquo loco ratione quasi-domicilii ex Constit. *Paucis ab hinc* Benedicti XIV, necesse est ut habitaverit spatio saltem unius mensis in loco ubi matrimonium celebrat. Idque merito; sic enim jam cognitus fit ab incolis illius loci, ac quasi concivis.

**554.** Hisce positis, practicæ quæstiones resolvuntur: 1. *Gubernatores, judices, medici, scholastici* valide contrahunt in locis, ubi ad tempus habitant, ratione quasi-domicilii.

[1] L. XX, ff. *Ad municip.* — *V.* Liguori. *Op. Mor.*, l. VI, nn. 1085 et seqq.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 115; l. I, n. 156. — Benedictus XIV, *Notificatione* xv, xxxiii et lxxxviii. — Pavone, Carrière, Bouvier, etc.



2. *Educandæ* valide contrahunt coram Parocho Ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, ratione item quasi-domicilii [1]. Et idem valet de *famulis* et *ancillis*, quæ penes dominos suos quasi-domicilium contraxerunt: qui ideo eo in loco valide matrimonium celebrant. *Puellæ* vero *expositæ*, quæ sunt in hospitiis, contrahere debent coram Parocho loci illius. Idem ex antiqua, quæ est, consuetudine, dicit cardinalis Lambertini de *puellis, quæ vivunt in conservatoriis,* a quibus aluntur atque dotantur.

3. *Vagus* (nempe qui nullibi habitationem fixam habet, vel relicto corpore et animo domicilio suo, iter facit quærens ubi se collocet) potest contrahere coram quocumque parocho, in cujus nunc dictione versatur; licet tantum alter sponsorum sit vagus; quia sponsus habens domicilium fixum alterius privilegio potest uti: idque Barbosa refert decisum a S. C. C. Hoc tamen, ex Tridentino, non sinant Parochi, *nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint:* quam quidem licentiam Episcopus ex Instructione S. C. C. non concedat, nisi ei de statu libero authentica fides Ordinarii originis exhibeatur [2]

4. *Exteri carceribus detenti* non possunt ibi contrahere, si custodiæ tantum causa ibi detineantur; at possunt, si ibi in pœnam sit carcer ad debitum tempus eis assignatus. —

[1] Ita S. C. C., 19 dec. 1748. — Contraria antem dispositio, cujus meminit Benedictus XIV *Notificatione* xxxiii, respicit tantum Statum Romanum, cujus quidem talis est usus, ut nempe educandæ, collegiales, familiares ac famuli, si habent domum vel familiam in alia Parœcia, ad hanc pertineant tum quoad matrimonium, tum quoad funera; proclamationem tamen matrimonii in utraque Parœcia fieri deberent. Sed educandæ peccant in loco monasterii contrahendo; cum sit prohibitum a S. C. C. quæ vult, ut dictæ puellæ exeant a monasterio, et domum parentum revertantur, ibique contrahant.

[2] Sess. xxiv, c. vii, *De R. matr.* — V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XVIII. n. 72. Si legaliter neque authentico scripto neque testibus valeat probari status libertas, in necessitate suppletur (Pontifice summo indulgente) juramento ab ipsa parte in propria causa emisso; quatenus coram Deo ipsum invocando protestatur ac declarat, se nullo conjugii vinculo teneri. En juramentum vulgo *suppletorium.* — *V.* Ferraris, v^is^ *Instructio testium*, *Vagus.*

*Infirmi* autem *extranei* extra casum præcisæ necessitatis non possunt contrahere coram Parocho, in cujus loco hospitale situm est. At possunt (ex S. C. C., 22 apr. anno 1622), si ibi jam domicilium vel quasi-domicilium contraxerint.

5. *Milites* ex pluribus S. C. C. decretis, sive sint in præsidiis, sive in stationibus, sive in castris, nequeunt contrahere coram Capellano; sed debent ad validitatem contrahere coram Parocho, in cujus Parochia actu consistunt. Excipe, nisi Capellanus castrensis sit ad animarum curam deputatus, vel assistendi facultatem obtinuerit: quo in casu ejus potestas non est privativa, sed cumulativa cum potestate Parochi, ita ut et loci Parochus et ipse æque possint assistere: ita S. Concilii Congregatio 29 maii 1685. Verum generaliter milites in expeditione et actuali servitio æquiparantur vagis; ideo matrimonia valent contrahere eodem modo. At præstat, ut Parochus nihil agat hac in re, Episcopo inconsulto, ne periculo aliquo se vel alios exponat, offendendo leges civiles, si quæ tale matrimonium quoad civilia moderentur.

**555**. *Quid* (quæres) *si duo sint Parochi ejusdem Parœciæ, vel contrahentes duo habeant domicilia?* R. In primo casu uterque Parochus potest assumi, etiam invito altero; quia uterque est Parochus proprius: ita S. C. C. In secundo, licet aliqui teneant esse contrahendum in Parœcia, ubi tunc temporis habitant; communissime tamen et valde probabiliter tenent alii contrahi posse in utraque Parœcia, modo in utraque habuerint sponsi habitationem ita, ut non habeatur ratio habitationis actualis, sed æqualis: quæ quidem æqualitas non mathematice, bene vero moraliter accipienda erit: hinc sponsa quæ fere æqualiter habitat duo loca, v. g., unum hieme, alterum æstate, potest æque contrahere cum alterutro parocho. At notamus cum Benedicto XIV, *Parochum ruralem non esse proprium, quando rusticatur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis*, ut pluries declaravit S. C. C.[1]; vel etiam valetudinis recuperandæ gratia. Quod tamen intelligi recte dicunt, si sponsus aliquoties, sive per breve tempus ruri degat: ita Barbosa cum Lugo et aliis.

[1] *Notificatione* XXXIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1086.



**556**. *Quid* (addes) *si sponsi ad diversas Parœcias pertineant?* Tridentinum præcipit adhiberi Parochum illius contrahentis, in cujus Parœcia celebratur conjugium. Verum ex universali et antiquissima consuetudine illud celebrandum est in domicilio sponsæ; ideoque ab illius Parocho[1]. Et recte; neque sane æquum est, ut sponsa paternam domum deserat, nisi jam conjuncta viro ab eoque desponsata. Hoc tamen ad validitatem non refert; sed uterque Parochus valide assistit, ut declaravit S. Concilii Congregatio 16 febr. anno 1595 (*P*).

**557**. Q. 3. *Quænam esse debent qualitates Parochi assistentis?*

R. Ut valide assistat (vel facultatem assistendi tribuat) Parochus, satis est, quod communiter habeatur uti *verus Parochus*, seu quod titulum habeat coloratum, talem nempe qui per se aptus quidem est ad parochiale Beneficium conferendum, etsi ob latens vitium, v. g., ob simoniam occultam, illud non confert; id sane fidelium bonum expostulat, secus pluries de matrimonii validitate dubitaretur. Hinc Parochus valide assistit, licet ab Episcopo prohibeatur, quia per hoc non desinit esse Parochus, etsi graviter peccaret violando grave superioris præceptum: item valide assistit, licet nondum Sacerdos, etsi Sacerdos esse debeat qui ab ipso delegatur[2]. Item est si sit irregularis, interdictus vel nominatim et publice denuntiatus suspensus ab officio, aut excommunicatus, ideoque vitandus; quia hæ censuræ non privant per se ipsa Parœcia. Aliunde hac in re Parochus non exercet aliquam jurisdictionem, sed assistit tantum uti testis qualificatus a Tridentino deputatus, ut de matrimonio possit, occurrente necessitate, testificari; et ita declaratum esse a S. C. C.

[1] Item lege Synodali Novariensi præceptum est, p. 155.

[2] Valet matrimonium, licet is cui concedit parochus licentiam assistendi sit merus laicus, si communi æstimatione et errore credebatur sacerdos pro tali publice se gerens; quia quamvis parochus non possit dare hanc licentiam non sacerdoti, attamen hic concurrit titulus præsumptus, nempe licentia a superiore data, item communis error; et impedimentum ob quod invalida foret, est solius juris humani, in quo casu jus pontificum supplet defectum, ob publicam utilitatem. Ita Suarez, *De matrimonio*, l. III, disp. XXII et XXIII. *V.* in fine vol. Append. IV *Casus*.

refert Fagnanus : imo in probabiliori sententia iste parochus potest ob eamdem rationem dare licentiam assistendi etiam alteri Sacerdoti [1].

Si tamen sit publicus ac declaratus hæreticus, non assisteret valide in loco, ubi Tridentinum promulgatum est; nam est privatus ipso jure Beneficio parochiali : ideo desinit esse Parochus. Item nec valide assisteret Parochus qui a parochiali officio depositus dignoscitur; tunc enim non est amplius verus Parochus. Item nec intrusus, id est sine ulla legitima superioris auctoritate in Parochia positus; fideles enim non possunt habere uti verum Parochum, qui saltem apparentem non habet titulum : et hoc constat ex Instructione Pii VI ad Episcopos Galliæ, 26 sept. 1791.

**558.** Q. 4. *Quinam præter Parochum potest assistere?*

R. Præter Parochum valide matrimonio assistit :

1. Episcopus pro tota Diœcesi : sane ipse potest alium Sacerdotem delegare; ergo poterit et ipse id agere per se, nam ex regula juris *nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*. Declaravit autem S. C. C. 9 sept. 1684, quod si Episcopus mandat Parocho credito Parocho domicilii, ut assistat matrimonio, licet non sit talis, valet matrimonium. Hanc etiam facultatem assistendi et delegandi habet Vicarius generalis : neque eum potest prohibere Episcopus ex declaratione ejusdem S. C. C. apud Croix.

2. Vicarius Capitularis, sede vacante. Abbates jurisdictione quasi Episcopali pollentes. Et Archiepiscopi in Diœcesi Suffraganeorum tempore visitationis et appellationis. Nam isti tunc in jurisdictione sunt.

3. Quilibet Sacerdos tam propriæ quam alienæ Diœcesis, qui ab Ordinario (vel ejus Vicario) aut Parocho licentiam obtinuerit, ut ait Tridentinum. Hæc licentia debet esse expressa, non retractata; nec sufficeret tacita, nempe tantummodo supposita. Excipe nisi tacita licentia expressæ æquivaleat, ut si Parochus præsens esset Sacerdoti matrimonio assistenti,

[1] Attamen parochus vitandus extra necessitatem assistens mortaliter peccaret; quia communicaret in re gravi et sacra cum fidelibus. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1085.



atque sileret, cum tamen possit de facili contradicere. Nec etiam sufficit præsumpta, qua quis nempe secum ipse putat ratum postea a Parocho habendum fore quod agit; quia hæc non est actu licentia. Sufficit tamen licentia quæ sit data et acceptata, etsi metu extorta; cum satis sit voluntaria. Item ex declaratione S. C. C. sufficit generalis deputatio, et licentia ad cuncta munia parochialia obeunda; quia in hac continetur quoque facultas assistendi [1].

**559.** Hæc porro licentia vel deputatio adeo necessaria est ex Tridentino, ut si quis vel Parochus alienus, vel Sacerdos tam sæcularis quam regularis auderet sine ipsa alicui matrimonio assistere vel benedicere, incurreret suspensionem ipso facto tamdiu duraturam, quamdiu ab Ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse deberet, absolvatur [2]. Quam suspensionem pobabilius censet Alasia cum Sanchez, non esse ab officio simul et Beneficio, sed ab exercitio Sacerdotali tantum; nam juxta canonum intelligentiam ex subjecta materia determinatur pœna, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit.

Ubi notamus ex Synodo Novariensi, Coadjutores parochiales etiam titulares non posse (valide) matrimonii celebrationi præesse sine speciali mandato (*pag*. 361). Quod tenet sive Parochus absens sit, sive moriatur; neque enim per ejus mortem ipsi Coadjutores Titulares veri Parochi evadunt.

**560.** *Delegatus* (quæres) *poteritne alterum subdelegare?* Si agitur de Sacerdote delegato ad cuncta parochialia munia obeunda, sive, ut aiunt, ad universitatem causarum (ut sunt Vice-Parochi ab Episcopo deputati; vel etiam si suo substituto diceret Parochus ad aliquod tempus a Parœcia discessurus : *Parœciam tibi commendo, fac ut alter ego*), jure poterit alterum subdelegare ad unum, vel ad alterum munus speciale : ideo etiam ad assistendum alicui matrimonio. Si vero agitur de delegato ad munus tantum speciale, v. g., ad conferen-

[1] An pastor dicendo cuipiam : *Habe curam meæ parochiæ*, censeatur dare licentiam assistendi? Ordinarie talis generalis commissio id non includit, nisi circumstantiæ, v. g., diuturnæ absentiæ, consignificent. *Dens.*

[2] Sess. XXIV, c. I, *de R. matr.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1088; *Homo Apost.*, t. XVIII, n. 71.

dum Baptisma, ad assistendum matrimoniis, alium subdelegare non poterit ex dispositione juris positivi: sane tunc non jurisdictio, sed certum ministerium dumtaxat ei committitur, quod nequit de novo alio committi[1].

**561.** Q. 5. *Qualis esse debet præsentia testium et Parochi?*

R. Ad 1: Cum Tridentinum indicando testes, non dicat eos esse debere omni exceptione majores, inde deducunt sufficere etiam personas infames, fœminas, parentes, servos, infideles et pueros, usum tamen rationis habentes. Neque refert, quod sint per vim adducti, vel affectent non intelligere, vel sponsorum verba distincte non audiant; eo enim ipso, quod vident illos coram ministro libere sistere, et ritum Ecclesiæ celebrare, jam moraliter sunt præsentes, ita ut sufficienter testari possint de contracto matrimonio. Testes autem saltem duo esse debent, et simultanee cum Parocho præsentes, cum datur sponsorum consensus.

R. Ad 2: Quod dictum est de testibus, magis currit de Parochis quoad modum præsentiæ: nempe hæc talis esse debet. ut Parochi advertere possint quid agatur, et de eo testari. Iccirco non sufficit præsentia materialis: unde dormientes, ebrii vel amentes invalide assisterent; sed requiritur præsentia moralis, nempe ut advertant ad ea quæ fiunt. Non autem necesse est, ut videant contrahentes, modo eorum consensum sine ulla deceptione, sed vere et clare audiant. Hinc Parochus cæcus assistit valide, ut tenent merito plures contra Van Espen; non tamen si cæcus simul et surdus. Quod si non rite intelligant sponsorum consensum, v. g., quia sunt diversi idiomatis, satis est ut Parochi per unum interpretem de vero consensu certiorentur. — Non autem refert, etiamsi per dolum, metum, aut injuriam detineantur Parochi, et ipsi resistant et contradicant, ut sæpius fuit definitum a S. C. C. Sed peccarent graviter contrahentes, si vi aut dolo casu transeuntem Parochum detinerent, ut matrimonium coram eo contraherent; gravis enim irrogaretur injuria tam Sacramento quam Ecclesiæ; cum Parochus tunc

[1] Ex c. *Quoniam* XLIII *de off. deleg.*, § *Ceterum*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 566.



habeatur uti persona publico ministerio mancipata[1] (*Q*).

**562.** Ex Synodo Novariensi (*pag.* 157) ipso facto excommunicantur, qui eo temeritatis devenerint, ut neglectis denuntiationibus, aliisque omissis, coram Parocho inscio vel invito, matrimonium celebrant: quam quidem pœnam incurrunt etiam testes, ceterique opem præbentes.

### Art. V. — Impos, raptave si mulier.

**563.** Q. 1. *Quid impotentia prout est matrimonii impedimentum?*

R. *Impotentiæ* nomine hic intelligitur *incapacitas ad copulam maritalem*. Oriri potest potest vel ex privatione membrorum; vel ex eorum improportione; vel ex frigidate; vel ex maleficio. Dicimus *incapacitas ad copulam maritalem*, quia copulæ tantum capacitas ad essentiam matrimonii requiritur: unde sicut nullum est matrimonium inter eos qui nequeunt illud consummare eo actu, ex quo de se esset possibilis generatio; ita validum est inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare. Hinc Ecclesia permittit conjugia inter senes et steriles, qui licet non ad generationem; ad copulam tamen sunt idonei. Item inter moribundos, qui veram habent potentiam, licet morbo impeditam. Item inter eos, qui unum tantum habent testiculum; quia nihilominus verum semen emittunt. Pariter nec sunt impotentes fœminæ, quæ aut susceptum viri semen retinere, aut sine mortis periculo parere nequeunt; quia tum illa seminis susceptio, tum istud periculum jam ostendunt potentiam ad copulam consummatam.

Contra sunt impotentes eunuchi perfecti, qui nempe utroque carent testiculo, ut declaravit Sixtus V anno 1587. Item qui contusos habent testiculos; cum tales sint, ut verum semen emittere nequeant.

**564.** Multiplex est impotentia ad copulam: — 1. alia est

[1] Ex S. C. C., 6 maii 1741, *matrimonium initum a sponso faciem habente palliatam naso tenus, nullum est*: intellige si inde sponsus alia ratione non dignoscatur a Parocho. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1092.

*naturalis*, quæ provenit ex defectu naturali, puta ex nimia frigiditate in viro, vel nimia vasis coarctatione in fœmina. Alia *accidentalis* quæ provenit ex vitio extrinseco, accidentali, v. g., morbo : vel etiam maleficio, cujus casus etsi rarissimus, contingere tamen posse non est dubium; 2. alia est *perpetua*, et talis habetur, quæ mediis naturalibus aut licitis tolli nequit, nempe nisi per miraculum aut per peccatum aut cum periculo mortis. Alia *temporanea*, quæ mediis licitis et ordinariis, v. g., chirurgorum operationibus aufertur : — 3. alia *absoluta*, quæ est cum personis quibuscumque : hac laborat vir utroque testiculo carens. Alia *respectiva*, quæ non est, nisi cum tali persona : sic mulier potest esse apta copulari cum uno, non cum alio; — 4. alia *antecedens*, quæ matrimonii celebrationem præcessit; alia *subsequens*, quæ illam secuta est[1].

**565**. Impotentia antecedens et perpetua, sive naturalis sive accidentalis, dirimit profecto matrimonium. Et quidem respectu omnium, si sit absoluta; respectu vero illius tantum personæ, quacum coiri non potest, si sit relativa. Id autem habemus tam ex jure positivo canonico[2], quam ex jure naturali; nam *sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare vel facere; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit :* ita Angelicus[3]. At idem dici non debet neque de impotentia temporanea; quia qui hac laborat, absolute loquendo, ad copulam perficiendam idoneus est. Neque de impotentia subsequente; quia hæc jam invenit matrimonium validum, ideoque illud dissolvere non potest. — Hic autem nonnulla notamus pro praxi :

[1] Si dubitetur an impotentia præcesserit vel subsecuta sit, judicabitur præcessisse, si profecta sit a causa intrinseca ; quia quod a natura est, semper inesse præsumitur. Si vero ortum habuerit a causa extrinseca, v. g., a mutilatione membri, judicabitur antecedens, si allegetur brevi tempore, v. g., uno vel altero mense post matrimonium ; subsequens, si post longum tempus; quia tempore matrimonii quisque præsumendus est potens, nisi contrarium illico ac certo probetur.

[2] C. v, *De frig. et malefic.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1095.

[3] Suppl. q. 58, a. 1.



1. Cognita impotentia certa et perpetua, sponsi sine ulla temporis mora, possunt illico se separare, etiam propria auctoritate (si tamen id valeant sine scandalo, secus requiritur auctoritas judicis ecclesiastici) : imo tenentur, si adsit periculum incontinentiæ; nam matrimonium est certe nullum, ideo nulli actus matrimoniales permittuntur. Olim, ait Alisia, his conjugibus, ceu potius contrahentibus, permittebatur, ut possent simul habitare non tanquam conjuges, sed tanquam frater et soror[1]. Verum ex hodierna Ecclesiæ disciplina non amplius id conceditur, præsertim si conjuges juvenes sint, licet non institerint pro declaratione nullitatis matrimonii. Hinc Sixtus V Litteris ad Episcopum Novariensem apostolicæ Sedis in Hispania Legatum præcepit, ne tales contrahentes simul cohabitarent.

2. Si impotentia sit dubia, quæ superveniat seu cognita sit matrimonio bona fide celebrato, tunc ex jure canonico datur triennium ad tentandam matrimonii consummationem; ideoque dubitantes uti veri conjuges haberi licite possunt et copulam experiri, etsi semen extra vas effundant, ut communiter dicunt. Hoc tempus in veriori sententia incipit a tempore copulæ intentatæ; debet autem esse moraliter continuum, nempe ut conjuges secum cohabitent per majorem anni partem. Si vero dubium antecedit matrimonium, non potest qui dubitat illud inire ob gravem injuriam quam parti irrogaret. Quod si, hoc non obstante, contraxerit, adhuc conceditur triennalis experientia.

3. Judicium de impotentia non ad Parochum neque Confessarium spectat; sed ad judicem ecclesiasticum, qui audire debet medicos et obstetrices, quarum etiam præscriptionibus standum est ab impotentia laborantibus, si non sint ita molestæ, dolorosæ ac gravissimæ[2].

4. Elapso triennio, et adhuc perseverante impotentia, hæc judicatur perpetua, tunc conjuges sunt separandi, ex dictis. — Quid si Confessarius deprehendat conjuges in bona fide versari, et admonitos suspicetur non esse obtemperaturos?

[1] C. v, *De frig. et malefic.*

[2] C. *Laudabilem de frig.*, etc. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1099.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prudenter abstineat a monitione, ne illi a peccato materiali in formale certo et facile labantur, ut experientia docet.

**566**. Q. 2. *Quid de impedimento raptus quoad matrimonium?*

R. *Raptus*, prout est impedimentum dirimens matrimonii, definitur : *Violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa.* Hoc impedimentum Ecclesiæ jure inductum est; ait enim Tridentinum : *Decernitque sancta Synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium*[1]. Nihil autem refert, quod vir ad mulierem rapiendam utatur opera alterius; nam qui per alium facit, per se facere censetur[2].

Dicitur : 1. *violenta;* etenim si desit vis, vel si adsit consensus mulieris, cessat crimen raptus; quia tunc potius habetur fuga[3].

[1] Sess. XXIV, c. VI, *De R. matr.* — V. Gousset, *Theol. Mor.*, n. 797, ubi fuse. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 1032 et 1107. Probabilius est, tantum matrimonium, non vero sponsalia inter raptorem et raptam irrita esse; nam non eadem et adæquata ratio currit, cum sponsalia non tantam libertatem equirant, utpote rescindibilia. Ita Perez, Pickler, Krimer, etc. Verum alii communius cum Sanchez et Salmanticensibus contrarium docent; quia cum sponsalia sint via ad matrimonium, eamdem requirunt libertatem.

[2] *Melania de Busiridis mandato rapta a Democrito, Democritum potius quam Busiridem in conjugem ducere parata est : quid?* Potest valide illum ducere, quia proprie raptor non est qui mandatur, sed qui mandat ad rapiendum; Democritus hic non agit nomine suo in rapiendo : unde non est verus raptor, etsi nunc illam detineat. Ita Aversa, Giribaldus et alii.

[3] Vis autem ista potest esse tam physica, v. g, violenta manuum injectio; quam moralis, v. g., dolus, deceptio, metus gravis, sive inferatur per se sive per alios. « Soustraire une fille à ses parents, c'est un rapt, et par suite un empêchement dirimant, quand même le ravisseur n'aurait pas employé la force physique, mais simplement la séduction ou la violence morale ; quand même encore il l'aurait demandée en mariage et qu'elle y aurait consenti, si les parent ont refusé et qu'elle ait manifesté l'intention de leur obéir. La nullité du mariage peut être invoquée par la personne enlevée, même après plusieurs années, et, lors même qu'elle aurait eu des enfants, si pendant ce temps elle n'a pas été libre de faire valoir ses droits en justice. En pareil cas, le mariage est nul, sauf les droits des enfants qui en sont provenus. » *S. Congr. Conc.*, 18 jun. 1859. Docet Clericatus : si puella in propria domo obsideatur, ita ut exire non valeat, adest verus raptus; quia censetur esse in manu ejus, cujus satellites domum obsident; ideo implicite abducta.



2. *Abductio*, id est traductio de loco in locum, vel etiam de domo in domum per aliquot inde passus distantem. Unde non sufficit, quod mulier transferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur (tunc esset tantum vis, non abductio); sufficit vero si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri. Cessat autem impedimentum, si mulier loco sit reddita tuto; nam Tridentinum ait valere matrimonium, si sit *rapta a raptore separata; et in loco tuto, et libero constituta; et eum in virum habere consenserit.*

3. *Mulieris;* quia si rapiatur vir, nullum erit impedimentum raptus; cum de hoc casu non loquatur Concilium. Nec sane eadem ratio est; tum quia id raro accedit; tum quia vir non ita facile vinci potest. Ita communiter tenent Sanchez, Smalzgrueber, et Billuart contra Clericatum et Collet.

4. *Matrimonii ineundi causa :* nam Concilium spectat raptum solummodo in ordine ad matrimonium, cujus libertatem assecurare voluit. Unde hoc impedimentum non extat, si mulier abducatur alia quacumque de causa, quæ non sit etiam matrimonii contrahendi. Hinc non erit impedimentum raptus, si mulier tantum rapiatur ad obtinendas ab ea pecunias, etsi postea conveniatur cum illa de matrimonio. Idem probabilius est, si mulier tantum rapiatur ad eam deflorandam.

Idem est si interveniat solus raptus seductionis, qui tunc locum habet, cum mulier blanditiis, muneribus, promissis, illecebra voluptatis aut quolibet alio modo illecta, invitis iis a quibus ipsa pendet, raptorem sequitur. Ita Tridentinum communiter interpretanntur auctores[1] : et hodie maxime firmatur ex Littera responsiva Pii VII 27 junii anno 1805 ad Napoleonem I, qui postulando dissolutionem matrimonii fratris sui Hieronymi, memorabat inter ceteras causas raptum seductionis cum parentum dissensu : « Il est contraire aux maximes de l'Église de faire découler la nullité du mariage de la circonstance du *rapt* ou de *séduction :* l'empêchement

[1] Citat Alasia declarationes S. C. C., 3 martii 1714. — It. V. Giraldus, *Expositio juris Pontificii.* — It. Zamboni, *Collectio Decretor. S. C. C.*

produit par le rapt n'a lieu qu'autant que le mariage a été contracté entre le ravisseur et la personne enlevée, avant que celle-ci ait été remise en pleine possession de sa liberté. Or, dans le cas actuel, il n'y a rapt en aucune façon, d'autant que les mots de *rapt*, de *séduction*, employés dans le mémoire, ne signifient autre chose que l'absence de consentement de la part de parents, dont on veut déduire la *séduction* d'une mineure : on ne saurait, en conséquence, y trouver un obstacle *dirimant* par rapport au lien matrimonial[1]. »

**567**. *Sed* (quæres) *quænam pœnæ constitutæ sunt contra raptores?* Ex Tridentino (præter impedimentum dirimens, quod incurrit raptor) tum raptor, tum omnes eidem consilium et favorem præbentes, si laici, incurrunt excommunicationem nemini reservatam : item infamiam perpetuam ac inhabilitatem ad omnes dignitates; et si Clerici sint, ejectionem insuper e proprio gradu. Imo raptor ligatur obligatione dotandi raptam. Ubi notandum est : 1. excommunicationem ipso facto incurri; ceteras pœnas nonnisi post sententiam : cum hæ nimiam acerbitatem contineant, ut illico quis eas debeat in se exequi; 2. dictas pœnas non incurri ab eo, qui ab aliis jam raptam mulierem domi suæ retinet : quia raptus jam est consummatus.

Quod si jam desponsatus, rapiat sponsam, censent Henriquez ac Ledesma ipsum nec impedimentum, nec ceteras pœnas incurrere; ex jure antiquo[2]. Sed verius id negant Concina, Sanchez et Salmanticenses, casu quo fœmina abducatur invita; nam ipsum Tridentinum (quod reformavit jus antiquum) indistincte loquitur de omni raptore.

**568**. *An* (addes) *si non impedimentum, saltem incurrat ceteras pœnas qui abducit mulierem causa libidinis, vel alio malo fine, quam ad matrimonium?* Alii negant; quia Tridentinum solum intendit favere libertati matrimonii : sane ea in sessione loquitur de solo matrimonio. Alii vero gravissimi auctores affirmant; quia Tridentinum in illo speciali capite generaliter loquitur. Et quamvis quoad impedimentum inducendum Tridentina lex communi sensu sic fuerit recepta; non ita tamen est quoad alias constitutas pœnas.

**569**. Hic notamus ex Codice pœnali Regni Subalpini mulierum rap-

[1] Artaud, *Histoire du pape Pie VII*, vol. II. — La Motta, *Teorica dell' istituz. del matr.*, par. IV : documenti. Unde contraria opinio, quæ jamdiu in Gallia viguit, hodie in ipsa Gallia rejicitur; ac merito, consuetudo enim fundata in falsa legis interpretatione, non parit effectum; ait Gousset.

[2] Cap. penult., *De rapt.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1108. — Ferraris, v° *Raptor*.



tus etiam causa libidinis, gravissime puniri, nempe carcere, relegatione, pœna confini, etc., habita circumstantiarum ratione[1].

Corollarium. — *De Matrimonii denuntiationibus seu bannis.*

**570**. Q. 1. *Quid de denuntiationibus matrimonii?*

R. Denuntiationes matrimonii fuerunt inductæ : 1. et maxime, ut detegantur si quæ forte extent impedimenta; 2. ut eliminentur matrimonia clandestina; 3. ut filiifamilias, invitis vel insciis parentibus, non contrahant juxta illud :

*Ne vetitus, ne clam, invito nubasve parente.*

Si tamen banna omittantur, non ideo invalidant matrimonium; cum illis clausula irritans non sit apposita. Hac de re Tridentinum *præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum*[2]. Explicantur verba :

1. *Tribus continuis diebus festivis :* quæ continuitas ita est accipienda, ut nulli festi dies præsertim dominici inter unam alteramque denuntiationem intercedant; alioquin non excusaretur quis a veniali, quia jam contra præceptum faceret. — Dies porro illi debent esse *festivi* sive ex præcepto generali, sive ex præcepto particulari alicujus loci, sive ex lege scripta, sive ex consuetudine. Episcopus tamen potest dispensare, ut fiant etiam diebus ferialibus (ut declaravit S. C. C. penes Barbosam), si æque servetur finis Concilii, ob populi concursum.

2. *In Ecclesia*, id est in Ecclesia parochiali contrahentium : possunt autem fieri probabiliter etiam in Oratorio, saltem cum aliqua causa, uti dicunt Barbosa, Navarrus et Sanchez : hoc

[1] Art. 493 et seqq. — C. A. pœn., p. I, § 80.

[2] Sess. xiv, c. 1, *de R. matr.* « Les mariages mixtes sont soumis aux règles générales, et sont publiés à l'église, et la crainte de la singularité ne fournit pas matière à dispense. » Nardi. — *V.* Ferraris, v^is *Bannitus*, *Matrimonium*, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 989.

utique liceret, si illuc generaliter veniant parochiani, et Missa parochialis ibi celebretur. Item ad januam Ecclesiæ; imo etiam extra, confluente, ad aliquam celebritatem magno populo; quia sic jam obtinetur finis Concilii: idque probabile videtur fieri posse saltem sine mortali, imo si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.

3. *Inter Missarum solemnia*, id est in Missa parochiali vel conventuali, ut declaravit S. C. C. Quod si per oblivionem vel alia de causa omittantur in Missa, *possunt etiam fieri diebus festivis, dum cantantur Vesperæ* ex eadem S. C. Sed dicunt probabiliter Barbosa, Roncaglia et Sanchez, quod possunt etiam fieri in Ecclesia tempore processionis vel concionis, etsi non sit inter Missarum solemnia.

4. *A proprio contrahentium Parocho:* quod si sponsi fuerint diversæ Parœciæ, etsi ejusdem Diœcesis, in utraque Parœcia fieri debent denuntiationes ut dicit Rituale. Si vero alter sponsorum de brevi moretur in aliquo loco, denuntiationes sunt faciendæ etiam in Parœcia, unde discessit, ut declaravit S. C. C. — Et hic notandum, quod si alter sponsorum ad aliam Diœcesim, a qua ætate jam nubili discessit, pertineat, tunc externus ille debebit etiam referre *statum*, ut vocant, *liberum* exaratum ad normam Instructionis S. C. C.[1]: et status iste debet prius recognosci, et approbari in propria etiam Curia episcopali, antequam Parochus matrimonio assistat. Imo status libertatem etiam illi Diœcesani probare debent, qui diu (ex Synodo Novariensi, si per quatuor menses continuos) post ætatem nubilem a propria Diœcesi abfuerint.

**571**. Parochus in denuntiatione exprimere debet contrahentium nomen, cognomen, parochiam, patriam domicilium, et a quibus orti. Item diœcesim, si ad aliam spectent; et si

[1] Extat in Synodo Novariensi, p. 402. Nota: S. C. C. pluries declaravit proclamationes necessario faciendas esse etiam in loco originis; sed addit Croix, quod id hactenus non potuit (saltem ubique) deduci in praxim. Quidquid sit, præstat saltem, ut Parochus matrimonii scribat ad Parochum originis, ut tutus procedat: fieri enim potest, ut quis celebret matrimonium in loco originis; sed statim, rupta concordia, discedat; ac tandem post longissimam moram in alio oppido, aliud matrimonium tentet, nemine suspicante. Casus recentissimus est.



de viduis sermo sit, defuncti conjugis nomen et cognomen. Insuper debet admonere de vice in vicem, an proclamatio, quam agit, sit prima an secunda an ultima: et quando una vel altera peracta, speretur dispensatio in reliquis, pariter fidelibus indicandum est, ut si quod dignoscant impedimentum, apto tempore revelare possint. Innuere demum debet gravem obligationem revelandi impedimentum, si quod fideles norint, vel sibi vel suis ecclesiasticis superioribus. At quomodo denuntiabit, si quæ sint impedimenta populus ignoret; hinc gravis in Parocho obligatio est suis aperiendi non tantum sanctitatem, virtutem ac legitimum finem matrimonii, sed etiam impedimenta, ea præsertim quæ frequentius occurrunt, et speciatim impedimenta cognationis spiritualis et publicæ honestatis, quæ quidem ut plurimum ignorantur, prout monet Catechismus Romanus.

Si duo menses integri effluxerint a bannis peractis, quin matrimonium celebretur, repetenda ea sunt, *nisi aliter Episcopo videatur*. Ita Rituale R.: porro ex pluribus Synodis (uti ex Novariensi, pag. 154), si duo menses effluxerint, una saltem denuntiatio repetenda est; omnes vero, si tres vel plures effluxerint menses (*R*). 722.

Vide pag. 72

**572**. Q. 2. *An promulgationes sint agendæ sub gravi?*

R. Affirmative: agitur enim de re gravi ac præcepta ob finem magni momenti. Hinc tam assistens, quam contrahentes illas transgredientes gravissime delinquunt: imo Parochus matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur; ipsis vero contrahentibus, qui hoc Ecclesiæ mandatum contemnunt, dignam pœnitentiam injungendam esse statuitur[1].

Attamen ex universali usu a proclamationibus excipiuntur Principes matrimonium contracturi; quia eorum genus satis notum est.

**573**. *An* (quæres) *peccet graviter Parochus, qui matrimo-*

[1] C. *Cum inhibitio*, § finali de cland. despon. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 990.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*nio assistit, omissis tribus denuntiationibus sine Episcopi licentia, si per diligentiam adhibitam certus sit nullum esse canonicum impedimentum?* R. Barbosa, Roncaglia et Sanchez communissime et verius affirmant. Esto quod Parochus per suam diligentiam impleat finem Tridentini; transgreditur tamen illam diligentiæ formam, quam Concilium exigit: hæc vero cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali, nisi adsit urgens necessitas quæ moram non patiatur. Imo nec adæquate satisfacit fini præcepti, tum quia illa lex fundata est in præsumptione juris, quæ ideo in omni casu, quoad potest, servanda est; tum quia si postea casu aliquod detegatur impedimentum, filii inde exorti habentur illegitimi[1]: ac conjugibus adimitur spes dispensationis. Non enim dignus est, ut Ecclesiæ benignitatem facile experiatur qui ejus salubria præcepta temere contempsit[2]; saltem nonnisi difficilius hæc concedi solet. Et ideo ea circumstantia omissionis denuntiationum ex Curiæ stylo ad valorem est exprimenda.

**574.** *Quid* (quæres) *si Parochus duas vel unam tantum omittat proclamationem sine dispensatione et sine causa?* Duas omittere probabilius est mortale; quia duæ e tribus uti pars gravis totius præcepti habenda est. Utrum vero id sit etiam dicendum de omissione unius tantum, affirmant Escobar, Pontius, etc.; sed probabiliter alii negant, si Parochus aliunde sit certus nullum adesse impedimentum; quia respectu ad totum hæc non videtur materia gravis.

**575.** Q. 3. *An fideles debeant impedimenta, si norint, denuntiare?*

R. Sive fiant sive etiam omittantur proclamationes, omnes cujuscumque sexus ac loci, per se loquendo sub mortali, si quod noverint impedimentum, tenentur denuntiare, quamvis secretum[3]. Patet ex lege non tantum Ecclesiæ, sed ipsius

[1] Ex c. fin., § *Si quis de cland. despon.*

[2] Tridentinum, sess. XIV, c. V.

[3] Ex qua parte hæc lex fertur ab Ecclesia, ei subjiciuntur omnes Christiani; ex qua parte nititur præcepto charitatis, omnes omnino ea tenentur. Attamen si ex manifestatione periculum infamiæ personæ immineret, præmittenda erit fraterna correctio, si tamen profutura prævidetur. Contracto matrimonio, lex denuntiandi cessat, quæ solum lata est ad præveniendam



naturæ, quæ præcipit ut prospiciatur et dignitati Sacramenti et bono proximi. Ergo omnes et singuli denuntiare tenentur, qui rationis usum habent; cum tunc illius præcepti sint capaces. Etiam consanguinei et amici; imo strictius, ut patet ipsi damnum tenentur impedire suorum amicorum et propinquorum: etiam alienigenæ, quia id præceptum est ad Ecclesiæ bonum: etiam qui jam scit impedimentum a S. Pœnitentiaria dispensatum fuisse utpote occultum, si postea publicum evaserit; ut tunc publice afferatur obtentæ dispensationis testimonium. Etiam si unus dumtaxat sit, qui sciat impedimentum, etsi nequeat probare (serviet enim ad indagandum); ita communissima et verior sententia cum Barbosa et Sanchez, qui id probant ex jure canonico, ubi dicitur: *Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi*[1].

Diximus: *Per se loquendo* omnes teneri; datur enim exceptio: sic ab obligatione denuntiandi impedimentum excipiuntur: *a.* Confessarii, quorum notitia non est hujus fori; *b.* qui illud revelare non possunt absque gravi detrimento sui vel suorum, ut si impedimentum proveniat ex propria illicita copula; *c.* qui impedimentum sciunt sub secreto consilii, ut sunt parochi, medici, obstetrices; nam societati interest hæc secreta servari. Aliter est ex Angelico, si sciatur illud sub secreto confidentiæ tantummodo; nam nulla utilitas in Rempublicam ex hisce secretis[2]; *d.* qui illud audierunt a persona non fide digna, cum nulla ratio hujus auditus.

**576.** Q. 4. *Quidnam agendum est a Parocho, cognito sponsorum impedimento?*

R. Si impedimentum ei fuerit denuntiatum ab aliquo qui sit fide dignus, certum est ex jure, Parochum teneri interdicere nuptias, rem Ordinario deferrendo, ut cognoscat[3]. Imo in veriori sententia ad hoc adhuc tenetur, etsi ipse solus

matrimonii nullitatem; remanet tamen semper lex charitatis, si speretur bonus effectus ex revelatione impedimenti postea cogniti.

[1] Cap. *Super eo* XXII *de test. et attest.* — V. *De dissolutione sponsalium.*

[2] 2, 2, q. 70. a. 1. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 991.

[3] Cap. fin., *De cland.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1001.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impedimentum sciat extra Confessionem, tum ut validitati Sacramenti prospiciat, tum ut bono suarum ovium consulat[1]. Diximus *extra Confessionem*, cum enim arctissima sit sigilli lex, hujus notitiæ non est habenda ratio; sed debet Parochus in Confessione sponsos monere, ut a matrimonio abstineant, donec dispensentur. Excipe nisi sint in bona fide, et ex monitione desperetur fructus, maxime si impedimentum non de facili (contracto matrimonio) a sponsis dignoscatur[2]: tunc a Confessario est omittenda monitio, donec obtineatur dispensatio; quia melius est interim permittere peccatum materiale, quam præbere occasionem peccati formalis.

**577.** *Quid* (quæres) *si moniti in confessione sponsi, declarent, se non posse omnino a matrimonio desistere sine magno scandalo, cum impedimentum sit occultum ex causa infamante ortum; et omnia jam parata sint, factæ denuntiationes, amici invitati*, etc.? Tunc Parochus, vel Confessarius suadeat illis, ut contrahant sub conditione: *Si Papa dispenset*; animo tamen interea cohabitandi ut frater et soror (cum nullum sit conjugium); obtenta autem dispensatione, iterum et valide contrahendo. Ita Beja, Pontius, etc. Si autem hoc remedium non obtineat, ut si, v. g., cognitio impedimenti se teneat ex parte unius tantum, qui non vult prodere turpitudinem suam alteri parti, ut ab usu conjugali abstineat, tunc docent Bossius, Sanchez, etc., suadendum esse pœnitenti ut emittat votum castitatis ad tempus, illudque manifestet. Quia tamen hoc videtur periculosum propter suspi-

[1] Nec obstat dicere, quod peccatori occulto non potest denegari Sacramentum, cum publice petit; et aliunde scandalum oriri, si jam indictum matrimonium non celebretur. Hoc enim evenit, cum aliud non currit malum, quam mala perceptio Sacramenti: secus autem cum interveniunt alia gravia damna, quæ plerumque accidunt ex matrimoniis invalidis, ut recte docent Bossius, Coninchius, Roncaglia, cum Sanchez, disp. xv, l. III. Scandalum non adeo attendendum in hac re, cum res nova non sit, ut identidem detegatur impedimentum aliquod.

[2] Quæ omnia cum proportione sunt dicenda de alio Confessario non Parocho, qui vel ex sponsorum confessione, vel ex aliis novit impedimentum; qui monere vel non monere debet, ratione circumstantiarum: et hoc currit, etiam matrimonio celebrato. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 615 et 996. — Pavone, *La luce fra le tenebre*, etc.



cionem, quam aliis ingerere potest; ideo communissime ac valde probabiliter alii dicunt cum Anacleto, Antoine, Barbosa, Dejustis, Urtado et Sanchez, quod in tali rerum augustia, potest dispensare Episcopus, quia tunc recte præsumitur Pontifex ipsi delegare facultatem. Cardenas hoc dicit *moraliter certum*, Benedictus XIV concedit id esse *fere commune*[1], Pyrrus Corradus testatur insuper id declarasse Sixtum V.

**578.** *Quid* (addes) *si neque ad Episcopum haberi possit recursus; quia nuptiæ omnino in crastinum celebrandæ sunt, et Episcopus longe distet?* Tenet tunc Roncaglia non sine fundamento cum Lugo et aliis, quod eo in casu posset Parochus vel Confessarius prudens utendo epicheia declarare parti impedimento consciæ, talem humanam legem pro tunc non obligare. Quia tunc lex cessat in particulari non tantum *privative*, quatenus redditur inutilis, quo in casu adhuc obligat; sed cessat etiam *contrarie*, quatenus fit nociva, unde cessat habere rationem veræ legis. Notant tamen quantocius, saltem pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiæ leges, recurrendum esse ad sacram Pœnitentiariam, ut obtineatur dispensatio seu declaratio[2].

**579.** Q. 5. *Quisnam potest dispensare super bannis?*

R. En Tridentini verba: *Si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem, Parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur. Quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit.* Ex his habetur, Episcopum posse jure ordinario dispensare: quod pariter potest Capituli Vicarius, sede vacante. Item Prælatus inferior, si jurisdictione quasi-episcopali sit insignitus. Quoad autem Episcopi Vicarium, Diana et Pontius

[1] *De Syn.*, etc., l. VII, c. xxxi, n. 2. — *V.* Ferraris, *Biblioth.*, v° Impedimentum.

[2] *V.* Pignatelli. t. III, *Consult.* xxxiii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 612.

hanc ei denegant facultatem; verum communius ac probabilius *Barbosa*, Elbel, Filliucius, Navarrus, Roncaglia aliique *contrarium* docent ex eo, quod Vicarius generalis unum cum Episcopo efficiat tribunal in iis, quæ de jure ordinario scripto ac patenti competunt principali [1].

Omnes tamen id negant de Parocho, quia nullam in foro externo habet jurisdictionem. Ei id unum concedunt, ut cum Episcopus dispensare tenetur et adiri non potest (vel sine ratione episcopus dispensare recusat, et extrema urget necessitas) declaret præceptum tunc non obligare; si tamen nulla adsit suspicio aliquod adesse impedimentum.

**580.** *Quænam* (quæres) *justæ dispensandi causæ?* R. Unica a Tridentino assignatur legitima dispensandi causa; sed non ad exclusionem, bene vero ad exemplum, ut declaravit S. C. C. Unde duplicis generis communiter distinguuntur causæ: aliæ, quibus extantibus, Episcopus non solum potest, sed etiam tenetur dispensare; aliæ, ob quas non tenetur quidem dispensare, sed potest.

Causæ, ob quas *tenetur Episcopus* dispensare, sunt: 1. si probabilis adsit timor, ne matrimonium malitiose impediatur; 2. si matrimonium sit illico celebrandum ad damnum vitandum; vel scandalum impediendum, v. g., si concubinarii jam reputarentur legitimi conjuges, si sponsa jam cognita fuerit, et ab aliquo tempore prægnans; si a morituro sit contrahendum ad prolem legitimandam; 3. si immineat periculum animæ, corporis aut fortunæ; 4. si sponsus, statim sit in longinquas regiones profecturus, aliqua urgente causa; 5. si parentes vel tutor prætendant, ut virgo nubat indigno. Ita passim Barbosa, Bossius, Roncaglia, Salmanticenses, etc.

Causæ vero, ob quas *Episcopus potest*, sed non tenetur dispensare, sunt: 1. si nuptiæ sint contrahendæ inter magnates; horum enim conjugia non fiunt, nisi præcedente magna consideratione; 2. si sponsi sint valde senes, vel valde dispares conditione, ætate, divitiis, ne pudore perfundantur; 3. si certo moraliter constet, nullum adesse canonicum impedimentum; 4. si immineat tempus Quadragesimæ vel Adventus, et alias aliquod timeri possit præjudicium [2]. Sic Barbosa,

[1] Adversarii quamdam afferunt S. C. C. declarationem, sed valde dubia habetur. — *V.* Monacelli, *Formularium legale*, p. I, tit. VIII, d. 6, qui id ipsum tenetur, et asserit illud in praxi servari, et a se servatum fuisse, cum eo munere fungeretur.

[2] Solo imminente *tempore feriato*, melius est dispensare a nuptiarum prohibitione, quam a denuntiationibus. Ita S. C. C. in Novariensi, uti refert Alasia.



Bossius, Cabassutius, Sanchez, etc. Si vero non adeo sit impellens causa, sat erit dispensare ab una vel altera denuntiatione; omnino enim dispensare Episcopis vetat Benedictus XIV Bulla *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743, nisi, prout addit, *urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa, ut liquet ex Tridentino* [1].

**581.** Si sponsi sint ex diversa Diœcesi, bannorum dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda est: possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera; et si ex una parte non detegatur impedimentum, non sequitur non posse detegi ex altera. *Cury.*

---

## CAPUT TERTIUM

### DE DISPENSATIONIBUS SUPER IMPEDIMENTIS

**582.** Q. 1. *Quis potest dispensare super impedimentis matrimonii?*

R. Tridentinum novatores damnavit asserentes Ecclesiam dispensare non posse in impedimentis, in iis nempe, quæ sunt ecclesiastici juris [2]; et merito, qui enim legem condidit, ab eadem dispensare potest. Et Pius VI Bulla *Auctorem fidei* proscripsit propositionem 60 Synodi Pistoriensis supponentem, Ecclesiam per civilem potestatem spoliari posse hac facultate. Porro circa præsentem quæstionem duo certa sunt:

1. Nihil posse Parochum hac de re; cum Parochus nulla polleat in foro externo jurisdictione; 2. totum posse Pontificem in impedimentis de jure ecclesiastico, cum sit caput totius Ecclesiæ, et universalem habeat jurisdictionem. Non tamen potest Pontifex (uti tradit communior et probabilior sententia cum D. Thoma [3]) dispensare in his, quorum jus ex sola divina voluntate pendet; item neque in iis quæ sunt

[1] Ita etiam Constitutione *Satis Vobis*, 17 nov. 1741.

[2] Sess. XXIV, can. III. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1119.

[3] 1, 2, q. 97, a. 4. — *V.* Pavone, *La luce fra le tenebre.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1119. — Perrone, Gualco. — Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 3 et 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

juris naturalis, vel juris tertii; nam inferior non dispensat in lege superioris, nec homo in lege naturæ, nec alter in alterius jure. Poterit tamen, urgente casu, dispensare R. Pontifex (ut revera dispensat) in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, uti in votis et juramentis; tunc enim non aufert jus divinum, sed uti doctor universalis Ecclesiæ et supremus divinæ interpres voluntatis declarat, legem divinam eo in casu non obligare.

**583.** Q. 2. *An Episcopus possit dispensare super impedimentis*[1]?

R. Quoad *impedimenta impedientia* Episcopus potest subditos universaliter dispensare ex consuetudine, imo et alteri dispensationem delegare. Si excipiantur: 1. vetitum latum a Pontifice vel ab alio superiore, puta ab Archiepiscopo in appellationis causa: vel a canonico jure propter alterius hæresim; nam in matrimoniis mixtis solus Pontifex dispensat; 2. sponsalia, quia agitur de jure tertii, cujus remissio necessaria est; 3. votum absolutum vel ingrediendæ Religionis vel perpetuo castitatis servandæ; quia id sibi Pontifex reservavit.

Item ex consuetudine universali potest Episcopus dispensare per se vel per alium in impedimentis, quæ matrimonio inito superveniunt, et impediunt debiti petitionem, uti in affinitate. Ita in ordine ad debitum conjugale dispensare potest conjuges a voto castitatis perpetuæ, sive ante matrimonium sive postea votum illud emissum fuerit, modo non fuerit emissum mutuo conjugum consensu[2]. Ita communiter Anacletus, Sanchez, Sporer et alii apud Lucium Ferraris[3].

**584.** Quod vero pertinet ad *impedimenta dirimentia*, dis-

[1] *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, nn. 29 et seqq., ubi omnes Episcoporum facultates ac privilegia fuse refert. Et *Op. Mor.*, l. III, n. 258; l. VI, n. 987.

[2] Censent Salmanticenses etiam Vicarium generalem Episcopi posse dispensare in hujusmodi speciali voto ex concessione generali, quam ipse habet ad casus episcopales.

[3] *Biblioth. canon.*, etc., v° Debitum conjugale, art. 2, ubi pluribus id probat.



tinguendum est: vel matrimonium nondum est celebratum, vel matrimonium jam celebratum est.

Si 1, commune est Episcopum in aliquo peculiari casu posse utique dispensare suos subditos, non quidem ordinario jure suo, sed ex tacita Pontificis concessione. Est nempe, quando vera urget necessitas, et agitur de impedimento occulto: v. g., si alias immineat periculum mortis, aut si matrimonium necessarium sit vel ad legitimandam prolem, vel ad vitandam fœminæ infamiam aut alia damna, vel si honesta mulier parata sit nuptias tali die contrahere, et in Confessione sacramentali manifestet impedimentum. In talibus rerum adjunctis vel cessat omnino reservatio, vel præsumitur Papa consentire, maxime cum ipse jam notam habeat hanc sententiam communiter ab auctoribus esse traditam atque receptam. — Diximus *non quidem ordinario jure suo;* certum enim est episcopos sive seorsim sumptos sive etiam in Conciliis provincialibus congregatos non posse relaxare jure proprio ecclesiastica impedimenta matrimonium dirimentia. Secus actum esset de jurisdictionis episcopalis circumscriptione, deque ipsorum subjectione auctoritati pontificiæ; essent enim veluti totidem pontifices summi, qui jure fruerentur relaxandi quamcumque legem universalem pro universo Ecclesiæ bono sancitam; sicque solveretur unitatis ecclesiasticæ compago. Huic doctrinæ constanter Romani Pontifices sese opposuerunt, ut Clemens XI Encycl. ad Hispaniarum Episcopos anno 1709, Pius VI Brevi ad Archiepiscopum Trevirensem anno 1782, qui etiam anno 1786 damnavit errorem Eybelli aientis, dispensationum reservationes indebitas et episcopo injuriosas; tandem Pius VII Brevi ad Galliæ Episcopos anno 1809[1], etc.

Si 2, adhuc posse Episcopum dispensare affirmant cum Benedicto XIV communiter Theologi et Canonistæ, eadem ratione, qua supra[2]. Et episcopus Zerola in sua *Praxi epi-*

[1] Perrone, *De matrimonio christiano*, l. II, sect. I, c. III. — Bouix, *De Episcopo*. p. V. — Devoti, *Inst.*, l. II, t. II. — Della Motta, *Teoria dell' istituzione del matrimonio*, parte IV; Documenti.

[2] *De Syn.*, etc., l. IX, c. II. Et hanc facultatem Episcopus non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus dele-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
FLAMMAM VERITATIS

*scopali* testatur sibi a romana Curia affirmative fuisse responsum, nonnullis tamen intervenientibus conditionibus : et sunt 1. ut matrimonium contractum sit cum ignorantia impedimenti, saltem ex una parte ; 2. ut sit consummatum, quod recte supponitur, si jam ab aliquibus diebus sit initum ; 3. ut sit occultum, id est non publica fama vulgatum ; 4. ut non sit facilis ad Papam recursus, uti, v. g., si partes sint pauperes, quæ non habeant ad supplicandum expensas ; 5. ut matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiæ, neque fuerint neglectæ proclamationes ; 6. ut immineat periculum infamiæ aut scandali si separentur putati conjuges, vel incontinentiæ si non separentur. — Si vero, addit Benedictus XIV ex Cabassutio, aliqua ex his circumstantiis non adsit, et personæ sint revera pauperes, rudes, rusticæ, Episcopalis charitatis erit prosequi hanc dispensationem in forma pauperum apud Sedem apostolicam, ut plane gratis obtineatur.

Advertunt ultimo dispensationem in prædictis casibus ab Episcopo obtentam, prodesse tantum pro foro conscientiæ ; ideo si postea externe detegatur impedimentum et deducatur ad forum contentiosum, erit ad Pontificem recurrendum. Excipe nisi fidem facere possit Confessarius de dispensatione ; sane quod semel sublatum est, non debet iterum reviviscere juxta illud juris : *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

**585.** *Quid* (dices) *si agatur de impedimentis dubiis?* Affirmant probabiliter posse Episcopum dispensare in impedimentis dubiis, de quibus scilicet quæstio est, an revera subsistant necne. Idem commu-

gare potest, ut aiunt Coninchius, Elbel, Guttier, Henriquez, Salmanticenses, Sanchez, Valentia, Vasquez, etc.; cum enim hæc potestas non personæ, sed officio sit adnexa, ipsa jam reputantur ordinaria : et ideo illa recte potest delegari. Eam tamen dispensandi facultatem non habent Vicarii generales Episcopi sine ejusdem speciali commissione ; quia esto, quod hæc vim induat facultatis ordinariæ ; cum tamen id sit tantum ex præsumpta Pontificis voluntate, non autem ex privilegio in jure expresso, ideo in generali commissione Vicariatus ea non intelligitur commissa. Aliter dicendum de Vicario capitulari, qui succedit in omnem ordinariam Episcopalem jurisdictionem. *Liguori.*



nissime dicunt de omnibus impedimentis Pontifici reservatis quotiescumque dubitatur, utrum necessaria sit Pontificis dispensatio : nam ex una parte, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda, et restringenda ad casus certos ; ex altera principium est inter Juristas commune in casibus dubiis, qui frequenter occurrunt, bene posse inferiorem dispensare in lege sui superioris. Ita Barbosa, Cabassutius, Continuator Tournely, Elbel, Merbesius, Pikler[1], etc.

### Art. I. — De modo dispensationis impetrandæ[2].

Hic confessarii ac parochi sedulo incumbant, ne decipiant ad se confugentes pro dispensatione impetranda, cum ipsorum gravi detrimento et damno.

**586.** Q. 1. *Quomodo impetrandæ impedimentorum dispensationes ?*

R. Quoad dispensationes, quæ de jure ordinario conceduntur ab Episcopo, id notasse sufficiat : nempe oportere, ut impedimentum cum suis circumstantiis clare exponatur, et causa supplicationis in veritate aperiatur ; ne dispensatio nullitatis defectu laboret.

**587.** Quoad dispensationes vero, quæ a R. Pontifice obtinentur, sciendum est, quod duplex Romæ Tribunal erectum est pro matrimonialibus dispensationibus concedendis : unum quod dicitur *Datariæ Apostolicæ;* alterum quod dicitur *Sacræ Pœnitentiariæ.* — A Dataria petuntur dispensationes pro foro externo, et pro impedimentis publicis, vel quæ publica fieri prævidentur ; a Pœnitentiaria autem pro ipso foro interno seu Pœnitentiæ, et pro impedimentis occultis. Illa cessat defuncto Pontifice ; ista vero non cessat. Item in Dataria solvenda est taxa pecuniaria major vel minor juxta gradus parentelæ ac personarum divitias ac qualitates : quæ quidem mulctæ juste ab Ecclesia salubriterque constitutæ sunt, ut habet Pius VII, *ad resarciendum aliqua ratione vulnus quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur, et ad matrimonia inter personas con-*

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 902.
[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1131,

*sanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas rariora ac difficiliora reddenda*[1]. At nulla solvitur taxa in Pœnitentiaria, et juramentum præstant varii illius administri se nihil etiam sponte donatum accepturos. Dispensationem Dataria et Pœnitentiaria hodie non solent concedere *in forma gratiosa*, sed *in forma commissoria;* id est non gratiam dispensationis tribuunt actu dispensando, sed committunt, mandant seu delegant alium ad dispensandum, si exposita vera sint (*S*).

**588.** *a.* Pœnitentiaria quoad *impedimenta impedientia* facultatem habet ea dispensandi, si occulta sint, nec agatur de jure tertii; consequenter dispensat super voto castitatis perpetuæ, aut Religionem ingrediendi. Quoad *impedimenta dirimentia* vero, si agatur de contrahendis matrimoniis, dispensat in impedimentis occultis tum publicæ honestatis, tum affinitatis ex copula illicita; imo etiam criminis : attamen si conjugicidium interfuerit, etsi occultum, raro admodum dispensatur a S. Pœnitentiaria[2]; quod si fuerit publicum, neque per Datariam relaxari solet[3]. Si autem agatur de matrimoniis jam contractis, ad illa revalidanda præter tria prædicta, Pœnitentiaria dispensat quoque in impedimentis occultis tum cognationis spiritualis, tum consanguinitatis et affinitatis, etiam ex copula licita in tertio et quarto gradu : imo etiam in secundo, si per decennium tale impedimentum duraverit occultum, et oratores ut veri conjuges habiti fuerint. Item potest dispensare super tertio et quarto gradibus publicis ad revalidandum matrimonium nullum ex causa subreptionis vel obreptionis occultæ Litterarum apostolicarum (attamen si falsitas consisteret in narratione præcedentis copulæ ad facilius habendam gratiam, cum tamen illa non extitisset, iterum esset ad Datariam recurrendum). Tandem tam in matrimonio contrahendo, quam in contracto potest convalidare dispensationem obtentam etiam a Dataria, sed nullam *ex reticita copula occulta*, vel *publica narrata, sed tacendo intentionem, qua facta est ad faciliorem dispensationem* reddendam, si tamen copula adhuc sit secreta[4].

Ceterum S. Pœnitentiaria pro casu peculiarissimo obtinere potest a Pontifice facultates extraordinarias, si recurratur ad eam, etiam pro foro externo (tenuem taxam, solvendo quæ ad Datariam transmittitur),

[1] Brevi 28 febr. 1809 ad Galliæ Episcopos.
[2] Benedictus XIV, Bulla *Pastor*.
Benedictus XIV, Epistola ad Ignatium Realem.
Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*, 13 apr. 1744; et *Notificatione* LXXXVII.



uti, v. g., si agatur de absolute paupere : et tunc observentur clausulæ in speciali rescripto positæ.

**589.** Porro recursus ad sacram Pœnitentiariam exhibetur Em° cardinali Pœnitentiario mojori; taceri debent nomina, cognomina, patria, Diœcesis et similia, quæ ad personas pertinent; cum agatur de foro tantum interno; igitur nomina finguntur, v. g., *Titius, Berta.* Deinde exprimitur objectum dispensationis, et fit latino idiomate. Additur ultimo tum nomen ac cognomen verum personæ ad quam rescriptum dirigendum est; tum nomen loci, in quo ipsa moratur; et hæc ad errorem vitandum exarantur idiomate vulgari. Quilibet recurrere potest sive Parochus sive Confessarius : imo vel ipse qui dispensationem desiderat. Sed præstat, ut utatur opera experti, vel melius Curiæ episcopalis, ut vitetur omnis error (*T*).

**590.** *b.* Quoad Datariam pertinet, hæc generatim dispensat (nisi res sit de jure tertii) impedimenta publica tum impedientia, tum dirimentia, sive agatur de contrahendo sive de jam contracto matrimonio. In Dataria autem habentur tria officia distincta : est officium *Minoris Gratiæ*, ubi remotiores gradus; officium *Cancellariæ*, ubi gradus medii : et officium *Præfecturæ Brevium*, ubi nempe primi gradus dispensari solent. Ceterum ex Chirographo Gregorii XVI ad Pro-Datarium, 22 nov. 1836, habetur : *vel* in primo affinitatis gradu, ut si Titius, uxore defuncta, hujus sororem ducere velit; *vel* in primo consanguinitatis mixto cum secundo consanguinitatis, ut si Titius ducere velit filiam fratris sui aut sororis; scilicet suam neptem ex parte fratris aut sororis; *vel* in primo affinitatis mixto cum secundo affinitatis gradu, ut si Titius ducere velit filiam fratris suæ uxoris, scilicet suam neptem ex parte uxoris, non dispensari, nisi urgentissima causa, et de ea expresse testante pro conscientia Episcopo[1].

**591.** Quando recurritur ad Datariam apostolicam, epistola supplex dirigitur ad ipsum Pontificem, et nomina vel cognomina non finguntur, sed scribuntur vera; et indicandum etiam si oratores sint diversæ Diœcesis, quia solet rescriptum dirigi ad Ordinarium sponsæ. Quamvis autem quilibet per se possit recurrere; ad omne tamen erroris periculum declinandum, tutius est, ut res commitatur officialibus Curiæ episcopalis, ut passim fit. Ideo parochus, parentelæ arbore confecto, remittat sponsos ad vicarium foraneum, cujus maxime sunt partes hac de re in statu oratorum indagando, in testium depositiones exquirendo, etc.

Petitur autem Romæ dispensatio a Dataria vel *in forma pauperum*,

[1] Chirographum in extensum refert Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc., part. III.

vel *in forma ordinaria*; in forma pauperum conceditur tantum vere pauperibus et miserabilibus personis, et nonnisi ob copulam vel suspicionem copulæ inter eos qui impedimento laborant, habitæ, vel potius ob mulieris infamiam et scandala verosimiliter inde secutura, nisi conjugium celebretur [1]. In forma autem ordinaria conceditur dispensatio, in ceteris casibus.

**592.** Q. 2. *Quænam sunt causæ ad dispensationes impetrandas?*

R. Ad dispensandum in omni re legitima causa est tum necessitas, tum utilitas: prima facit necessariam, secunda reddit dispensationem convenientem. Pro præsenti tamen ex communi usu ac stylo romanæ Curiæ justæ causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus aliæ sunt *honestæ*, aliæ *infamantes*. En præcipuas :

**593.** *a*. Causæ honestæ sunt : 1. evitatio vel extinctio magnæ litis vel odii. Item pacis confirmatio inter parentes aut propinquos. Item ablatio scandali ; 2. inæqualitas matrimonii ; vel defectus dotis competentis, nisi consanguineis vel affinibus nubatur; 3. conservatio bonorum in eadem familia et cognatione ; 4. merita petentis dispensationem erga Ecclesiam. Item est si ejus parentes Ecclesiæ obsequia præstiterint ; nam æquum est, illam se gratam præbere, ut alii ad talia excitentur ; 5. necessitas auxilii, v. g., si mulier defectu viri nequeat rebus suis satis consulere, vel filiis ex alio matrimonio habitis providere ; 6. ætas innuptæ (non tamen viduæ) excedens annum vigesimumquartum (hæc tamen causa sola non sufficit pro gradibus propinquioribus); 7. angustia loci, si nempe fœmina nequeat in loco originis neque domicilii invenire paris conditionis virum, nisi consanguineum vel affinem. Nomine loci non venit civitas quæ habeat Episcopum, nisi fortasse tercentum focolariorum numerum non excedat; nec veniunt suburbia, quæ una cum civitate computantur, nisi forsan milliare circiter distent a civitate.

**594.** *b*. Causæ infamantes sunt : 1. copula habita cum consanguinea vel affine et per imprægnationem vel alio modo propalata ; 2. nimia partium familiaritas, ex qua scandalum timetur vel unius partis infamia ; 3. matrimonium cum impedimento dirimente jam initum seu attentatum ; et maxime susceptæ prolis legitimatio.

[1] Reiffenstuel, *De dispens.*, § 8. — Maschat, *De dispens.*, c. III. — De Instit. *Tract. de dispens. matrim.*, l. I. c. VII. — Gualco, *De matrim.*, dissert. VII, c. VII.



Ubi notamus : quædam sunt causæ quæ singillatim sumptæ non sufficiunt ad obtinendam dispensationem, at sufficiunt cum aliis conjunctæ ; ideo omnia candide aperienda sunt.

**595.** Hisce causis addatur : 1. *periculum hæresis*, scilicet iis in locis ubi multi sunt hæretici, ne cum hæretica pars catholica contrahat ; 2. *timor ne oratores civiliter tantum contrahant* in locis ubi matrimonium civile viget ; tunc dispensatio conceditur in gratiam prolis nasciturae et familiæ ; item ad scandalum semovendum ; 3. denique conceditur dispensatio *ex certis rationabilibus causis*, et est cum nobiles, magnates, ac principes sine allegatione certæ causæ dispensari petunt ; tunc major componenda seu taxa pecuniaria in pios usus impendenda imponitur. Observat D. Thomas sine personarum acceptatione fieri, quod facilius dispensetur cum nobilibus aut divitibus ; quia salus publica magis a potentibus quam a plebeis dependet ; et multum Ecclesiæ interest, potentiores non habere contrarios, sed faventes, imo etiam obligatos [1].

**596.** Hæc ultima causa, quæ a Curialibus dicitur etiam *causa sine causa*, quibusdam valde displicet ; ea tamen communiter et merito Canonistæ atque Theologi admittunt cum Benedicto XIV. Sicut enim potest Pontifex commutare in aliquam eleemosynam, in aliquod pium opus votum, ita et vinculum impedimenti. Et sane hujusmodi elargitiones ex præcepto Innocentii X, non confunduntur cum aliis pecuniis thesauri Cameralis ; sed reservantur in Monte Pietatis, et inde non extrahuntur, nisi de mandato Pontificis, ut in sola opera pia impendantur atque spirituales necessitates : quæ quidem cum in dies crescant, ideo erogatio pecuniæ ad illis occurrendum, fit causa satis justa, ut Ecclesia gratificatura dispenset. Quare solutione illa non emitur dispensatio, quod utique simoniacum esset : neque aliquid in dispensantis utilitatem occasione dispensationis cedit, quod quidem Tridentinum prohibuit. Sed res ita est : eam tribuentes sanctum opus præstant :

[1] 2, 2, q. 63, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 96; l. VI, n. 1130.

sane quid sanctius, quam ad Ecclesiæ decus atque incrementum concurrere? unde ratione illius boni operis, quod præstant, de Ecclesia bene merentur.

**597.** In ipsa civili Republica, qui in opera beneficentiæ opes consumunt, nonne prædicantur ubique, multisque prærogativis distinguuntur? Neque tamen conqueruntur cives; quia probe noscunt, eos non ideo extolli quia divites, sed quia divitiis bene uti sciunt. En casus. De cetero, quod divites multis fruantur supra pauperes, non est de Ecclesiæ acceptione; sed de rei natura. Adde : simul cum pecuniæ retributione aliqua alia ordinarie requiritur causa, etsi non ita urgens. Adde : per hanc pecuniæ necessariam solutionem rariora ac difficiliora matrimonia inter personas conjunctas redduntur; cum pauci sint qui possint et velint solvere. Absit ergo, ut eos vel minimum probare possimus, qui hac de re blaterando parum reverenter se exhibent erga Sanctam apostolicam Sedem (*U*).

**598.** Q. 3. *Quænam in supplicatione dispensationis explicanda sunt ?*

R. Reticentia, licet inculpata, eorum quæ ex jure aut stylo Curiæ romanæ aperienda essent, cum nullam faceret dispensationem, ut docent omnes Canonistæ : ideo caute hac in re procedendum est, ac melius est abundare : nam res est de valore Sacramenti. Quæ autem sunt de necessitate præcipue explicanda, hisce versibus exprimuntur :

*Causa movens, modusque, genus, species numerusque,*
*Linea, qui gradus, et si copula, jamque potitus.*

1. *Vera* et *legitima causa* efficaciter movens ad impetrandam dispensationem ; nam causarum expressio ad validitatem pertinet ex stylo Curiæ sive quando Romæ conceditur gratia dispensandi, sive quando executor in illis inquirit vel actu dispensat. Ita Benedictus XIV Constitutione *Ad apostolicæ servitutis*, 25 febr. 1842.

2. *Modus specialissimus* quo contractum fuit impedimentum : v. g., in cognatione spirituali, an sit paternitas aut maternitas ex una parte et filiatio ex altera ; vel an sit tantum compaternitas et commaternitas ; nam longe indecentius est matrimonium inter patrem et filiam spiritualem, quam inter compatrem et matrem ejusdem filiæ. Item quoad crimen exprimendum an sit ex adulterio, aut ex machinatione, an ex



utroque simul ; quia difficilius in uno casu, quam in alio conceditur dispensatio. Benedictus XIV, Bulla *Pastor bonus*.

3. *Genus impedimenti*, ut patet : unde, v. g., si consanguinitatis pro affinitate exprimatur, aut vicissim, nulla est dispensatio ; nisi forsan in concessione dispensationis etiam affinitas nominetur, ut aliquando fit.

4. *Species distincta ejusdem impedimenti*, v. g., si sit cognatio, utrum ea sit carnalis an legalis an spiritualis ; et si spiritualis, an proveniat a Baptismo vel Confirmatione, cum fortius vinculum ex Baptismo oriatur. Item si sit affinitas, an proveniat a copula licita vel illicita : si honestas, an a sponsalibus vel matrimonio rato originem ducat.

5. *Numerus impedimentorum :* v. g., si præter cognationem adsit affinitas. Quod valet etsi plura impedimenta sint ejusdem speciei et gradus : puta si quis duas ejus, quam ducere intendit, sorores cognovisset, tunc enim sunt duo ; vel si duas sorores et matrem quoque sibi copulasset, quo in casu tria haberentur impedimenta, et ideo triplex illa copula exprimenda ; ratio est, hæc impedimenta etsi non specie diversa, sunt tamen numero distincta. Item dicendum de cognatione spirituali, v. g., si quis tenuerit eumdem filium in Baptismo et Confirmatione, vel si quis tenuerit filios illius qui filios suos tenuit; at necesse non est exprimere an plures tenuerit filios ejus quem ducere intendit, quia non multiplicatur cognatio. Hoc idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, publicæ honestatis, etc., Benedictus XIV, Brevi *Etsi matrimonialis*, 30 sept. 1755. — Qui quidem impedimentorum numerus in una eademque supplicatione exprimendus est, cum impedimenta conjuncta ordinarie adferant majorem repugnantiam ad contrahendum, ut si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit ; nam tunc difficilius redditur dispensatio. Excipe probabilius cum De Justis et aliis communiter, si impedimenta sint diversæ omnino rationis et unum ex altero non augeatur, ut si quis ligetur impedimento consanguinitatis et simul castitatis vel religionis; tunc potest divisim impetrari dispensatio, etiam apud idem tribunal. Item est si unum impedimentum esset publicum, aliud occultum, uti si quis vult

ducere consanguineam cujus sororem occulte cognovit : tunc ne infamentur contrahentes recurrendo ad Datariam, si velint, possunt dispensationem petere divisim, nempe petitur dispensatio impedimenti publici a Dataria, tacito secreto ; sed utrumque est exprimendum in supplicatione ad Pœnitentiariam. Ex Bulla *Pastor bonus* et praxi.

6. *Linea* et *gradus* : linea, an sit recta an lateralis ; gradus, nempe in quo numero positus sit. Et si gradus sit inæqualis debet exprimi sexus, qui est stipiti proximior : quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus neptem ; major enim perversio ordinis est, ut nepos constituatur suæ amitæ caput. Si ex errore poneretur gradus proximior pro remotiori, commune est valere dispensationem ; cum minus in majori contineatur. In gradu autem inæquali, si gradus propinquior in affinitate vel consanguinitate reticitus fuit, adhuc valet dispensatio, modo gradus reticitus non sit primus, ut advertit Giraldus ; sed pro foro externo ad scandalum vitandum eorum qui forsitan credunt illam dispensationem nullam esse, essent obtinendæ Litteræ declaratoriæ ab apostolica Sede. Pius V, Constitutione *Sanctissimus*, et Benedictus XIV, Constitutione *Etsi*.

7. *Copula* habita inter impedimento detentos, si agatur de impedimento consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis vel publicæ honestatis, uti ex variis declarationibus S. C. C. probat Garcias. Palaus id quoque extendit cum Corrado ad impedimentum cognationis legalis[1]. Est autem exprimenda sive habita fuerit sine intentione facilius obtinendæ dispensationis, sive cum hac intentione, etiamsi hæc intentio fuerit tantum mente concepta[2] ; non est tamen exprimendum

[1] Si sponsi, qui quærunt dispensari, sint spectatæ conditionis ac benemorati, de copula non sunt interrogandi ; offenderentur nimis, nec copula potest supponi. Si tamen aliqua suspicio illius habetur, interrogentur quidem, sed prudenter, ac nonnisi gradatim ad copulam veniendo. Si tamen sponsus esset rudis atque procax, clarius sine ulla offensione et scandalo posset interrogari.

[2] Probabilissime dicunt Salmanticenses cum aliis, quod si in petitione aliæ causæ per se jam sufficientes ad obtinendam dispensationem exponantur et simul exponatur copula (quæ semper exponenda), tunc non est opus



quot vicibus copula intercessit. Si copula sit publica, exprimenda est in Dataria simul cum publico impedimento ; si autem impedimentum sit publicum sed copula occulta, tunc ne quis infametur, a Dataria petitur dispensatio a solo impedimento, in Pœnitentiaria vero exponitur copula secreta una simul cum impedimento, super quo vel jam obtenta vel obtinenda est dispensatio a Dataria. Benedictus XIV, Bulla *Pastor Bonus*, et stylus Curiæ[1].

8. *Jam obtenta dispensatio*, sed si sit super eadem materia et in re peccaminosa, puta in uno impedimento criminis ; ratio quia tunc difficilius dispensatur ex jure[2]. Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine, vel in crimine diverso, ut si quis ad contrahendum cum una jam fuerit dispensatus ab impedimento criminis, et nunc petat dispensari ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad contrahendum cum alia, prima jam defuncta ; tunc potest petere secundam dispensationem, quin mentionem faciat de prima jam obtenta. Ita communiter cum Concina.

**599**. Ceterum si agatur de revalidando matrimonio nullo, hæc adhuc specialiter sunt exprimenda : 1. an partes (vel earum una) contraxerint cum bona vel mala fide, id est cum scientia impedimenti vel non ; 2. an cum debitis proclamationibus ; 3. an sub spe facilius dispensationem obtinendi ; 4. an etiam matrimonium fuerit consummatum (*V*).

ut allegetur, quod copula fuerit consummata ad dispensationem facilius impetrandam. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1134.

[1] Ut copula sit de necessitate exprimenda debet : — 1. esse *consummata*, hoc pacto ut se conjungentes fiant una caro (attamen referente Dens, Leo XII, die 5 maii 1827, declaravit pro foro externo *exprimendam esse copulam, si vas fœmineum penetratum fuerit, licet ea secuta non fuerit quæ tum ad prolis generationem tum ad perfectam copulam requiruntur*) ; — 2. *incestuosa* formaliter, nempe ut habita fuerit cum scientia impedimenti ; alioquin non esset nisi materialis, ut habet Lambertini, *Notificatione* LXXXVIII, n. 23 ; quanquam Pyrrus Corradus aliter tueatur tum ex praxi quotidiana tum ex stylo Curiæ. Attamen si agatur de dispensatione in *forma pauperum* obtenta, copula semper est exprimenda, etsi cum ignorantia impedimenti habita, cum aliis supra dictis circumstantiis, ut pluribus probat laudatus Corradus.

[2] L. III, *Cod. de Episc. aud.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1137

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**600.** *An* (quæres) *si quis post obtentam gratiam dispensationis super impedimentum occultum affinitatis ob copulam illicitam, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea suæ sponsæ, antequam eam duxerit, nova indigeat dispensatione?* R. Si dispensatio nondum sit fulminata seu executioni mandata a delegato [1], conveniunt omnes non indigere; nam tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a die executionis. Imo probabilius dicunt non requiri novam dispensationem, etsi illa jam fuerit executa; quia illa affinitas jam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi matrimonium : et ita respondit S. Pœnitentiaria, 21 sept. 1752 [2]. — Hoc autem valet etiam quando dispensatio obtenta est a Dataria atque executa in impedimento consanguinitatis; modo non agatur de dispensatione in *forma pauperum*, pro qua iterata copula est de novo exponenda ad obtinendam novam dispensationem, mediantibus litteris in forma *perinde valere;* prout praxis et ipse stylus romanæ Curiæ probant ex Pyrro Corrado.

**601.** *Quid* (dices) *si post obtentam dispensationis gratiam in gradu prohibito, intercesserit copula inter ipsos sponsos, requiriturne nova dispensatio?* Verius affirmant ex stylo Curiæ; si nondum dispensatio sit a delegato executioni mandata; nam major tunc pœnitentia imponitur. Ita declaravit S. C. C. anno 1635 : *Qui litteris dispensationis obtentis super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non præsentatis contraxit, vel carnaliter sponsam cognovit, non potest absque nova dispensatione in matrimonio permanere.* Hujus autem sententiæ fundamentum non est, quod hæc copula incestuosa inducat aliquod matrimonii impedimentum; sed fundamentum hujus particularis casus est stylus Curiæ, quæ tunc non intendit, ut vim habeat dispensatio, uti probat Sanchez. Est autem dispensatio obtinenda a Dataria si copula sit manifesta; a Pœnitentiaria vero, si copula occulta sit.

Diximus : *Si nondum executioni mandata ipsa dispensatio;* secus enim si copula habita fuerit post dispensationis executionem ; quia

[1] Dispensationis Litteræ dicuntur *executioni mandatæ*, quando delegatus a S. Sede ad dispensandum, reapse protulit sententiam dispensationis; etsi nuptiæ nondum contractæ sint.

[2] Alasia docet recessum esse ab hac declaratione; et hodie (in hoc casu) postulari et obtineri dispensationem ad cautelam. Verum quod *ad cautelam* peti soleat a nonnullis et obtineri dispensatio, non probat quod adsit impedimentum, cum id plerumque tantum fiat ad anxietates auferendas, ut notat Benedictus XIV, cum Diana, *Notificatione* CI. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l VI, n. 1140.



tunc concessa dispensatione et ablata prohibitione, cessat etiam malitia incestus.

## Art. II. — De modo dispensationis exequendæ [1].

**602.** Quoad executionem dispensationum, quæ ab Episcopo tribuuntur, veniunt observandæ ab ipso præscriptæ clausulæ, quæ eædem ferme esse solent, ac illæ, quæ a Curia romana statuuntur.

**603.** Q. 1. *Quomodo sunt exequendæ dispensationes Datariæ?*

R. Breve dispensationis ordinarie mittitur exequendum ad Episcopum vel ejus Vicarium : et quidem ad Vicarium, vel Episcopum oratricis, si oratores sint diversæ Diœcesis. Episcopi autem nomine, venit Episcopus originis; et Sede episcopali vacante, non ad Vicarium capitularem, sed ad viciniorem Episcopum committi solet. Porro delegatus (antequam de facto dispenset, et dein mandet Parocho, ut servatis servandis, nuptiis assistat), inquirere debet in causæ veritatem sub pœna nullitatis [2]; atque ad tenorem Brevis sedulo attendere, omnesque illius clausulas implere. — Quibus peractis, veniat ad dispensationem notans atque declarans, se agere uti Sedis apostolicæ delegatum. Videat autem, ne aliquid accipiat muneris vel præmii occasione dispensationis [3]. Item dispensatio accurate describatur, ac conservetur in archivio parochiali ad probandam canonicitatem matrimonii.

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1148; *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 85. Et tomo I, p. 232.

[2] Benedictus XIV, Const. *Ad Apostolicæ servitutis*, 10 martii 1742. Probabilius est tamen dispensationem ab Officiali pronuntiatam, non factis perquisitionibus debitis, validam esse, modo causæ summo Pontifici expositæ reipsa veræ sint : et excepto casu quo expresse committatur causarum verificatio, ut aliquando fieri dicunt (sed graviter peccaret Officialis, nisi aliqua suaderet necessitas, verificationem omittendo). Ita graves judicant viri : et reipsa Pontifex, non præcise informationem, sed rei veritatem sub pœna nullitatis præscribere videtur. *Bouvier.*

[3] Imo si dispensetur *in forma pauperum* et aliquid muneris aut præmii accipiatur præter dictam excommunicationem, ipsa absolutio et dispensatio nullius est roboris vel momenti.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**604.** Q. 2. *Quomodo exequenda est dispensatio S. Pœnitentiariæ?*

R. Ad fulminandam seu exequendam dispensationem a Pœnitentiaria obtentam, eligi solet Confessarius a pœnitente designandus, modo sit ex approbatis : et si Confessarius designatur uti laurea donatus, talis esse debet. Ait autem Pichler, quod si Confessarius electus dispensationem exequi recuset, vel nimis sit rigidus in pœnitentiæ impositione, potest orator seu pœnitens alium eligere Confessarium, etsi jam litteræ apertæ sint, modo nondum executioni mandatæ. — Plurimæ autem in rescripto apponuntur conditiones sedulo attendendæ, utpote essentiales : quarum quidem aliæ sunt ad effectum contrahendi matrimonium, aliæ ad effectum remanendi in jam contracto[1].

**605.** *Primo :* clausulæ matrimonii contrahendi explicatu maxime necessariæ ac sedulo attendendæ, sunt sequentes :

1ª *Si ita sit, si preces veritate nitantur :* quare executor investigare debet, num verum sit factum ; num vera causa, aliaque necessaria adjuncta : quæ omnia tamen non est necesse, ut verificata fuerint, quando Romæ scriptum fuit ; sed satis est ut vera fuerint et quando Romæ dispensatur, et quando dispensationem delegatus exequitur. In hac autem verificatione, non adhibentur testes ; sed tota fides est adhibenda ipsi pœnitenti, nisi delegatus certo sciat contrarium, idque cognoverit extra sacramentalem Confessionem, ut Sanchez et Cabassutius recte docent. Neque est exigendum juramentum a pœnitente de veritate dicenda, nisi rescriptum id præcipiat.

2ª *Audita prius sacramentali Confessione :* ideo necessaria est pœnitentis Confessio ad ipsum valide dispensandum, etsi jam prius alteri confessus fuerit : ideo magis quia nonnisi in ipsa confessione Confessarius valide dispensare potest. Et si dicatur *audita eorum confessione*, utriusque sponsi Confessio audienda est ; est enim conditio *sine qua non :* vel de novo

[1] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1143. — Synodus Novar. Episc. Bertone, p. 333. — Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII. — *Bibliotheca de' Parochi di campagna*, vol. II.



supplicandum, si id locum habere non possit. — Quid de absolutione? responsio S. Pœnitentiariæ apud Compans relata, statuit : *Dispensationem validam fore, etsi Confessio sit nulla et sacrilega ; et absque Sacramentali absolutione concedi posse, si forte urgens aliqua necessitas id suadeat.*

3ª *Sublata occasione peccandi :* intelligitur occasio voluntaria et proxima, quæ de facto est tollenda. Si vero occasio sit necessaria, auferri debet saltem ex animo ; atque ex proxima fieri remota, ut recte explicat Tournely. Ait Talento, hanc clausulam non poni sub pœna nullitatis, sed ad monendum Confessarium, quid ipsi agendum sit.

4ª *Dummodo impedimentum sit occultum :* si dicat *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis, tunc non est amplius tale, si possit per duos testes probari. Si dicat simpliciter *occultum*, tunc non obstat juxta Fagnanum, si notum sit 4 aut 5 personis loci ; imo alii dicunt esse occultum, si cognitum sit 7 aut 8 personis in civitate, sex solis personis in oppido. Nil autem refert quomodo hæc cognitio habita fuerit, etsi ex arctissimi secreti violatione ; semper enim verificatur, impedimentum non amplius occultum esse. Potest autem delegatus exequi rescriptum, si olim publicum, nunc ex hominum memoria exciderit ; sed exigunt decennii oblivionem, ut notat Marcus Leo. Non poterit autem dispensare, si prudens adsit timor, ne impedimentum ex occulto fiat publicum : vel si impedimentum sit materialiter publicum, sed occultum formaliter, veluti si pluribus notum sit aliquem, antequam matrimonio jungeretur, cum sorore uxoris suæ rem habuisse ; ignoretur tamen inde exortum esse impedimentum dirimens. Ita Benedictus XIV, qui etiam docet, iterum recurrendum esse, si delictum in loco, quo est contrahendum matrimonium, sit occultum : sed alibi sit publicum[1].

[1] Ceterum bene potest iterum recurri ad S. Pœnitentiariam, quando factum unde exurgit impedimentum, est publicum materialiter, quia jam viciniæ cognitum est ; sed formaliter occultum, quia ignoratur inde oriri impedimentum. In eo casu, S. Pœnitentiaria solet adhuc dispensare tanquam de occulto ; sicut etiam nonnunquam dispensat, etsi impedimentum sit cognitum decem personis, si ad eam specialiter pro eo casu recurratur. — Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1111.

5ª *Injuncta pœnitenti pro suo gravi crimine gravi pœnitentia salutari :* id est juxta vires pœnitentis, quod quidem determinatur, habita ratione personarum, conditionis, ætatis et sexus; nam, v. g., quæ pro robusto levis putatur, non ita erit pro fœmina tenere educata. Talis esset, v. g., per sex menses jejunium semel in hebdomada, vel recitatio Rosarii ter in hebdomada, aut frequens Confessio saltem semel in mense, orationes, lectio spiritualis, eleemosyna, etc. Si autem pœnitens debitam pro suo peccato pœnitentiam jam egisset, poterit tunc pœnitentia moderari, modo illa jam non sit injuncta a Pœnitentiaria tanquam commutatio [1]. Aliquando præcipitur pœnitentia *gravis* et *longa*, vel *diuturna :* recitatio Coronæ, v. g., singulis hebdomadis per annum, est gravis et longa; per tres autem annos, est diuturna. *Bouvier* [2].

6ª *Et aliis de jure injungendis; aliudque non obstet :* 1um respicit tum alias obligationes, quas potest habere pœnitens, v. g., famæ restituendæ, tum alias pœnitentias aliis delictis proportionatas; 2um præcipit inquirendum esse, an aliud subsit impedimentum, quod ubi reperiatur, iterum est ad Pœnitentiariam confugiendum : et etiam ad Datariam, si publicum esset, nulla ei facta occulti impedimenti mentione.

[1] Si Confessarius, ex culpabili negligentia, pœnitentiam delicto proportionatam non imponat, graviter peccat; verum, juxta fere omnes, dispensatio est nihilominus valida : non vero si pœnitens, gravem suscipiendo pœnitentiam, intentionem eam implendi non haberet. Quæ pœnitentia non potest ab alio Confessario mutari, cum inferior non possit cognoscere in rem superioris; excipiunt nisi necessitas urgeat vel suadeat vera utilitas, ex præsumpta nempe superioris voluntate. — V. *Summa, Sylvestrina*, v° Confessio, § 1, n. 31.

[2] Cavendum est, ne ea injungatur pœnitentia, unde pœnitentis delictum detegi possit. Quoties autem quolibet mense vel singulis mensibus injungenda dicitur Confessio, necesse est ut ad plures menses imponatur; et quamvis ad clausulæ veritatem sufficere videatur, ut duobus tantum mensibus emittenda Confessio præscribatur; recte tamen monent graves auctores æquitati consentaneum esse ut plurimum, si ea per semestre injungatur. Ceterum indefinite præscripta singulis mensibus confessio non videtur in perpetuum esse imponenda : multo enim clarius in Litteris exprimi et designari solet oneris perpetuitas. — Ita *Synodus Novariensis* ab Episcopo Balbis Bertone, celebrata anno 1778.



2ª *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur :* unde si impedimentum fiat publicum, ad scandalum vitandum conjuges separentur, donec pro externo foro a Dataria obtineatur dispensatio : attamen secreto uti conjuges haberi possunt; quia revera impedimentum sublatum est. Imo si, v. g., fides seu testimonium Confessarii accedat de dispensatione obtenta (hoc testimonium conjugibus ipsis petentibus), nullus amplius inferendæ illis molestiæ locus erit; nam et Episcopus et Parochus et judex Confessarii attestationi acquiescunt.

8ª *Præsentibus laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*, ne scilicet occultum pœnitentis peccatum in lucem veniat : hæc laceratio facienda est statim, id est saltem intra triduum ab executione dispensationis, vel saltem a matrimonio celebrato. Etsi tamen sub gravi præcepta sit laceratio, non corruit dispensatio casu quo litteræ non lacerentur. « Quand le recours a été fait par les deux parties qui sont considérées comme mari et femme, et, en réalité, vivent en concubinage, on ne met point la formule *laceratis;* c'est le curé seul et non le simple confesseur que l'on commet pour assister au mariage, en présence de deux témoins, mais sans les publications ordinaires; et cela afin de garder une preuve écrite du mariage secret, tel qu'il est réglé dans la Bulle de Benoît XIV *Satis vobis.* Si les concubinaires réputés conjoints, outre la dispense dont il s'agit, avaient besoin de quelque autre dispense pour un empêchement dirimant qui existerait entre eux, la Sacrée Pénitencerie enverrait deux lettres distinctes, l'une avec la dispense de cet empêchement qui porterait l'injonction *laceratis;* l'autre, permettant de contracter le mariage secret sans cette injonction, afin que l'on puisse avoir toujours un souvenir et un document certain de la célébration du mariage [1]. »

**606.** *Secundo :* clausulæ speciales, quæ omnino verificari debent ad dispensandum in jam contracto matrimonio, hæ sunt :

[1] Abrate, *L'Esprit du curé.* Roma, t. IV, pag. 117. — Ferraris, v° *Instructio parochor.*

1ª *Si separatio fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur.* Quæ clausula agitare non debet Confessarium ; cum vix in praxi aliter res esse possit : unde rarissime aut nunquam erit necessarium experiri, an conjuges possint separari et honeste vivere tanquam frater et soror.

2ª *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii ; sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.* Consensus autem compartis sic exigi potest : si nullum sit periculum infamiæ aut separationis, aperte dicat sponsa parti ignaræ : *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum :* vel *dixit mihi Confessarius nullum esse ; ideo renovemus consensum.* Quia tamen id raro fieri potest, cum raro conveniat monere partem ignaram, hinc assignantur communiter duo alii modi, qui nobis arrident : 1. ut sponsa dicat : *Quando nupsi tecum, non satis curavi de vero consensu ; nunc verum præstare volo : vis præstare et tu?* Sine mendacio id dicit ; quia consensus invalide præstitus est nullus ; 2. ut hæc verba proferat : *Scrupulis angor de valore matrimonii nostri, ideoque renovemus consensum ;* id enim satis est, ut altera pars ponat consensum novum independentem a primo [1]. — Quod si Confessarius videat hanc conditionem non posse verificari, nec spem adesse obtinendi novum consensum, uti si, v. g., in discordiis vivant conjuges, id ab initio Pœnitentiariæ exprimat : vel postea ad eam scribat, ut obtineat dispensationem *in radice* (X).

3ª *Uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, contrahere valeat ;* id est sine præsentia Parochi et testium.

[1] Alius modus est, si accedat copula, maritali affectu habita, ex parte conjugis conscii impedimenti per dispensationem jam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum ; nam ex altera parte inscia jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu præstito usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus, quem non reprobat Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII, n. 74, tunc tantum sufficeret quando non esset locus modis aliis ; et insuper immineret periculum gravis damni. — *V.* Ligoori. *Op. Mor.*, l. VI, n. 1117.



# DISPUTATIO QUARTA
## DE MATRIMONII
## CELEBRATIONE ET CONVALIDATIONE

**607.** Q. 1. *Quid requiritur ad ritam matrimonii celebrationem?*

R. Ex parte contrahentium id requiritur, ut sint in statu gratiæ ; quia suscipiunt Sacramentum vivorum ; ideo præstat prius conscientiam Confessione expiare [1], atque ad uberiorem gratiam Eucharistiam suscipere, et Dei benedictionem in proprias nuptias suppliciter postulare. Imo congruum est, ut pro ea celebratione tempus eligant, quod faciendo Sacro constitutum est ab Ecclesia ; adeo ut non modo virtute Sacramenti, verum etiam Sacrificii fructibus cumulentur [2].

**608.** Ex parte vero Parochi, vel alterius legitimi assistentis requiritur, ut servet accurate quæ in Rituali R. præscripta sunt : ut nempe *in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem (quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet) de consensu in matrimonium interroget, utrumque singillatim vulgari sermone :* et cetera ibidem adnotata religiose curet. Matrimonio celebrato *si nuptiæ sint benedicendæ,* Missam propriam (in qua scilicet ea nuptiarum benedictio habetur), legat ; servatis tamen Rubricis [3].

[1] Non possunt tamen absolute loquendo exigere Parochi, ut Confessio matrimonio præmittatur, nisi præceptum Episcopi hoc statuat ; nam ad gratiam recuperandam sufficit hic etiam contritio. Aliunde Parocho plerumque non constat, sponsos non esse in gratia. Imo etsi adsit lex, possunt quandoque occurrere casus, in quibus lex ista exceptionem admittere videatur, ad majora scilicet præcavenda mala. *Gousset, Gury.* — V. *Analecta juris pontificii*, t. I, p. 704.

[2] *V.* Novariensis Synodus ; Gousset, *Theol.*, n. 896 ; et Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI.

[3] Circa rubricas *V.* Appendix II in fine voluminis primi, ubi notantur plurimæ declarationes. Id unum addimus : Si Missa sit de sponsis, tres dicendæ sunt Orationes ; prima de sponsis ; 2ª et 3ª diei currentis ; id est 2ª de Officio diei ; 3ª quæ dicenda foret secundo loco in Officio diei, si esset de simplici

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1ª *Si separatio fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur.* Quæ clausula agitare non debet Confessarium ; cum vix in praxi aliter res esse possit : unde rarissime aut nunquam erit necessarium experiri, an conjuges possint separari et honeste vivere tanquam frater et soror.

2ª *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii ; sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.* Consensus autem compartis sic exigi potest : si nullum sit periculum infamiæ aut separationis, aperte dicat sponsa parti ignaræ : *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum :* vel *dixit mihi Confessarius nullum esse ; ideo renovemus consensum.* Quia tamen id raro fieri potest, cum raro conveniat monere partem ignaram, hinc assignantur communiter duo alii modi, qui nobis arrident : 1. ut sponsa dicat : *Quando nupsi tecum, non satis curavi de vero consensu ; nunc verum præstare volo : vis præstare et tu?* Sine mendacio id dicit ; quia consensus invalide præstitus est nullus ; 2. ut hæc verba proferat : *Scrupulis angor de valore matrimonii nostri, ideoque renovemus consensum ;* id enim satis est, ut altera pars ponat consensum novum independentem a primo [1]. — Quod si Confessarius videat hanc conditionem non posse verificari, nec spem adesse obtinendi novum consensum, uti si, v. g., in discordiis vivant conjuges, id ab initio Pœnitentiariæ exprimat : vel postea ad eam scribat, ut obtineat dispensationem *in radice* (*X*).

3ª *Uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, contrahere valeat ;* id est sine præsentia Parochi et testium.

[1] Alius modus est, si accedat copula, maritali affectu habita, ex parte conjugis conscii impedimenti per dispensationem jam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum ; nam ex altera parte inscia jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu præstito usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus, quem non reprobat Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII, n. 74, tunc tantum sufficeret quando non esset locus modis aliis ; et insuper immineret periculum gravis damni. — *V.* Ligoori. *Op. Mor.*, l. VI, n. 1117.



# DISPUTATIO QUARTA
## DE MATRIMONII CELEBRATIONE ET CONVALIDATIONE

**607.** Q. 1. *Quid requiritur ad ritam matrimonii celebrationem?*

R. Ex parte contrahentium id requiritur, ut sint in statu gratiæ ; quia suscipiunt Sacramentum vivorum ; ideo præstat prius conscientiam Confessione expiare [1], atque ad uberiorem gratiam Eucharistiam suscipere, et Dei benedictionem in proprias nuptias suppliciter postulare. Imo congruum est, ut pro ea celebratione tempus eligant, quod faciendo Sacro constitutum est ab Ecclesia ; adeo ut non modo virtute Sacramenti, verum etiam Sacrificii fructibus cumulentur [2].

**608.** Ex parte vero Parochi, vel alterius legitimi assistentis requiritur, ut servet accurate quæ in Rituali R. præscripta sunt : ut nempe *in Ecclesia superpelliceo et alba stola indutus, coram tribus aut duobus testibus, virum et mulierem (quos parentum vel popinquorum suorum præsentia cohonestari decet) de consensu in matrimonium interroget, utrumque singillatim vulgari sermone :* et cetera ibidem adnotata religiose curet. Matrimonio celebrato *si nuptiæ sint benedicendæ*, Missam propriam (in qua scilicet ea nuptiarum benedictio habetur), legat ; servatis tamen Rubricis [3].

[1] Non possunt tamen absolute loquendo exigere Parochi, ut Confessio matrimonio præmittatur, nisi præceptum Episcopi hoc statuat ; nam ad gratiam recuperandam sufficit hic etiam contritio. Aliunde Parocho plerumque non constat, sponsos non esse in gratia. Imo etsi adsit lex, possunt quandoque occurrere casus, in quibus lex ista exceptionem admittere videatur, ad majora scilicet præcavenda mala. *Gousset, Gury.* — V. *Analecta juris pontificii*, t. I, p. 704.

[2] *V.* Novariensis Synodus ; Gousset, *Theol.*, n. 896 ; et Benedictus XIV, *Notificatione* XLVI.

[3] Circa rubricas *V.* Appendix II in fine voluminis primi, ubi notantur plurimæ deciarationes. Id unum addimus : Si Missa sit de sponsis, tres dicendæ sunt Orationes ; prima de sponsis ; 2ª et 3ª diei currentis ; id est 2ª de Officio diei ; 3ª quæ dicenda foret secundo loco in Officio diei, si esset de simplici

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

**609.** Diximus *si nuptiæ sint benedicendæ;* nam vidua non benedicitur, etsi illius vir nunquam uxorem duxerit; cum in hisce nuptiis desit plena significatio unius sponsi Christi cum una sponsa Ecclesia. Quod si mulier nemini unquam nupserit sed jam alias nupserit vir ejus, nuptiæ benedicantur, ubi talis adest (prout in Novariensi Diœcesi) consuetudo. Benedictio autem non est concedenda : — 1. *tempore feriato*[1]; et graviter peccaret Parochus hoc tempore nuptiarum benedictionem concedens, et sponsi eam recipientes; — 2. extra Ecclesiam, quia illa benedictio nonnisi intra Missam fieri debet, quæ quidem extra Ecclesiam non est celebranda; — 3. non est danda extra Parœciam, sine expresso consensu Parochi loci; quia esto quod valide et licite Parochus assistere possit matrimonio suorum parochianorum etiam extra Diœcesim (quæ assistentia consistit in illis verbis : *Ego vos conjungo*, et annuli traditione)[2]. Non tamen licite extra Parœciam nuptias benedicit: nam assistentia est actus quietus neminem lædens; sed benedictio nuptiarum est actus solemnis, qui saltem functiones et ordinem perturbat; — 4. nuptiarum benedictio non est danda in probabiliori sententia conjugibus jam benedictis, licet postea detegatur nullum fuisse eorum conjugium; quia benedictio primario personas ipsas respicit.

Ceterum in omni casu hanc benedictionem omittere, commune est non esse mortale, cum hæc cæremonia (quæ tamen et antiquissima est, et jure canonum inducta[3]) non ita communiter sit recepta. Attamen eam adhibere valde præstat ad uberiores fructus percipiendos.

vel de semiduplici, quæ quidem variat juxta temporum et adjunctorum diversitatem, ut videre est in Rubrica Missalis, ubi *de commemorationibus et orationibus*.

[1] Tridentinum, sess. XXIV, c. X, *De R. matr.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1087.

[2] Præstat, ut cum interrogantur sponsi de eorum consensu, Parochus non solum nomen, sed cognomen etiam sponsorum exprimat; sic multo magis personæ designantur et testes securius fidem de contracto matrimonio facere possunt.

[3] Cap. *Aliter.* — *V.* Ferraris, v° *Benedictio*.



**610.** Q. 2. *Quid agendum a Confessario, si pœnitens matrimonium contracturus non possit absolvi?*

R. Vel pœnitens putat in bona fide se posse matrimonium licite contrahere, etsi non absolutus; vel cognoscit matrimonium requirere statum gratiæ, ut licite contrahatur. — In *primo casu*, si prævideatur pœnitens monitioni obtemperaturus, moneatur se non posse sine gravi peccato matrimonium contrahere in statu peccati mortalis. Si e contra prævideatur monitionem contempturus, in bona fide relinquatur, et Confessarius taceat de obligatione status gratiæ ad matrimonium licite contrahendum, ne peccet formaliter, ubi fortasse solum materialiter peccabit. Dicat tamen pœnitenti : Si matrimonium ineas, contende, ut vero dolore conteraris, et contritionem perfectam habeas ante matrimonii celebrationem; et paulo post ad me revertaris, ut Confessionem tuam perficere possis. — In *secundo casu*, Confessarius debet pœnitentem e matrimonio contrahendo retrahere usquedum absolvi possit, fortiter loquendo de sacrilegio, quod committunt matrimonium ineuntes in peccati mortalis statu Si nihilominus matrimonium differre renuat, moneat ipsum Confessarius, ut omnino curet contritionem perfectam elicere.

Confessarius ita se gerens, etsi non putet pœnitentem adeo eximiam comparaturum esse dispositionem, non censetur sacrilegium approbare; cum contendat ut vitetur per contritionem perfectam[1].

**611.** Q. 3. *An Parochus possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores, vel publice faciunt contra Ecclesiæ leges?*

R. Cum Benedicto XIV : *Quamvis juxta communiorem magisque receptam sententiam non sit* (Parochus) *matrimonii minister; tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua præsentia firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri*[2]. Ratio est, tum quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter

[1] Ita in libro *Examen raisonné* ou *Décisions théologiques;* Lyon, 1851.

[2] *De Synodo*, l. VIII, c. XIV. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 54; Bouvier, Gury, Gousset.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccatum jam interne consummaverit; tum quia Parochus tenetur ex justitia incumbere saluti spirituali suarum ovium eas avertendo a peccatis. Quod dictum est de Parochis, idem valet de testibus, qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi; cum ipsi non teneantur, nisi ex charitate impedire peccatum.

Aliquando tamen vel ipse Parochus excusatur, si nempe urgeret ratio valde gravis et aliquo modo proportionata malo, quod permittitur in Sacramenti profanatione: v. g., si Parochus ad id cogeretur metu mali gravissimi, vel si imminerent gravia mala communitati, aut ipsis contrahentibus, uti si sponsi jam sint conjuncti civiliter (uti in Gallia evenire solet, ubi matrimonium civile ecclesiastico præire debet), et sponsi ad meliorem frugem resipiscere nolint, ut ita liberentur a peccato concubinatus, eos legitimo matrimonio jungendo (Y).

**612.** *Quid* (quæres) *agere debet Parochus, si partes civiliter contraxerunt; at postea pars una recuset contrahere coram Ecclesia?* En responsio cardinalis Caprara legati *a latere* in Galliis: tunc *ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino cautum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit*[1].

**613.** Q. 4. *Quid si dignoscatur matrimonium initum nullum esse?*

R. Ut hac in re Parochus vel quivis alius cujus interest, partes suas rite adimpleat, videndum an impedimentum sit dispensabile vel non.

Si impedimentum non dispensabile est publicum, partibus præcipiat, ut illico se separent quoad thorum atque habita-

[1] Sponsi qui jam contraxerunt matrimonium juxta Ecclesiæ leges, ante ipsum contractum civilem matrimonialiter vivere possunt: quia contractus civilis ad Sacramenti validitatem non requiritur. Sic tamen juncti omnino urgendi sunt ad contrahendum etiam civiliter (si aliud non obstet), tum ut satisfaciant legi non injustæ (si respiciat solum civilia), tum ut provideant statui civili filiorum. Ita *Bouvier*.



tionem, et curent obtinere sententiam a judice ecclesiastico de nullitate matrimonii. Quod si impedimentum non dispensabile sit occultum, et utrique parti incognitum, et non possint separari absque gravi scandalo et damno, erunt in bona fide relinquendi. — Si autem uni tantum parti notum sit, altera pars inscia monenda est, licet monitio non sit profutura; quæ nolens recedere ab usu conjugii, erit dimittenda, si cum ea habitari nequeat absque gravi periculo fornicandi, vel alterius gravis damni temporalis: et interea erit recurrendum ad Superiorem ecclesiasticum pro matrimonii dissolutione. Quid si juridice ostendi non possit matrimonii nullitas? Tunc quamvis per excommunicationis fulminationem obligaretur ad reddendum alteri debitum, humiliter sustinere debebit potius hanc pœnam, quam Deum offendere[1]: hæc autem censura, utpote ex errore lata, coram Deo non ligat. — Si demum occultum illud et non dispensabile impedimentum, utrique parti sit notum, Parochus conjugii usum ei interdicat; et nullo extante incontinentiæ periculo, eis permittere poterit, ut simul adinstar fratris et sororis cohabitent. Secus separationem jubeat, eos obligando ad providendum proli, si quæ sit eo meliori modo, quo fieri potest. Ita *Alasia*.

Si vero impedimentum est dispensabile, tunc si matrimonii nullitas est publica, ut scandalum auferatur, conjuges statim sunt quoad thorum et habitationem separandi, dein urgendi ut dispensationem obtineant, atque iterum in faciem Ecclesiæ contrahant, id est coram Parocho et testibus[2]. Vel res ad

[1] Cap. XLIV, *De sent. excomm.* — Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 8.

[2] Quando nullitas matrimonii publica est, iterum celebrandum est matrimonium in faciem Ecclesiæ, ut publice constet de illo; et Ecclesia non dispensat a clandestinate, si vix excipias aliquem casum. At si nullitas non sit manifesta, et jam matrimonium primitus fuerit celebratum in faciem Ecclesiæ, in probabiliori sententia ac communi non est iterum revalidandum coram Parocho et testibus: nam talis assistentia non fuit præscripta ad testandam matrimonii validitatem, sed tantum illius celebrationem, ne scilicet plura quis ineat fraudulenter. Ita S. C. C.; et talis est stylus S. Pœnitiariæ, testo Benedicto XIV, *Notificatione* LXXXVII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 1110.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Episcopum deferenda, qui visis circumstantiis, pronuntiabit matrimonii nullitatem, aut ejus revalidationem urgebit.

*Quid vero* (addes) *si matrimonii nullitas ob impedimentum dispensabile non sit publico nota?* Tunc vel agitur de matrimonio nullo ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum dirimens.

**614.** Quoad 1: si ex utraque contrahentium parte consensus defuerit, utraque ipsum renovare debet: cum nullus sine mutuo consensu subsistat contractus. Si vero consensus ex parte unius tantum conjugis defuerit, quia, v. g., ficte vel ex errore consensit, tunc Comitolus, Hurtadus, Palaus ac Pontas volunt partem ignaram esse monendam, ut ipsa quoque de novo consentiat; quia ejus consensus ab initio fuit nullus, cum ceciderit supra materiam inhabilem: at si nullus ab initio, neque in præsentiarum esse aut perseverare potest. Sed communiter et verius id cum D. Thoma[1] negant Alasia, Cuniliati, Layman, Navarrus, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Tournely aliique plures. Nam si pars inscia verum consensum posuit, uti supponitur, neque illum retractavit, adhuc ipse perseverat, licet quodammodo suspensus per defectum consensus alterius: hic ergo si accedat, ille evadit absolutus, totamque vim suam debet exercere. Id fortius probatur ex ipso jure canonico, in quo habetur, quod invite desponsata, si postea sponte sit cognita, non auditur contra matrimonium, quia copula æquivalet libero consensui: nec tamen vir consensum suum renovavit[2]. — Si tamen certiorando compartem, mali exitus non timeantur, recte sentit Benedictus XIV primam sententiam uti tutiorem esse tenendam; cum nempe agatur de valore Sacramenti.

**615.** Quoad 2, dicimus: si impedimentum dispensabile *utrique parti* notum est, obtenta dispensatione, matrimonium erit de necessitate revalidandum per utriusque consensus renovationem; cognita enim matrimonii nullitate, jam partes sciunt eorum consensum fuisse sine effectu. Interim, quoadusque obtineatur dispensatio, separandi sunt quoad

[1] Suppl. q. 47, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. XI, n. 1009, etc.
[2] Cap. *Insuper* IV *qui matr.*



habitationem, si adsit aliquod incontinentiæ periculum. Prudenter tamen, ne publicus id dignoscat: poterit, v.g., Confessor vel Parochus consulere, ut sub prætextu mercaturæ vel devotæ peregrinationis vel invisendi amicos una pars alio eat ad tempus.

**616.** Si vero impedimentum dispensabile *uni parti* tantum notum est, pars conscia debebit abstinere ab usu conjugii; et ordinarie loquendo alteri parti erit nullitas manifestanda, ut obtenta dispensatione, consensus mutuo renovetur: idque maxime, quia Pœnitentiaria in dispensationibus solet adjungere clausulam: *de certioranda comparte*, quæ probabilius ex Benedicto XIV non simplex instructio, sed positiva conditio est. Diximus *ordinarie loquendo*, quia id non est de absoluta necessitate; etenim prior consensus fuit jure naturæ validus, et adhuc perseverat, licet quodammodo suspensus per impedimenti obicem: quo quidem obice sublato, prior consensus evadit absolutus, totamque vim suam naturalem exercendo unitur consensui alterius. Idque ea ferme ratione, qua magnes lapis, obice remoto, ferrum ad se trahit ex vi sua naturali, quam per obicis appositionem non amiserat quidem, sed solum impeditam suspensamque retinebat[1]. In hac agitur sententia, si ex impedimenti manifestatione adsit periculum, ne compartis delictum manifestetur, atque inde timeantur dissidia, et maxime si suspicio suboriatur, quod alter non amplius velit contrahere; tunc ad supremam Sedem iterum confugiendum difficultatem exponendo.

In illis porro adjunctis Papa, seu pro ipso S. Pœnitentiaria dispensat a clausula consueta de certioranda parte, indulgetque, ut etiam jure ecclesiastico validus habeatur consensus jam validus jure naturæ illumque in sua radice sanat ab impedimento, ad ipsum videlicet matrimonii initium ascendendo; et hoc quidem est in more, et en dispensatio *in radice*, ut aiunt[2]. Imo si gravissima urgeat necessitas, ut si

[1] Id pluribus tuetur Barbosa in c. *Significatum*, l. III, t. XXXI, *de Regular.*
[2] Hanc dispensationem concessit Clemens XII, 2 apr. 1705. Et etiam ante ipsum id factum narrat Rigantius ad Regul. XLIX. Id fieri posse docet Benedictus XIV, *Notificatione* LXXXVII; idque ipse fecit 26 sept. 1755. Item

non possit hic et nunc vitari redditio debiti, et ex manifestatione immineat periculum separationis magno cum populi scandalo aut prolis detrimento, poterit ipse Episcopus dispensare sine dicta clausula certiorandi compartem. Vel etiam crescente temporis angustia, poterit Confessarius declarare, eo in casu Eclesiam velle illam conditionem omissam, utpote tunc moraliter impossibilem. Ita Benedictus XIV, Navarrus ceterique.

**617.** Si tandem impedimentum dispensabile *neutri parti* notum sit, et in bona fide conjuges versentur, erunt monendi ubi sit certa spes fore, ut matrimonium convalidetur (quod tamen non ita facile supponatur). Secus ex Innocentii III rescripto *dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere*[1]. Quamquam dispensatio *in radice* iis conjugibus nullitatem nescientibus poterit applicari, quin prius moneantur. Hoc si sedulus Parochus faciendum curaverit illud non minimum obtinebit, ut et peccata materialia vitentur, et ipsius etiam matrimonii impediatur dissolutio, si quando ejus vitium partibus innotuerit (*Z*).

Pius VII, Leo XII, aliique. Et hodie etiam si necessitas sit, facit S. Pœnitentiaria. Quo admisso, est certe temerarium hanc facultatem Pontifici velle adhuc denegare. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 82.— *Quid* (dices) *si postea impedimentum detegatur in foro externo?* — Erit acquiescendum testimonio Confessarii. Quid si Confessarius moriatur? impossibile est, ut omnibus occurratur eventibus. Attamen aiunt, quod si casu detecto impedimento, suspicio esse possit, quod conjuges renuerent in conjugio manere cum gravi fidelium scandalo ac filiorum detrimento, peti potest a S. Pœnitentiaria facultas litteras dispensationis caute ac secreto custodiendo, quoadusque aliqua suspicio separationis esse possit. — *V.* Benedictus XIV, de re fere simili, *Notificatione* LXXXVII, nn. 54 et seqq.

[1] Cap VI, *De cons. et affin.* Aliquando præstare potest, ut prius petatur dispensatio, et postea moneantur conjuges, qui etsi velint de novo contrahere; non tamen ita facile abstinebunt ab usu conjugii, expectando dispensationem. Certe prudentia magna necessaria est.



# DISPUTATIO QUINTA

## DE MATRIMONII BONIS, EFFECTIBUS ET DEBITO CONJUGALI

**618.** Q. 1. *Quænam sunt matrimonii bona et effectus?*

R. Cum Angelico, tria sunt bona matrimonii: *Sacramentum, fides et proles.* Quibus bonis abunde compensantur tria incommoda, quæ in conjugio reperire est. — Primum incommodum in matrimonio est *voluptas*, quæ rationem absorbet: et hoc compensatur procreatione liberorum, quibus genus humanum propagatur, et Deus perpetuo colitur. Secundum inconveniens est *molesta sollicitudo* comparti placendi, filios educandi, rebus domesticis providendi: et hoc compensatur bono fidei seu fidelitatis, qua alter alteri uniri debet et præsto esse. Tertium incommodum est *perpetua servitus*, qua unus alteri obligatur: et hoc compensatur bono Sacramenti, quo gratiam conjuges recipiunt, ut facilius vinculum illud perpetuo ac meritorie tolerent[1].

**619.** In his habes totidem matrimonii ipsius effectus: nempe *gratiam* in bono Sacramenti: *Jura* et *onera* reciproca in bono fidei; *mutuam corporis traditionem* in bono prolis. Sunt igitur effectus.

1. *Gratia:* est de fide ex Tridentino[2]. Hæc autem est gratia *sanctificans secundaria;* cum matrimonium non sit directe ad remittenda peccata: unde nonnisi per accidens primam gratiam confert et mortale aufert; et *sacramentalis,* quæ fundatur in jure gratias actuales recipiendi conducentes ad finem hujus Sacramenti.

2. *Jura* et *onera*, quæ necessario comitantur individuam illius vitæ societatem. Quæ porro sunt vel solius viri, uti jus potestatis maritalis et patriæ, atque onus familiam alendi, educandi et tuendi: vel sunt solius uxoris, uti jus participandi dignitatem, nobilitatem aliaque privilegia mariti, et

[1] Suppl. q. 49, a. 1 et seqq. — [2] Sess. XXIV, can. I.

non possit hic et nunc vitari redditio debiti, et ex manifestatione immineat periculum separationis magno cum populi scandalo aut prolis detrimento, poterit ipse Episcopus dispensare sine dicta clausula certiorandi compartem. Vel etiam crescente temporis angustia, poterit Confessarius declarare, eo in casu Eclesiam velle illam conditionem omissam, utpote tunc moraliter impossibilem. Ita Benedictus XIV, Navarrus ceterique.

**617.** Si tandem impedimentum dispensabile *neutri parti* notum sit, et in bona fide conjuges versentur, erunt monendi ubi sit certa spes fore, ut matrimonium convalidetur (quod tamen non ita facile supponatur). Secus ex Innocentii III rescripto *dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cum ex separatione* (*sicut asseris*) *grave videas scandalum imminere*[1]. Quamquam dispensatio *in radice* iis conjugibus nullitatem nescientibus poterit applicari, quin prius moneantur. Hoc si sedulus Parochus faciendum curaverit illud non minimum obtinebit, ut et peccata materialia vitentur, et ipsius etiam matrimonii impediatur dissolutio, si quando ejus vitium partibus innotuerit (*Z*).

Pius VII, Leo XII, aliique. Et hodie etiam si necessitas sit, facit S. Pœnitentiaria. Quo admisso, est certe temerarium hanc facultatem Pontifici velle adhuc denegare. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 82.— *Quid* (dices) *si postea impedimentum detegatur in foro externo?* — Erit acquiescendum testimonio Confessarii. Quid si Confessarius moriatur? impossibile est, ut omnibus occurratur eventibus. Attamen aiunt, quod si casu detecto impedimento, suspicio esse possit, quod conjuges renuerent in conjugio manere cum gravi fidelium scandalo ac filiorum detrimento, peti potest a S. Pœnitentiaria facultas litteras dispensationis caute ac secreto custodiendo, quoadusque aliqua suspicio separationis esse possit. — *V.* Benedictus XIV, de re fere simili, *Notificatione* LXXXVII, nn. 54 et seqq.

[1] Cap VI, *De cons. et affin.* Aliquando præstare potest, ut prius petatur dispensatio, et postea moneantur conjuges, qui etsi velint de novo contrahere; non tamen ita facile abstinebunt ab usu conjugii, expectando dispensationem. Certe prudentia magna necessaria est.



# DISPUTATIO QUINTA

## DE MATRIMONII BONIS, EFFECTIBUS ET DEBITO CONJUGALI

**618.** Q. 1. *Quænam sunt matrimonii bona et effectus?*

R. Cum Angelico, tria sunt bona matrimonii: *Sacramentum, fides et proles.* Quibus bonis abunde compensantur tria incommoda, quæ in conjugio reperire est. — Primum incommodum in matrimonio est *voluptas*, quæ rationem absorbet: et hoc compensatur procreatione liberorum, quibus genus humanum propagatur, et Deus perpetuo colitur. Secundum inconveniens est *molesta sollicitudo* comparti placendi, filios educandi, rebus domesticis providendi: et hoc compensatur bono fidei seu fidelitatis, qua alter alteri uniri debet et præsto esse. Tertium incommodum est *perpetua servitus*, qua unus alteri obligatur: et hoc compensatur bono Sacramenti, quo gratiam conjuges recipiunt, ut facilius vinculum illud perpetuo ac meritorie tolerent[1].

**619.** In his habes totidem matrimonii ipsius effectus: nempe *gratiam* in bono Sacramenti: *Jura* et *onera* reciproca in bono fidei; *mutuam corporis traditionem* in bono prolis. Sunt igitur effectus.

1. *Gratia:* est de fide ex Tridentino[2]. Hæc autem est gratia *sanctificans secundaria;* cum matrimonium non sit directe ad remittenda peccata: unde nonnisi per accidens primam gratiam confert et mortale aufert; et *sacramentalis*, quæ fundatur in jure gratias actuales recipiendi conducentes ad finem hujus Sacramenti.

2. *Jura* et *onera*, quæ necessario comitantur individuam illius vitæ societatem. Quæ porro sunt vel solius viri, uti jus potestatis maritalis et patriæ, atque onus familiam alendi, educandi et tuendi: vel sunt solius uxoris, uti jus participandi dignitatem, nobilitatem aliaque privilegia mariti, et

[1] Suppl. q. 49, a. 1 et seqq. — [2] Sess. XXIV, can. I.

onus subjectionis: vel utriusque simul, uti est jus et onus mutui amoris, fidelitatis et auxilii[1].

3. *Obligatio debiti conjugalis:* monet enim Apostolus conjuges, ne fraudentur ad invicem in hac re[2].

**620**. Q. 2. *An conjuges teneantur simul cohabitare?*

R. Conjuges tenentur simul cohabitare domo, mensa et thoro: idque ex obligatione justititiæ ratione debiti conjugalis, atque individuæ societatis, quam sibi mutuo coram Domino promiserunt; adde scandalum quod ex separatione solet maximum oriri. Si ergo non adsit legitima ac canonica causa, separatione illa se reos constituunt gravissimi peccati. Hinc deducere est, virum non posse expellere domo uxorem: tanto minus debitum illi denegare, neque conjugale ratione dotis non solutæ, etsi promissæ, ut dicunt probabilius et communius; quia hæc obligatio non oritur ex dotis solutione, sed ex lege naturali et divina. Item vir nequit diu abesse sine justa causa; qua interveniente (si commode potest) tenetur secum uxorem ducere[3].

**621**. Diximus: 1. *diu abesse;* poterit vir suscipere brevem peregrinationem, v. g., devotionis causa, etiam invita uxore: non item uxor, invito viro, quia est subjecta illius voluntati; — 2. *sine justa causa:* causa esset ad bonum publicum tuendum, ad familiam alendam, ad vitandum damnum ab inimicis, etc.; — 3. *tenetur secum uxorem ducere*, ne fraudet jus illius quoad debitum. Et regulariter tenetur uxor sequi virum mutantem domicilium (licet mutet sine justa causa, quæ tamen non sit turpis); nam vir est caput familiæ[4]. Imo probabilius docet Sanchez cum aliis, quod per se loquendo uxor illum debet sequi etiam in exilium; quia tenetur sufferre infortunium viri.

[1] *V.* Tract. *De Oblig. conjugum*, t. I.

[2] I Cor. vii. — [3] Cap. 1, *De conj. lepr.*

[4] Excipe nisi brevi vir sit reversurus, vel vagari vellet; vel eam conducere ad malum finem, vel aliter promiserit in sponsalibus, ut dicunt Navarrus et alii multi, et ipsa res loquitur. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 353; l. VI, nn. 939 et 977.



### MONITUM GRAVISSIMUM.

**622**. Q. 3. *Quid a tyronibus agendum, cum materiis periculosis student?*

R. Etsi officii ratio tyronibus tribuat, ut valeant absque ullo culpæ reatu ad periculosa se convertere; attamen ratio periculi jubet, ne vel minimum audeant operi manum admovere, quin se mediis tutissimis præmuniant: vel qui dum alios salvare recta doctrina student, ipsi malo operi reprobi efficiuntur. En autem tutissima media, quibus studiosi, Dei opitulante gratia, omne a se in his evolvendis perturbationis pravæ periculum avertere valebunt. Sunt: — 1. ut speciali modo ad Dei præsentiam mente se sistant, dum ad talium rerum studium accedunt; et signo crucis se muniant; — 2. ut sese Eucharistico cibo frequentissime roborent: et sæpius in studendo, prece jaculatoria, Sanctissimum Jesu Nomen implorent; et Beatissimam ejus Matrem animo salutent Virginem ante partum, in partu et post partum; eorumdem imagines sub oculos habentes; — 3. ut nunquam omnino materiam hanc evolvant, nisi officio compulsi: tanto minus de ea secum invicem loquantur, nisi adsit vera et impellens necessitas: tunc vero latina loquela semper utantur, excludentes omnem et quamcumque importunam animi curiositatem, scientes non esse necesse, ut illico tanto cum discrimine universam materiam assequantur; — 4. ut sancto Aloysio castitatis exemplari plane singularissimo, ac S. Alphonso nostro potentissimo apud Deum Patrono sese enixe commendent, ut quæ ipse ad utilitatem nostram scripsit sine ulla læsione sui, nos ad aliorum profectum ediscamus sine ulla omnino nostra læsione.

**623**. « *Piget me de hac materia, quæ tantam præ se fert fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem. Sed utinam non esset hæc materia tam frequens in Confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino Confessarium plena tractatione; sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar; et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. Quod si cui mirum videatur, auctores ceteroquin prudentes ac pios de hac re fusius pertractasse, et minutas etiam variorum casuum, circumstantias descripisse, audiat clarissimum virum Ludovicum Bail, qui ab hac censura doctissimi Thomæ Sanchez egregium Opus de matrimonio vindicat his verbis :* licet quædam de materia fœdorum actuum tangat, turpior est infernus; et si fœdus est sermo, fœdius est in peccato putrescere, ut ait Petrus

Blessensis. Ille auctor aliquas spurcitias movet, sed ad ægrotantium curationem : si Angeli essent homines, talibus non indigerent. » Ita S. Alphonsus noster in *Opere Morali*, l. VI, n. 900 [1].

---

## CAPUT PRIMUM

### DE DEBITI HONESTATE, OBLIGATIONE AC CIRCUMSTANTIIS

**624.** Q. 1. *An actus conjugalis licitus sit et honestus?*

R. Actus conjugalis per se licitus et honestus est, dicente Apostolo : *Vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro* [2] : at Apostolus non vult præcipere quod malum est. Adde actum conjugalem pertinere ad conservationem naturæ corporalis; ac ideo esse ab Auctore naturæ institutum : non ergo inhonestus esse potest. Imo potest esse meritorius : omnis enim actus virtutis, si aliud non obstet, talis est; atqui ita se habere potest actus conjugalis. Nam ad ipsum potest conducere vel justitia si fiat ad debitum reddendum; vel Religio, si nempe fiat ad prolem cultui Dei procurandam.

**625.** Etsi autem conjuges per se loquendo nulla lege obligentur ad usum matrimonii; sub gravi tamen ordinarie tenentur, et ex justitia sibi invicem reddere debitum. Ratio prioris est, quod nemo ex se tenetur uti jure suo : ratio posterioris est, quod id oriatur ex natura contractus mutui, et ex præcepto Apostoli. Hinc peccaret graviter qui mediis etiam licitis impotentem se redderet, puta macerationibus : vel comparti serio et rationabiliter postulanti debitum sæpius negaret; est enim res gravis in se, et ex justitia proveniens [3].

Diximus : *Si compars debitum negaret serio postulanti*; aliter enim esset, si pars peteret oscitanter, vel si precibus aut alia ratione honesta averti posset : nam tunc peteret quidem, sed non in rigore

[1] V. *Annali delle scienze religiose*. Roma; serie II, t. III, pag. 240.

[2] I Cor. VII. Neque tamen inde sequitur, hujusce actus suadendam esse frequentiam; quamvis enim bonus sit, non tamen est optimus, ut notat Billuart. Sic bonum est comedere; at melius aliquando a comedendo abstinere. — *V.* Ferraris, v° *Matrimonium*, a. 2.

[3] Item graviter deliuqueret qui diutius abesset, invita conjuge; cum hæc inde jure suo fraudetur (*Ex c.* I, *De conj. lepr.*). Excipe nisi id necessitas familiæ postulet; vel publicum officium; vel si conjux jam sciverit ratione muneris maritum solere discedere.



justitiæ [1]. Excipe modo non sit periculum incontinentiæ, vel nullum aliud inconveniens timeatur ex tali negatione : quod tamen experti plerumque adesse testantur. Quare volunt fortiter esse reprehendendas uxores, quæ maritis suis absque sufficienti et gravi causa debitum negant, etsi remisse petant; vel quæ non cedunt nisi coactæ, ac falso pietatis motu ductæ viro dure, ne dicam contumeliose, suas petitiones exprobrant : inde aversiones, jurgia in familia enascuntur; inde etiam fit, ut maritus extra domum quærat quod domi suæ libenter obtinere non potest, et cum non possit bibere aquam de cisterna sua, bibat fluenta putei alieni [2].

**626.** Diximus : *Si compars debitum sæpius negaret;* si neget tantum una aut altera vice, non satis conveniunt in definiendo utrum sit mortale, semper secluso periculo incontinentiæ, vel magni dissidii. Pontas et Sanchez negant id esse mortale; quia (inquiunt) res non est per se satis gravis ad lethale constituendum. Bossius vero et Croix affirmant ob rationem contrariam [3].

Diximus : *Si debitum rationabiliter postulanti negaret;* sic enim intelligitur omnis humanus contractus, ut nemo velit se ad aliquid irrationabile obligare; ideo etiam quia usus nimis frequens debilitare solet. Hac ratione Bonacina, Croix, Pontas, Sanchez et alii docent non esse saltem mortale, post tertium accessum eadem nocte negare quartum : quod etiam accommodandum est ei, qui paululum differret. Attamen non approbamus qui putant fas esse petenti quinquies in mense negare semel; cum ex una parte videatur petitio satis moderata : ex altera vero materia satis gravis.

Diximus : *Quod per se loquendo conjuges non obligantur ad petendum;* nam commune est, ad hoc conjugem teneri per accidens : 1. *Quando percipit per aliqua signa, quod* (compars sua) *vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet :* ita Angelicus [4] :

[1] Hoc in viro colligitur, cum facile quiescit : non tamen in uxore, quæ sæpe ob verecundiam tantum non urget. — *V.* Liguori, *Praxis Confess.*, n. 35; et *Op. Mor.*, l. VI, n. 929.

[2] Prov. v. Uxor qui vovit rogare maritum ne petat debitum, non tenetur ad votum, si ideo prudenter timet, ne maritus alienus fiat; nam voti obligatio cessare videtur quoties exequendo illud grave timeatur damnum, per quod non amplius de meliori bono dicatur; quodque si prius cognitum fuisset, votum non fuisset noncupatum.

[3] Licet hæc secunda sententia suos habeat defensores valde spectabiles; nobis non videtur improbabilis etiam illa prima : cum gravitas materiæ pendeat ab hominum æstimatione, et tot alii non minus spectabiles et docti teneant hanc esse materiam levem.

[4] In 4 sent. d. 32, q. 1, a. 1, ad 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tunc adest petitio; 2. si proles est necessaria ad avertendum grave damnum Reipublicæ, vel Religionis, vel proprium; item merito, dicit Roncaglia, si hoc necessarium sit ad odia vitanda, ad mutuum amorem fovendum, etc. Ratio est: semper ac finis debitus non excluditur, ad alios bonos fines rem ordinare, non potest esse malum: imo erit bonum, si bonus finis apponatur. Si bonum; ergo cum id causa suadet, eligendum; 3. si alter cognoscit compartem versari in periculo incontinentiæ: quo in casu alii dicunt conjugem petere debere ex justitia; quia pertinet ad bonum fidei, ut vitetur alterius incontinentia. Alii (et videtur probabilius) dicunt conjugem teneri tantum ex charitate; nam ubi nulla est petitio alterius conjugis neque tacita, nulla est obligatio justitiæ ad reddendum.

**627.** *Si uxor* (quæres) *ex odio non vult accedere ad virum, quem invincibiliter credit esse suum, licet non sit, et quam non expedit monere de nullitate matrimonii; quid agere debet cum illa Confessarius, qui conjugii nullitatem sciat?*

Nec potest nec debet illi jubere aut suadere petitionem debiti; quia in hoc est sui juris: et aliunde est peccatum materiale, quod saltem sine urgentissima causa suaderi non potest. Sed potest et debet illi suadere, imo et præcipere redditionem debiti ex Billuart; quia si non reddat, peccat formaliter: si autem reddat, peccat tantum materialiter. Vel juxta alios dicat quod omnis uxor tenetur debitum reddere.

**628.** Q. 2. *An filiorum multiplicitas sit justa causa negandi debitum?*

R. Conveniunt multiplicitatem filiorum non esse justam negandi causam, si sit in alterutro periculum incontinentiæ, vel aliud grave inconveniens, puta dissidiarum; quod vix dici poterit non adesse, quando conjuges simul una cohabitent, et debitum perseveranter denegetur. Hoc secluso periculo, Bonacina, Pontas et Sanchez affirmant ob filiorum multiplicitatem juste debitum denegari; quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Sed Billuart, Layman, Roncaglia et Sporer, quibus magis adhæremus, negant; nam prolis procreatio pertinet ad præcipuum matrimonii finem, cui iccirco postponendum est quodvis incommodum[1].

[1] Deinde vel conjux hoc in casu negaret diu, vel aliquando tantum. Si 1, exponeret compartem periculo certo incontinentiæ; si 2, negaret frustra, cum doceat experientia conjuges rarius coeuntes facilius concipere. Tandem melius est, ut proles vivat inops, quam ut non sit; præsertim cum vix extrema eveniat paupertas facienti quantum in se est. Hinc etiam verius et communiter docent cum D. Thoma, quod sit reddendum debitum, licet prævideatur proles infirma nascitura; nam *melius est ei sic esse, quam penitus non esse* (In 4, d. 32, q. un., a. 1). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 644.



**629.** *Quid* (quæres) *si mater jam experta sit, se filios mortuos parere?*

R. Alasia, Layman et Voit adhuc obligant conjugem ad debitum reddendum; quia illa mors est per accidens: aliunde experientia constat, mulieres post plures abortus feliciter tandem peperisse. Sed præcluso periculo incontinentiæ, id communius negant Billuart, Bossius, Rodriguez, Victoria, etc.; nam est gravissimum damnum et spirituale et corporale afferre proli. Caveant tamen, quidquid sit, ne ideo viri male tractent uxores, ut aliquando lugere est; sed potius orationibus simul conjuges vacent, quibus desuper benedictionem efflagitare valeant[1].

**630.** Q. 3. *An conjux teneatur reddere illicite petenti?*

R. Certum est conjugem non teneri ad reddendum cum peccato proprio, neque veniali; nemo enim potest obligari ad peccandum. Si vero peccatum sit in ipso petente, et peccatum petentis sit mortale, tunc si illud se teneat ex parte modi actus ipsius, v. g., si petitio fiat in loco sacro contra reverentiam illi debitam[2], commune est et certum nullimode posse reddi petenti; quia cum reddens poneret copulam sicut ipse petens, concurreret cum ipso ad eumdem actum malum. Si vero culpa se teneat tantum ex parte personæ petentis, v. g., si hæc sit ligata voto, vel ad pravum finem petat, conciliantes quodammodo diversas sententias, sic probabilius resolvimus: casu quo commode potest pars innocens, tenetur admonere compartem, ut a petendo desistat; nam unusquisque ex lege charitatis tenetur de proximo suo, quando gravis non excusat difficultas. At si compars desistere nolit, et ex negatione gravia timeantur incommoda, iræ, indignationes, adulteria, etc. (uti sæpe evenire solet), tunc compars innocens tenetur reddere; quia ex una parte petens adhuc retinet jus ad copulam; ex

[1] Sumens vel dans potionem vel aliud efficiens quo prolis conceptio impediatur et sterilis evadat conjux, peccat mortaliter, quocumque fine id fiat, puta quia uxor solet parere cum mortis periculo; ratio est quia data opera impeditur semen a suo naturali fine generationis, et contra naturam est. Ita Cajetanus in 2, 2, q. 154, a. 1, ad 2; Sanchez, *De matrimonio*, l. IX, disp. xx, n. 2. — Et constat ex c. *Aliquando* xxxii, q. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 954.

[2] Vel cum scandalo, ut si fiat publice; aut in secreto, sed cum scandalo filiorum præsertim in eodem cubiculo commorantium, quod penes pauperes evenire solet: vel si fiat in vase præpostero: vel si fiat cum periculo abortus, aut sanitatis propriæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

altera reddens directe actui licito et ex justitia debito operam dat, peccato alterius se habens duntaxat permissive[1].

Diximus : *Et peccatum petentis sit mortale;* nam si peccatum sit tantum veniale, distinguendum. Nempe si actus est leviter illicitus ex parte personæ petentis, v. g., si petat ob finem leviter malum, tenetur eidem reddere; quia agitur de actu per se honesto, et debito ex justitia. — Si vero actus est leviter illicitus ex parte sui ipsius, v. g., si petatur situ innaturali, tunc utique potest reddere, cum adest justa causa, v. g., ne incurrat indignationem compartis, quælibet enim causa rationabilis excusat profecto a culpa veniali. Diximus *potest reddere;* potest, inquam, at non tenetur; nam licet vinculum justitiæ fortius sit vinculo charitatis; attamen cum actus sit tali modo *per se* illicitus, alter non habet jus ad illum. Excipe nisi petens habeat causam sic petendi, puta si petat copulam situ innaturali, quia uxor est prægnans aut ipse pinguis; vel periculum sit scandali, etc. : tunc altera pars tenetur reddere.

**631**. Q. 4. *An liceat uxori sine peccato petere vel reddere viro volenti seminare extra vas post copulam incœptam?*

R. Alii negant id uxori licitum esse, quia uxor tenetur impedire peccatum viri, qui more nefando Onam se gerit semen fundendo in terram. Alii affirmant, quia ipsa dat operam rei in se licitæ. Sed puto distinguendum inter ipsam petitionem et redditionem[2]. In reddendo, etsi probabile sit cum Roncaglia et Elbel, quod uxor possit negare debitum et etiam teneatur si potest sine suo magno incommodo; quia vir cum sit abusurus re debita, non habet jus ad illam : tamen probabilius est cum Sanchez, quod post monitionem teneatur reddere; cum culpa se teneat non ex parte actus, sed ex parte personæ. — In petendo vero dicimus cum Roncaglia et Elbel, uxorem non posse petere ab hujusmodi viro; quia tenetur ex charitate illius peccatum impedire. Excipe nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiæ, vel si alioquin perpetuo abstinere deberet a suo jure petendi; charitas enim cum tanto onere non obligat : unde non videtur teneri ad abstinendum, nisi per paucas vices[3] (*AA*).

[1] Hic tamen tutius erit consulere, ut cum conjux innocens prævidet compartem esse illicite petituram, ipse prior petat convertendo redditionem in petitionem dicendo : *Volo ut mihi reddas*. Id tamen raro convenit mulieri ob naturalem verecundiam.

[2] Verba Alphonsi nostri, *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 47. — *V.* Gousset, *Justification de la Morale de S. Alphonse* (Monza 1833, p. 111), ubi habetur ipsa auctoritas card. De Petra pœnitentiarii majoris, 15 nov., anno 1816.

[3] Licet sane rem in se bonam recta intentione, et ob graves rationes ab eo petere, qui eam sine peccato reddere potest; quamvis per abusum illam



*Proh pudor! non adeo rara sunt hæc tanta humani generis dedecora tum inter conjuges insane lascivientes, tum inter eos qui vel rerum inopes vel delicatoris indolis sunt, et propterea voluptati quidem indulgere, simul vero impedire student, ne aut familia multiplicetur, aut uxor molestias prægnantis uteri partusque dolores subire debeat.* Stapf, § 481.

**632**. Q. 5. *Quid si alteruter conjugum sit amens, vel ebrius; potestne conjux sana petere et reddere illi conjugale debitum?*

R. Concedunt communiter non esse illicitum accessum ad conjugem amentem vel ebrium, si nullum adsit periculum scandali vel abortus, aut alterius damni; quia usus conjugii per se licitus est. Verum probabilius ac communissime dicunt talem accessum non esse in præcepto; quia tempore ebrietatis (intellige perfectæ) atque amentiæ, qui petit, non petit ut homo et rationabiliter, sed ut bestia : esto quod dominium adhuc retineat; est tamen actu incapax ejusdem usus. Excipe nisi aliunde incontinentiæ periculum adsit : tunc urget charitas ad debitum reddendum, ut ita etiam actus materialiter malus impediantur.

**633**. *Quid* (inquies) *si agatur de conjuge excommunicato?* Certum est licere comparti innocenti petere debitum a conjuge excommunicato : id expresse definivit Gregorius VII[1]. An vero id liceat etiam eidem excommunicato, nobis videtur communior et verior sententia, quæ affirmat : lex enim Ecclesiastica non intendit obligare cum tanto periculo, in quo indesinenter versaretur pars ista, si non posset ab altera separari. Ita Filliucius, Sanchez, Suarez et alii.

**634**. Q. 6. *Quid si ex debiti redditione oriatur damnum in conjuge?*

R. Si ex debiti redditione damnum grave in se vel in comparte merito timeatur, conjux per se loquendo non tenetur, nec potest reddere. Non *tenetur* : ratio est, *quia hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in se ipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet : et hic est etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit*[2]. Non *potest;* quia nemo est dominus vitæ suæ, aut salutis : et quisque tenetur impedire grave damnum, vel ejus periculum etiam in alio, licet iste in illud consentiat[3]. — Diximus : 1. *Si damnum grave;*

sine peccato non præstiturus sit. Sic Sacramenta ab indigno Sacerdote, mutuum ab usurario, juramentum a pagano, etc., petere licet, quando sufficientes adsunt rationes; ergo a pari. *Billuart*.

[1] C. *Quoniam multos*, causa XI, q. 3.

[2] S. Thomas, 3, p. q. 65, a. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 909 et 950.

[3] Et bene ait Bossius, quod dupliciter peccat qui laborans morbo gallico fornicationem committeret, et teneretur expensas compensare pro curatione

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nam levi damno præponderat lex justitiæ; hinc non attenditur, v. g., levis dolor dentium, infirmitates parientibus communes, etc.; 2. *per se loquendo;* quia si morbus esset diuturnus, nec ita proximum mortis periculum esset ex una parte, ex altera vero justa extaret petendi causa, v. g., periculum incontinentiæ; tunc bene liceret petere, et altera pars tenetur reddere: et sane esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu conjugii, quod vix esse potest sine peccato incontinentiæ. Animadvertendum tamen plus periculi aut incommodi requiri, ut quis prohibeatur, quam ut excusetur a petendo vel reddendo, præsertim si agatur de proprio damno vel periculo.

**635.** Q. 7. *Quid dicendum de tactibus, aspectibus et verbis turpibus inter conjuges?*

R. Si tactus, aspectus et verba turpia ordinantur ad copulam, et cum ea conjunguntur, utique conjugibus licent; cui enim licitus est finis, licita sunt etiam media ad ipsum. Excipe nisi sermo sit de quibusdam actibus enormiter turpibus, v. g., affectum sodomiticum præ se ferentibus; tunc enim docent mortaliter eum peccare, qui iisdem utitur: et quamvis aliis id adhuc forsan videatur veniale, semper tamen graviter increpandi sunt conjuges, ut se ab iis omnino abstineant. — Si vero tactus, aspectus et verba turpia ad copulam non ordinentur, sed habeantur ad invicem causa voluptatis, secluso periculo pollutionis et alia speciali prohibitione, venialia tantum esse docent communius et verius Alasia, Layman, Lessius, Fagnanus, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Vasquez, Victoria aliique plures contra Sylvium. Sane matrimonium præbens jus ad copulam, etiam jus ad hosce actus præbere debet: unde res in se licita est; sola erga deficit debiti finis ultima intentio; sed hic defectus non potest dici mortalis [1]. Alias cum tanta sit inter conjuges societas et multoties, v. g., ob morbum, non possint copulari, ipsi jugiter essent periculis expositi. Attamen si ex talibus actibus prævideatur (ut timendum est) secutura pollutio quamvis involuntaria, probabilius tunc dicimus eos esse mortales; quia quisque tenetur cavere seminis dispersionem. Imo certe erunt mortales, si conjugibus sit interdictus conjugii usus, ut si voto castitatis sint ligati; quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream [1].

alterius partis. Probabiliter tamen excusat meretrices, nisi ipsæ requisitæ fraudulenter suum morbum tegerent; cum ad istas personas publicas accedentes bene de hoc dubitare debeant. Hinc, ut communiter aiunt, uxor non tenetur, imo non potest reddere, si experta sit se non posse parere sine periculo mortis proximo. Hinc neuter debet aut potest reddere alteri laboranti morbo contagioso, v. g., gallico, peste, lepra alioque simili.

[1] « Hoc de petente (ait S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 42); sed reddens in hujusmodi tactibus videtur semper excusari; cum alter habet jus ad illos, nisi adeo sint impudici, ut videantur quasi inchoata pollutio. »



**636.** *An* (quæres) *sint mortalia tactus et aspectus turpes unius conjugis cum seipso, altero absente, ac secluso periculo pollutionis?* Alii negant cum Palao, quia tales actus cohonestat conjugalis status; sed probabilior et omnino suadenda sententia in praxi affirmat, nam conjuges non habent jus ad se tangendos, nisi in ordine ad copulam, quæ quidem tunc est impossibilis.

**637.** *Quid* (dices) *de delectatione morosa in conjuge circa copulam habitam vel habendam; quæ tamen haberi nunc non potest, quia abest conjux?* Hortandi sunt conjuges, ut abstineant omnino a tali morosa delectatione; sed non sunt illico damnandi de mortali, si non abstineant. Ita communius docent D. Antoninus, Bonacina, Croix, Filliucius, Gerson, Sanchez et Suarez cum D. Thoma, qui sic fere arguit: *Delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto; sed cum copula licita sit conjugatis, non potest esse eis graviter illicita illius delectatio* [2]. — Excipe semper, si adsit periculum pollutionis, quod adesse censetur, si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam tantummodo cum titillatione seu voluptate venerea.

**638.** Q. 8. *Quid de fine pravo in usu conjugii?*

R. Finis totum inficit opus: unde si malus sit finis, et opus malum erit. Atque ideo jam patet uti matrimonio, v. g., ob solam voluptatem, peccatum esse; quia non esset secundum rationem intendere voluptatem, uti finem, quæ a natura tantum uti medium intenta est. Id deducitur etiam ex hac n. 9 propositione proscripta ab Innocentio XI: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Est tamen commune apud omnes cum D. Thoma, id non esse mortale; sed veniale tantum. Est veniale, quia voluptatem solam in actu etiam licito quærere, est quædam finis subversio et inordinata delectatio; attamen veniale non excedit, quia

[1] Dicunt tamen Salmanticenses, quod si inter conjuges actus illi sint pudici, liciti sunt (quamvis adsit proximum periculum pollutionis; semper tamen secluso periculo consensus in eam), si nempe fiant ex causa gravi, puta ad fovendum mutuum amorem; quia tunc satis cohonestantur a suo fine.

[2] De malo, q. 15, a. 2, ad 17. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 935 et seqq. Vidua, quæ sæpe optat maritum vivum pro sustentatione familiæ, excitatis inde pravis motibus, illis delectatur; quid? Etsi hoc desiderium sit inutile, tamen cum non ordinetur ad excitandos pravos illos motus, non ideo sub gravi ab illis abstinere tenetur. Lugo, Croix, etc.

voluptas non quæritur extra matrimonium, et actus est natura sua ordinatus ad copulam licitam : unde non deest nisi circumstantia debiti finis in operante; qui quidem defectus nonnisi levis est deordinatio. Imo nullum est peccatum, si conjux intendat principaliter procreationem prolis, et utatur voluptate (eam moderate intendens), ut se excitet ad consommationem actus. Ea pari ratione, qua minime peccat qui intendit moderatam delectationem in cibo sumendo, ad dandum videlicet corpori conveniens alimentum, ut recte dicunt.

**639**. Potest tamen actus conjugalis esse mortaliter malus, si quis nempe non attendat in conjuge quod sit conjux, sed tantum quod sit mulier, affectu actuali paratus idem facere cum ea etsi non esset conjux; quia tunc copula exercetur mente adultera [1].

**640**. Q. 9. *Quid de tempore improprio in usu conjugii?*

R. Ad actum conjugalem tempus nocturnum ac secretum naturalis verecundia suadet : hoc tamen non est in præcepto, sed tempore quocumque, alio inconvenienti præcluso, ille haberi potest. An autem liceat usus conjugii festis diebus, est commune licere debitum reddere : *Cum mulier* (inquit Angelicus) *habeat potestatem in corpore viri et e converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore et quacumque hora.* Sed quæstio est, an etiam licitum sit petere? D. Thomas [2] id putat esse veniale; *quia id dum rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia.* Verum D. Bonaventura, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Palaus, Pontas et alii communius docent nullum esse peccatum; id enim non videtur prohibitum ullo jure neque divino, neque humano [3].

[1] S. Thomas, *Suppl.* q. 69, a. 6. Attamen excusant nonnulli a mortali, si ipse accedens ad uxorem propriam morose cogitet de pulchritudine alterius personæ, sed absque affectu turpi. Nos vero dicimus hoc valde periculosum esse, ideo non permittendum. Sicut neque permittendum, ut quis se excitet ad usum conjugii respiciendo imagines diversi sexus, maxime si essent sacræ : quod recte docent plerique esse mortale ob gravem irreverentiam.—*Quid* (dices) *si maritus morose cogitet de copula aliena animo concepta, ut se excitet ad usum matrimonii cum uxore propria!* — Ex una parte id videtur damnandum ; cum objectum, de quo delectatur, sit per se turpe ; ex alia non ita, cum ex tali cogitatione non oriatur, nisi quædam commotio spirituum generatione deservientium, quæ quidem conjugatis non videtur prohibita saltem sub gravi. Nos hoc dubium sapientibus remittimus definiendum : id unum dicimus, quod nempe hanc cogitationem, si esset de copula inter personas determinatas, non excusaremus a peccato lethali ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjure aliena.

[2] Suppl. q. 64, a 7. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 921.

[3] Canones et Patres nonnulli citantur in contraria sententia, sed id nunc habetur ut merum consilium. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn.*, etc., l. V, c. II.



**641**. *Quid* (quæres) *de tempore prægnationis?* Commune est, si nullum adest periculum abortus, non peccare lethaliter virum tunc temporis accedentem ad conjugem: nam actus per se adhuc est ad generationem idoneus, et fit inter personas jure habiles. Neque ulla lex id positive prohibens adduci potest : ita Alasia, Concina, Pontas, Roncaglia, Sanchez cum SS. Patribus [1]. Sed utrum vir peccet saltem venialiter, nobis arridet sententia affirmans, nisi excuset causa aliqua rationabilis, v. g., periculum incontinentiæ; quia stante fœtu concepto, fine suo frustrari videtur semen. Ceterum periculum abortus non ita facile præsumendum est : ideo conjuges vexandi non sunt importunis interrogationibus, ut se abstineant tempore prægnationis.

**642** *Quid* (dices) *de tempore menstrui?* Fluxus menstruus in muliere duplicis est generis : alius ordinarius, qui proprie dicitur menstruus; quia singulis mensibus solet evenire et durat (ut plurimum) per duos vel tres dies. Alius extraordinarius seu innaturalis, qui provenit ex morbo diuturno, et durat ad duodecim dies et amplius. Hinc : 1. si agatur de *menstruo extraordinario*, certum est licere potere et reddere; tum quia nullum damnum proli imminet, cum tunc femina sit inepta ad concipiendum; tum quia cum talis morbus diuturnus sit, et sæpe continuus, durissimum esset conjugibus perpetuo vel diu abstinere : ita Angelicus [2]; 2. si sermo sit de *menstruo ordinario*, D. Antoninus, Alasia, Concina, Bossius, Bonacina, Palaus, Pontas, Roncaglia, Vega, Victoria, Vivaldus, etc., communissime et probabilius docent accessum ad conjugem non esse quidem peccatum mortale ; sed non posse a veniali excusari, nisi adsit causa cohonestans [3]. Quod non sit mortale patet, quia sic nullo jure prohibetur : non naturali; cum ex jure naturæ ad coitum cohonestandum sufficiat, ut ipse per se sit aptus ad generationem, licet per accidens hæc non sequatur : non divino, quia Levitici lex, adveniente lege Nova, cessavit : non ecclesiastico, quia prohibitio Gregorii VII, quæ extat penes Gratianum, hodie exsolevit [4]. Quod vero non possit excusari a veniali ideo constat, quia talis concubitus involvit quamdam turpitudinem et deordinationem; nam tunc minus convenit fini generationis.

**643**. Quod dictum est de menstruo ordinario, idem tenent probabi-

[1] *V.* Alasia, *De Matr.*, p. I[a], c. II. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 925.

[2] In 4, d. 32, q. unica.

[3] Diximus *nisi adsit causa cohonestans;* quia ea causa extante, v. g., ad vitanda dissidia vel incontinentiam, conveniunt omnes nullum esse peccatum tunc matrimonio uti.

[4] *Can. fin.*, dist. v. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 924.

lius ac communius de tempore purgationis post partum : nempe docent tunc accessum ad uxorem veniale quidem esse; quia continet aliquam indecentiam; non autem mortale, quia talis indecentia non videtur gravis. Excipe aliquod accidens, si ex eo gravis morbus vel notabilis morbi aggravatio immineret, uti si accessus haberetur ipso die partus, vel die subsequenti, ut ait Roncaglia.

**644**. *Sed* (quæres) *quid de tempore lactationis?* Conjugio tunc uti licere communissime affirmant; tum quia periculum inficiendi lac, et sic nocendi proli, rarum est, tum quia lex nulla id vetat [1].

**645**. *Quid* (dices) *de tempore statim post balneum, vel sectionem venæ, vel prandium aut cœnam?* Ad balneum quod attinet et venæ sectionem, videntur consentire non licere accessum conjugalem; cum sit notabiliter periculosus : idem dicunt, si conjux febri laboret. — Quod respicit tempus post prandium aut cœnam, non videtur in hoc adesse grave damnum, ipsis fatentibus medicis, et ideo non audemus damnare debitum eo tempore postulantem vel reddentem, nisi ex experientia revera constaret de gravi illo damno.

**646**. Q. 10. *Quid dicendum de loco inconvenienti ac modo innaturali in usu conjugii?*

R. Ad 1 : Ad actum conjugalem exercendum verecundia locum remotum ac secretissimum requirit : neque omnia quæ licent, licent ubique. Unde illum publice habere, grave esset scandalum ac libidinis incentivum; habere autem id loco sacro, gravis irreverentia : imo et sacrilegium licet occulte exerceatur, ut docent probabilius Croix, Lessius, Sanchez, Suarez, etc.; cum graviter Dei domum dedeceat, ideoque et Ecclesia polluatur. Non est tamen abstinendum a divinis; si hoc non innotescat [2].

R. Ad 2 : Modus seu situs naturalis in usu conjugii est, ut mulier sit succuba et vir incubus; cum sit aptior ad effundendum et recipiendum semen : unde modum hunc violare peccatum est, cum sit inversio ordinis naturæ. Est tamen commune cum D. Thoma, esse duntaxat veniale per se loquendo, si actus exerceatur situ indebito, vel stando vel sedendo, vel more pecudum, vel a latere, vel viro succumbente, modo semper fiat in vase naturali; nam mutatio situs jacendi generationem non impedit; cum semen virile in matricem mulieris ex se et naturaliter attrahatur. Et ideo nullum etiam erit

[1] Et nimis durum esset, si toto eo tempore deberent conjuges abstinere; neque enim satis esset illis provisum ; cum adeo secum familiariter utantur. Textum autem Gregorii VII (*Can. fin.*, d. 5), qui aliter docet, aiunt explicandum de mero consilio. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 909.

[2] *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 458; et l. VI, n. 920.



peccatum, si modus naturalis mutetur ob aliquam justam causam, v. g., ægritudinis, periculi abortus, scandali, difficultatis, etc., uti ait Concina. — Diximus : 1. *per se loquendo non excedere culpam venialem;* quia docet Angelicus evadere posse etiam mortalem, si fiat ex prava concupiscentia, v. g., ex affectu bestialitatis aut sodomiæ, vel si hujusmodi voluptas haberetur uti finis ultimus; 2. *modo semper fiat in vase naturali;* nam communiter et verius est mortale copulam inchoare in vase præpostero, in ore, in aure, etc., ut dein in vase naturali consumetur. Imo flagitium grande est contra naturam involvens rationem adulterii ac sodomiæ, licet imperfectæ [1].

**647**. *An liceat aliquando* (quæres) *impedire generationem effundendo semen?* Nunquam licet directe semen effundere, neque ad mortem vitandam; cum hoc sit intrinsece malum, contra finem conjugii : unde peccat mortaliter mulier, quæ statim post copulam mingit, surgit, vel quid aliud facit animo semen expellendi; frustraret enim finem naturæ. Diximus : 1. *Statim post copulam;* neque debet diu immota et resupina manere; cum brevissime matrix semen attrahat et claudatur; 2. *animo expellendi semen;* si enim id ageret ex necessitate, quia irruit hostis, quia alii superveniunt, non esset peccatum; nam non esset directe impedire generationem : unde nonnisi indirecte impediretur et citra intentionem [2].

*Quid si conjuges, incepta copula, seminationem cohibeant?* Si ambo non consentiunt, sed unus se retrahat, altero repugnante, retrahens peccabit mortaliter, ut fatentur omnes; cum alium jure suo fraudet. Si ambo consentiant, et adsit periculum aliquod pollutionis, peccatum erit mortale ex utraque parte, ratione illius periculi. Secus (per se loquendo) mortale non erit; cum in hoc casu illa vasis penetratio habeatur instar tactus verendorum, qui saltem mortalis non est, secluso periculo pollutionis. Ceterum hoc periculum ordinarie adest in hoc casu, ut sapienter notat Sanchez.

*Quid* (dices) *si vir se retrahat post seminis effusionem, quin adhuc mulier seminaverit?* Commune est, posse se tactibus mulie-

[1] Et idem putamus dicendum de confricatione virilium circa vas præposterum uxoris. Saltem talis actus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico. Et Sanchez qui illam habebat ut tactum simpliciter impudicum, se retractavit, testante Moya.

[2] Hinc Sotus et Billuart excusant virum, qui dum festinanter conatur congredi, extra vas seminat; hoc enim festinationi naturæ tribuendum est. Hinc Sanchez et Sporer probabiliter excusant conjuges, qui ob senectutem vel aliam indispositionem extra vas seminant, quandiu adest spes intra vas seminandi. Quia cum tali spe jus habent ad copulam : et effusio præter intentionem, ac nonnisi per accidens evenit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rem statim ad seminandum excitare; quia hoc pertinet ad complementum actus conjugalis. Esto quod seminatio mulieris non sit necessaria: sed summopere confert; cum natura nihil moliatur frustra. Atque ex hoc deducere est peccare mulieres, quæ in actu copulæ animum ad alia divertunt, ne concitentur ad seminationem: sicuti vir peccat, qui mulieris seminationem non expectat.

---

## CAPUT SECUNDUM

### CAUSÆ, QUIBUS JUS AD DEBITUM AMITTITUR

Solent adnumerari: nullitas ac dubietas matrimonii, incestus et adulterium (de conjuge baptizante aut suscipiente prole disputatur). Hinc illud:

*Si nullum, dubiumque astat; si incestus, adulter.*

**648.** Q. 1. *Quidnam quoad debitum conjugale resolvendum est, si matrimonii dignoscatur nullitas?*

R. Cognita matrimonii nullitate, etiam ab una tantum parte, fit illico illicita ac fornicaria copula, ut patet. Hinc compars, si non potest sine vitæ periculo aut famæ aperire nullitatem, aut obtinere dispensationem, debet vel Religionem ingredi, si adhuc sit in tempore habili; vel fugam arripere; vel divortium petere, si adsit causa; vel demum potius quam fornicari, omnia sustinere, se Deo commendans, qui neminem deserit.

**649.** Q. 2. *Quid si circa validitatem matrimonii oriatur dubium?*

R. Si matrimonium sit contractum bona fide, ac postea de legitimitate illius superveniat dubium, non quidem leve et scrupolosum (quod est contemnendum), sed verum et plausibile, videndum, num uterque, an vero una tantum pars dubitet. Si 1, neuter potest conjugio uti ante debitam diligentiam; quia esset se fornicationis discrimini committere. Si 2, tunc esto quod non possit ipsa petere ante adhibitam debitam diligentiam ad dubium vincendum; sed tenetur



reddere alteri parti petenti in bona fide. Quia secus esset gravi se discrimini committere alterius jus violandi: unde quamdiu non certo probetur ejus nullitas, illius urget certa possessio. Id probatur ex canonico jure, ubi habetur quod mulier, quæ non est certa de vita primi mariti, tenetur reddere secundo viro petenti; ipsa autem debet ab exigendo se abstinere[1].

Diximus *ante adhibitam debitam diligentiam:* nam si nunc dubitans contraxit bona fide, et post diligentiam non potuit dubium vincere, probabilissime et communissime eum posse non tantum debitum reddere, sed etiam petere, docent Habert, Layman, Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sanchez, Suarez, etc. (contra Concinam, Navarrum, Antoine et alios, qui volunt ipsum posse reddere, sed non exigere, donec ad cautelam obtineatur dispensatio[2]). Sane: qui contraxit bona fide, non debet privari jure suo, donec constet de veri impedimenti existentia; licet enim superveniente dubio, suspendatur jus possessionis usquedum veritas inquiratur; dubio tamen durante post diligentem illam inquisitionem (cum tunc ignorantia fiat invincibilis) manet possessio pro valore matrimonii, et consequenter pro illius usu. Possessor nempe bonæ fidei, uti dicunt Juristæ, sicut potest rem retinere post adhibitam diligentiam, ita etiam eadem potest licite uti[3].

*Quid* (quæres) *si matrimonium contractum sit cum dubio de ejus validitate, ideoque in mala fide?* Tunc communius negant Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, etc., posse dubitantem etiam post adhibitam diligentiam petere debitum, si ipsum dubium in se omnino non auferatur; quia nemo potest uti re, quam mala fide incepit possidere: unde tunc satis est debitum reddere comparti, quæ contraxit in bona

[1] C. *Dominus de secundis nupt.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 901 et 1102.

[2] Opponunt cap. *Inquisitionis de sent. excomm.* At textus dicendo non posse conjugem dubitantem petere, supponit eum nondum sibi efformasse judicium practicum conscientiæ; cum subdat non posse petere, *ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

[3] Idque eadem ratione obtinere dicunt Anacletus, Cardenas, Henriquez aliique, non obstante quacumque probabilitate in contrarium. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 905.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fide. Verum satis probabiliter affirmant cum Elbel, Holzmano, etc.; quia tametsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, potest ex alio principio, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, præsertim matrimonii, in cujus favorem in foro tam interno quam etiam externo, ut omnes dicunt, semper in dubio judicandum est : si casum excipias, quo dubitetur de morte prioris conjugis; nam tunc potius est jus prioris matrimonii contracti [1].

**650.** Q. 3. *Quid de incestu, prout impedit usum conjugii?*

R. *Incestus formalis et completus unius conjugis cum consanguineis alterius in primo vel secundo gradu, per se privat reum jure petendi debitum, quoadusque non restituatur in jure a legitimo superiore.* Id lege ecclesiastica merito statutum est [2]; ex tali enim copula exurgit cum propria conjuge affinitas, quæ non dirimit quidem ipsum matrimonium cum jam sit valide contractum, ejus tamen usum impedit. Unde si incestuosus a debito petendo non abstinet, graviter delinquit; et toties, quoties petit non restitutus in suo jure.

Dicitur : 1. *Incestus formalis*, id est cum culpa perpetratus : ideo non incurreret hanc pœnam mulier, si fuisset per vim oppressa; quia ubi nulla culpa, ibi nulla pœna. Imo in sententia communiori et probabiliori etiamsi fuisset inducta per metum gravem; sicut enim hic metus generatim excusat a lege ecclesiastica, sic etiam a pœna ab ipsa imposita. Excusat item ignorantia etiam crassa (non tamen crassissima vel affectata) sive *juris*, uti docent probabilius et communius, nempe si vir accedit ad consanguineam uxoris, nesciens

[1] *An* (quæres) *cum errore vel dubio facti consistere possit consensus sufficiens ad matrimonium? puta Titius credens vel dubitans suam primam conjugem adhuc vivere, contrahit; prima tamen conjux, ipso nesciente, revera mortua est.* R. Si cum errore, probabilius tenent contra Sanchez, non valere tale matrimonium; nam nemo vult aut velle potest sincere quod firmiter credit sibi esse impossibile; cum intentio nunquam possit sequi in voluntate, nisi secundum quod præcessit in intellectu. Si vero sit cum dubio tantum, valet matrimonium; quia tunc vult homo contrahere quantum potest, nec judicat se prorsus id non posse; etsi tamen ille tunc vult homo contrahere quantum potest, nec judicat se prorsus id non posse; etsi tamen ille tunc peccet exponens se periculo invalide contrahendi. *Continuator Tournely.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 902.

[2] Cap. IV et X, *De eo qui cogn.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 930 et 945; l. VII, n. 48.



adesse legem humanam id prohibentem. Sive *facti*, ut dicunt communiter, nempe si vir sciat legem Ecclesiæ prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit, esse consanguineam suæ uxoris. Sive *pœnæ*, ut satis probabiliter tuentur, nempe si quis habeat scientiam legis et facti, sed nesciat adesse pœnam non petendi. Ratio quia hæc privatio imponitur tantum *scienter* peccanti in jure, et agitur de pœna extraordinaria.

2. *Completus*, id est cum seminis effusione intra vas. Quia cum jura volunt sufficere actum incompletum, id solent exprimere : in casu autem nostro nihil tale expressum invenitur.

3. *Cum consanguineis alterius conjugis in primo vel secundo gradu :* et ideo qui cognosceret consanguineam propriam, pœnam hanc non incurreret; quia nihil de ea habetur in jure.

4. *Privat per se reum; privat :* unde si uterque conjux incestum committit, uterque hoc jure privatur; quia in utroque reapse verificatur incestus [1]. *Per se privat;* nam commune est, conjugem impeditum vel voto vel affinitate, adhuc posse per accidens petere, tam si *mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem*, ut ait D. Thomas [2] (imo tunc esset interpretative reddere); tam si adsit periculum incontinentiæ in comparte; neque enim pars innocens hoc subsidio est privanda ob crimen alterius : imo alii dicunt tunc adesse obligationem petendi. Si vero periculum incontinentiæ sit in ipso incestuoso, non videtur improbabilis sententia Viguerii et Quintandi, qui docent in hoc casu fas esse petere, si brevi haberi non possit dispensatio, et aliunde periculum esset omnino in mora; lex enim Ecclesiastica in tanto discrimine non censetur obligare [3].

[1] Si alteruter incestum quidem non commiserit, sed in crimen alterius consenserit, consentientem non incurrere privationem illam (quamvis graviter peccet) probabilius videtur cum Alasia. Quia in pœnis, saltem Ecclesiasticis, non valet argumentum a rationis paritate, vel a sensu contrario, ut vocant Philosophi.

[2] In 4, d. 38, q. 1, a. 3, q. 2. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 930 et 1071.

[3] Sed quomodo se gerere debet pars innocens, si conjux incestuosus illi-

5. *Quoadusque non restituatur in jure a legitimo superiore :* qua in re animadverte, superiorem dispensare solum in lege ecclesiastica, non autem in jure naturali vel tertii, quod a delinquenti conjuge violatum est accedendo ad aliam : hinc innocens poterit nocenti etiam dispensationem adepto debitum negare ratione adulterii, quod adest in tali incestu. — Quamvis autem hæc pœna sit imposita a Pontifice, ab ea tamen pro semper et absolute (saltem ex consuetudine generali) potest Episcopus dispensare etiam per delegatum : quare si casus contingat, et pœnitenti placuerit, Confessarius ipse eam facultatem poterit postulare, supplicem libellum Episcopo exhibendo (*BB*).

**651**. Q. 4. *An adulter privetur jure petendi?*

R. Adulter non sic privatur jure petendi, quod petendo peccet : cum nullo jure de facto hæc illi pœna indicta sit; sed sic, quod hæc pœna possit illi infligi. Unde adulter, licet non possit stricte exigere debitum ab altero conjuge innocente ipsam obligando, quia frangenti fidem fides merito non servatur; potest tamen benevole petere, et stricte etiam exigere, si alter conjux adulterium eidem remiserit : vel ipse quoque in idem crimen prolapsus sit, quia tunc est compensatio injuriæ. Imo quamdiu conjux innocens nihil excipiat, ideo quia crimen ignorat compartis, tamdiu poterit adulter licite exigere debitum ; quia non tenetur sibi pœnam infligere, nemine excipiente.

**652**. Q. 5. *Ex baptismo et confirmatione exurgit impedimentum dirimens tum inter ministrum sacramenti et subjectum, illiusque genitores, tum inter patrinum et matrinam, et filium vel filiam eorumque genitores; quid ergo si unus conjugum baptizet vel suscipiat in baptismo aut confirmatione filium communem, vel filium*

cite petat? — Communius ac probabilius cum S. Antonino docent Layman, Salmanticenses, Sanchez, Sylvius et Victoria partem innocentem non teneri quidem ex justitia reddere, quia nocens excidit jure suo; sed posse, saltem si quod incommodum alioquin pateretur uxor, præsertim ex verecundia petendi. Imo et teneri ex charitate, cum se eximere nequeat sine timore magni dissidii, aut incontinentiæ, quorum incommodorum vitatio sive in se sive in alio recte excusat a peccato cooperationis in alterius peccatum. Ceterum in praxi melius erit ac tutius, si conjux innocens tunc ipse primo per se petat.



*ab alio conjuge in alio matrimonio genitum? Cum hæc cognatio non possit dirimere eorum matrimonium utpote semel valide contractum, an saltem impediat ejus usum et privet tales conjuges jure petendi debitum conjugale?*

R. Certum est : 1. conjugem prolem suam legitimam baptizantem (aut in baptismate vel confirmatione suscipientem) non ideo privari jure petendi, si id fecit in necessitate; nam *est inculpabile judicandum, quod necessitas intulit*[1]; 2. item conjugem non privari, si id egerit ex ignorantia, quia non est detinendus pœna, qui ignoravit culpam; 3. conjugem illum graviter peccare, si id egit ex industria et sine necessitate; id enim sub gravi prohibitum est[2]. Et est conforme rationi; ut pater carnalis sit alter a patre spirituali.

Tota quæ disputatur quæstio est, an conjux qui ita egit culpabiliter sciens prohibitionem, et citra necessitatem, præter culpam incurrat etiam pœnam privationis debiti petendi. Affirmant Bonacina, Concina, Guttier, Petrocorensis aliique cum SS. Bonaventura et Thoma : *Le sentiment le plus commun parmi les canonistes,* ait Gousset, *est pour l'affirmative, dans le sens de la loi qui établit le lien d'affinité entre celui qui baptise et le père et la mère de celui qui est baptisé :* porro affinitas quæ dirimit matrimonium contrahendum, impedit usum matrimonii jam contracti.

Alii vero (et quidem satis probabiliter) docent conjuges nullum vinculum contrahere, quo a debito conjugali impediantur ; nam hæc pœna est, de qua tacent canones ; at nulla pœna incurritur, nisi a jure sit expressa ; nec valet argumentari de casu ad casum in pœnalibus. Id cum pluribus ac gravibus DD. tenent Pontas, Roncaglia, Salmanticenses, Suarez ac Viva : *Id tutum et magis pietati conforme* appellat Sanchez ; *absolute* probat Alasia ; *late* ostendit Dicastillus ; et *docte* tuetur Coninchius. Imo non aliter respondit Alexander III, qui habet : *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit* (quod idem est, ut patet, de baptizante vel tenente in Confirmatione), *an propter hoc separari debeant? Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari; quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt. Ideo nobis videtur, quod sive ex ignorantia sive ex malitia*

[1] C. *An Limina* VII, causa XXX, q. 1. Diximus *prolem suam legitimam ;* nam si pater in necessitate baptizet filium quem ex concubina suscepit, cognationem cum ea contrahit, ita ut illam ducere nequeat. Disparitatis ratio est ; legitimi conjuges habent jus acquisitum petendi debitum, quo non debent privari propter opus religiosum et laudabile ; concubinarius vero nullum jus habet petendi a concubina debitum. Penes *Antoine.*

[2] Cap. *De his qui*, caus. XXX, q. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*id fecerint, non sunt ad invicem separandi, nec alter alteri debitum subtrahere...;* quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia *excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus*[1].

Dicitur *ideo nobis videtur;* unde si qui erant contrarii canones, iis vis adempta est, ut bene arguit Alasia. Dicitur *nec alter alteri*, etc. Ergo si utrique, etiam nocenti, fas est et petere et reddere, ut recte inferunt Salmanticenses. Idem tenet Glossa: *Non invenimus in hoc casu, quod non exigat* (conjux qui est in culpa); *ergo nec nos prohibemus*[2].

---

## DISPUTATIO SEXTA

## DE MATRIMONII DISSOLUTIONE

**653.** Q. 1. *An matrimonium aliquando possit dissolvi?*

R. Tria in matrimonio consideranda sunt: 1. *vinculum*, quo vir et mulier quodam veluti nexu secum invicem conjunguntur; 2. *cohabitatio*, quæ consistit in illa individuæ vitæ consuetudine, quæ matrimonio inhæret; 3. *thorum*, cujus videlicet usu liberorum procreationi conjuges vacant. Quamvis naturæ admodum consentaneum sit, ut hæc indissolubiliter in matrimonio obtineant; id tamen non est eodem jure stricte omnino imperatum.

Hinc contingit, ut dissolvantur conjugia aliquando quoad vinculum, ut liceat conjugibus nuptias alias celebrare: aliquando quoad habitationem simul et thorum; aliquando quoad thorum dumtaxat. Istæ dissolutiones solent in Scholis *divortii* nomine noncupari, quasi *a diversitate mentium;* quia in partes diversas abeunt qui illud dissolvunt.

**654.** Q. 2. *Quid de matrimonii dissolutione quoad vinculum?*

R. Certum est: 1. *propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum*, ut Tridentinum definivit[1]. Hæc constans fuit praxis et doctrina Ecclesiæ, quæ semper repudiavit contrarias Imperatorum leges. Hinc D. Hieronymus: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*[2]. Et D. Augustinus scribit, habere uxores, quarum priores mariti vivunt, adulterina esse conjugia, si non jure fori, id est civili, utique jure poli nempe cœli[3].

[1] Cap. *Si vir* II *de cogn. spirit.*— *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 34.

[2] In cit. cap. *Si vir.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 150.



Certum est: e contrario matrimonii vinculum solvi, tum per unius conjugis mortem juxta illud Apostoli: *Si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat*[4]; tum per religiosam professionem; tum per conversionem unius infidelis ad fidem, comparte manente infideli. An etiam solvatur per dispensationem romani Pontificis, disputant.

**655.** Q. 3. *An conjugii vinculum aliquando solvatur per professionem religiosam?*

R. Affirmative: per solemnem religionis professionem matrimonium, si ratum tantummodo sit, etiam quoad vinculum dissolvi, de fide est a Tridentino sic definitum: *Si quis dixerit matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit*[5]. Id jam definierat sæculo XII Alexander III, qui id probat exemplo Sanctorum: item Innocentius III asserens, se in hoc sequi vestigia suorum antecessorum[6].

[1] Sess. XXIV, can. V. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 955 et seqq.

[2] Ep. LXXIX, ad Ocean. — [3] Serm. CCCXCII.

[4] I Corinth. VII. Hinc si mortuus per miraculum resuscitaret, adhuc esset pater erga filios, quia vinculum sanguinis non rumpitur: sed non amplius esset maritus erga conjugem, neque bona ipsi adjudicata repetere posset; nam vinculum matrimonii morte solvitur et translatio bonorum legitime consummata est. Ad diversitatem Baptismi, Confirmationis et Ordinis quæ Sacramentorum imprimant characterem, neque in homine miraculose resuscitato sunt iteranda; character enim cum sit in anima impressus, morte haud deletur; quia anima nunquam moritur. Hinc ad vitam revocatus non est amplius baptizandus, confirmandus, ordinandus: si tamen suscitatus Sacerdos fuisset antea beneficiatus, amplius non esset; quia Beneficium morte amittitur.

[5] Sess. XXIV, can. VI. Et c. *Commissum* de spons. — *V.* Ferraris, v^is *Conjuges, Divortium.*

[6] Cap. *Verum* II. *Ex publico* VII. *Ex parte tua* XIV de convers. conjug.:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*id fecerint, non sunt ad invicem separandi, nec alter alteri debitum subtrahere...*; quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia *excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus*[1].

Dicitur *ideo nobis videtur;* unde si qui erant contrarii canones, iis vis adempta est, ut bene arguit Alasia. Dicitur *nec alter alteri*, etc. Ergo si utrique, etiam nocenti, fas est et petere et reddere, ut recte inferunt Salmanticenses. Idem tenet Glossa : *Non invenimus in hoc casu, quod non exigat* (conjux qui est in culpa) ; *ergo nec nos prohibemus*[2].

---

# DISPUTATIO SEXTA

## DE MATRIMONII DISSOLUTIONE

**653**. Q. 1. *An matrimonium aliquando possit dissolvi?*

R. Tria in matrimonio consideranda sunt : 1. *vinculum*, quo vir et mulier quodam veluti nexu secum invicem conjunguntur; 2. *cohabitatio*, quæ consistit in illa individuæ vitæ consuetudine, quæ matrimonio inhæret; 3. *thorum*, cujus videlicet usu liberorum procreationi conjuges vacant. Quamvis naturæ admodum consentaneum sit, ut hæc indissolubiliter in matrimonio obtineant; id tamen non est eodem jure stricte omnino imperatum.

Hinc contingit, ut dissolvantur conjugia aliquando quoad vinculum, ut liceat conjugibus nuptias alias celebrare : aliquando quoad habitationem simul et thorum; aliquando quoad thorum dumtaxat. Istæ dissolutiones solent in Scholis *divortii* nomine noncupari, quasi *a diversitate mentium;* quia in partes diversas abeunt qui illud dissolvunt.

**654**. Q. 2. *Quid de matrimonii dissolutione quoad vinculum?*

R. Certum est : 1. *propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum*, ut Tridentinum definivit[1]. Hæc constans fuit praxis et doctrina Ecclesiæ, quæ semper repudiavit contrarias Imperatorum leges. Hinc D. Hieronymus : *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit*[2]. Et D. Augustinus scribit, habere uxores, quarum priores mariti vivunt, adulterina esse conjugia, si non jure fori, id est civili, utique jure poli nempe cœli[3].

[1] Cap. *Si vir* II *de cogn. spirit.*— V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 34.

[2] In cit. cap. *Si vir.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 150.



Certum est : e contrario matrimonii vinculum solvi, tum per unius conjugis mortem juxta illud Apostoli : *Si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult, nubat*[4]; tum per religiosam professionem; tum per conversionem unius infidelis ad fidem, comparte manente infideli. An etiam solvatur per dispensationem romani Pontificis, disputant.

**655**. Q. 3. *An conjugii vinculum aliquando solvatur per professionem religiosam?*

R. Affirmative : per solemnem religionis professionem matrimonium, si ratum tantummodo sit, etiam quoad vinculum dissolvi, de fide est a Tridentino sic definitum : *Si quis dixerit matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit*[5]. Id jam definierat sæculo XII Alexander III, qui id probat exemplo Sanctorum : item Innocentius III asserens, se in hoc sequi vestigia suorum antecessorum[6].

[1] Sess. XXIV, can. V. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, nn. 955 et seqq.

[2] Ep. LXXIX, ad Ocean. — [3] Serm. CCCXCII.

[4] I Corinth. VII. Hinc si mortuus per miraculum resuscitaret, adhuc esset pater erga filios, quia vinculum sanguinis non rumpitur : sed non amplius esset maritus erga conjugem, neque bona ipsi adjudicata repetere posset ; nam vinculum matrimonii morte solvitur et translatio bonorum legitime consummata est. Ad diversitatem Baptismi, Confirmationis et Ordinis quæ Sacramentorum imprimant characterem, neque in homine miraculose resuscitato sunt iteranda; character enim cum sit in anima impressus, morte haud deletur; quia anima nunquam moritur. Hinc ad vitam revocatus non est amplius baptizandus, confirmandus, ordinandus : si tamen suscitatus Sacerdos fuisset antea beneficiatus, amplius non esset; quia Beneficium morte amittitur.

[5] Sess. XXIV, can. VI. Et c. *Commissum* de spons. — *V.* Ferraris, v[is] *Conjuges*, *Divortium.*

[6] Cap. *Verum* II. *Ex publico* VII. *Ex parte tua* XIV de convers. conjug. :



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quod privilegium Bellarminus, Paludanus, Collet, et Habert cum D. Thoma repetunt ab ipso jure naturæ; nam ratio dictat, quod quilibet potest ad meliorem statum transire, cum nulli fit injuria. Quod hic evenit: neque enim injuria fit proli, quæ nulla est; neque conjugi, quæ libera remanet, ut cum alio contrahat. — Antoine vero et Layman cum Suarez id repetunt ab Ecclesiæ statuto immediate, ipso Deo concedente; neque repugnat ut hanc conditionem conjugio Ecclesia apponat: *Nisi vota Religionis emiserim*. In hac hypothesi indissolubilitas vinculi incipit in momento consummationis contracti matrimonii.—Tandem Billuart, Tournely, Perrone cum pluribus recentioribus (quibus adhæret Benedictus XIV) id tribuunt soli divino juri; nullus enim homo separare potest quod Deus conjunxit. Quod quidem Alexander III dicit ad se transmissum *secundum interpretationem sacri eloquii;* ait enim: *Quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii, de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum.*

Diximus: 1. *matrimonium ratum:* id enim jura non tribuunt jam consummato; tunc enim significatio irrevocabiliter completa est, et conjuges facti sunt una caro. Si tamen sit per vim consummatum ante elepsum bimestre, adhuc pars innocens poterit eo jure uti, ne culpa alterius puniatur: sed pars nocens non poterit de novo nubere; quia jam verificata est matrimonii consummatio; 2. *per solemnem professionem:* unde solus non sufficit ingressus: per solemnitatem enim professionis tantummodo res alteri traditur, et ab illo possidetur. Ad hoc privilegium conjugibus jure conceduntur duo menses a matrimonii celebratione in quibus non tenentur reddere debitum. Hoc tamen intelligitur, modo matrimonium non sit necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut sponsæ infamiam.

Adhuc bimestri elapso, si conjux non consummavit, etsi illicite,

« Ce n'est point faire injure à l'autre partie, parce qu'un chrétien, en contractant, sait, *vel scire debet*, qu'il sous-entend la possibilité d'une dissolution du contrat pour ce motif. » *Nardi*.



videtur quod iterum valide possit ingredi Religionem, ipsa invita comparte: quia Tridentinum absolute statuit illam solutionem in Religionis favorem. Ceterum notamus: — 1. culpa fornicaria habita inter sponsos antequam ipsi contrahant matrimonium, probabilius non impedit hoc privilegium, ni aliud obstet; nam per illam copulam matrimonium non potest dici consummatum; — 2. si contrahit matrimonium cum intentione ingrediendi Religionem, peccat, si compartem non moneat (etsi adhuc possit jure suo utendo, per bimestre debitum negare); tum ob notabile incommodum illi impositum expectandi per annum et amplius (usque ad professionem) antequam ejus solvatur conjugium; tum ob alias multas expensas; — 3. bimestre probabilius non conceditur iis, qui hic et nunc animum non habent Religionem ingrediendi, nec habebunt; quia conceditur illis tantum qui ad Religionem transire intendunt; — 4. sponsa, si traducta jam ad domum viri velit ingredi Religionem, non auditur si vidua aut jam corrupta; creditur enim, quod jam a conjuge suo cognita sit [1].

**656.** Q. 4. *An matrimonium infidelium quoad vinculum solvatur per unius conversionem ad fidem?*

R. *Certum est infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per apostolum Paulum* (1 Cor. 7) *promulgato, dissolvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero* (*in sua infidelitate obdurato*) *cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris:* ita Benedictus XIV [2]. Sic nempe ait Apostolus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si quæ mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

Qui discessus etiam de vinculi solutione est intelligendus, ut fuse ostendit A Lapide; tum ex communi Interpretum expositione; tum ex ipso contextu: si enim secus esset, adhuc fidelis remaneret subjectus. Adde Pontificum declarationes:

[1] *V*. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 958; *Homo Apost.*, tract. XVIII, n. 90.
[2] *De Syn. Diœc.*, l. VI, c. IV; l. XIII, c. XXI. Vid. item ejusdem Pontificis Constitutio, *In suprema*, 16 jan. 1745; et alia item Constitutio *Apostolici ministerii*, 16 sept. 1747. Item Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 956.

adde S. C. Concilii resolutiones, ut refert Benedictus XIV[1]. Adde communem sensum Doctorum: tota enim antiquitas hanc tradidit doctrinam; eam sæculo IX tenuit Theophilactus; sæculo XI Hugo Victorinus; sæculo XII Petrus Lombardus Sententiarum Magister, una cum quatuor circiter millibus scriptorum, qui super ipsum commentaria ediderunt[2] (*CC*).

Dictum est: 1. *cum conjugum alter;* si enim ambo convertantur, firmatur, non solvitur conjugium[3]: neque amplius fides periclitatur. Ut tamen fiat insolubile omnino, consummari debet post susceptam fidem[4]; secus Pontifex ex urgentissima causa bene potest in eo dispensare, ut fuse defendit Benedictus XIV: idque in praxim deduxerunt Pius V et Gregorius XIII; — 2. cum *christianam fidem amplectitur;* nempe tunc incipit jus insistendi contra alteram partem. Ceterum matrimonium non tunc proprie solvitur (cum per Baptismum non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur): bene vero eo momento quo secundum initur, ut declaravit S. C. C. 27 jul. 1726. Lambertini secretarii munus gerente. Proles autem in infidelitate suscepta, si nondum habeat usum rationis, traditur parti fideli in fidei favorem[5], si jam habeat rationis usum, ipsa eligat, nemo enim cogendus est ad fidem[6]; — 3. *cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris:* hoc autem contingit vel si nullimode infidelis cohabitare velit, vel si cohabitando Dei nomen blasphemet, vel si compartem ad mortale inducat[7]: hisce etenim

[1] Commendandus Germanus Binterim, qui novissime contrarium defenderat. Hic cum rescivisset Gregorium XVI ægre tulisse suam sententiam, illico eam 16 oct. 1832 retractavit ex animo vere catholicus, ut refert Perrone, *De Matrimonio*, c. II, n. 66. Est ergo rejicienda contraria dissertatio, quam habet *Bible* de Vence, vol. VI, *Dissertazioni;* ubi frustra demonstrare conatur per illud *discedat* solam habitationis separationem, non vero vinculi conjugalis dissolutionem intelligi.

[2] Primo hæc doctrina fuit impugnata circa medium sæculi XVIII a Jansenistis, ex quibus pariter prodiere deinceps plures libelli eamdem insectantes: qui tamen fere omnes in Indicem librorum prohibitorum merito relati sunt. — *V.* Ferraris, v° *Matrimonium*, a. 5.

[3] Cap. *De infidelib. consang.* — [4] C. *Quanto* de divortio.

[5] C. x, caus. XXVIII, q. 1; c. II, *De conv. conj.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 957.

[6] S. Thomas, in 4, d. 39, q. 1, a. 5. — [7] C. *Quanto* de divort.



in casibus infidelis, si non physice, discedit moraliter a conjuge converso. Hinc illud:

> *Desere spernentem, vel blasphemare volentem,*
> *Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.*

**657.** Q. 5. *An vinculum matrimonii solvi possit per R. Pontificem?*

R. Certum est romanum Pontificem non posse solvere matrimonium consummatum; tum quia per hoc perfectissime completa est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia; tum quia de hoc saltem illud est intelligendum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* tum quia nullus id unquam voluit Pontifex concedere, etsi pluries urgentissima causa adesset, uti ex historia constat.

Tota quæstio est de matrimonio rato. Alasia, Billuart, Gonet, etc., adhuc negant posse Pontificem illud dissolvere; cum matrimonium ratum sit ejusdem naturæ ac consummatum: unde probanda est hæc Papæ potestas in jure divino. Affirmant vero Bellarminus, Collet, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Tournely et Vasquez cum omnibus fere canonistis; nam Pontifex uti Christi Vicarius ob bonum commune ac gravissimum dispensare potest in his, quæ sunt juris divini, si hæc humanos actus concernunt: et revera pluries Pontifices dispensarunt[1]; at numquid dicendum eos errasse in re tam gravi, totque adulteria permisisse? Nos ideo lubentissime assentimur hisce verbis clar. Perrone: *Cum iidem auctores* (qui denegant hanc Pontifici facultatem) *fateantur*

[1] S. Antoninus dicit se vidisse Bullas dispensationis Martini V, et Eugenii IV; Navarrus refert Paulum III et Pium IV ter quaterque ad petitionem suam dispensasse; et varii auctores referunt ex Henriquez, Gregorium XIII una die dispensasse cum undecim. Et S. Sedes dispensavit cum Carolina Bavariæ principe, quæ ut obsequeretur voluntati Napoleonis I contraxerat cum principe Wortembergico; sed uterque ficte; sponsi præter ea nec cohabitarunt nec matrimonium consummarunt. Cessante metu post lapsum Napoleonis recurrerunt Romam pro dispensatione, Pius VII, re diligenter examinata anno 1816 rescidi jussit, quidquid esset de nullitate ob defectum consensus, cum equidem constaret matrimonium nunquam fuisse consummatum, se apostolica auctoritate in eo dispensare. Nupsit porro Francisco Austriæ Imperatori. — V. *Dens*, *Perrone*, etc.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*sæpius romani Pontifices in hujusmodi conjugiis dispensasse, incipientes saltem a Martino V usque ad Pium VII, ut refert* Carrière, *non video quare ab auctoribus catholicis hæc potestas romanis Pontificibus denegari possit, aut etiam in dubium revocari. Huc enim apprime facit principium laudatum a Benedicto XIV, quod habet Veracrux* (*in Spec., p.* 2, *a.* 27): « de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare, instar sacrilegii est; esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset [1]. »

Utique matrimonium ratum est ejusdem naturæ ac consummatum, sed in gradus diversitate. Quæ diversitas in eo consistit, quod in illo deest ea pars integralis qua ultimo perficitur conjugium; quæ tamen integritas ac complementum habetur in matrimomio consummato. Quo fit, quod hoc habeat absolutam indissolubilitatem; illud vero, potestate a Deo communicata, possit aliquando dissolvi.

**658.** Q. 6. *An propter adulterium vinculum matrimonii solvatur?*

R. Certum est, vinculum matrimonii non dissolvi per adulterium; Christus ait: *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mæchatur* [2]. Et Apostolus: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam* [3]: quæ verba non admittunt exceptionem. Hinc Tridentinum [4]: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi... anathema sit* [5]. Qui canon cum directe sit adversus Lutheranos et Calvinistas, qui hac de re doctrinam Ecclesiæ erroris insimulabant, adhuc aliquo modo salvantur Græci et Orientales, qui per adulterium matrimonium solvunt, putantes (falsissime quidem) legem contrariam esse tantum disciplinarem pro latina Ecclesia.

[1] De matr., n. 119. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 959. — [2] Luc. x.
[3] I Cor. VII. — [4] Sess. XXIV, can. VII.
[5] Aliqui Patres non ita firmiter locuti sunt; plures tamen antiquiores ac celebriores in hanc certam doctrinam descendunt, ut SS. Justinus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Hieronymus et Augustinus, quos indicat Bellarminus, et fuse expendit Tournely. Tandem Benedictus XIV Const. *Etsi* vult, ut Episcopi irrita declarent matrimonia Italogræcorum sic contracta.



Dices: ob adulterium matrimonii vinculum solvi posse probavit Christus, cum dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur* [1].

R. Textus Scripturæ cum obscuriores apparent, alii per alios sunt explicandi. Cum porro in textibus hac de re correspondentibus [2] generatim habeatur, eum mæchari qui uxorem dimittit, dicendum exceptionem: *Nisi ob fornicationem*, cadere in verbum *dimiserit;* non vero in ea: *Et aliam duxerit.* Ut sensus sit: *Vir non potest uxorem dimittere, nisi ob fornicationem* [3]: *et si eam dimittit, alteram ducere non potest.* Ita communiter interpretes cum D. Ambrosio, Augustino, Basilio et Chrysostomo. — Sunt autem ex recentioribus, inter quos Joseph Motta et Ludovicus Nachi, qui autumant clausulam: *Nisi ob fornicationem*, restringi debere ad legem Mosaicam, quæ viro permittebat dare libellum repudii uxori, *in qua fœditatem aliquam invenisset* [4]. Sane Judæi, qui interrogaverant Christum, utique juxta normam legis propriæ loquebantur: porro eam latius interpretantes sciscitabantur, an liceret *quacumque de causa* uxorem dimittere. Christus igitur ad mentem ipsorum respondens dimissionem ad eam tantum causam coarctavit, de qua lex loquitur: ideoque unam exceptam et ipse unam excepit fornicationem, quin tamen tunc adjiceret quod postea ipse constituit [5].

**659.** Q. 7. *An matrimonium quoad thorum et quoad habitationem licite solvi possit?*

R. Affirmative, et de fide est contra protestantes, qui quo faciliores sunt ad dirimenda conjugia quoad vinculum, eo sunt difficiliores in admittenda separatione quoad thorum et habitationem. Hinc Tridentinum: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit* [6]. Causæ sunt:

1ª *Hæresis:* quod valet ex Salmanticensibus etsi, adhibita

[1] Matth. XIX. — [2] Marci x; et Luc. XVI.
[3] Sola fornicatio innuitur; quia hæc est præcipua, imo sola causa, qua divortium fit ipso matrimoniali jure et in perpetuum.
[4] Deut. XXIV.
[5] *V.* Perrone, *De matrimonio christ.*, l. III, sect. II, c. III; ubi invicte etiam id traditione probat. Porro quacumque interpretatione admissa, stat quod Ecclesia non errat, dum docet juxta Evangelicum præceptum matrimonii vinculum per adulterium non solvi.
[6] Sess. XXIV, can. VIII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 960.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diligentia, absit periculum perversionis; nam jura non distinguunt[1]: idque statutum est in pœnam infidelitatis, atque ad horrorem significandum adeo immanis facinoris. Et fundamentum habet in illo Apostoli: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita*[2]. Nomine hæresis multo magis intelligitur apostasia. Separatio fieri etiam potest auctoritate propria, etsi hæresis occulta sit: si autem hæresis sit auctoritate Ecclesiæ declarata, hoc innocens gaudet, ut non teneatur recipere partem conversam, et possit etiam fieri Religiosus[3]. *In his tamen*, ait Perrone, *habenda est ratio temporum, locorum et personarum; nam nunc receptum est passim, in Galliis præsertim, ac in Germania et Austria, ut matrimonia mixta celebrentur, et si cum debita facultate, servatisque conditionibus id fiat, licite fit. Si igitur licite contrahi conjugium potest cum hæreticis, cum iisdem licite cohabitare conjuges catholici possunt post hæreseos crimen, prout revera in illis regionibus et alibi fieri consuevit, nemine repugnante.*

2ª *Periculum damni gravis ex parte animæ vel corporis.* Primo ex parte animæ, ut si conjux incitetur ad graviora peccata, v. g., sodomiam, pollutionem[4]: sane quisque spiritualem salutem omnibus præponere debet. Huc spectat illud Christi: *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum et projice abs te*[5]. Secundo ex parte corporis, v. g., si altera pars sit sæva et procedat ad percussiones atroces; amens, furiosa, malefica, ut grave timendum sit damnum. Item si sit morbo contagioso infecta, ut illum contrahendi periculum sit[6].

[1] C. ult. *De conv. conj.*; c. *Quanto* de divort., etc.
[2] Tit. III, 10.
[3] C. *De illa divortio.* Si hæresis sit ex utraque parte, neutra potest divertere; quia hoc jus est tantum Catholici. Si pars catholica labatur in adulterium, non ideo tenetur redire ad hæreticam; nam sunt diversa delicta, unum contra Deum, aliud contra conjugium. Hinc tunc pars hæretica potest recedere a catholica ratione adulterii, catholica autem ab hæretica ratione hæresis; quia utrumque crimen dat jus separationis. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 974.
[4] C. *De divortio*; cap. *Idolol.* XXVI. — [5] Matth. XVIII.
[6] C. VIII et XIII, *De rest. spoliat.* — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 971.



3ª *Mutuus consensus*: sed tunc separatio ordinarie permitti non solet, nisi ambo ingrediantur Religionem; aut saltem nisi, altero Religionem profitente aut sacros Ordines suscipiente, compars ad minimum, castitatem voveat. Quod est juxta illud Christi: *Omnis qui reliquerit uxorem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*[1]. — Hoc tamen temere aut inconsulto fieri non debet: sic illicite id fieret, quamdiu proles adhuc instituenda est, et parentes cura indigent; consilia enim evangelica non liberant homines ab officiis, quibus ex lege naturali ac divina obstringuntur.

4ª *Adulterium*: hæc causa a Christo ipso adsignatur: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari*[2]; quod valet etiam de muliere, quia quoad debitum et vir et mulier sunt pares[3]. Ratio autem est, quia ex jure naturali non est obligatio servandi fidem ei, qui illam frangit. Malitia autem hujus criminis consistit in divisione carnis; atque ideo communius docent cum D. Thoma (et probabilius, spectata probabilitate extrinseca) hanc pœnam incurri etiam ob sodomiam ac bestialitatem. — Facta juridica separatione ob adulterium, pars innocens potest (ut communiter dicunt cum Angelico[4]) adulteram cogere, ut ad se redeat, si ejus status mutatus non sit; ne scilicet cedat in ejus detrimentum quod in ejus favorem inductum est. Item potest innocens vel Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere[5]: quod si id agere velit etiam pars adultera, consensus innocentis requiritur: qui tunc votum simplex castitatis emittere debet ad vitam uxoris duraturum[6] (*DD*).

[1] Matth. X. Si tamen uxor vetula sit, id est saltem quinquaginta annos nata, nec periculum timeatur incontinentiæ, dicunt Barbosa, Bonacina, Sanchez, Viva, etc., quod ipsa poterit in sæculo remanere, viro profitente Religionem vel Ordines suscipiente; modo tamen et votum emittat simplicis castitatis saltem coram Episcopo, ita ut de illius nuncupatione dubitari non possit. — *V.* Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 975.
[2] Matth. V. — [3] C. *Præcepit* XXXII, q. 5; et c. *Idolol.* XXXVIII, q. 1.
[4] In 4, d. 35, q. un., a. 6. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 962.
[5] C. *Agatosa* XXVII, q. 2. — C. XV et XVI, *De conv. conj.*
[6] Benedictus XIV, *De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XII, ex S. C. C. 2 maii 1722.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Attamen ut adulterium præbeat parti innocenti justam causam divortii, requiritur : — 1. ut adulterium sit completum, nempe cum seminis effusione, uti probabilius dicendum est cum Bonacina, Salmanticensibus, Sanchez, etc. Secus non fieret carnis divisio, nec esset adulterium perfecte tale ; — 2. ut sit certum ; nam in dubio nemo suo certo jure privandus est. Excipe nisi suspiciones sint vehementissimæ, ut si inveniatur solus cum sola in eodem lecto ; — 3. ut sit alterutrius tantum : alioquin si reciprocum, fieret compensatio ; neque refert, quod unus pluries adulteraverit ; quia attenditur ad fidei fractionem[1] ; — 4. ut sit formale, id est culpabile ; nam ubi non est culpa, non debet esse pœna. Non excusaret tamen metus incussus, ut dicit Sanchez ; quia adhuc cum eo voluntas adest et consensus, ideoque etiam gravis culpa[2] ; — 5. non collaudatum, seu ut delicto non consentiat compars[3] ; nam consentienti quæ injuria ? — 6. non remissum neque expresse, seu conceptis verbis ; neque tacite, v. g., copula post cognitum adulterium sponte habita. Quod enim semel condonatum est, nequit amplius in culpam vocari[4].

Hinc illi versus :

*Completum, certum, unius, culpabile, parte*
*Invita, verbo aut facto non ante remissum.*

*An* (inquires) *conjux innocens possit propria auctoritate adulteram partem dimittere ?* Absolute negant Concina et Bellarminus cum D. Thoma[5] ; nam separatio conjugum est actio publica pertinens ad externam gubernationem, unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione. Alii

[1] Si tamen acto juridice divortio, pars innocens adulteretur, longe probabilius docent Filliucius, Salmanticenses, Sanchez, etc., cum D. Thoma (in 4, d. 35, q. un., art. 6) ; quod nonnisi causa simplicis honestatis tenetur ad compartem redire ; quia per sententiam jam absolutam liber factus est ab illius servitute. Et idem aiunt valere, si adultera pars emendetur : est nempe *debitum honestatis, non necessitatis*, quod tunc debeat innocens adulteram quærere (glossa in c. *Si vir* de adult.).

[2] *Quare* (dices) *metus excusat incestuosum, adeo ut non privetur jure petendi ; non vero excuset adulterum, adeo ut divortium adhuc obtineat ?* Ideo est, quia lex contra incestuosum est ecclesiastica a qua metus gravis excusat : e contrario permissio divortii causa adulterii est pœna lata a Deo, quam metus non infirmat.

[3] Ex c. *Discretionem* de eo qui cogn.

[4] L. XV, § 5, ff. ad L. Jul. de adult.

[5] Suppl. q. 62, a. 3. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 968.



cum S. Antonino, Laymano, et Salmanticensibus affirmant, si adulterium est notorium ; non vero si occultum, quia non licet famam adulteri prodere. Sed Bonacina, Filliucius, Ledesma, Sanchez et Sa absolute (præcluso scandalo) affirmant sive adulterium sit notorium sive occultum ; neque enim Christus distinxit, cum permisit dimittere adulterantem. Hæc sententia nobis probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte fœminæ ; durum enim esset cogere virum, ut crimen suæ uxoris publicum faciat in judicio cum suo perpetuo dedecore ad hoc ut possit ab illa separari.

**660.** Q. 8. *Quandonam fieri potest divortium quoad thorum ?*

R. Divortium quoad thorum fieri potest mutuo consensu (remoto incontinentiæ periculo) et perfectionis gratia, exemplo S. Pulcheriæ et Marciani, S. Birgittæ et Ulfonis, etc. Hinc illud Apostoli : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*[1]. Idem evenit in crimine incestus et amissione voti ; tamen Confessarius regulariter non debet conjugibus permittere, ut castitatem voveant, si adhuc cohabitent ob incontinentiæ periculum. — Idem contingit in adulterio, quod in judicio sufficienter probari nequeat ; si enim certe commissum est, legitimam tribuit causam debiti denegandi.

**661.** *Monitum.* Ex divortiis plura oriuntur mala : tum quoad ipsos conjuges, qui forsan in gravi incontinentiæ periculum conjiciuntur ; tum quoad filios si qui sint, qui nonnisi ægre ferre possunt parentum divisionem ; tum quoad ceteros qui sine gravi scandalo id accipere nequeunt. Et tamen non raro divortia a minimis incipiunt : hinc cura esse debet Parochorum et Confessariorum hisce opportune et sub initio occurrere animos conjugum reconciliando. Patienter illorum querelas audiant, eorumque iras sedare studeant, adducendo Sanctorum exemplum, Evangelicum præceptum, naturæ humanæ conditionem ; ostendant in qualibet societate bona et mala adesse, vitia et defectus ab humana conditione inseparabiles, et statutum esse ut alter alterius onera portet. Ac proinde matrimonii pondera nequaquam tolli posse per jurgia, dissidia et divortium ; sed patienter tolerando ea bene posse imminui, et ita in animæ lucrum verti quod est conditionis necessitas.

[1] I Cor. VII. — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 961.

Quod si nihilominus divortium facere contendant sine gravissima et probata causa, non sunt absolutione digni. Vid. *Roncaglia* (*EE*).

« Quis in tanta morum corruptione conjugium ex omni parte perfectum quæret, cum ut de aliis ærumnis sileam, uterque conjux tot infirmitatibus atque miseriis stipatus esse consueverit? Etiam ex hoc capite *fabulæ romanenses* (romans) plurimum nocent, dum conjugium, non prout fere invenitur, sed potius ex insaniente auctoris phantasia exhibent, atque ceu omnis felicitatis apicem describunt. Unde fit, ut juventus hisce imaginibus inescata tum impotenti æstu ad hunc statum anhelet, tam vero, ubi ipsam vitam conjugalem a præconceptis phantasticis ideis plurimum diversam experitur, sæpenumero contra vinculum indissolubile infremiscat. » *Stapf*, § 474.

**662**. Q. 9. *Quid lex civilis* (apud *Galliam*) *quoad conjugum separationem?*

R. De conjugum separatione legatur Codex civilis gallicus, ab art. 229 ad art. 311[1].

« Que doit faire un curé, un confesseur, à l'égard des époux qui vivent séparés, sans avoir fait prononcer leur séparation : 1° On ne doit point éloigner des sacrements une femme qui passe, aux yeux du public, pour avoir été chassée ou renvoyée injustement par son mari. Il lui est bien permis, dans son malheur, de recourir au *Dieu de toute consolation, à celui qui nous console dans toutes nos peines* (II Cor., c. I, vers. 3 et 4). Mais il n'en est pas de même du mari; on ne peut évidemment l'absoudre, à moins qu'il ne fasse constater juridiquement qu'il avait des raisons légitimes de renvoyer sa femme; 2° on ne doit point inquiéter le mari qui s'est séparé de sa femme, ni la femme qui s'est séparée de son mari, lorsque la séparation a eu lieu pour cause d'adultère, si le crime est tellement notoire, qu'il ne puisse nullement être contesté. Mais le coupable ne sera point admis à la participation des sacrements, qu'il n'ait suffisamment réparé sa faute et le scandale par la pénitence; 3° on regardera comme indignes d'absolution les époux qui, par suite d'un mariage mal assorti, ou pour cause d'incompatibilité d'humeur, se sont séparés de leur autorité privée, même d'un commun consentement. Mais on userait d'indulgence à l'égard de celui qui aurait fait son possible, moralement parlant, pour se rapprocher de son conjoint et obtenir de demeurer ensemble, si ses dispositions et ses démarches étaient connues du public. » Gousset, *Théol. Mor.*, tom. II, n. 899.

[1] Respons. edit.



# ADNOTATIONES
## AD TRACTATUM DUODECIMUM

—

### (*A*) Page 501.

**663**. Constat 1. ex protoparentum conjugio, quod divinitus positum est in exemplar veri conjugii; quemadmodum enim Deus creando virum et mulierem eisque infundendo omnia dona naturæ et gratiæ communicanda cum filiis, creavit in eis totum humanum genus; ita et conjungendo eos matrimonio, legem posuit, qua tenerentur omnes postea matrimonium inituri. Mutatis enim personis mutatisque temporis progressu solemnitatibus nuptiarum, immota unaque semper mansit et manebit conjugii natura, quam Christus non immutavit, sed confirmavit, perfecit, sacramenti institutione. Unde nullum ab initio potuit nec unquam poterit iniri conjugium verum extra legem Dei : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* — 2. ex ipsa rei natura, tum quia societas individua viri et mulieris, qualis requiritur ad fines matrimonii, impossibilis est ob summam cordis humani instabilitatem, nisi Deus eam sua lege ac benedictione firmet; tum quia remoto perenni mutuo cordis affectu, quem solus Deus fovere potest, impossibile est mutuum juvamen; tum quia sine illo qui *administrat semen seminanti, et panem* (sive materialem sive spiritualem) *ad manducandum præstabit* (II Corinth. IX), impossibilis est procreatio prolis ejusque perfecta educatio.

### (*B*) Page 506.

**664**. Hic maxime notanda sunt. — 1. Si antequam verificetur conditio, unus dissentiat, matrimonium nullum est, etiam postea verificata conditione; quia non haberetur consensus reciprocus tempore contractus : neque illum tunc supplet Ecclesia; — 2. si duo sint celebrata matrimonia conditionata, illud valet, cujus conditio prius verificatur, licet sit posterius initum; quia prius absolutum evadit. Quod si eodem tempore utriusque matrimonii conditio verificetur, neutrum valet; quia est incertum utrumque, et unum alterum impedit; — 3. matrimonia conditionata nunquam a Parocho admittenda sunt absque urgentissima



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Quod si nihilominus divortium facere contendant sine gravissima et probata causa, non sunt absolutione digni. Vid. *Roncaglia* (*EE*).

« Quis in tanta morum corruptione conjugium ex omni parte perfectum quæret, cum ut de aliis ærumnis sileam, uterque conjux tot infirmitatibus atque miseriis stipatus esse consueverit? Etiam ex hoc capite *fabulæ romanenses* (romans) plurimum nocent, dum conjugium, non prout fere invenitur, sed potius ex insaniente auctoris phantasia exhibent, atque ceu omnis felicitatis apicem describunt. Unde fit, ut juventus hisce imaginibus inescata tum impotenti æstu ad hunc statum anhelet, tam vero, ubi ipsam vitam conjugalem a præconceptis phantasticis ideis plurimum diversam experitur, sæpenumero contra vinculum indissolubile infremiscat. » *Stapf*, § 474.

**662**. Q. 9. *Quid lex civilis* (apud *Galliam*) *quoad conjugum separationem?*

R. De conjugum separatione legatur Codex civilis gallicus, ab art. 229 ad art. 311[1].

« Que doit faire un curé, un confesseur, à l'égard des époux qui vivent séparés, sans avoir fait prononcer leur séparation : 1° On ne doit point éloigner des sacrements une femme qui passe, aux yeux du public, pour avoir été chassée ou renvoyée injustement par son mari. Il lui est bien permis, dans son malheur, de recourir au *Dieu de toute consolation, à celui qui nous console dans toutes nos peines* (II Cor., c. I, vers. 3 et 4). Mais il n'en est pas de même du mari ; on ne peut évidemment l'absoudre, à moins qu'il ne fasse constater juridiquement qu'il avait des raisons légitimes de renvoyer sa femme ; 2° on ne doit point inquiéter le mari qui s'est séparé de sa femme, ni la femme qui s'est séparée de son mari, lorsque la séparation a eu lieu pour cause d'adultère, si le crime est tellement notoire, qu'il ne puisse nullement être contesté. Mais le coupable ne sera point admis à la participation des sacrements, qu'il n'ait suffisamment réparé sa faute et le scandale par la pénitence ; 3° on regardera comme indignes d'absolution les époux qui, par suite d'un mariage mal assorti, ou pour cause d'incompatibilité d'humeur, se sont séparés de leur autorité privée, même d'un commun consentement. Mais on userait d'indulgence à l'égard de celui qui aurait fait son possible, moralement parlant, pour se rapprocher de son conjoint et obtenir de demeurer ensemble, si ses dispositions et ses démarches étaient connues du public. » Gousset, *Théol. Mor.*, tom. II, n. 899.

[1] Respons. edit.



# ADNOTATIONES
## AD TRACTATUM DUODECIMUM

—

### (*A*) Page 501.

**663**. Constat 1. ex protoparentum conjugio, quod divinitus positum est in exemplar veri conjugii; quemadmodum enim Deus creando virum et mulierem eisque infundendo omnia dona naturæ et gratiæ communicanda cum filiis, creavit in eis totum humanum genus; ita et conjungendo eos matrimonio, legem posuit, qua tenerentur omnes postea matrimonium inituri. Mutatis enim personis mutatisque temporis progressu solemnitatibus nuptiarum, immota unaque semper mansit et manebit conjugii natura, quam Christus non immutavit, sed confirmavit, perfecit, sacramenti institutione. Unde nullum ab initio potuit nec unquam poterit iniri conjugium verum extra legem Dei : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* — 2. ex ipsa rei natura, tum quia societas individua viri et mulieris, qualis requiritur ad fines matrimonii, impossibilis est ob summam cordis humani instabilitatem, nisi Deus eam sua lege ac benedictione firmet ; tum quia remoto perenni mutuo cordis affectu, quem solus Deus fovere potest, impossibile est mutuum juvamen ; tum quia sine illo qui *administrat semen seminanti, et panem* (sive materialem sive spiritualem) *ad manducandum præstabit* (II Corinth. IX), impossibilis est procreatio prolis ejusque perfecta educatio.

### (*B*) Page 506.

**664**. Hic maxime notanda sunt. — 1. Si antequam verificetur conditio, unus dissentiat, matrimonium nullum est, etiam postea verificata conditione ; quia non haberetur consensus reciprocus tempore contractus : neque illum tunc supplet Ecclesia ; — 2. si duo sint celebrata matrimonia conditionata, illud valet, cujus conditio prius verificatur, licet sit posterius initum ; quia prius absolutum evadit. Quod si eodem tempore utriusque matrimonii conditio verificetur, neutrum valet ; quia est incertum utrumque, et unum alterum impedit ; — 3. matrimonia conditionata nunquam a Parocho admittenda sunt absque urgentissima



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

causa, tum propter plurima inconvenientia, quæ occurrere possunt circa eorum validitatem ; tum quia Sacramentum conficere sub conditione extra casum necessitatis est omnino prohibitum. « La conclusion d'un mariage sous condition, *ait Schulte*, dépend de la permission de l'évêque (extra casum tamen impellentis necessitatis, quæ moram non patiatur, ut si agatur de contrahendo cum moribundo, ad legitimandam prolem, casu quod dubium sit de morte prioris conjugis), sans laquelle aucun prêtre ne peut *licitement* (quoiqu'il le fît *validement*) y assister. Le curé avertira donc l'autorité épiscopale, et jusqu'à sa décision s'abstiendra, sans doute, même des publications. Il n'appartient pas, en effet, au curé de changer quelque chose à la forme ordinaire.» — 4. ante conditionis verificationem nefas est matrimonio uti, sive conditio illa sit de futuro, quia tunc matrimonium nondum existit; sive sit de præsenti vel præterito, quia tunc illud est dubium. At si sponsi nihilominus ad illius usum procederent, matrimonium absolutum evaderet; sic enim censentur conjuges renuntiasse conditioni illi. Excipe nisi positive aliud constiterit : sic refert Concina fuisse a S. C. C. declaratum. — *V.* Benedictus XIV, *de Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XXII.

*Quid* (dices) *si conditio sit :* Contraho tecum, si pater meus consentiat; *et pater sit mortuus tempore illius conditionis?* Si ille qui ita contrahit, jam scit mortuum patrem, commune est valere matrimonium : et illa conditio habetur pro non adjecta, uti impossibilis. Imo si sic contrahens mortem ignoraverit, Sanchez docet probabilius adhuc valere matrimonium; quia conditio sic intelligitur, ne contra voluntatem patris contrahatur : quod jam patre defuncto, verificatur.

*Quid de conditione educandi prolem in idololatriæ cultu, vel in hæresi?* Quoad primum cum Steyaert dicunt, matrimonium esse nullum, cum id repugnet aperte bono prolis atque ex omni parte. Quoad secundum cum Reiffenstuel docent matrimonium valere, quia omnimode non excluditur christiana religio, etsi pactum illud iniquissimum sit ac proinde nullius roboris. *Dens.*

*An* (inquires) *verificata conditione, novus requiratur consensus?* Alii cum Concina, Gonet, Soto et Suarez affirmant : favet D. Thomas (*Suppl.* q. 47, art. 3); nam matrimonium etiam Sacramentum est, cujus valor suspendi nequit; sed vel statim vel nunquam obtinet. Alii vero cum Coninchio, Laymano, Palao, Roncaglia, Salmanticensibus negant; quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus, a quo ejus norma sumenda est. Hæc secunda sententia videtur probabilior : sed quia prima est etiam fundata, in praxi expedit eam sequi. Item videtur novum requiri consensum, si sponsi impediti contraxerint sub conditione : *Si cessabit impedimentum;*



nam consensus tempore impedimenti dirimentis positus, probabilius non videtur satis validus. Ita refert Zacharias declaratum fuisse a S. C. C. (*In adnotationibus ad Croix*). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 892.

**665.** *Quid* (quæres) *de matrimonio inito sub modo, causa ac demonstratione?*

Modus est quasi adjectio oneris ad quod volumus obligare contrahentem, ut, v. g., *contraho tecum, ut tuam nobilitatem consequar, ut tuas divitias habeam.* Causa est, cum denotatur ratio ob quam contrahitur, ut, v. g., *contraho tecum, quia es virgo, es pulchra.* Demonstratio est quoties significatur aliqua qualitas in contrahente, v. g., *contraho tecum, quæ es dives, quæ pia es.* — Porro si demonstratio et causa non apponantur uti veræ conditiones, non vitiant matrimonium, licet sint turpes, falsæ, contrariæ substantiæ matrimonii; nam proprie ad substantiam contractus non pertinent, sed sunt quædam ipsi contractui superaddita. Idem dicendum est de modo, nam consensus non pendet a modo sicut pendet a conditione : unde valet matrimonium, si dicatur : *Duco te, ut mihi inservias, ut Titium occidas,* etc. Attamen probabilius excipiunt, si modus sit contra substantialia matrimonii, ut si dicas : *Duco te, ut adulterium facias, modo sumas medicamina sterilitatis,* etc.; nam non videtur habere animum contrahendi qui intentionem gerit contractui oppositam : et hoc ideo magis, quia tunc modus videtur in conditionem resolvi. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 896. — *V.* De impedimento conditionis.

### (C) Page 516.

**666.** Quoad matrimonia mixta ad rem Nardi, §453 : « Il y a quelques années quelques gouvernements civils ont fait des prescriptions coactives relativement à l'éducation des enfants provenant des mariages mixtes : ce qui a amené de déplorables conflits entre l'Église et l'État, particulièrement en Prusse. Pour éviter de plus grands maux, l'Église a bien voulu en venir à un point que l'on doit considérer comme la dernière limite de la condescendance. Elle a toléré, lorsqu'il y avait à craindre de plus graves inconvénients et que les parties ne voulaient pas renoncer à leur dessein, que les mariages mixtes dans lesquels on n'avait pas fait les promesses obligées fussent célébrés en présence du curé qui doit y assister *passivement*, sous les conditions suivantes : 1° qu'on ne ferait pas mention dans les publications de la religion des époux; 2° en donnant le certificat de publication qu'on n'y ajouterait ni parole ni écrit indiquant une approbation quelconque, se contentant

de noter qu'il n'a été découvert d'autre empêchement que la défense de l'Église pour la religion mixte; 3° que le curé avertirait la partie catholique de la grave faute qu'elle commet, et, après avoir essayé de tous les moyens pour la dissuader de son projet, il tolérerait que le consentement des époux se donnât en sa présence, mais bien entendu ailleurs que dans une église, sans porter lui-même aucun des vêtements sacrés, sans donner de bénédiction ni prononcer la moindre parole qui ressemblât à une approbation. Cette tolérance a été étendue à tout le territoire de la confédération germanique et à plusieurs autres États. »

V. *Esposizione di fatto documentato su quanto ha proceduto e seguito la deportazione di mons. Drost arcivescovo di Colonia.* — Opus, *L' Atanasio.* — De Goerres, *La Chiesa e lo Stato alla fine della contestazione di Colonia.* — *Annali Religiosi.* Roma, vol. XVII. — Perrone, *Prælectiones Theol.* de matrimonio; item *De matrimonio christiano*, ubi fusius. — Ferajus, *De Catholicorum cum hæreticis matrimonio.* — Moser, *De impedimentis.* — Della Motta, *Teorica dell' Istituzione del matrimonio;* par. 4, Documenti.

### (*D*) Page 518.

**667**. *Quid de matrimoniis* ad morganaticam, *atque conscientiæ?*

R. ad 1 : In nonnullis maxime Germaniæ locis aliquando contingit quoddam fieri matrimonium, quo vir nobilis post susceptos ex prima uxore nobili liberos, ea defuncta, alteram ex humiliori ordine privatim ducit, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione : addita conditione, ut tam mulier, quam ex ea filii nascituri nihil neque de nobilitate participent, neque de hæreditate, exceptis nonnullis donis ipsis ab initio tributis; en matrimonium *ad morganaticam*. Est autem verum matrimonium; cum non deficiat in substantialibus : sed disconvenit sine gravissima causa illud celebrare; cum æqualitatem inter sponsos nimium lædat. A lege tamen civili generatim non sustinetur.

Dicitur *morganaticum :* vox est hæc germanica ducta a *morgen* matutinum, et *gab* donum; quia nempe et uxor et filii contenti esse debent solo illo dono, quod sibi ab initio (quasi matutino die nuptiarum) tribuitur. Ab aliquibus dicitur etiam matrimonium *sinistræ manus;* a Gallis matrimonium *ad legem salicam.* — *V.* Benedictus XIV, *de Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XIII. — Devoti, *Inst. Can. de matr.*, § 108.

R. ad 2 : Matrimonium *conscientiæ* seu occultum illud est, quod omissis denuntiationibus, contrahitur coram Parocho et duobus testibus fidelissimis, ea lege, ut non reveletur. *Conscientiæ* dicitur, quia palam non innotescit : non est dubium illud validum esse : cum omnia essentialia includat. Quia tamen interest boni publici, ut matrimonia publica sint; igitur illud permittendi facultatem Benedictus XIV Constitutione *Satis vobis*, 17 nov. anno 1741, solis tribuit Episcopis, sub datis tamen modis. Præcipui sunt : 1. ut adsit urgentissima causa : uti si vir et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla suspicio sit : quem casum proponit Bulla, quin tamen alios similes excludat, Episcopi judicio; 2. ut omnino constet nullo ligari impedimento partes, quæ insuper tenebuntur intra dies 30 prolem natam et baptizatam denuntiare Episcopo : secus in gratiam filiorum publicatur matrimonium; 3. ut in Cancellaria episcopali liber retineatur sigillo clausus, ubi illud matrimonium describatur : et alio simili libro proles inde nata adnotabitur fideliter. Qui quidem libri omnem merentur fidem (*De Syn. Diœc.*, l. XIII, c. XXIII; it. V. Mazzæus, Gualco, etc.).



Dices : *Hoc matrimonium videtur esse illicitum; multi et multi etenim ignorantes virum et fœminam esse matrimonio conjunctos, et tamen simul ut virum et uxorem cohabitari quin superiores verbum faciant, scandalizantur.* — R. Non est habenda ratio hujusce scandali, cum adest justa causa matrimonium sic contrahendi; tunc scandalum non erit datum, sed acceptum; nam nemo cum suo gravi damno tenetur consulere evitationi peccati alieni, quod contingit admitti, male accepta occasione ex facto ipsius. Ex hoc fundamento immunes sunt a culpa qui per aliquod tempus, dum commodam opportunitatem præstolantur, fidem catholicam publice profiteri differunt, ne incurrant in grave periculum; quamvis alii ex eo quod videant eos non profiteri publice fidem, existimaturi sint eos esse hæreticos (Ita *Thesaur. Resol.* S. Concilii C., t. III).

**668**. *Quid de matrimonio per litteras contracto?* Quod dicitur de matrimonio per procuratorem, idem dic de matrimonio per litteras; siquidem litteræ valent consensum contrahentium manifestare. Quod sic fit : sponsus scribit ad sponsam, quod ipse in virum ei se tradit et ex tunc eam in sponsam acceptat. Sponsa item rescribit viro, et hæc responsio legitur coram parocho et testibus. Quamquam satis est etiam, ut vir scribat mulieri modo relato; et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram parocho et testibus aperiat, legat et suum præbeat consensum. Ceterum hic modus in praxi non admittitur ob plura inconvenientia quæ timeri possunt. *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 855; *Hom. Ap.*, tr. XVIII, n. 32.

### (*E*) Page 522.

**669.** *Quidnam matrimonii Sacramentum constituit?*

R. Ipse contractus maritalis Sacramentum matrimonii constituit; etenim Christus contractum maritalem ad sacramentalem dignitatem ita evexit, ut quoties legitimæ personæ hunc efficerent, toties conficerent Sacramentum. Unde factum est, ut uno eodemque actu et contractus et Sacramentum habeatur in conjugio Christianorum, seu contractus et Sacramentum identificetur per unum eumdemque actum. Hinc contractus et Sacramentum cogitatione tantum, non veritate spectari possunt uti duæ res ad invicem distinctæ et separabiles. Hinc merito a cardinali Gerdil habetur uti monstruosa, hæreticalis, doctrinæ Christi, Patrum traditioni, et universali catholicæ Ecclesiæ consensui contraria eorum opinio, qui docent rationem Sacramenti in matrimonio esse quid extrinseci et superadditi ad ipsum contractum : « Jésus-Christ, en élevant le mariage à la dignité de sacrement, l'a remené à son institution primitive, c'est-à-dire à cette union indissoluble établie par l'autorité de Dieu, *ab initiò;* mais cette union n'est autre chose que l'union conjugale contractée dans les formes prescrites. Donc, cette union, qui s'appelle et qui est le mariage, ne peut pas être autre chose que l'union qui a été élevée par Jésus-Christ à la dignité de sacrement de la loi nouvelle. » Consentit Angelicus inquiens : *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale* (In 4 Dist. 26, q. 2). Tandem Tridentinum decretorie habet, matrimonium initum sine præscripta ab Ecclesia forma non solum non esse verum Sacramentum, sed neque validum contractum : quod quidem probat, practice rationem contractus a ratione Sacramenti in Christianis separari non posse : sed utrumque identificari in unum : *Qui aliter, quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit* (Sess. 24, c. 1). V. Gerdil, *Trattato del matrimonio :* Discorso preliminare. — Riccardi, *I gemiti della Chiesa di Spagna;* Convers. V. — It. Adnotator et corrector Bergier in suo *Dictionnario Theol.*, v° Matrimonium.

Audiatur cel. Della Motta, *Teoria della istituzione del matrimonio*, Torino, 1855, part. I° : « Il n'a jamais été douteux dans les écoles catholiques que le mariage ne pouvait être séparé du sacrement chez les chrétiens. Et il ne suffit pas pour le mettre en doute que quelques écrivains, même catholiques, aient soutenu le sentiment contraire sans une condamnation expresse. Aussi Gerdil n'hésite pas à appeler monstrueux un tel sentiment, et Nuytz, qui entreprend de le soutenir, parce qu'il l'a trouvé dans les thèses de Bon, et veut le faire passer pour certain, sans danger, et commun parmi les théologiens, tombe en fait et en droit dans une erreur plus grossière que celle de son maître. Pie VI, dans un bref à l'évêque de Motola, du 16 septembre 1788, Pie VIII et Grégoire XVI, ont enseigné d'une manière manifeste la susdite inséparabilité. Voyez à ce sujet le savant ouvrage des lois civiles concernant le mariage, par Rosmini, traduit par M. Rupert, Paris, question 1<sup>re</sup>. Mais, dans le but de dissiper les dernières ombres, le souverain pontife Pie IX, dans l'allocution prononcée en consistoire le 27 septembre 1852, se plaignant des lois et des doctrines de la république de la Nouvelle-Grenade sur le mariage, le divorce et les causes matrimoniales, disait : « Parmi les catholiques, quelqu'un peut-« il ignorer que le mariage est véritablement et proprement un des « sept Sacrements de la loi évangélique instituée par Notre Seigneur « Jésus-Christ, de sorte qu'il ne peut y avoir parmi les fidèles de ma-« riage qui ne soit un sacrement; qu'entre chrétiens l'union de l'homme « et de la femme hors du sacrement, quelles que soient d'ailleurs les « formalités civiles et légales, ne peut être autre chose que ce concu-« binage honteux et funeste tant de fois condamné par l'Église. D'où « il suit manifestement que le sacrement ne peut se séparer du lien « conjugal, et que c'est à la puissance de l'Église qu'il appartient ex-« clusivement de régler les choses qui touchent au mariage en quelque « façon que ce soit. » Néanmoins les théologiens politiques continueront de déblatérer contre la doctrine solennellement réprouvée par le Saint-Siége; ils continueront de soutenir que le mariage peut être séparé du Sacrement, afin de trouver un appui pour soutenir la validité du mariage sécularisé et purement civil. Nous les plaignons comme catholiques; mais, au point de vue de la doctrine, nous nous permettrons de rire de ceux qui ont la prétention de connaître mieux la théologie et l'Évangile que le Souverain Pontife, qui leur a dit de son côté que, par ces doctrines, *on méconnaît entièrement la dignité, la sainteté et le mystère du Sacrement de mariage, en en bouleversant avec une extrême ignorance l'institution et la nature, en méprisant, comme ont fait les hérétiques déjà condamnés, la puissance qui appartient à l'Église sur tout sacrement.* Et d'autres paroles aussi honorables pour les doctrines et les docteurs de ces erreurs! »



*An* (quæres) *sit dogma fidei in matrimonio contractum a Sacra-*

*mento separari non posse quoad christianos?* Audiatur laudatus Della Motta : « Le Souverain Pontife (Pie IX), dans la lettre déjà citée à S. M. le roi de Sardaigne, le 19 septembre 1852, enseigne avec une suprême autorité et d'une manière admirable... « C'est un dogme de « foi (dit-il) que le mariage a été élevé par Jésus-Christ Notre-Seigneur « à la dignité de Sacrement, et c'est un point de la doctrine catholique « que le Sacrement n'est pas une qualité accidentelle du contrat, mais « qu'il est l'essence même du mariage, de telle sorte que l'union con- « jugale entre les chrétiens n'est légitime que dans le mariage ; sacre- « ment hors duquel il n'y a qu'un pur concubinage. Une loi civile « qui, supposant pour les catholiques que l'on peut séparer le Sacre- « ment du contrat, prétend en régler la validité, contredit la doctrine « de l'Église, usurpe ses droits inaliénables, et dans la pratique met « sur le même rang le concubinage et le Sacrement du mariage en les « sanctionnant l'un et l'autre comme également légitimes. »

**670**. « On objecte (ait Nardi, § 377) que les protestants ne mettent pas le mariage au nombre des sacrements et on ne comprend pas comment des personnes qui n'y croient point pourraient recevoir ou administrer un sacrement, puisque l'une des conditions requises pour la validité est l'intention même. D'où il suit que dans les mariages protestants on trouve des mariages chrétiens, valides, et qui ne sont pas des sacrements. Nous répondons que l'erreur qui, en ce cas, existe dans l'esprit des protestants n'est pas un obstacle à l'accomplissement du sacrement. Ils ont, en effet, toujours l'intention de contracter un mariage valide selon la loi et la volonté de J. C., par conséquent ils ont implicitement l'intention de célébrer le sacrement, puisqu'il n'est au pouvoir de personne de rompre le lien établi par J. C. lui-même entre le sacrement et le contrat. — V. *Civil. Catt.*, ser. I, t. IX. Le mariage, *Contrat civil*, t. X : le mariage laissé au caprice des individus ; le mariage sacrement ; le mariage dans un État catholique. — *Il Cattolico*, journal religieux et littéraire de Lugano, t. VI : le mariage.

### (F) Page 525.

**671**. Audiendus quoad Sacramenti matrimonii ministrum doctissimus Klée, *Histoire des dogmes*, l. II : « La haute dignité, ainsi que le caractère sacramentel du mariage chrétien, dut faire considérer de tout temps l'intervention du prêtre dans l'union des époux comme souverainement désirable. » Et adductis circa hoc pluribus testimoniis, sic prosequitur loca AA. indicando : « Avec tout cela nous ne trouvons enseigné par personne que la bénédiction du prêtre soit le principe et



la condition essentielle qui constituent le mariage. Ce principe réside uniquement dans le *consentement exprès* de l'homme et de la femme. On trouve à cet égard des témoignages positifs dans les réponses des souverains Pontifes aux consultations qui leur sont adressées, dans les lettres, entre autres, de Nicolas Ier, d'Adrien II, d'Innocent III, d'Alexandre IV, de Grégoire IX. Les décisions des conciles sont en cela parfaitement d'accord avec celles des Papes ; les conciles prescrivent même la forme que les fidèles doivent employer lorsqu'ils contractent mariage. Les scholastiques enseignent aussi que c'est la volonté exprimée des contractants qui constitue le mariage, qu'ils sont eux-mêmes les ministres du sacrement, que les mariages contractés en secret, bien que sévèrement défendus, n'en sont pas moins des mariages vrais et réels. On ne trouve, en effet, dans aucun rituel ancien, une formule que le prêtre doive prononcer comme ministre du sacrement de mariage. — C'est aussi, d'après le témoignage de Gabriel de Philadelphie, le sentiment des docteurs les plus accrédités dans l'Église grecque, et les Arméniens sont d'accord sur ce point avec les Grecs, en sorte que l'on peut considérer cette opinion comme celle qui est le plus généralement adoptée. »

Vel ipse Tournely qui contrariam tenet sententiam, de hac nostra ait : *Si ex auctoritate et numero scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia.* Adde Tournely, Cani et aliorum opinionem semper magis arrisisse novatoribus, qui unitatem matrimonii scindere student in contractum naturalem civili regimini subditum, et in benedictionem sacramentalem a ministro Ecclesiæ impertiendam. Et ideo factum est (prout notat Lieberman), ut Canono adhæserint *omnes ecclesiasticæ potestatis osores, omnes qui Jansenii sectam secuti sunt, aut Janseniano fermento turgebant ; omnes qui se curiarum civilium partibus addixerunt, aut quocumque modo assentatores facti sunt politicæ potestatis* (De matrim., c. II, a. 2). Quod sane non invidemus !

Quod autem Patres nuptias dicant per sacerdotes *sanctificari*, etc., ideo est, quia totum Sacramenti ritum integraliter sumebant ; illique benedictioni effectus tribuebant, quia magis sensus afficit et distinctius rem sacram exprimit : quemadmodum impositioni manuum in pœnitentia, etsi tantum accidentali, effectus hujus sacramenti sæpe tribuebant Patres.

Quod vero omnium Sacramentorum confector seu dispensator necessario debeat esse Sacerdos, non est verum universaliter, ut patet de Baptismo, quod etiam laicus potest valide conferre. Quando ergo Parochus, intellecto partium consensu, dicit : *Ego vos in matrimonio conjungo*, etc., non proprie conjungit coram Deo, sed in faciem Ecclesiæ



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

approbative conjungit, quatenus approbat et declarat legitimam eorum conjunctionem. *Billuart*.

Maldonatus hic tertiam sententiam insinuat; docet ad Matrimonium non secus atque ad Baptismum duo esse a Christo deputata ministrorum genera, nempe ministrum tum ordinarium, tum extraordinarium : ordinarius et solemnis erit Sacerdos, extraordinarius et necessitatis erunt ipsi contrahentes. Hanc sententiam nonnulli libentius acceptant, tum quia duas contrarias conciliat; tum quia sic fidelium necessitati consulit, casu quo Sacerdotes adire nullimode possint matrimonium inituri (V. La Motta, *Teorica*, etc., p. 3, cap. XV). — Baston quartam innuit, dum asserit sacerdotem et contrahentes totalem et completum esse matrimonii ministrum; quia contrahentes ponunt materiam, sacerdos vero formam (Carrière, *De matrimonio*, n. 65). Verum hæ duæ ultimæ sententiæ parum differunt a prima, cum admittant sacerdotem esse ministrum.

### (G) Page 529.

**672**. *Quonam jure* (quæres) *matrimonium est indissolubile?* R. Certum est matrimonium esse indissolubile jure divino. Christus aperte ait : *Jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. 19). Et Paulus sic loquitur : *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam; aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat* (I Cor. 7). Imo Bellarminus, Bonacina, Gonet, Salmanticenses cum D. Thoma (Suppl. q. 67, a. 1), et aliis communissime docent matrimonii indissolubilitatem inniti ipso jure naturæ; vel saltem juxta alios ea juri naturæ est prorsus consentanea. Sane matrimonium jure naturæ ordinatur tum ad prolis generationem et congruam educationem; tum ad mutua conjugum subsidia inter se. At tam prolis generatio et congrua educatio quam mutua conjugum subsidia inter se, de jure naturæ important individuam vitæ consuetudinem. Quod tamen non ita intelligendum, quasi conjugii dissolutio primis ac invariabilibus legis naturalis principiis adversetur; potest enim Deus ut jurium omnium Dominus, jus quod una pars habet in aliam subtrahere : quo sublato, matrimonium corruit; et dantur casus in quibus id contingit. *V.* dicenda disputatione ultima.

Neque id essentialiter omnino ipsi generationi et educationi prolis opponeretur : sic Deus Judæis permisit libellum repudii, quo scilicet vir dimittebat uxorem, quæ *non invenerit gratiam ante oculos ejus*



*propter aliquam fœditatem*. Uxor sic egressa permissa erat alterum virum ducere; sicut vir aliam uxorem (Deut. 24) : hoc probat matrimonii dissolutionem essentialiter non opponi prolis generationi et educationi; secus Deus illam aperte non permisisset Judæis. — Hic controvertitur, an per tale matrimonium vinculum dissolveretur : Estius, Sylvius aliique contendunt, et volunt divortium Judæis permissum fuisse, ut minus malum, quod a legibus non erat puniendum; non autem ut quid a peccato immune : ideoque vinculum primum semper permansisse. Sed plures cum Bellarmino, Billuart, Collet, Sanchez, etc., tenent contrarium; idque et Deuteronomii verbis et rationi videtur conformius : dicente Christo apud Matth. *Moyses ob duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic*. At si permisit, licitum evasit, nec peccabant qui hac facultate utebantur, esto quod fuerit id concessum ob cordis duritiem; concessum tamen fuit (concessit autem, non præcepit : quod est contra Lutherum, qui vult id esse in præcepto). D. Thomas utramque sententiam uti probabilem tuetur, ut videre est Suppl. q. 67, a. 3 et 4; l. III, *Contra Gentes*; et in c. XIX, Matth. — *V.* Bouvier, *De matrimonio*, c. IX, a. 2, § 2. — Billuart, *De matrimonio*, digress. 5. Digressio histor. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 956. — Perrone, *De matrimonio christiano*, l. III, sect. 2.

*Quid* (dices) *de illo, qui contraheret matrimonium intendens illud esse solubile; et quidem tali animo, ut si hanc solubilitatem animo non conciperet, non contraheret?* Si per errorem animo conciperet talem solubilitatem, matrimonium valeret; quia error mentis non tollit intentionem generalem contrahendi eo modo, quo ex lege contrahere debet, id est juxta legem Christi, ideoque implicite vult hanc matrimonii indissolubilitatem; quapropter voluntas illa generalis privatum suum errorem absorbet. At si expresse talem solubilitatem conciperet, matrimonium esset nullum; quia opponeret conditionem contra ejus substantiam, excludendo vinculi indissolubilitatem. In foro tamen externo merito non audiretur; alioquin actum esset de indissolubilitate ac veritate matrimonii in tanta hominum perversitate. *Alasia*.

Quæsitum fuit a S. C. C. an sit validum matrimonium contractum inter catholicam et schismaticum hæreticum cum intentione fœdandi vel solvendi matrimonium? — Responsum fuit, 2 octobr. 1680 : *Si hæc sint deducta in pactum seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter, sunt valida.*

**673**. Quoad matrimonii indissolubilitatem audiendus La Motta, *Teorica dell' istituzione del matrimonio*, etc., p. I : « Pourquoi dit-on que le sacrement du mariage dans la nouvelle loi est indissoluble de

sa nature? Parce que J. C., ayant élevé le mariage à la dignité de Sacrement, l'a élevé à sa suprême perfection, et c'est le propre de toute chose qui a atteint le sommet de la perfection de s'arrêter là et d'y rester fixe et inaltérable. » Ceterum semel inducto matrimonio civili, sponte sua matrimonii solubilitas fluit.

Semel sane concessa dissolvendi matrimonia libertate, nulli erit illorum dissolutioni finis : sic in Borussia anno 1837 tribunalia decreverunt 2391 divortia ex 2888 petitionibus. Nil ergo mirum, si ipse ephemerides protestantes Endemburgi commendent ac suis proponant Encycl. Pii VIII in ea parte, qua summus Pontifex hortatur Episcopos et Clerum, ut strenue invigilent super doctrinam catholicam de indissolubilitate matrimonii. Nam experientia constat, quo nationes ad divortia magis proclives se ostendunt, eo magis penes illas crescit morum corruptio; et quo magis crescit corruptio, eo crescunt divortia : *Ubi est* (aiebat Tertullianus, Apol. c. VI) *illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos ferme sexcentos ab urbe condita nulla repudium domus scripsit? nunc in fœminis præ auro nullum leve est membrum, præ vino nullum liberum est osculum; repudium vero jam et votum est, quasi matrimonii fructus.* — V. Perrone, *De matrimonio christiano*, l. III, sect. 2, c. I.

Item contra omnes ætatis nostræ philosophos, qui indissolubilitatem ægre ferunt, vid. Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc., cap. XVI. — Scotti, *Teoremi*, ecc., p. 2ª. Teor. 10. — Franceschini, *La Legislazione tratta dai principii dell' ordine.* — Bonald, *Du divorce considéré au XIXe siècle.* — Barruel, *Lettres sur le divorce à un député de l'Assemblée nationale*, etc. — *Annali Religiosi*, t. XI. — Salzano, *Lezioni di diritto*, etc., l. III, lez. 29. — *Bible* de Vence, vol. II, *Sur le divorce.* — Liguori, *Opera Dogm.* sess. 24, n. 18. — Taparelli, *Saggio*, ecc., n. 1527, et seqq.

**674**. Nardi, *Elementi di diritto*, § 496 erudite catholicam veritatem tuetur : « La loi sacrée de l'indissolubilité (ait) eut à combattre d'abord les coutumes romaines et germaniques où le divorce était profondément enraciné, surtout dans le cas d'adultère. La lutte fut longue et difficile : à tel point que, dans quelques églises d'Orient et durant quelque temps en Occident, il fallut subir un compromis, et l'on engageait seulement à éviter un nouveau mariage contracté du vivant de la première épouse. Mais, à côté de cette pratique plus condescendante de certaines églises et de quelques conciles dans des siècles ignorants et corrompus, on trouve le principe de l'indissolubilité invariablement maintenu dans les décrets des Papes, les canons des conciles des mêmes époques, dans les capitulaires des rois de France, dans les collections de Raban et de Réginon. Vers la fin du neuvième siècle la lutte était terminée et le principe évangélique triomphait dans l'Occident tout entier. Dans l'Orient, au contraire, où les lois romaines ont toujours conservé une grande influence, le divorce pour cause d'adultère est maintenu, avec la permission pour la partie innocente de contracter un lieu nouveau, quoique notre Église n'ait jamais reconnu ce droit. »



### (*H*) Page 544.

**675**. Si tot mala videre est in societate, sunt præcipue repetenda a malis nuptiis. Vel fere ab ipso mundi initio hac de causa terra repleta fuit iniquitate, et super eam Deus adduxit aquas diluvii (Gen. 6). *Si domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens* (Prov. 19), quam uxorem invenient qui non e cœlo, sed a terra eam precantur? indeque quæ matrimonii sanctitas, quæ familiæ pax, quæ societatis quies? — *V. Civilt. Catt.*, vol. X. — Bresciani, *Avviso a chi vuol prender moglie.* — Vaurin, *Catéchisme du Sacrement de mariage.* — *Sulla felicità degli sposi christiani, ossia mezzi, che offre la Religione a santificarsi nel matrimonio*, Milano. — Ventura, *La donna cattolica*, par. 1ª, § 18. — Franco, *Risposte alle obiezioni più comuni contro la religione*, Torino 1860; c. 55. — Ferraris, vº *Uxor.*

Pro aliquibus facere potest percelebris Gagliuffi dialogus :

*Uxorem duxi. — Tibi plaudo. — Haud plaude; molesta est.*
*Indoleo. — Haud doleas; dos opulenta fuit.*
*Faustum ergo! — Haud dicas; tectum remque ignis ademit.*
*Heu! miser. — Haud credas; uxor adempta simul.*

### (*I*) Page 558.

**676**. *Quænam* (quæres) *probatio requiritur ad sponsalia legitime solvenda?* R. Si agitur de probando impedimento sive impediente sive dirimente tam in foro externo quam in foro interno conscientiæ, ad solvenda sponsalia etiam jurata sufficit unus testis, etiamsi testis ille non sit omni exceptione major, neque citatus, sed a parte productus, et etiamsi clam deponat et sine sui nominis manifestatione, ut dicunt Sanchez, Croix, Holzman, Viva et alii. Item etiamsi sit criminosus, qui nempe denuntiando suam turpitudinem alleget, prout docet communissima et verior sententia ex jure canonico ubi dicitur : *Matre asseve-*

*rante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi*[1]. Utique, quando agatur de rescindendo matrimonio jam contracto, unus testis non sufficit, sed probatio requiritur omni exceptione major; quia factum supponitur recte factum[2]. Verum aliter est, quando res est de matrimonio contrahendo, tunc agitur de vitando peccato, et Sacramenti frustratione : quæ ratio probat ipsum Episcopum probabilius teneri matrimonium impedire, etsi solus impedimentum sciat; nam bene potest quis esse judex et testis, quando agitur de malo impediendo. — Ceterum cum unus dumtaxat testis habetur requiritur: 1. ut non tantum denuntiet, sed etiam deponat cum juramento, nisi probare valeat famam impedimenti; 2. ut habeat certam scientiam ex se, non ex auditu : nisi agatur de affinitate, vel consanguinitate; tunc sufficit ut testis deponat se illud audivisse a duobus fide dignis, et maxime e consanguineis sponsorum, qui magis sunt idonei ad probandam vel negandam cognationem; 3. ut non sit vilis conditionis, adeo ut nulla ei debeatur fides[3]; sed adhuc excipe nisi factum sit adeo occultum, ut aliter probari non possit : tunc admittitur etiam probatio insufficiens, scilicet ad indagandum[4].

Si vero agatur de probanda alia causa quæ non sit impedimentum, sed tantum quæ det alteri jus resiliendi, uti esset deformitas, fornicatio sponsæ, etc., quoad *forum externum* requiruntur saltem duo testes fide digni, qui cum juramento deponant, ut communius dicunt; agitur enim de præjudicio tertii[5]. Attamen si agatur de sponsæ fornicatione satis videtur probabile sufficere unum testem; cum agatur de vinculo perpetuo matrimonii, et ideo ob talem suspicionem viri prudentis judex timere possit infelicem exitum ex hoc conjugio proventurum. — Quoad *forum* autem *internum* conveniunt sufficere ad dissolvenda sponsalia unum testem fide dignum, qui testetur de certa scientia; et idem dicunt Viva et Sanchez, si vir doctus affirmat causam esse sufficientem.

[1] Cap. *Super eo* xxii *de test. et attest.*—Cap. *Super eo de cons. et affin.*

[2] Benedictus XIV ad impediendas fraudulentas matrimonii dissolutiones, Const. *Dei miseratione*, 2 nov. 1741, statuit ab omnibus Ordinariis eligendum *matrimonii defensorem*, qui judiciis hac de re adesse debet, ac matrimonii validitatem tueri. — V. *Adnotatio ultima*.

[3] Ut essent mancipia : cetorum in hac re locorum consuetudines attendendæ sunt. — *V.* Maschat, *Jus Can.*, ubi fusius de testibus, de eorumque habilitate et inhabilitate.

[4] C. xxii et xlvii, *De test.* — C. xiii, *De spons.* — C. viii, *De cohab.* — C. i, *De cons. et aff.*

[5] C. *Veniens*, et c. *In omni de testib.*



### (J) Page 568.

**677.** Apud omnes etiam gentiles et barbaros matrimonium semper Religione consecratum fuit. Hinc patet, quam sit ab hominum indole alienus contractus civilis in Gallia inductus, qui a matrimonio ecclesiastico prorsus independens, tamen ut verus ac firmus contractus matrimonialis habetur : imo et bonis moribus exitiosus, ut addit Bouvier; frequenter enim contingit puellas civiliter junctas a maritis obtinere non posse, ut vel dispensatio obtineatur ab Ecclesia, si quod impedimentum adsit dirimens; vel ut matrimonium etiam coram Ecclesia celebretur, si nullum canonicum impedimentum sit : ideoque cogi a lege civili in unione a Religione et conscientia reprobata remanere, sicque cum ingenti fidelium scandalo multiplicantur matrimonia pure civilia, quæ nihil aliud sunt coram Deo et Ecclesia, quam veri concubinatus. Ad providendum tot malis in Gallia pia societas instituta fuit, cujus partes sunt hæc irrita conjugia revalidare.

**678.** Interest utique quammaxime, ut ipsi civili Reipublicæ innotescant quæ celebrentur matrimonia, cum conjugium sit ipsius societatis civilis vita, fons et scaturigo; verum id multipliciter potest obtineri, quin ipsam matrimonii substantiam ingrediatur, et proprios limites transiliat. — Nihil sane prohibet, ut eas nuptias Respublica habeat publicas, quæ sunt publice contractæ coram Ecclesia; neque enim repugnat aut indecorum est, ut ille actus notorius ac publicus declaretur a societate civili, qui notorius et publicus declaratus fuit a societate religiosa. Vel curare potest, ut unum exemplar matrimoniorum initorum sibi tradatur (ut fit in Sabaudia ex RR. Patent. 25 junii 1837) a Parochis : Parochos autem in pluribus pagis ad hosce libros efformandos magis esse idoneos, ne dicam solos idoneos, negari non potest; syndaci enim plerumque inepti sunt ad rite scribendum ; ibidem autem secretarii aliique periti raro commorantur; et omnes fere viri per majorem anni partem ad propria negotia agenda e patria migrant : ideo plurimis in locis sæculares deputari non possunt omnino, aut non sine magnis expensis; et nescio qua utilitate. Vel potest statuere, ut initum matrimonium non habeat effectus civiles et politicos, nisi postea a ministro civili adnotetur : quod quidem omnes fideles libenter præstabunt : ut fit Neapoli. Vel tandem poterit deputare officialem civilem, qui teneatur assistere ipsius matrimonii celebrationi, ut fit in Anglia (*V.* cel. Costa, *Della giurisdizione della Chiesa cattolica sul contratto del matrimonio*, ecc., § 10; Margotti, *Roma e Londra*, c. xiii; et maxime Della Motta, *Teorica*, etc., p. 3, c. xvii).

« Il n'y a pas de doute (hic ultimo audiendus Muzzarelli, *Il buon uso della Logica*, Append. *Il Matrimonio*) que le chef de l'État peut ajouter au contrat matrimonial certaines formalités en dehors desquelles ce contrat soit considéré comme nul pour les effets civils. C'est ce que tous les théologiens accordent au pouvoir civil, à la suite de saint Thomas, qui en parle ainsi, l. IV sentent., dist. 34, q. 1, art. 1, in resp. ad 4 : *Matrimonium in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.* Il répète à peu près la même chose, au liv. IV, *Contra Gentiles*, cap. LXXVIII. Oui, je vous accorde que celui qui contracte sans les formalités civiles sera dans une position légitime quant au contrat civil du mariage; mais elle ne sera pas par cela seul dans une position illégitime quant au contrat sacré, lequel est la matière du sacrement de mariage. En voici de nouveau la raison d'après saint Thomas : *Dicendum quod matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam est in officium. Et ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ, quam Baptismus, qui est sacramentum tantum; quia sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiæ*, dist. 40, quæst. unic., art. 4, ad 2. Le saint docteur pouvait-il s'expliquer plus clairement? N'est-ce pas dire en termes équivalents que le contrat matrimonial est régi par les lois de l'Église, parce qu'il est un contrat spirituel *in ordine ad sacramentum?* Que le pouvoir politique conserve donc son autorité; personne ne la lui ravit. Qu'il déclare nul un contrat stipulé sans les formalités qu'il a prescrites, ce contrat sera-t-il nul? Oui : qui le nie? Il n'aura aucune valeur; mais, remarquez-le bien, il n'aura aucune valeur au for civil. Et qu'est-ce à dire, qu'il n'aura aucune valeur au for civil? Cela signifie qu'il ne donnera aux contractants, dans la société civile, aucune action légitime, parce que tel est uniquement le résultat de la nullité d'un contrat civil. Mais, si l'Église juge que ce même contrat est valide au for de la conscience *in ordine ad sacramentum*, il sera matière valide du sacrement, et le mariage sera indissoluble aux yeux de l'Église. Et pourquoi? Parce que ce n'est pas le contrat civil, mais le contrat naturel, divin, spirituel, ecclésiastique, qui est la matière du sacrement de mariage; et ce sont les lois de l'Église qui régissent les contrats et offices spirituels. » *Determinantur contractus et officia spiritualia lege Ecclesiæ. Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam intendit.* S. Thomas, in 4, dist. 42, qu. 11, art. 2 ad 4.



*V.* Bouvier, *De matrimonio*, c. IV. — Gerdil, *Tractatus de matrimonio.* — Scotti, *Teoremi*, ecc. — *Saggio elementare di diritto pubblico eccles.* — Martin, *De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiæ exclusive propria.* — Diodati, *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesiæ potestate in dirimentia matrimonium impedimenta.* — Hanriger, *Le saint sacrement de mariage*, 1854. — Ithuriaga, *Opere*, t. IV. Et maxime Della Motta, *Teoria della istituz. del matrimonio*, etc., ubi concludit ad rem : « Le côté civil qui existe dans le mariage est inséparable du côté moral et religieux; dès lors la loi civile doit nécessairement se conformer à ce principe moral du mariage et à ses règles déduites de l'ordre religieux. Établies en dehors de cette règle, les lois civiles produisent deux déplorables effets : en premier lieu, en voulant régler le mariage sous le rapport purement juridique, ils le dénaturent, puisqu'ils en faussent l'idée essentiellement morale; en second lieu, ils blessent le sentiment religieux; ils affaiblissent la première base de la moralité privée et publique, et la première base de l'ordre social qui est la religion. »

**679.** Quæres : *Quænam sunt causæ matrimoniales spectantes ad judicem ecclesiasticum?* Nomine *causarum matrimonialium* ad judicem Ecclesiasticum pertinentium, a Maschat, Pichler, Pirhing, Laurenio et Zallinger hæc speciatim recensentur : *Matrimoni et sponsalium natura, qualitates, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum et conjugum jura, et reciprocæ obligationes, e. g., circa reddendum debitum. Impedimenta. Legitimitas et legitimatio prolium per matrimonium. Dissolutio et redintegratio sponsalium et matrimonii. Dispensatio in impedimentis. Et quæcumque causa involvens quæstionem juris super matrimonii et sponsalium contractu, privative spectat ad judicem ecclesiasticum.* Ita Gualco, Tract. *De matrimonio.*

Porro ex Tridentino de fide est has causas spectare ad judices ecclesiasticos. Et sane matrimonium Sacramentum est, ita ut in Christianorum conjugiis contractus a Sacramento non distinguatur; atqui ad Ecclesiam pertinet de Sacramentis judicare : ergo et de contractu, ex quo Sacramentum constat, vel constare potest ac de ceteris hujusmodi. Hoc vel ipse Calvinus (Inst. l. IV) fassus est, qui tradit semel admisso, quod matrimonium sit Sacramentum, simul admittendum esse, causas matrimoniales ad Ecclesiam spectare : *E matrimonio*, ait, *Sacramentum fecerunt; ubi enim id semel obtinuere, jugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat judicibus profanis non attrectanda.* Et Bohemerus Lutheri sectator, qui principi sæculari jus impedimentorum tribuit, attamen aliter docet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

quoad matrimoniales causas : *Adeo*, inquit, *causæ matrimoniales ad consistoria nostra spectant... ut nequidem magistratus sæcularis per modum præventionis de iis cognoscere queat* (Jus eccles., t. II). Ex historia autem constat, quod et reges et imperatores et in suis et in subditorum causis de nuptiis semper ad Concilia aut ad Apostolicam Sedem confugerunt. — *V.* Du Mesnil, *Doctrina et disciplina Ecclesiæ*, t. IV. — Perrone, *De matrim. christ.*, l. II, sect. I, c. v.

Imo, si non de fide, attamen indubitatum est causas matrimoniales *omnes ad solos* judices ecclesiasticos spectare. Hoc secundum a primo illo fluit; etenim, si ratio Sacramenti inhærens contractui naturali ex Christi institutione, est fundamentum quare causæ matrimoniales ad Ecclesiam spectent; cum hæc ratio universalis sit, et omnes causas matrimoniales afficiat quæ ad conjugii vinculum referuntur, evidens est omnes prorsus causas matrimoniales ad solos judices Ecclesiasticos pertinere. Et hoc sensu revera supradictum canonem esse intelligendum expresse docet Pius VI apostolicis Litteris ad Episcopum Motulensem, ubi ait : *Ignotum nobis non est, quosdam adesse, qui sæcularium Principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis* (XII) *captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, et quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint* ad solos judices ecclesiasticos, *aut* omnes causas matrimoniales, *potestatem reliquerint judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quæ sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam et fallax cavillandi genus omni fundamento destitui.*

Et speciatim quoad sponsalia illorum causas subjacere juri Ecclesiæ patet insuper tum ex propositione 58 damnata a Pio VI, Bulla *Auctorem fidei*; tum ex alia proscripta a Pio IX in Nepomuceno Nuytz ; tum ex intima natura rei. Cum enim matrimonium sit a Christo ad sacramenti dignitatem evectum, ac re indistinctum a naturali contractu, sequitur, quod si illud ex divina dispositione subjacet Ecclesiæ potestati, subjacere necessario debeant ejusdem auctoritati sponsalia, utpote quæ ad sacramentum rite suscipiendum disponunt.

## (K) Page 574.

**680.** Quoad numerum impedimentorum duo notanda; nonnulli enim et ipsum parentum dissensum et amentiam adnumerare volebant.

Quoad 1 : Oratores Galli nomine Regis a Tridentino Concilio petierunt, ut redderentur irrita matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu contracta utpote noxia et familiis indecora (Pallavicini, *Storia del Conc. Trid.*, l. XXII, c. 1). « Mais le même Concile, dit Salzano, *Lezioni di diritto eccl.*, lez. XVIII, suivant toujours les intentions de l'Église, et voulant établir des dispositions plus en rapport avec la nature humaine, considéra que la loi de nature ne réclame pour le mariage que le consentement de ceux qui doivent le contracter; que l'homme, dans les choses qui engagent toute sa vie, comme le mariage, le célibat perpétuel, etc., doit être libre, de droit naturel, et n'être soumis qu'à Dieu ; que les enfants sont quelquefois plus prudents que leurs parents, qui, par un zèle indiscret ou par avarice, se montrent déraisonnables et s'opposent au mariage de leurs enfants ; et, en conséquence, conformément aux anciens canons (cap. *Sufficiat*, causa 27, q. 2, cap. *Eum virum*, *Extrav. de Regularibus*, l. III, tit. LXXXI), il déclara que ces mariages, quoique illicites, étaient néanmoins valides et reconnus par l'Église. »



Quoad 2 : « Puisque la folie rend nuls tous les contrats, et puisqu'elle rentre dans celui de l'impuissance à la suite de la plus grande partie des canonistes et suivant les prescriptions du concile de Trente, nous ne traiterons que de ceux qui sont ci-dessus mentionnés. » Salzano, *Lez. di diritto*.

Ad amentes autem reducuntur etiam furiosi et imbecilles; qui si nunquam habeant rationis usum, ita ut mortaliter peccare possint, ad matrimonium jure naturæ sunt perpetuo inhabiles (*Decr.*, l. I, t. I, c. XXIV), utpote deliberationis et electionis incapaces.

Quod si *amentes, imbecilles* ac *furiosi* lucida rationis habeant intervalla valide contrahunt; quia tunc adest consensus sufficiens. Attamen quia et finis et scopus matrimonii adhuc læditur non parum; ideo præstat ut eos ad matrimonium non admittat parochus, inconsulto Episcopo, ut dicit Sanchez, *De matrimonio*, l. I, disp. VIII, n. 12.

## (L) Page 580.

**681.** *Quomodo inveniri facile possunt gradus consanguinitatis?*

R. Si cognitus sit stipes, seu homo a quo personæ, de quibus quæritur, descendunt, tunc scribas illius nomen in charta, et infra generationes, et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usque dum pervenias ad eas personas, quæ connubio jungendæ sunt : facile inde gradus computabis. Si vero incognitus sit stipes, sic procedas; scribas in inferiori parte chartæ vel tabulæ nomen sponsi ad unum latus et nomen sponsæ ad alterum; dein adnotes supra nomen sponsi nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, ut aliqua intersit cognatio cum sponsa : idem facito quoad sponsam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte et videas utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsi sint mediate generati. Hinc, postquam inveneris simulque animadverteris utrum sponsi sint in linea æquali, an vero sint in linea inæquali, applices regulas sequentes:

*Regula*: 1ª: in linea recta tot numerantur gradus, quot personæ, dempto stipite: v. g., pater, filius, nepos et pronepos quatuor sunt personæ; sed tres tantum gradus, quia tres tantum sunt generationes et tres personæ, dempto stipite; — 2ª in linea collaterali æquali tot sunt gradus quot sunt personæ in una parte, dempto stipite: v. g., frater et soror sunt in primo gradu; quia in una parte una tantum habetur persona; — 3ª in linea collaterali inæquali, tot sunt gradus quot personæ in parte remotiori inveniuntur: v. g., frater et filia fratris sunt in secundo gradu: quia in remotiori parte duæ habentur personæ, nempe frater et ejus filia.

**682.** Valde præstat, ut tyrones sese paulatim exerceant in aliquo schemate consanguinitatis, per se illud conficientes, distinguendo accurate, separatim indicando stipitem, lineas et gradus. Sic, v. g., quilibet conficere potest schema seu, uti vocant, *arborem gentilitium* propriæ familiæ; et ita eveniet, ut brevi hoc exercitio facillime ediscant ea quæ Confessariis et maxime Parochis scitu necessaria sunt hac de re.

Videatur schema in fine hujus voluminis, circa quod tamen nota cum Pichler: — 1. linea per medium deducta est *recta*, unde hinc inde derivantur lineæ *transversales;* et quidem ex parte in qua ponitur frater, collocantur consanguinei mares, et per sexum masculinum conjunctæ fœminæ; ex sinistra autem in qua ponitur soror, consanguineæ fœminæ et per fœmineum sexum conjuncti mares; — 2. in medio lineæ rectæ conspicitur cellula vacua cum littera N. et est persona de cujus cognatione quæritur, quæque matrimonium petit. Si porro investiges duarum personarum propinquitatem, unam in hac cellula ponere debes, et dein videre in qua cellula reperiatur altera persona, respectu cujus vel erit pater aut avus, vel frater aut patruelis, filia aut neptis, etc. Neutiquam ad hanc cellulam pertinet communis stipes; nam stipes est illius cellulæ persona, in qua N. et altera persona de qua quæritur, conveniunt, si in lineis ascendatur, seu ubi coincidunt et quidem proxime; quamvis enim proximum generationis principium respectu N. solius, sit pater et mater ipsius; hoc tamen principium non semper est ipsi commune cum altera persona, v. g., cum matertera ipsius, N.; sed respectu utriusque scilicet tam N. quam materteræ, stipes communis in quo proxime conveniunt, est avus; et quamvis etiam proavus sit commune utriusque principium, a quo uterque descendit; tamen non est principium seu stipes proximus; — 3. si alteram personam, de qua dubitas an et in quo gradu sit conjuncta cum N.; non reperias in una ex cellulis præfixæ arboris consanguinitatis, scias eam tunc non esse consanguineam cum N. intra quartum gradum juxta computationem canonicam in ordine ad contrahendum matrimonium; cum nulla omnino reperiatur persona cum N. intra quartum gradum conjuncta, quæ non existat in una ex cellulis prædictis; solæ etenim et omnes personæ in quarto gradu cum ipso N. conjunctæ ibi inveniuntur.



Ne quid deficiat explicamus nomina præcipua: « *Abavus*, le père du bisaïeul, dit trisaïeul ou troisième aïeul. *Atavus*, le père du trisaïeul ou quatrième aïeul. *Abnepos*, le troisième petit-fils, fils de l'arrière-petit-fils; *abneptis*, troisième-petite-fille. *Adnepos*, quatrième-petit-fils; *adneptis*, quatrième-petite-fille. *Avunculus* (olim *thius*), oncle maternel. *Amita* (olim *thia*), sœur du père, tante. *Amitini*, cousins entre eux, neveux; deux fils, l'un de mon frère, l'autre de ma sœur. *Amita magna*, la sœur de mon aïeul; *amita major*, la sœur de mon bisaïeul; *amita maxima*, la sœur de mon trisaïeul. *Consobrinus*, cousin, fils de la sœur de ma mère; *consobrina*, cousine germaine, fille de la sœur de ma mère. *Matertera*, sœur de ma mère, tante; *matertera magna*, sœur de mon aïeule. *Patruus*, oncle paternel. *Patruelis*, cousin ou cousine, fils ou fille de l'oncle paternel. *Propatruus*, grand-oncle, frère de mon bisaïeul. *Proavus*, bisaïeul. *Proamita*, sœur de mon bisaïeul. *Proavunculus*, frère de ma bisaïeule. *Promatertera*, sœur de ma bisaïeule. *Sobrinus*, cousin ou fils de cousin.

Si igitur scire cupis in quo consanguinitatis gradu distent inter se duæ personæ, colloca unam ex iis in cellula vacua N. ac dein attende an sint in linea recta vel transversa; si deprehendas, eas esse in linea recta, regulam pro linea recta datam applica, et numera generationes vel personas, una dempta, et habebis gradum. Si existant in linea transversa, tunc ex cellula in qua nos posuimus N. ascende usque ad cellulam in qua reperitur stipes, seu commune utriusque principium proximum, seu in qua conveniunt ambæ personæ: si æqualiter ab hoc principio distant, applica regulam pro linea transversa æquali, et numerando invenies gradum in quo distant inter se: si vero inæqualiter a communi stipite proximo distant, applica regulam de linea transversa inæquali, et prodibit distantia.

**683.** Claritatis gratia specialiter ponimus Schema consanguinitatis in linea transversali inæquali.






### (M) Page 583.

**684.** Cognatio spiritualis quæ contrahitur a baptizato vel confirmato cum baptizante vel confirmante, dicitur *paternitas;* et quæ a baptizato vel confirmato contrahitur cum patrina vel matrina, dicitur *filiatio spiritualis*. Quæ vero contrahitur a patrina vel matrina cum patre et matre baptizati vel confirmati, dicitur *compaternitas*. Quæ tandem contrahitur a patre et matre baptizati vel confirmati cum ipso baptizante vel confirmante, in jure dicitur *commaternitas*.

**685.** *Sed* (quæres) *quinam actus requiritur in patrinis erga susceptum ad contrahendam cognationem?* R. Censet Bouvier ad contrahendam cognationem satis esse, ut patrini adstent cum animo obligationem contrahendi, quin physice susceptum tangant. Sed communissime cum Angelico docent Sanchez, Salmanticenses et alii contactum physicum requiri, licet agatur de baptizando vel confirmando adulto; tum quia textus juris canonici, qui hanc statuunt cognationem, semper utuntur vocabulis : *Suscipit, accipit, tenet, levat* vel *tangit;* tum quia hæc cæremonia non est inducta ad supplendam imbecillitatem corporis; sed ad significandam imbecillitatem animæ : unde sine tactu physico deesset spiritualis significatio. *Licet ille, qui confirmatur*, ait Angelicus, *sit adultus corporaliter; nondum tamen est adultus spiritualiter* (3 p., q. 72, a. 1). Henriquez affert etiam declarationem S. C. C.

*Quid* (inquies) *si Baptismus fuerit tantum privatim collatus?* Non est dubium, quod cognationem contrahat ipse baptizans : sed dubium est circa patrinos. Sententia communior et probabilior cum Bonacina, Salmanticensibus, Sanchez, Soto et Tournely contra Layman et Suarez negat; nam Tridentinum tradit cognationem non contrahi, nisi a suscipientibus *de sacro fonte*. Atqui *de sacro fonte* nemo suscipitur in Baptismo privatim collato; cum in eo nullus occurrat fons sacer, quippe qui institutus est ad conferendum Baptismum solemne. Et ita censuit S. C. C. teste Pyrro Corrado. Neque obstat quod private baptizans contrahat cognationem. Disparitas est; quia qui private baptizat, vere baptizat et Sacramentum conficit; sed suscipiens private, non eo modo suscipit, quo ab Ecclesia statutum est.

*Quid* (dices) *si Baptismus solemnis sit iteratus sub conditione?* Quando sub conditione administratur Baptisma, generatim præsumitur tunc fieri Sacramentum; ideoque et cognationem contrahi. Neque sane par est casus, ut debeat prior baptismus præferri; nam hic secundus potior est, cum ille sit qui resolvat dubium, et faciat, ut infans sit certo baptizatus, prout docent Bonacina, Dicastillus, Sanchez cum Sal-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS
®

manticensibus, etc. Excipe cum Sanchez, si dubium de primo Baptismo sit inane, ita ut nulla urgeat ratio solida contra ejus validitatem; tunc præsumptio stat pro valore prioris, neque ideo in hoc secundo contrahitur cognatio. Ceterum curandum est, ut in utroque Baptismo sint iidem patrini; sic enim omnis difficultas evanescit (Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 151).

**686**. *Patrini* (addes) *ad contrahendam cognationem suntne designandi?* Loquendo de Baptismate (quod valet semper, ac proportionatim de Confirmatione) Tridentinum declaravit, cognationem spiritualem non contrahi, *si alii ultra designatos baptizatum tetigerint.* Dubium est, si nemo designatus sit, et plures non designati tangant, an isti omnes cognationem contrahant? Subscribimus sententiæ communissimæ, quæ dicit omnes contrahere, qui simul tangunt; nam Tridentinum in hoc non derogavit juri antiquo, ex quo omnes simul tangentes contrahunt (Cap. fin. *De cogn. spir.* in 6): et ita, teste Barbosa, declaravit S. C. C. — Diximus *qui simul tangunt;* nam si successive plures tangant, solum primus, vel primi qui una simul tangunt, contrahunt cognationem. Si vero incertum, quisnam primus tetigerit, omnes judicandi sunt cognationem contraxisse, ut censuit S. Congregatio penes Pignatelli. Ubi adnotamus, nos verius uti mortale habere cum Bonacina et aliis, designare pro patrinis duos mares vel duas fœminas pro uno infante diversi sexus; quia tunc multiplicarentur cognationes contra finem ipsius Concilii Tridentini.

*Sed quidnam* (subjunges) *si infans suscipiatur procuratorio nomine?* Communissima ac verior sententia cum Fagnano, Sanchez, etc., docet cognationem a solo mandante contrahi; etenim ex Tridentino ille cognationem contrahit, qui est a parentibus designatus: atqui a parentibus designatus est solus principalis seu mandans, non vero ejus procurator. Sic etiam definivit S. C. Congregatio, ut refert Pontius. Adde: procurator se habet tantummodo uti instrumentum personæ designatæ, illamque repræsentat et sustinet. Atque ideo patet, quemcumque procuratorem esse posse, qui operetur humano modo: ac proinde nihil videtur obstare si id agat ipse pater infantis; nam tunc non ipse pater est, qui vere infantem suscipit; cum non suscipiat nomine proprio.

*Quid vero si quis ex errore unum infantem suscipiat pro alio?* Si suscipiens habet expressam et absolutam voluntatem non suscipiendi alium, cum deficiat intentio, certum est cognationem non contrahi. Si vero hanc expressam et absolutam voluntatem non habeat, videtur probabilius dicendum cum Pontio, Palao, etc., cognationem contrahi; nam generatim suscipiens videtur habere intentionem infantem, quem tangit, suscipiendi, quicumque sit.



**687**. Quæres: *An liceat vocare patrinos hæreticos?* R. Peccant qui advocant apostatas vel hæreticos pro patrinis suorum filiorum: neque Parochus potest eos admittere, licet hæretici et apostatæ per procuratores catholicos assistant: ita communius contra Layman. Observat Dens melius esse solemniter baptizare sine patrinis, si necessitas cogat, quam tales vocare; nam tunc eligeretur minus malum; cum illorum patrinorum advocatio sit quasi protestatio falsæ religionis; etenim nonnisi de falsa religione ipsi sunt sponsuri: imo esset infantes tradere lupis, nam falsam religionem tantum sunt hæretici pueros edocturi. E contrario licite possunt Catholici baptizare; imo in Baptismo pueros hæreticorum, ipso baptizante protestante ministro, suscipere, modo hac re non intendant probare eorum ritus, idque saltem in Germania et ob rationabilem causam ex Laymano. — *V.* Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIV, n. 37, et *Op. Mor.*, l. VI, n. 156. — Clericatus, *Decisiones Sacramentales*, decisio XL. — Catalani, *Commentaria in Pontificale R.*

**688**. Que fera le curé lorsque des personnes notoirement censurées et scandaleuses se présentent pour servir de parrains et de marraines? Monet pro praxi Card. Gousset quoad patrinos (quod maxime currit pro iis locis, ubi plures sunt malemorati, nec civilis potestas Ecclesiæ disciplinam sustinere curat): « Comme il faut ici beaucoup de prudence dans le refus des pécheurs publics, le curé aura soin de s'informer, autant que possible, de la conduite des personnes choisies par les parents pour parrains et marraines; et, s'il déclare qu'il ne peut les recevoir, il les avertira avant la cérémonie de ne pas se présenter. Cependant, dans le cas où celui qui ne serait marié que civilement tiendrait, à la demande des parents de l'enfant, à être parrain, il pourrait absolument être admis, s'il consentait à prendre immédiatement avant l'administration du baptême, en présence de deux témoins, l'engagement de se préparer le plus tôt possible à recevoir la bénédiction nuptiale. Plusieurs fois, par cette condescendance, nous avons réussi à faire marier ecclésiastiquement des personnes qui s'étaient contentées jusqu'alors du contrat social. — Lorsque le parrain et la marraine sont arrivés à l'église avec l'enfant, si le curé se croit obligé de refuser l'un ou l'autre, il le fera, mais sans éclat; il évitera surtout de faire connaître le motif de son refus, afin d'éviter toute contestation. Il lui dira simplement qu'il regrette de ne pouvoir le recevoir pour parrain, ajoutant que rien ne s'oppose à ce qu'il suive, comme simple témoin, les cérémonies du baptême. Mais, soit que celui-ci reste, soit qu'il se retire, si on laisse l'enfant à l'église, le curé fera la cérémonie; car il suffit qu'il y ait un parrain ou une marraine. » *Théol. morale*, t. II, p. 69.

## (N) Page 585.

**689**. De cognatione *legali* hæc iterum cum Gousset : « Suivant l'article 348 du Code civil (français), le mariage est prohibé : entre l'adoptant, l'adopté et ses descendants; entre les enfants adoptifs du même individu; entre l'adopté et les enfants qui pourraient survenir à l'adoptant; entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté. On doit au for ecclésiastique se conformer à cet article : *Cognationem legalem*, dit Benoît XIV (*De Synodo Diœc.*, l. VII, c. XXXVI), *et quæ ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo a jure civili statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I in responsione ad consulta Bulgarorum. Quapropter si quæstio incidat sive in tribunali ecclesiastico, sive etiam in Synodo, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controversia decidenda.* Mais il ne faut pas perdre de vue que l'adoption ne forme un empêchement dirimant, quant au lien, qu'en vertu d'une loi de l'Église... *Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.* Ainsi s'exprime saint Thomas (in 4 Sent., dist. 42, q. 11, a. 2; et Suppl. q. 57, a. 2). »

Et in adnotatione editionis Parmensis habetur : « La législation française, considérant le mariage comme un contrat purement civil, a établi ces empêchements de parenté légale. Dans les États italiens, où l'on maintient que le mariage entre catholiques doit être célébré selon les lois du droit canonique, les empêchements énumérés dans le Code français ne sont pas indiqués dans la législation civile. Mais, d'après le texte cité de Benoît XIV, l'Église approuve l'empêchement de parenté légale établi par le Code, et en cela le droit canonique est conforme au droit civil. Dans un État où la loi ne déterminerait rien là-dessus, on s'en tiendrait au droit commun approuvé sur ce point par l'Église catholique. » V. Cantini, *Institutiones juris canonici.*

## (O) Page 601.

**690**. Quoad hæreticos, in quorum regionibus decretum Tridentini contra clandestinitatem fuit promulgatum, qui tamen illud non obser-



vant sine catholici Parochi præsentia contrahentes, quin ab apostolica sede dispensati sint, claritatis gratia triplex quæstio institui potest cum Bouvier : *vel* enim agitur de hæreticis Hollandiæ, in qua decretum illud jussu Philippi II fuerat promulgatum, sed ubi paulo post calvinismus obtinuit; *vel* de hæreticis, qui post decreti promulgationem, ecclesias et societates distinctas a Catholicis habere cœperunt; *vel* de hæreticis, qui inter Catholicos apud quos viget decretum Concilii, manent dispersi, quin tamen separatas forment ecclesias atque stabilitas societates.

Si 1, testatur Benedictus XIV (*De Syn.*, l. VI, c. 1) in tribunalibus Curiæ romanæ ac in Congregationibus plurimum arrisisse opinionem talium hæreticorum matrimonia nulla esse; sed doctus Pontifex declarat se huic opinioni nunquam acquievisse, et ad Cathedram D. Petri evectus edidit declarationem de eorum matrimoniorum validitate, ut dictum est in textu, solos excipiens Catholicos si contraherent inter se; declarans insuper hanc suam determinationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Trajecti ad Mosam, possessa a fœderatis illis provinciis etiam solo jure oppignorationis. Item statuit valida matrimonia contracta extra fines Hollandiæ ab iis qui addicti sunt militaribus copiis, quæ ab ea transmissi sunt ad custodiendas muniendasque arces conterminas, modo uterque conjux ad easdem copias pertineat. — Ceterum cum in Hollandia Parochi proprie dicti non reperiantur, sed Missionariorum directioni Catholici ibidem subdantur, dubitatum fuit, utrum fideles pro matrimonii validitate ad domicilii sui pastorem adstringerentur, an vero coram cujuscumque districti pastore valide contrahere possent. Pius VII die 17 maii 1804 declaravit : *Parochum proprium Catholicorum in Hollandia commorantium ibi matrimonium inter se contrahere volentium, esse pastorem vel compastorem illius civitatis vel loci, in quo alteruter ex contrahentibus domicilium vel quasi-domicilium habet; ideoque nonnisi coram illo vel alio Sacerdote de illius licentia valide posse matrimonio copulari.*

Si 2, alii docent talia matrimonia nulla esse; nam ubi lex Tridentini fuit publicata, cunctos ex se obligat Christianos, et absurdum est dicere hæreticos per suam rebellionem ab illa liberari. Insuper nonne hæretici aliis ligantur ecclesiasticis impedimentis utpote Ecclesiæ subjecti? ergo etiam impedimento clandestinitatis, ubi semel apud illos hæc lex promulgata fuit. Verum alii plures contrarium docent, etenim suborta hæresi eaque stabilita, efformatæ fuerunt duæ societates distinctæ omnino quoad rem, etsi quoad locum permixtæ adhuc, nempe una Catholica, altera hæretica; hæreticorum porro societas per defectionem a fide ab Ecclesia secessit ejusque ritibus, ac novam constituit

sectam novis ritibus novisque ecclesiis conflatam : adeoque hæreticæ Ecclesiæ nequeunt amplius subjici Decreto Tridentini ratione jam factæ publicationis, cum non sint amplius partes Parochiarum apud quas robur adhuc habet Tridentinum. Adde : rationes quæ militant pro validitate matrimoniorum in Hollandia contractorum, valere debent etiam pro matrimoniis aliorum hæreticorum qui societatem separatam efformarunt; cum eadem sit ratio. Saltem valida sunt ex indulgentia Ecclesiæ; hinc ad rem Pehem (*Prælect. in Jus eccl. univers.*, § 507) ait : *Ecclesia hoc impedimentum adversus eos* (protestantes) *non urget, nec in Germania nostra urgere posset, quum tenacior ejusdem executio plus mali, quam boni post se traheret, pacemque atque mutuam concordiam perturbandi quotidianam occasionem præberet.* Ideo concludunt cum Antoine ejusmodi matrimonia valere ex tacita Papæ dispensatione et usu Ecclesiæ. — Secunda opinio, etsi magni sit ponderis, in praxi tamen præstat primam sequi, et ideo sponsi coram ministro hæretico conjugati, consensum renovent juxta formam Tridentini; quod si uno conjuge ad fidem catholicam redeunte, alter maneat in hæresi et nolit renovare juxta Tridentinum consensum, arbitramur salvo meliori judicio, Catholicum non esse inquietandum ex secunda et satis firma sententia. Plura hic habet Pichler. Hæc fere Bouvier.

Verum cl. Perrone validis argumentis omnimode certat pro prima sententia (*De matr. christiano*, l. II, sect. 1, c. vi); nam si hæretici semel ligati sunt legibus Ecclesiæ, semper remanent ligati quoadusque ab ipsa Ecclesia solvantur; neque enim subditorum est legum infringere vinculum. Et concessiones pro Hollandia et Belgio sunt potius exceptiones quæ firmant regulam contrariam : « On observera que les dispositions et les déclarations faites pour la Belgique peuvent servir de règle pour juger s'il convient d'étendre à d'autres lieux déterminés cette constitution (de Benoît XIV); mais non pour conclure qu'en pareille circonstance on peut la croire déjà étendue de droit, sans autre déclaration du Saint-Siége, car il faut pour cela la décision de l'autorité apostolique qui l'a prononcée pour la Hollande. » Ita Capellari, postea Gregorius XVI, in quodam voto pro suprema C. S. Officii 1 augusti 1825. Neque id Ecclesia dissimulat atque indulget; quoties enim interrogatur, negative respondit. Inter plura sit unum responsum. Propositum fuit S. Pœnitentiariæ 28 mart. 1834 : « Utrum matrimonia ab hæreticis inter se inita aut cum catholicis juxta solas leges civiles seu coram ministro hæretico sine præsentia parochi catholici valida sint in Galliis, et in aliis regionibus ubi, uti in Galliis, protestantes et hæretici omnes habent suos ministros, templa seu statum legalem a gubernio probatum? Respondit : *Negative, exceptis regionibus, de quibus loquitur*



*Benedictus XIV in declaratione 4 nov. 1741, atque ad quas per successores suos illa eadem declaratio extensa est.* »

Si 3, videtur omnino dicendum, talium hæreticorum conjugia nulla esse; eo enim ipso quo societates separatas, stabilitas ac firmas non constituunt, nullo omnino principio affirmari potest eos Tridentina lege non ligari.

### (*P*) Page 605.

**691.** Valide Matrimonio assistit, uti patet, Papa pro toto orbe; Legati a latere et Nuntii in propriis provinciis; non tamen (quod est contra Ferraris) Cardinales in propriis titulis, quia non amplius habent jurisdictionem in populis. De his nulla quæstio; quæ pastoribus sæpe anxietates parat, est quæstio de domicilio ac quasi-domicilio, et quæ aliquando fit a proprio parocho delegatio. De quibus nonnulla pro praxi.

**Domicilium** : Hac de re audiatur Schulte : « Le propre pasteur des époux est sans doute celui dans la paroisse duquel les contractants ont leur domicile. Pour déterminer le domicile il faut voir si la personne a, d'une manière expresse ou par des faits qui permettent de le conclure, déterminé de fixer sa demeure dans un lieu et d'y concentrer son action. Ce n'est point à la longueur du séjour qu'il faut s'arrêter, mais seulement à la volonté actuelle et au fait actuel du séjour. Si ces caractères se rencontrent, le pasteur sera fondé à croire à sa compétence, quand même on ne serait venu près de lui que dans l'intention de se soustraire à l'autorité d'un autre. »

Qui per septem menses habitat in urbe, et per quinque ruri, non æqualiter habitat utrobique, ut dicatur habere duo domicilia adeo ut possit statim contrahere tam ruri, quam in urbe; jura enim requirunt ut possit in uno et alio loco contrahi, æqualitatem habitationis, non quidem arithmeticam, sed saltem moralem, quæ in nostro casu non reperitur, cum dies 154 non sint numero moraliter æquales cum diebus 210. Ferraris, v° *Matrimonium*, art. novus. — Lugo, *Resp. Moral.*, dub. 37, l. I. Et Rotæ decisio, *decis.* 657, p. 1 diversar., etc.

Melitta famula habitans in parochia S. Marci et intendens inire matrimonium cum Merbesio habente domicilium in parochia S. Petri (quo etiam ibit contracto conjugio), deserit famulatum et habitationem et se transfert cum mobilibus suis ad matrem suam quæ habitat in parochia S. Euphemiæ, sed tantum pro una vel altera hebdomada, donec sit juncta matrimonio; idque non in fraudem, sed ut præparet necessaria suo conjugio. Sed postquam duos vel tres dies sic morata fuit in

parochia S. Euphemiæ, petit cum præfato Merbesio matrimonio jungi : quæritur coram quo parocho debeat contrahere? — Melitta desiit esse parochiana S. Marci, cum parochiam illa deseruerit corpore et animo; in parochia S. Euphemiæ veram habitationem non habet, cum non habeat nisi animum hospitandi exiguo tempore. Licet autem intendat habitare in parochia S. Petri, attamen eo nondum venit, neque ibi domicilium habet. Haberi igitur poterit uti vaga, poteritque conjungi ab illo parocho cui actu se subdit : et parochus cui subditur, potest etiam dare licentiam alio sacerdoti illam conjungendi; cum id sit proprii parochi. *Sanchez, Dens.*

**Quasi-domicilium.** « On doit assimiler au vrai domicile le quasi-domicile pour déterminer la compétence relativement à la conclusion des mariages, comme en général pour toutes les fonctions curiales. Il y a quasi-domicile là où l'on demeure avec l'intention d'employer son activité pendant tout le temps qu'on y restera; lorsqu'on a posé en principe que l'on restera un certain temps, comme il arrive pour les étudiants, les soldats, les gens de service; quoiqu'on ne puisse déterminer la durée (ut patet de illis qui in aliquo opificio laborant...). Ce domicile suffit encore par la même raison pour les employés de toute sorte... Quelquefois on ne peut trouver un domicile ni un quasi-domicile, l'habitation ne suffit pas; ainsi le pasteur d'un lieu où l'on sera allé pour se divertir, pour se reposer, prendre des bains, etc., ne sera pas compétent. D'après les prescriptions du S. Concile de Trente, la noblesse (le souverain lui-même) ne jouit point d'exemption sur ce point, quand même les personnes auraient doit de cité dans les villes où elles ont des biens. Toutes les fois qu'on ne peut prouver un double domicile réel, le mariage devra être célébré devant le curé du lieu où l'on a son véritable domicile. Ainsi l'a décidé la S. Congr. Ita Schulte.

« Le mariage contracté par deux étrangers devant le curé du lieu où ils ont établi une demeure temporaire pour une affaire grave, en sorte qu'ils ont acquis un quasi-domicile, est encore un mariage valide. Ainsi en serait-il, par exemple, dans le cas où l'une des deux parties non catholique, vivant déjà avec la personne qu'elle désire épouser, voudrait faire un séjour dans une ville catholique pour mieux s'instruire des vérités de la foi et abjurer. A plus forte raison encore en serait-il de même si la fille, ayant quitté depuis longtemps son pays, pouvait être regardée comme errante et sans domicile; telle qu'une danseuse qui, avant de s'attacher à celui avec lequel elle vit, aurait exercé son art de théâtre en théâtre. S. *Congreg. Concilii*, 14 maii 1859.

« Quand les futurs époux changent de paroisse, pour que le curé puisse se dire leur propre pasteur, il faut qu'ils prennent, dans leur



paroisse nouvelle, un domicile (ou quasi-domicile), c'est-à-dire qu'ils y viennent avec l'intention réelle de s'y fixer. S'ils y viennent pour un autre but, sans avoir véritablement la volonté de s'y fixer, quand même ils y passeraient plusieurs mois pour leurs affaires, ils n'y acquièrent pas domicile, le curé ne devient pas leur propre pasteur, et, s'ils s'unissent devant lui, le mariage n'est pas valide. Quand il y a chez eux volonté arrêtée, le domicile nécessaire est acquis, quand même ils n'auraient en même temps la pensée que de rester un mois, s'unir ensuite et après cela changer d'habitation. La bonne foi que demandent les docteurs pour la validité du mariage n'est pas autre chose que cette volonté sérieuse de prendre domicile. Si elle fait défaut et qu'on aille dans une autre paroisse pour se marier, cela devient donc de la mauvaise foi. C'est là une doctrine indubitable, non-seulement parce qu'elle est enseignée communément par les canonistes, mais beaucoup plus parce que plusieurs fois elle a été examinée et confirmée par la sacrée Congrégation du Concile qui, lorsqu'elle a trouvé que les mariages avaient été contractés dans les conditions de domicile que nous venons d'expliquer, s'est prononcée pour leur validité, mais qui, lorsqu'elle a trouvé le contraire, les a déclarés non valides.

« Pignatelli écrit (*Consult.*, t. V, c. LXXIX) : *Ad contrahendum domicilium* (intellige quasi-domicilium, quod veteres uno *domicili* nomine indicant) *non solum exigitur factum seu accessio ad locum, sed etiam animus permanendi; alioquin si sub alio prætextu quis reperiatur, non dicitur contrahere domicilium, sed hospitium et temporaneam habitationem a domicilio longe differentem.* Le card. de Luca établit (*Adnot. ad Trident.*, disc. 26; et *de matr.* disc. 1): *Non omnis materialis habitatio contrahentium intra parœciæ fines, parochianum seu parocho subditum facit ad effectum administrationis hujus sacramenti, quamvis pro aliorum sacramentorum administratione talis habitatio sufficeret; cum ad hunc effectum formale domicilium requiratur, animo ibi permanendi ac vivendi tanquam in domo habitationis, non autem accidentaliter gratia rurandi vel se curandi aut mutationis aeris, aliave simili de causa accidentali, per quam de jure domicilium ad hujus jurisdictionis vel sacramenti effectum non contrahitur.* Et il fait observer que la règle pour décider si le domicile exigé pour la validité du mariage a été acquis, ne se prend pas du côté du temps : *Quoniam stant bene simul, ut illud breve sit, et tamen ex aliis circumstantiis domicilium contractum dicatur. Et e converso sit temporis considerabilis, et tamen illud non adsit, quoniam ita facti qualitas exigat.* — Les circonstances qui parlent en faveur du domicile sont la volonté sincère

de fixer son habitation dans un lieu (quod certo supponitur, quando quis in eo loco officium aliquod de se stabile suscipit, ut famuli, operarii, judicis, etc.); et non point d'y demeurer comme hôte seulement. Fagnan, qui enseigne la même doctrine, donne un exemple pour faire comprendre ces circonstances. Un homme s'enfuit de sa paroisse chassé par une guerre qui sera de longue durée et vient dans une autre paroisse. Un autre s'enfuit parce que ce jour-là l'armée doit traverser sa paroisse, et il vient dans une autre. Le premier a acquis domicile, et non pas le second; *nam primo casu venit animo commorandi, secundo non* (In c. *Significasti* 5 de paroch., n. 54). C'est aussi le sentiment de Pontas, Anaclet, Barbosa et d'autres.

« Rapportons maintenant des décret de la Congrégation du Concile insérées dans le *Trésor des résolutions*. Voici le premier : *In una Romana*. 22 *feb.* 1631; *vir et mulier a loco suæ habitationis absque animo illam relinquendi discedentes et ad locum alterius parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ubi cum parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. S. C. censuit esse nullum.* Vient ensuite le second, qui en contient plusieurs : *In una Urbinatens.* 1 *dec.* 1610, *S. C. inhærendo declarationibus alias factis respondit, parochum ruralem non esse verum et proprium parochum, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquæ, scilicet: in una Florentina, Sacra. etc., censuit quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis. In Florentina similiter respondit*, etc... Le troisième décret fut porté pour des époux qui avaient contracté mariage dans une paroisse étrangère où ils n'étaient que depuis trois jours. Interrogés sur le but qui les y avait amenés, ils répondirent qu'étant gênés pour se marier dans leur paroisse, ils s'étaient rendus dans celle-là non pour y habiter, mais parce qu'ils savaient qu'ils seraient plus facilement mariés. S. R. C., 15 nov. 1683, *respondit esse nullum.*

« Un décret semblable, qui est le quatrième, avait été porté le 28 septembre. Et tous ces décrets adoptés furent présentés à la S. Congrégation par son secrétaire pour la discussion qui devait avoir lieu le 20 février 1723, où l'on soumit le cas suivant : Un jeune homme et une jeune fille s'étant enfuis de leurs maisons, et la jeune fille ayant juré qu'elle s'était transportée dans un autre pays pour y fixer son domicile et vivre sous la direction d'une sienne grand'mère, elle se fiança avec le jeune homme et peu après elle contracta mariage. On demanda à



la S. Congrégation : *An matrimonium sustineatur?* Elle répondit : *Affirmative.*

Fagnan rapporte encore plusieurs autres décrets sur des faits semblables. Comme il fut prouvé qu'il y avait domicile acquis et non simple habitation matérielle des époux dans une paroisse étrangère, quoiqu'ils s'y fussent établis pour se soustraire à l'opposition des parents, le mariage fut déclaré valide. Et quoique, dans ces cas, il y eût eu dans la paroisse étrangère habitation de plusieurs mois avant le mariage, la S. Congrégation et le pape Benoît XIV déclarèrent néanmoins que pour la validité il suffisait d'un domicile formel conservé un mois. » *Spicilegio canonico, morale, giuridico, liturgico*, § 246, ecc., 304 et seqq.

Hic etiam audiendus Lancetta, *Decisio S. Rotæ*; dec. 1298 cit. a Benedicto XIV : « Si parochialitas ad effectum validitatis matrimonii contrahitur ex habitatione, et habitatio ex animo permanendi per aliquod justum temporis intervallum, non est sane inquirendum ex qua causa vel in cujus domo habitaverit *quis;* sed satis est quod ibidem de facto habitaverit cum animo permanendi non quidem per annum aut alterum diem; sed spatio notabilis temporis. Qui porro animus revocari minime potest in dubium, cum N. per integrum fere triennium in dicta civitate permanserit, cum tamen longe brevior permanentia unius aut alterius mensis admissa fuerit a S. Congregatione Concilii in pluribus reservationibus, de quibus Fagnanus in cap. *Significasti;* Monacelli, in *Formal. eccles.*, t. XVI, n. 34; et quas hoc nostrum tribunal reverenter suscipere et semper sequi passim protestatur, et signanter in Decis. 60 coram Celso; et Decis. 46 coram Ottobono, » etc.

Quæres : *An statim ac quis pervenit in locum quasi-domicilii, possit matrimonium contrahere, non secus ac ille qui domicilium acquirit; an vero debeat expectare ad integrum mensem, ut innuit S. C. Concilii?* Putat Alasia Benedictum XIV Constit. *Paucis ab hinc* noluisse moram definire, quanta scilicet esse debeat, et ideo valere matrimonium statim a contracto quasi-domicilio. Verum contrarium tenendum; quod enim noluit declarare Benedictus XIV est mora post matrimonium, non eam quæ intercedat necesse est ante illius celebrationem, quam unius mensis esse decernit. En Pontificis verba : *Necessarium fore censemus nonnihil adjungere ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio facto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum* c. Significasti de parochis, *ubi earumdem contextu per-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*penso hæc habet sub n.* 39 : vir et mulier Trajectenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. Congregatio consulta super validitate censuit, exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgranæ manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis dandam esse decisionem pro validitate. *Natalis Alexander* in Theol. dogmatica et morali, l. 2, de matr., c., II, a. 2, reg. 6, *animadvertit ad acquirendum quasi-domicilium oportere ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti jam sint atque perspecti. Dubitari autem posset num ad quasi-domicilium acquirendum matrimonii causa uti diximus, non solum requiratur præcedens habitatio; verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium. Verum cum observaverimus subsequentem habitationem ab iis auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari ut novum domicilium quæsitum dicatur, nihil vero de illa præscriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.*

**Parochi delegatio.** Sacra Congregatio Concilii penes Barbosam (*De off. et potest. Episc.*, alleg. 32) censuit matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio contrahentium Parocho, sed ignorat se illam habere, esse invalidum; ubi enim expressa licentia requiritur quæ rationem donationis induit, illa semper præcedere debet, notificari et acceptari. — Licentia assistenti data *præmissis denuntiationibus*, obtinet suum effectum et valet, etsi denuntiationes fuerint omissæ; quia concessio censetur conformis juri, ex quo matrimonium etiam sine illis valide celebratur : excipe nisi licentia sit absolute et expresse ligata illi conditioni.

Delegatus a Parocho valide assistit, etsi metu vel dolo licentiam obtinuerit; at si, re adhuc integra, revocata fuit data facultas, et revocatio ipsi delegato fuerit notificata, non quidem per simplicem rumorem; sed vel per ipsum delegantem vel ejus litteram aut nuntium, tunc nequit amplius valide matrimonium celebrari a tali Sacerdote (l. LXXVII, *ff. de offic. præs.*; et c. XIII *de procurat.*) S. C. C. in *Tricaricens.*, 27 junii 1735, declaravit validum matrimonium celebratum a delegato, cui a Parocho fuit revocata licentia ante celebrationem, quæ quidem revocatio fuerat quidem ipsi delegato denuntiata a Parocho; non tamen ipsis sponsis, quibus nota erat facultas tali Sacerdoti matrimoniis generatim assistendi tributa. Attamen hanc resolutionem explicant non quidem de matrimonii validitate in se considerati, sed de ejus tantum validitate in ordine ad prolis legitimitatem : et revera de hoc erat quæstio; nam contendebatur filios a tali matrimonio procreatos non esse legitimos, utpote a matrimonio nullo, quamvis unus sponsorum esset in bona fide. Responsio fuit, matrimonium illud validum esse; et sane receptum est, ut matrimonium etsi nullum in se, habetur uti validum quoad legitimationem prolis, si saltem una contrahentium pars fuerit in bona fide, cum nupta fuit. — *V.* Ferraris, *Biblioth. Can.*, etc., v° Matrimonium, Impedimenta (in additionibus). — Helfert, *Intorno alla influenza del domicilio, sulla giurisdizione ecclesiastica.* Darmstad 1835. — Schulte, *Manuale del diritto matrimoniale cattolico secondo il diritto ecclesiastico comune e il diritto particolare austriaco, prussiano, francese*, etc., Milano 1858. — *Analecta juris Pontificii*, an. 1857. — Liberius a Jesu, *Dissertat.*, Appendix.



**692.** *Quid* (dices) *si Parochus mitteret alicui assistendi licentiam, sed antequam delegatus licentiam acceperit, Parochus moriatur?* R. Si Parochus per nuntium a se electum licentiam mitteret Sacerdoti, et interea ipse Parochus moriatur, antequam Sacerdos licentiam acceperit, si hic mortem illam ignorans matrimonio assistit, probabilius invalide assistit, cum tunc licentiam nequeat amplius acceptare; nam quando recipit nuntium, mittentis voluntas per mortem extincta est.

Si autem nuntius fuisset ab ipso delegando Sacerdote missus, utrum Sacerdos valide assistat matrimonio etiam post mortem Parochi, alii affirmant; nam statim ac licentia assistendi fuit acceptata a nuntio, censetur acceptata a Sacerdote, cum nuntius ejus personam gerat; et semel acceptata, non amplius expirat, neque morte concedentis, cum sit gratia, seu quasi-donatio jam facta. — Sed aliis contrarium videtur, nam esto quod iste Sacerdos valide assistat ante notitiam concessæ sibi licentiæ habitam a nuntio, si adhuc Parochus vivit; sed aliter est si Parochus, quando assistit, jam mortuus fuerit. Ratio quia hæc delegatio debet potius dici gratia facienda, seu facultas concessa in favorem alterius, quæ utique expirat morte concedentis, re adhuc integra; ad modum quo facultas alicui Sacerdoti concessa absolvendi aliquam determinatam personam, re integra, expirat concedentis morte. Adde : quia hæc delegatio non est concessio alicujus veræ jurisdictionis : nam Parochus hic agit tantum personam testis qualificati : hanc porro personam delegatus repræsentat; at repræsentari non potest qui jam defunctus est. Quare delegationem hanc volunt potius esse comparandam mandato alicui dato, v. g., de suscipiendo puero e sacro fonte nomine alterius : quod quidem mandatum expirat morte mandantis. *V.* Bonacina, Suarez, Alasia; et Lugo. *Responsa Moralia*, dub. 35. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 728.

### (Q) Page 609.

693. Clarissimus Perrone elenchum contexuit omnium accuratissimum locorum, in quibus decretum Tridentinum de matrimoniis clandestinis publicatum fuit (usque ad annum 1858); quem quidem nos summarie hic ponimus.

1. In Europa publicatum fuit, in *Italia* universa ac *Insulis adjacentibus*; in *Galliis* ut constat ex Pontificum decretis : in *Hispaniis*; in *Lusitania*; in *Polonia*; in *Archiducatu Austriaco* et provinciis adnexis; in *Silesia* superiori et inferiori; in *Bohemia*; in *Moravia*; in *Hungaria*, si aliquas excipias regiones juxta aliquos; in *Moldavia*, sed tantum inter catholicos; in *Valachia*, sed tantum in Ecclesiis catholicorum, nec forsan in omnibus : *Ulmiæ*, in electoratu *Coloniensi, Moguntino*, ac *Trevirensi*; in *Monasteriensi diœcesi*; in ducatu *Cliviensi*; in *Bavaria*, saltem in primitivo ducatu; in *Franconia*; in *Palatinatu Neoburgico*; in ducatu *Limburgi, Harlemi* ac *Mosæ trajectinæ*; in *Hollandia, Zelandia, Frisia et fœderatis provinciis, Belgio* : in ducatu *Luxemburgi*, in urbe *Genevensi*, in insula *Tine*; et in *toto Archipelago* in ecclesiis catholicis; *Constantinopoli et suburbio Peræ*, in ecclesiis catholicis; in pluribus *Hiberniæ* diœcesibus; in aliquibus imperii *Russiaci* provinciis; demum apud *Ruthenos*.

Non fuit publicatum in *Anglia*, in *Scotia*, ac nonnullis *Hiberniæ* provinciis; in *Borussia* proprie sumpta; in *Pomerania, Saxonia, Suecia, Argentorati*; in plerisque *Helvetiæ* provinciis; in *Dania, Norvegia*; in regionibus schismaticorum et hæreticorum sub ditione *Turcica* aut *Persica*, aliorumque infidelium. — Dubium est an fuerit publicatum : *Bremæ* in circulo Sassoniæ inferioris; in *Valachia*; in *Bulgaria*, præcipue in diœcesi *Sophiæ*. — Loca tandem in quibus non constat an illud decretum fuerit publicatum, servatur tamen ab immemorabili (in quibus proinde valida quidem sunt connubia sive a schismaticis aut hæreticis inter se, sive mixta, non servata Tridentini forma ; at invalida si ita celebrentur inter catholicos) sunt *Transylvania*, præcipue diœcesis *Fogarats* nunc a Pio IX erecta in archidiœcesim Alba Juliæ noncupatæ; *Bulgaria*; *Valachia*, nominatim vero *Bukarest*.

2. In Asia publicatum est in *Indiis orientalibus*; et *Indiis* et nominatim in Archidiœcesi *Goana*; in ora *Malabarica*, in *Pondicerii* vicariatu, et universa ora *Coromandelica*; *Calcutiæ*; in regno *Bombay*; in pluribus *imperii Sinensis* provinciis; in *Tunchino orientali*; in *Japonia, Batavia, Georgia*; in Locis *Terræ sanctæ*, in ecclesiis Latinorum; *Smyrne* in Natolia. — Non fuit autem promulgatum in vicariatu *Sutchuensi*, saltem usque ad annum 1803; in non paucis *imperii sinensis* provinciis; in regionibus orientalibus generatim vero sub *ditione turcica et persica*. — Tandem dubium est, an fuerit publicatum in *Syria*, in insula *Cypri*, et sub aliquo respectu in ora *Malabarica*.



3. In Africa; non ita constat. Videtur decretum publicatum *Tripoli* in Barbaria seu Mauritania; Juliæ Cæsareæ, seu *Algeri*. — Non habet vigorem in *Abyssinia*.

4. In America publicatum fuit in regionibus olim *sub Hispanis* et *Lusitanis*; *Curaçao*, nominatim in *Mexico*; in insula *SS. Trinitatis*; in *Canada*; in *Florida*, in *Lovisiana*, in urbe *Detroitensi*; in urbe et diœcesi *Quebecensi*, saltem ex parte. — Non fuit publicatum in diœcesi *Baltimorensi*. — Dubium viget, an publicatum in universa diœcesi *Detroitensi Mechingan*; in *California superiore*; in diœcesi ac provincia *Quebecensi* in Canada superiore.

694. Quæres : *Declaratio Benedicti XIV data de matrimoniis Hollandiæ vi cujus hodie ipsa valent, etsi non servata Tridentini forma celebrata, ad quænam loca fuit extensa?* R. Extensa fuit Uratislaviæ anno 1765; Ulmiæ 1774; Poloniæ ab anno 1780, quo fuit Russiaco imperio unita; Ducatui Cliviensi 1795; civitati Maestric 1836; Constantinopoli et ejus suburbiis 1769; Hiberniæ 1725; Rhenanis provinciis sub Borussia 1830; Regno Russiaco ac Poloniæ 1844; Mosæ Trajectanæ ad parvum S. Petri suburbium in vicariatu Limbergi 1844; Pondicerii 1833; Georgiæ 1845; oræ Coromandelicæ 1831; Japoniæ 1625; oræ Malabaricæ olim sub Hollandia 1765; Bombay 1761; provinciis Canada 1763; Curaçao 1851; insulæ SS. Trinitatis 1825; Lovisianæ et Floridæ 1831.

Adest etiam peculiare temperamentum quoad Bavariam ex quadam Instruct. data ab Apostolica Sede, 12 sept. 1834; et quoad Hungariam ex Instruct. data 30 apr. 1841, ut videre est penes Perrone, *De matrimonio christiano*, l. II, sect, I, c. VI.

### (R) Page 617.

695. Si dies festi sibi ipsis proxime et immediate succederent, licet non ex necessitate, quia jam Concilii lex impleretur : at ex ipso legis fine, ex consensu Doctorum ac particularibus Synodis (ut ex Synodo Novariensi, p. 151), *unius saltem diei intervallum inter singulas denuntiationes interponi deberet*. Item Novariensis Synodus (p. 154) statuit, ut matrimonium non celebretur eodem die, quo postrema denuntiatio facta est; excepto si amplius non possit celebrari ob tempus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

feriatum quod statim currit; sed eo in casu monendus populus de celebratione eadem die facienda.

Etiam in *Festis suppressis* denuntiatio fieri potest; si tamen ob populi concursum videatur satis servari ratio ac finis Concilii; nam festa suppressa habentur tanquam de præcepto quoad ecclesiasticas functiones. — En novum responsum :

« Episcopus Pinaroliensis humiliter Eminentiis Vestris hanc exhibet quæstionem. Cum nonnulli inter Parochos suæ Diœcesis admittant, nonnulli vero renuant denuntiationes facere, tam pro matrimoniis, ac promotionibus ad Sacros Ordines, quam pro ceteris hujusmodi ab Ecclesia præscriptis in festis, quæ nomine suppressorum, juxta ultimum SS. Papæ Nostri Pii IX Decretum ad Subalpinos designantur : quid innuendum ?

« Die 7 aprilis 1862. — *Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondet, propositas denuntiationes fieri posse enuntiatis diebus festis suppressis : curandum tamen, ut hæ expleantur tempore Divini Officii, quo frequentior fidelium numerus in Ecclesia adesse solet.* — P. Card. Caterini Præf. »

Undenam præceptum denuntiationem peragendi sumpserit initium aperit Benedictus XIV, Epistola *Paucis ab hinc* : « Odo de Soliaco vigilantissimus parisiensis antistes qui vixit sub initium sæculi XIII promulganda statuit in suæ Diœceseos parœciis matrimonia priusquam inirentur, ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset ; atque inde denuntiationum manavit exordium, quæ tunc *Bannum* noncupatæ fuerunt. A Diœcesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit, uti colligitur ex Rescripto Innocentii III ad Episcopum Beluacensem in cap. *Cum in tua de spons. et matr.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi IV ad universam Ecclesiam ejusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in cap. *Cum inhibitio de clandest. despons.*, atque sacra Tridentina Synodus, *sess.* XXIV, *De regl. matr.*, c. I, Lateranensis Concilii vestigiis inhærens id ipsum præcepit. »

**(8) Page 628.**

**696**. Quoad dispensationes, quæ a Sede apostolica postulantur, plura notamus : ab ipso initio nulla ad matrimonium dabatur dispensatio : *Nulla tunc* (ait Christianus Lupus) *etiam regia vel augusta, licet in sexto duntaxat aut septimo affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia dispensabantur;*



*sed cuncta dirimebantur juxta vigorem canonum.* Primus ut vulgo traditur, sæculo XII, dispensavit Innocentius III cum rege Othone IV in quinto consanguinitatis gradu, ad quem tunc extendebatur cognatio; at nonnisi difficulter, maxima impellente causa, et *ea lege, ut duo amplissima monasteria Otho fundaret, omneque imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud ecclesiasticæ disciplinæ vulnus compensaret* (vid. Christianus Lupus, *ad can.* II, *Conc. Rem.*, p. 3). — Diximus *ut vulgo traditur;* nam ex accuratiori historiæ studio sun qui contendunt longe ante illam ætatem exempla dispensationum reperiri ; et afferunt S. Gregorium M. qui sæculo VI exeunte ad S. Augustini Angliæ Apostoli preces indulsit Anglis recens conversis, ut permanerent in conjugiis quæ ante susceptam fidem contraxerunt in tertio consanguinitatis gradu (*Epist.* LXIV, *lib.* XI).

In ipso autem temporis processu, quod erat vulnus legis evasit hominum medicina. Quoad hasce dispensationes vid. Benedictus XIV, tum Bulla *Pastor Bonus;* tum Const. *Gravissimum Ecclesiæ;* et ejus *Institutio* 87 per totum. — Pyrrus Corradus, *Praxis dispensationum Apostolicarum.* Amyden, *Tractatus de officio et jurisdictione Datarii.* — Rosa, *De dispensationibus.* — De Justis, *De dispensationibus matrimonialibus.* Parmæ. — Marcus Leo, *Praxis ad litteras Pœnitentiarii.*—Petra, *De S. Pœnitentiaria apostolica.* Notandum est nullam ordinarie expediri dispensationem diebus dominicis aliisque diebus festivis ; neque per duos menses vacationum in autumno, neque per tres hebdomades a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi incipientes; neque per tres hebdomades ante Quadragesimam ; neque per duas hebdomades in Pascha, duas in Pentecoste et duas in festo sancti Petri.

**697**. Pro dispensationibus matrimonialibus aliisque gratiis a S. Sede obtinendis duo maxime tribunalia Romæ constituta sunt, nempe Dataria et Pœnitentiaria ; illa pro rebus in foro externo, ista præcipue pro foro interno et conscientiæ.

Primo *Dataria :* Datarii munus excelsius cunctis censetur, licet ejus officium per obitum Pontificis cesset (sic dictus quia datam apponit gratiis Pontificiis, diem designat quo emanantur, etc.). Datarius dicitur organum mentis et vocis Papæ, quia quæ Papa agit, medio ipsius agit ; si tamen sit Cardinalis qui hoc munus exerceat, tunc non amplius Datarius, sed Prodatarius se inscribit. Vid. Constitutio Benedicti XIV *Gravissimum*, 26 nov. 1745. — Secundo *Pœnitentiaria :* cujus plurimæ sunt facultates ex Bulla *Pastor bonus;* quas quidem præcipuas recenset Liguori (*Homo Apost.*, l. IX, n. 148), et quas præstat ut Confessarius sciat, ut ita, adveniente necessitate, ad illam recurrere valeat. Nempe præter facultates quas habet quoad matrimonia sive contrahenda sive jam contracta, Pœnitentiaria absolvit pro utroque foro ab

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnibus casibus et censuris reservatis; absolvit hæreticos occultos; dispensat in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus; dispensat cum homicidis, cum male promotis, cum occulte simoniace ordinatis; convalidat titulos Beneficiorum, si res occulta; condonat, componit, et etiam partem debiti incerti remittit; relaxat juramenta, vota simplicia dispensando commutat; divinum Officium commutando dispensat; concedit Regularibus transitum ad mitiorem Religionem, nonnullis exceptis; concedit Monialibus Confessarium, etc. Demum in citata Bulla confirmantur omnia privilegia et indulta S. Pœnitentiariæ concessa etiam vivæ vocis oraculo ab omnibus Pontificibus. Vacante autem Sede apostolica, ipsa facultatem habet in foro conscientiæ etiam in casibus, in quibus vivente Pontifice, non habebat; attamen cum reincidentia, si nempe ad novum Pontificem dispensati non se præsentent. — V. *Institutiones canonicæ, civiles et criminales cum recentiori Praxi R. Curiæ;* Romæ. 1759; auctore Petro Ant. Danieli. — Bouix, *De Curia Romana*, pars IIª. — Ferraris, *Pœnitentiaria Apostolica*.

Sed aliquando circa nonnullos conscientiæ casus sacra Pœnitentiaria interrogata respondet: *Orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat*. Quid hæc verba importent anno 1857 ipsa Pœnitentiaria interrogata, respondit: « Quand la S. Pénitencerie répond aux suppliques, *rem deferat ad ordinarium et ejus judicio se dirigat*, ce n'est pas une permission qu'elle accorde, mais elle confie simplement le requérant à l'Ordinaire, qui, s'il peut prononcer sur le cas, agit conformément à sa prudence particulière; s'il n'est pas compétent et qu'il croie néanmoins devoir favoriser la demande, il l'appuie auprès du tribunal duquel elle ressortit; s'il ne croit pas devoir l'appuyer, il décide ce que de droit. »

**698.** Stylus romanæ Curiæ ita se habet, ut litteræ dispensationis committantur pro executione vel Ordinario seu Episcopo, vel ejus Vicario generali. Si Episcopus sit delegatus, ejus Vicarius non potest se ingerere in dispensatione, nisi specialiter ab ipso subdelegetur: et idem currit e converso, si sit delegatus Vicarius; quia in causis delegatis Episcopus et Vicarius non faciunt unum tribunal. Atque ita res se habet sistendo in generalibus juris regulis; attamen ex hodierna praxi obtinet doctrina Piasæcii, *Praxis Episcopalis*, et Sbrozzi *De Vicario generali*, et aliorum (quam etiam innuit S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. VII, n. 224): nempe si litteræ dispensatoriæ in delegando utuntur verbo *Episcopo* vel *Diœcesano*, delegatur solus Episcopus vel successor in Episcopatu; sub hoc enim nomine, rigorose, in causis delegatis soli Episcopi et Archiepiscopi veniunt, non alii etsi habentes ordinariam jurisdictionem, ideoque non veniunt eorum Vicarii generales. Poterunt tamen Episcopi generatim loquendo suos Vicarios subdelegare de vice



in vice; nam executorem Litterarum apostolicarum uti delegatum Principis posse subdelegare indubium est, ut multis probat Sanchez, *De matrimonio*. Diximus *generatim loquendo*, etenim excipe si in delegatione sit electa industria personæ, uti esset (prout habet Monacelli cum Graffio), si electio sit facta ratione confidentiæ, si conscientia oneretur et nomen delegati exprimatur, si præstatio consilii requiritur in certo actu ad certum tempus, si mandatur negotium non determinatum, si delegatus esset datus ad partis instantiam, si gravia et ardua mandantur, denique si agatur de re et controversia, quæ ingenium et hominis peritiam exposcat: tunc nec poterit Episcopus subdelegare, nec potest hanc causam cognoscere ejus successor. Diximus *de vice in vice;* adeo ut (ait Sporelli) nequeat ab initio Episcopus deputare Vicarium generalem ad omnes causas in futurum sibi delegandas: sed duntaxat potest singularum delegationem, illi specialiter subdelegare; neque enim potest alteri committere quod nondum sibi neque actu neque habitu commissum est, ut cum aliis docet Garcias. — Patet autem quod subdelegatus Vicarius non potest alterum iterum subdelegare. Quod porro diximus de Episcopo, idem valet de Vicario, si ipse delegatur; ipse solus cognoscere potest causam sibi commissam, vel ejus successor in Vicariatu, non autem illius Episcopus, nisi ab ipso Vicario subdelegetur, ut supra dictum est.

Si vero Litteræ utuntur verbo: *Committimus Ordinario*, tunc non tantum Episcopo, sed etiam ejus Vicario generali competit illas exequi; nam sub nomine *Ordinarii* veniunt illi omnes, qui habent jurisdictionem ordinariam. Unde tum æquali jure potest dispensationem exequi sive Episcopus sive Vicarius, alium etiam ad illam subdelegando. Ita Genuensis, Gratianus, Guttier, etc. Vicarius, inquiunt, censetur quasi Ordinarius, cum habeat delegationem ad universitatem causarum: et hac ratione deducunt Vicarium Generalem posse certe exequi ea omnia, quæ Tridentinum committit exequenda Ordinario. — *V.* Ferraris, vº *Executor Litterarum Apostolicarum*.

### (T) Page 629.

**699.** Abbreviationes quæ in litteris S. Pœnitentiariæ reperiuntur.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Archiepus. . . | Achiepiscopus. | Autte. . . . . | Auctoritate. |
| Air. . . . . . | Aliter. | Cartlis. . . . | Cardinalis. |
| Als. . . . . . | Alias. | Canice. . . . | Canonice. |
| Alsoluo. . . . | Absolutio. | Cen.. . . . . | Censuris. |
| Aplica.. . . . | Apostolica. | Circompeoni. . | Circumspectioni. |
| Appbatis. . . | Approbatis. | Xpus. . . . . | Christus. |

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

| | | | |
|---|---|---|---|
| Confeone. . . | Confessione. | Nulltus. . . . | Nullatenus. |
| Confeori.'. . . | Confessori. | Ordio. . . . . | Ordinario. |
| Coione. . . . | Communione. | Ordinaoni. . . | Ordinationi. |
| Consciæ. . . . | Conscientiæ. | Pp. . . . . . | Papa. |
| Constituonibus. | Constitutionibus. | Pr. . . . . . | Pater. |
| Discreoni. . . | Discretioni. | Pontus. . . . | Pontificatus. |
| Dispensao. . . | Dispensatio. | Ptus. . . . . . | Præfatus. |
| Dnus. . . . . | Dominus. | Ptur. . . . . . | Præfertur. |
| Ecclæ. . . . . | Ecclesiæ. | Pntium. . . . | Præsentium. |
| Effus. . . . . | Effectus. | Pbter. . . . . | Presbyter. |
| Exit. . . . . . | Existit. | Pœnia. . . . . | Pœnitentia |
| Ecclis. . . . . | Ecclesiasticis. | Poe. . . . . . | Posse. |
| Epus. . . . . | Episcopus. | Pror. . . . . | Procurator. |
| Excoe. . . . . | Excommunicatione | Qtnus. . . . . | Quatenus. |
| Fr. . . . . . | Frater. | Qmlbt. . . . . | Quomodolibet. |
| Frum. . . . . | Fratrum. | Qd. . . . . . | Quod. |
| Gnali. . . . . | Generali. | Relari. . . . . | Regulari. |
| Humoi. . . . | Hujusmodi. | Relione. . . . | Religione. |
| Humiler. . . . | Humiliter. | Roma. . . . . | Romana. |
| Infraptum. . . | Infrascriptum. | Sntæ vel stæ. . | Sanctæ. |
| Irregulte. . . | Irregularitate. | Saluri. . . . . | Salutari. |
| Igr. . . . . . | Igitur. | Sentia. . . . . | Sententia. |
| Intropta. . . . | Introscripta. | Spealr. . . . . | Specialiter. |
| Lia. . . . . . | Licentia. | Supplionibus. . | Supplicationibus. |
| Ltima. . . . . | Legitima. | Spualibus. . . | Spiritualibus. |
| Lræ. . . . . . | Litteræ. | Tn. . . . . . | Tamen. |
| Lite. . . . . . | Licite. | Tm. . . . . . | Tantum. |
| Mrimonium. . | Matrimonium. | Thia, vel theolia. | Theologia. |
| Magro. . . . . | Magistro. | Tli. . . . . . | Tituli. |
| Mitaone. . . . | Miseratione. | Venebli. . . . | Venerabili. |
| Mir. . . . . . | Misericordia. | Vræ. . . . . . | Vestræ. |

Nota : qui Litteras Apostolicas falsificat, aliquid addendo, detrahendo, mutando, incurrit illico in excommunicationem reservatam ex Bulla *Cœnæ.* Litteræ autem apostolicæ propriæ dicuntur illæ, quæ expediuntur nomine Papæ ; non igitur tales sunt habendæ Litteræ SS. Congregationum Cardinalium aut Pœnitentiariæ, quæ expediuntur nomine potius commissariorum. At Julius III anno 1550 Constitutioni *Rationi congruit* tulit ipso facto excommunicationem reservatam in illum qui impedit executionem Litterarum S. Pœnitentiariæ. *V.* Bonacina, *De censuris in partic.* — Suarez, *De excommunicatione Papæ reservatæ,* disp. 21, sect. 2, n. 46. — Ferraris, v^is *Falsum, Litteræ Apostolicæ.*



### (U) Page 632.

**700.** Taxa, quæ pro dispensatione exigitur solet appellari *componenda,* quia illa componitur atque proportionatur ad varias tum personæ, tum impedimenti, tum causarum circumstantias. Quod si oratores sint vere pauperes ac miserabiles, vel gratis, solutis expensis ; vel parum solvendo proportionatim ad gradus relaxationem dispensatio conceditur, ut fit cum ea tribuitur *in forma pauperum.* Pauperes non censentur, qui parentes habent divites : item ambo sponsi pauperes sint oportet et paupertas testium depositione probanda est. Quinam autem proprie habeantur ut pauperes, audiendus Bouvier : *Ex declaratione a Rectoribus apostolicæ Datariæ anno* 1841 *data, ii reputandi sunt pauperes, quorum fortuna valorem circiter* 5000 *francorum non excedit ; ii vero, quorum fortuna* 10,000 *francorum valorem non excedit, dicuntur fere pauperes.* Et Gousset : « On ne regarde comme pauvres que ceux qui sont réduits à vivre de leur travail et de leur industrie. C'est ainsi qu'ils sont représentés dans la supplique : *Oratores pauperes et miserabiles existunt, et ex labore et industria sua tantum vivunt.* Toutefois il ne faut pas prendre trop à la rigueur les mots *pauperes et miserabiles.* On met au nombre des pauvres même ceux qui ont quelque revenu, lorsque ce revenu n'est pas suffisant pour les faire subsister et soutenir les charges du mariage sans leur travail et leur industrie. » Item neque sunt pauperes quibus pinguis certo jam est delata hæreditas. — Ceterum ad omnem tollendam anxietatem, securius erit verum fortunæ statum exponere, ut passim fit.

Olim pro concessione dispensationis *in forma pauperum* ultra separationem, sponsis injungebantur et publica pœnitentia, et publicum Ecclesiæ servitium. Hodie tamen nil vere publicum imponitur præter separationem ad arbitrium dispensantis ; quæ enim injungitur pœnitentia, non est publica, etsi aliqua pœnitentia imponenda sit pro modo culpæ juxta prudens arbitrium ipsius delegati ad dispensandum.

*An* (addes) *valeat dispensatio, si sponsi eam obtinuerint in forma pauperum, falso exponendo se pauperes esse, cum non sint?* Negant Alasia, Bouvier, Gousset, etc. : quia verificatio causarum est de valore dispensationis : et Pontifex non intendit dispensare sub illa forma, nisi eos, qui vere pauperes sunt. Sed affirmat Gury cum Alphonso nostro, qui id probat ex decreto S. C. C., 9 sept. 1679, apud Monacelli. Sane paupertas non est causa neque finalis neque impulsiva dispensationis ; sed est tantum ratio, ob quam dispensatio ipsa conce-

ditur gratis : unde semper aliunde adesse debet justa causa. Ad modum fere, quo valet dispensatio, si allegetur vera causa, sed ea probetur falsis testibus, cum veri haberi nequeant : quia dolus non est circa causam impulsivam vel finalem ; sed preces revera veritate nituntur, ut argumentatur Alasia in hac facti specie (*De Legib.*, diss. 5, c. III). — *V.* Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 1129 ; *Hom. Ap.*, tr. XVIII, n. 87.

Y a-t-il simonie à accorder à celui qui paye et à ne point écouter celui qui ne paye pas?

R. 1. « Les taxes des chancelleries épiscopales ont été réduites à peu de chose ; — 2. ceux qui sont reconnus malheureux jouissent de la gratuité ; — 3. à Rome il y a des tarifs de trois classes : un pour les personnes aisées, l'autre pour les pauvres, le troisième pour les malheureux, la différence est notable entre ces trois classes. C'est pourquoi, dans les lettres testimoniales données par les évêques, la position de fortune des suppliants est toujours indiquée d'après le rapport des curés et des vicaires forains, et l'on incline plutôt vers la condescendance que vers la rigueur. Remarquez encore que dans la manière de juger de la cour romaine on qualifie de pauvre celui que les administrations civiles ne regarderaient pas comme tel ; — 4. plusieurs des taxes payées à Rome sont appliquées de la manière qu'on a dit... N'est-il pas juste que les fidèles du monde catholique entier concourent à l'entretien de ces augustes basiliques qui sont en quelque sorte les églises de tous les catholiques, et de ces lieux consacrés aux plus chers souvenirs de notre religion? N'est-il pas juste encore que le pauvre même apporte son obole s'il veut jouir des faveurs que l'Église dispense?... Enfin les employés de la chancellerie pontificale n'ont-ils pas besoin de manger comme tous les autres et n'ont-ils pas le droit de vivre de leur travail ? »

*V.* Pallavicini, *Storia del Conc. di Trento*, l. XXIII, c. VIII. — Marchetti, *Del denaro straniero, che viene a Roma, e va per cause ecclesiastiche* : Calcolo ragionato. — Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc., t. III, p. ultim., c. XXXIX. — De Luca, *De officiis venalibus vacabilibus rom. Curiæ*. — Scotti, *Teoremi*, ecc. Teorema VI, parte 2. — Il *Cattolico*, Giornale di Genova 12 et 18 gen. 1854 : dell'uso del denaro, che si manda a Roma, inter cetera habet : « Nous signalerons seulement, pour avoir une idée de la masse considérable d'affaires qui sont traitées dans les Congrégations de Rome, ce que nous lisons dans Marchetti : — J'ai demandé, dit-il, le chiffre des expéditions qui partent chaque année de la Pénitencerie, et on m'a répondu que le nombre s'élevait à vingt-trois mille. Ainsi il y a vingt-trois mille affaires de religion, qui exigent souvent une longue et savante discussion, qui, dans le cours de cette année, sont examinées,



décidées, et expédiées par un seul tribunal de Rome, sans qu'il en coûte rien à ceux qui y ont recours. Mais qui fait vivre tant d'hommes savants, qui paye tant d'employés qui sont indispensables ? Sans chercher d'autres raisons, qui sont en grand nombre, celle que l'Église romaine n'est pas seulement l'Église de Rome, mais qu'elle est, par l'institution divine, l'Église du monde catholique, doit suffire. »

Quid ergo de illis, qui continuo lamentantur et contra has justissimas ac sanctissimas præstationes insurgunt? Verum lugendum est, quod nonnulli etiam reperiantur ecclesiastici, qui talibus probris se subscribant, et forsan primi ea iniquiter pervulgent ; Ecclesiam matrem exacerbantes, proprium ministerium dedecorantes ac fideles gravissimo scandalo offendentes. — Sunt etiam qui ecclesiastica munia tanta veneratione digna uti vilissima quæque operantur : dixeris eos non jam sacra gerere, sed profana negotiari. Si ad missas, si ad anniversaria, si ad funera vocentur, eorum prima et ultima quæstio est de reditibus ; neque solummodo divina omnia dimidiant, festinant, rident atque pessumdant ; sed a profano vulgo voces mutuantes, ea vilibus, abjectis, et fœdis nominibus continuo profanant, omni prorsus religionis sensu amisso : mercatores, non Christi ministri ; tabernarii, non clerici, temporalium emptores, non dispensatores mysteriorum Dei. Nil mirum, si ideo tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Si volumus, ut populus nos et officia nostra revereatur, ipsi nos veneremur primo, facti forma gregis ex animo. Absit omnino, ut vel solatio unquam misceamus sacra profanis ; sed religiosa quæque religiose pertractemus, corde, ore et opere.

Quid etiam de impudentissimis illis protestantibus, qui catholicam religionem, *religionem argenti* contumeliose appellare non erubescunt ; quia nempe a nativitate ad mortem fideles aliquid jugiter coguntur solvere suis sacerdotibus ? Qui altari inservit, numquid de altari vivere non debet ? an catholici sacerdotes aerem bibendo vitam agere poterunt, ac spiritum ducere? Et tamen illi sunt qui (inter ceteros aliarum religionum ministros) minora a populis exigunt, sed majora pro ipsis quotidie operantur.

### (V) Page 635.

**701.** *Formulæ* ad obtinendas dispensationes.

*a.* Pro matrimonio contrahendo, en formula verborum adhibenda ad obtinendam dispensationem a S. Pœnitentiaria :

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

*Titius cognovit Bertam ; postea gnarus* (vel *ignarus*) *impedimenti,*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*tractatum habuit de matrimonio contrahendo cum sorore ejusdem. Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus; et nisi matrimonium contrahatur, scandala timeantur, de præmissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi et secum dispensari.*

*Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad subscriptum :*

Humilissimum Servum
N. N.

---

*b.* Pro matrimonio vero jam contracto erit formula pro Pœnitentiaria :

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE,

*Titius conscius* (vel *ignarus*) *impedimenti contraxit in faciem Ecclesiæ matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognoverat. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.*

*Dignetur*, etc., ut supra.

---

*c.* Si vero agatur de voto castitatis, sic ejus relaxatio petitur (ubi notamus cum Pontas ac Continuatore Tournely, sufficere pro legitima causa, si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo unius lapsus, quia vel per unum lapsum castitas amittitur) a S. Pœnitentiaria :

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE,

*Titius annos viginti natus vovit castitatem perpetuam; cum autem in gravi incontinentiæ periculo versetur, supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire.*

*Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.*

Humilissimum Servum
N. N.

(Foris.)
Eminentissimo et Reverendissimo D. D.
Cardinali Majori Pœnitentiario.
Romam.

---



*d.* Exemplum ponimus cum Alasia pro impetranda dispensatione a Dataria.

BEATISSIME PATER,

*Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum oratorum* Petri Boschis *Diœcesis Astensis, et* Catharinæ Rodes *Diœcesis Taurinensis ex oppido Avilianæ, quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendit.*

*Sed quia tertio gradu æquali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut impedimento hoc non obstante matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant dispensare.*

Datum N. die N. mensis N. anno N.

---

*e.* En exemplum dispensationis obtinendæ *in forma pauperum* a Dataria :

BEATISSIME PATER,

*Exponitur Sanctitati Vestræ humiliter pro parte devotorum oratorum* (ponuntur nomina eorum, Diœcesis, Civitas, Parochia, ut supra) *quod dicti oratores orthodoxæ fidei cultores vere pauperes ac miserabiles, et labore suo et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera, ut crimine admisso Sedem apostolicam ad misericordiam, et gratiam erga ipsos faciliorem redderent; sed solum vesana libidine victi carnaliter cognoverint, prolemque susceperint.*

*Cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*non possunt absque Sedis apostolicæ dispensatione, ideo supplicant*, etc., ut supra, etc.

(Foris.)

AD SUMMUM PONTIFICEM
Romam.

---

*f.* Ponamus exemplum de duobus impedimentis, uno publico, alio occulto ; sic scribitur ad Pœnitentiariam :

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE,

*Jacobus et Berta, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerant. Nunc vero Berta a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit* : 1. *quia ætate jam est provecta, nempe triginta annorum nata* ; 2. *quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat* ; 3. *quia ex hac unione rixæ familiarum probabiliter cessabunt. Ambo supplicant Sanctissimo Domino nostro in Dataria, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare.*

*Eminentiæ autem Vestræ humiliter supplicat oratrix, ut non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite ac valide matrimonium contrahere atque in eo contracto manere valeat.*

---

**702.** *An* (quæres) *si sponsi sint diversæ Diœcesis dispensatio sit obtinenda ab utroque Episcopo, si uterque Episcopus ex indulto speciali dispensandi facultate gaudeat?* Affirmat Sambovius ; quia Episcopus unus jurisdictionem non habet in subditum alterius, ut cum eo dispenset. Sed probabiliter negat Continuator Tournely ; quia Papa delegando Episcopum jus suum totum ipsi tribuit. Adde : cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, habilem eum reddit ad contrahendum cum altero impedito, sunt enim relativa, quorum unum sine altero esse non potest. Hac de re audiatur Bouvier : *Ex pluribus S. Pœnitentiariæ decisionibus nuper obtentis, Episcopus, non ordinaria, sed facultate a sancta Sede absque ulla conditione sibi concessa, cum suis diœcesanis super aliquo impedimento canonico dispensans, facta mentione delegationis Apostolicæ, valide dispensat etiam in casu, in quo una pars est alterius Diœcesis, quia ea facultas procedit a Papa, et sublato impedimento ex una parte, altera pars fit libera.*



**(I) Page 642.**

**703.** *a.* Formula pro dispensatione exequenda in foro interno quoad gratias a S. Pœnitentiaria obtentas hæc vel alia similis esse poterit. Nimirum post absolutionem a peccatis, Confessarius dicat :

Primo pro matrimonio contrahendo : *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento* (hic quale sit, et unde proveniat exprimatur), *ut eo non obstante, matrimonium cum illa contrahere possis, et prolem si jam ex ea suscepisti, legitimam declaro. In nomine Patris*, etc.

Secundo pro matrimonio jam contracto : *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento* (hic exprimatur, ut supra), *ut eo non obstante matrimonium cum illa, renovato consensu, rursus contrahere possis, et prolem*, etc.

Tertio pro voto castitatis in contrahendo : *Et insuper tibi votum castitatis, quod emisisti* (exprimitur quale) *Apostolica auctoritate mihi specialiter concessa dispensando commuto, ita ut valeas matrimonium contrahere, et eo uti. In nomine*, etc.

Quarto pro voto castitatis in matrimonio contracto : *Et insuper non obstante castitatis voto, quod emisisti, ut in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, Apostolica auctoritate tecum dispenso. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

NOTA. Aliquid specialius dicendum est de verbo *occultum*, cum Marco Paulo Leone in sua *Praxis ad Litteras majoris Pœnitentiarii*, etc.; etenim tota ratio dispensationis in hoc Tribunali occulta respicit. Igitur : — 1. aliquid potest esse materialiter publicum, sed formaliter et secundum quid occultum ; v. g., Missa celebrata a Sacerdote excommunicato occulto coram universo populo, est actus publicus et est delictum, non tamen est delictum publicum ; — 2. potest aliquod delictum esse publicum, et tamen ejus pœnam et effectum occultos ; v. g., si in aliqua villa parochus publice excommunicatus coram populo suæ villæ Missam celebret, et populus notet id fieri non posse et esse delictum ; nihilominus ignoret ex dicta celebratione contrahi irregularitatem ; et propterea ista missæ celebratio erit actus publicus et delictum publicum, tamen quoad irregularitatem erit de-

lictum occultum; et a S. Pœnitentiaria in similibus fuit dispensatum ut occultis[1]; — 3. aliquod delictum potest esse simul publicum et occultum respectu locorum diversorum; v. g., si quis committat homicidium præsente populo Novariæ, et postea se conferat Matriti; homicidium est publicum in primo loco, sed in secundo potest esse occultum ob non divulgationem illius : et tale occultum sæpius admisit S. Pœnitentiaria in suis absolutionibus et dispensationibus meo tempore concessis; — 4. non implicat quod aliquid a sui origine et principio fuerit publicum et tractu temporis fiat occultum; tempus enim omnia devorat. Hoc autem genus occultorum etiam pluries, meo tempore, S. Pœnitentiaria admisit, sed non eodem modo in omnibus casibus; in dispensationibus matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti vel triginta annorum spatium dumtaxat præsumpsit publicitatem originalem obliteratam fuisse (Part. II : *De occultis*).

**704.** *b.* Formula pro dispensando in foro externo majores exigit solemnitates tum ex parte oratorum tum ex parte executoris. Exemplum ponamus hujusce dispensationis, id unum inter cetera monentes : executor litterarum Datariæ omni quidem diligentia prout res ipsa postulat, partes suas implere debet in inquirendo, examinando, etc., at quoad citius poterit; cum ex dilatione dicteria, murmura, scandala ac plura peccata et ipsius etiam sponsi reluctantia ad matrimonium utpote qui alio pergere urgetur, non raro oriantur.

### I. — PRO CAUSA INFAMANTE EXEMPLUM.

« Carolus Valesia Episcopi Novariensis, etc., *Vicarius Generalis*, in hac parte Apostolicus delegatus Executor, mediantibus litteris Apostolicis de quibus infra. Universis, et singulis præsentes inspecturis salutem in Domino. Noveritis Nobis pro parte Camilli Macedonio et Mariæ Sorterio a Rima Novariensis hujus Diœcesis præsentatas fuisse litteras Apostolicas per transumptum expeditas sanas siquidem et illæsas, non vitiatas, nec in aliqua earum parte suspectas, ad eorum preces datas, pro obtinenda dispensatione Matrimonii inter eos contrahendi, non obstant. impediment. secundi consanguinitatis gradus inter eos existen. de quo in dictis litteris Apostolicis, quas debita cum reverentia recepimus, et comperimus esse tenoris sequentis videlicet :

*In nomine Domini. Amen. Cunctis, etc., Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Vicario venerabilis fratris Nostri Episcopi Novariensis in spiritualibus generali salutem, et Apostolicam Benedictionem. Oblata Nobis nuper pro parte dilecti filii Camilli Macedonio laici, et dilectæ in Christo filiæ Mariæ Sorterio mulieris Novariensis Diœcesis petitio continebat, quod ipsis alias scientibus se secundo consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, vel attinere Camillus prædictus non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso hæc causa foret Nos et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus dictam Mariam cognovit.*

*Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter ipsos contrahatur, dicta Maria diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, cupiunt præfati invicem matrimonialiter copulari, sed stante impedimento hujusmodi, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, deposita per Te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo Te omnino abstinere debere monemus, de præmissis Te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam Tuam oneramus, tunc eosdem, qui pauperes et miserabiles existunt, et ex suis labore et industria tantum vivunt, in primis ab invicem separes, deinde si veniam a Te petierint humiliter, imposita eis pro modo culpæ pœnitentia salutari prout juxta prudens Tuum arbitrium magis in Domino expedire judicaveris, et recepto prius ab eis juramento, quod sub spe facilius assequendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint, et quod talia nunquam deinceps committent, neque committentibus præstabunt auxilium, consilium, vel favorem, ipsos ab incestus reatu et excessibus hujusmodi imposita etiam eis propter incestum hunc arbitrio Tuo pœnitentia salutari, et quatenus contra ipsos causa super præmissis in judicium quoquomodo deducta fuerit parito judicato in utroque Foro Apostolica Auctoritate hac vice dumtaxat absolvas in forma Ecclesiæ consueta; demum si Tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo dictam conscientiam Tuam etiam oneramus, tunc cum ipsis ut postquam in separatione prædicta arbitrio tuo perseveraverint, et dummodo illa*

[1] Leo etiam episcopo tribuit facultatem dispensandi ab hac irregularitate ex cap. *Liceat*; quod tamen negat Fagnanus ex S. C. C.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*propter hoc rapta non fuerit, ipsique pauperes, et miserabiles
existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant, ut præ-
fertur, quod impedimento secundi consanguinitatis vel affinitatis
gradus hujusmodi, ac Constitutionibus et Ordinationibus Aposto-
licis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, Matri-
monium inter se publice servata forma Concil. Trid. contrahere,
illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, ac in eo postmodum rema-
nere libere et licite valeant, auctoritate Nostra dispenses... pro-
lem susceptam si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decer-
nendo. Volumus autem, quod si Tu spreta monitione Nostra
hujusmodi aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum
exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunica-
tionis latæ sententiæ pœnam incurras eaque tandiu innodatus
existas donec a Sede prædicta absolutionis beneficium merueris
obtinere, et nihilominus absolutio et dispensatio a Te faciendæ
præfatæ nullius sint roboris, vel momenti.*

*Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ
millesimo octingentesimo LXII Calendis Julii Pontificatus nostri
anno decimo septimo.*

Subscript. diversis subscriptionibus, et sigillat. more solito transum-
ptorum Datariæ Romanæ.

Quibus litteris Apostolicis Nobis, sic ut supra præsentatis, et per Nos
receptis, fuimus pro parte dictorum Camilli Macedonio et Mariæ Sor-
terio debita cum instantia requisiti, quatenus ad dictarum litterarum
Apostolicarum executionem juxta traditam, et directam in eis Nobis
formam procedere, et devenire vellemus, et deberemus; Nos volentes
mandatum Nobis ut supra directum reverenter exequi ut tenemur, de,
et super contentis in dictis litteris Apostolicis, diligenter Nos informa-
vimus, et post diligentem sic per Nos habitam informationem narrata,
et exposita in eis vera esse comperimus, ut ex informationibus sumptis,
et in actis hujus Curiæ Episcopalis registratis; cumque per Oratores
adimpleta sint, quæ erant adimplenda prout ex commissis Ad. R. Pa-
rocho Oratorum et ex relatione habita sufficienter apparet; ideo præ-
missis stantibus, quod non obstant. impedimen. secundi consanguini-
tatis vel affinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinatio-
nibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, quæ idem
prælibatus Sanctiss. D. N. Papa in dictis suis litteris eis voluit non
obstare, iidem Camillus et Maria ex Rima Matrimonium inter se publice
servata forma Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ
solemnizare ac in eo postmodum remanere libere, et licite valeant
Apostolica auctoritate præfata Nobis sic ut supra commissa, et qua
fungimur in hac parte dispensamus... prolem susceptam si qua sit, et



suscipiendam exinde legitimam decernentes, in omnibus, et per omnia ad formam dictarum litterarum Apostolicarum.

Dat. Ex Palatio Episcopali Novariæ anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo LXII, die vero X mensis Octobris.

Carolus Valeria, *Vicarius Generalis*, etc.,
Apostolicus Delegatus, etc., etc.

II. — PRO CAUSA HONESTA, EXEMPLUM.

Carolus Valesia Episcopi Novariensis, etc., *Vicarius Generalis*, in hac parte Apostolicus delegatus Executor mediantibus litteris Apostolicis, de quibus infra, Universis, et singulis præsentes inspecturis salutem in Domino. Noveritis Nobis pro parte Joannis Piapanilla, et Magdalenæ natæ Grattarola ex Ciconia Novariensis hujus Diœcesis præsentatas fuisse litteras Apostolicas per transumptum expeditas sanas siquidem et illæsas, non vitiatas, nec in aliqua earum parte suspectas, ad eorum preces datas, pro obtinenda dispensatione Matrimonii inter eos contrahendi, non obstant. impediment. tertii a communi stipite provenien. consanguinitatis gradu inter eos existen. de quo in dictis litteris Apostolicis, quas debita cum reverentia recepimus, et quas comperimus esse tenoris sequentis, videlicet :

*In nomine Domini. Amen. Cunctis, etc., Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Vicario venerabilis fratris Nostri Episcopi Novariensis in spiritualibus generali salutem, et Apostolicam Benedictionem. Oblata Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis nati Piapanilla laici, et dilectæ in Christo filiæ Magdalenæ natæ Grattarola mulieris Novariensis Diœcesis, petitio continebat, quod cum dicta Magdalena Grattarola in loco, ex quo ipsa, et Joannes Papianilla præfatus orti sunt in dicta Diœcesi existent, propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis cui nubere possit invenire nequeat, cupiunt præfati invicem matrimonialiter copulari, sed quia Tertio a communi stipite provenien. consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione, quare iidem Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in permissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes discretioni tuæ per Apostolica scripta*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*mandamus, quatenus, deposito per Te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo Te omnino abstinere debere monemus, de præmissis Te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum ipsis, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, quod impedimen. Tertii consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, Matrimonium inter se publice servata forma Conc. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, ac in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, auctoritate Nostra dispenses. Distantiam vero Tertii gradus præfati eis non obstare declares prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando. Volumus autem, quod si Tu spreta monitione Nostra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras.*

*Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo LXII Calendis Julii, Pontificatus nostri anno decimo septimo.*

Subscript. diversis subscriptionibus, et sigillat. more solito transumptorum Datariæ Romanæ.

Quibus litteris Apostolicis Nobis, sic ut supra præsentatis, et per Nos receptis, fuimus pro parte dictorum Joannis Piapanilla et Magdalenæ Grattarola debita cum instantia requisiti, quatenus ad dictarum litterarum Apostolicarum executionem juxta traditam, et directam in eis Nobis formam procedere, et devenire vellemus, et deberemus; Nos volentes mandatum Nobis ut supra directum reverenter exequi ut tenemur, de, et super contentis in dictis litteris Apostolicis, diligenter Nos informavimus, et post diligentem sic per Nos habitam informationem narrata, et exposita in eis vera esse comperimus, ut ex informationibus superinde sumptis, et in actis hujus Curiæ Episcopalis registratis appareret; ideo præmissis stantibus, quod non obstant. impedimen. tertii consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, quæ idem prælibatus Sanctiss. D. N. Papa in dictis suis litteris eis voluit non obstare, iidem Joannis Piapanilla et Magdalena Grattarola Matrimonium inter se publice servata forma Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare ac in eo postmodum remanere libere, et licite valeant Apostolica auctoritate præfata Nobis sic ut supra commissa, et qua fungimur in hac parte dispensamus, distantiam vero Tertii gradus præfati eis non obstare declaramus prolem suscipiendam exinde legitimam



nuntiantes, in omnibus, et per omnia ad formam dictarum litterarum Apostolicarum.

Dat. ex Palatio Episcopali Novariæ anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo LXII, die X mensis Octobris.

CAROLUS VALERIA, *Vicar. Gen. Apost. Delegatus*, etc., etc.

## (F) Page 646.

**705**. Pro praxi nonnullos ponimus casus, ac monita gravissima.

« Que doit répondre un curé qui est consulté sur un mariage projeté?

« On convient assez que nous ne devons pas trop nous mêler de mariages; nous serions exposés à nous en repentir et à nous attirer des reproches, des malédictions même, de ceux que nous aurions engagés à faire ou à ne pas faire cette alliance : l'expérience ne le prouve que trop. C'est à nous à bénir les mariages des chrétiens, et non à en être les entremetteurs; c'était la maxime de saint Ambroise et de saint Augustin. Un prêtre respectable, consommé dans le saint ministère, disait que nous ne devions pas nous mêler de mariages, de testaments, de servantes et de nourrices.

« Si l'on est consulté sur un mariage entre deux personnes de la paroisse, il est rare qu'on puisse, sans inconvénient, dire expressément : Ne prenez pas un tel ou une telle; on ne vous gardera pas le secret, et, si le mariage se fait contre votre avis, on dira : M. le curé ne le voulait pas; si on ne le fait pas, celui que vous en avez détourné dira confidemment à quelqu'un : M. le curé ne m'a pas conseillé de faire cette alliance; et en peu de temps toute la parenté saura que vous avez donné cet avis; on perdra la confiance qu'on avait en vous, et peut-être en aurez-vous beaucoup à souffrir.

« Il vaut donc mieux, dans ce cas, s'en tenir à quelques avis généraux, et dire à celui qui consulte : Priez le Seigneur de vous éclairer; examinez si la personne qu'on vous propose a les qualités et les vertus qui sanctifient les mariages. A-t-elle la douceur de la piété? Fréquente-t-elle les sacrements? Y a-t-il de la convenance entre vous par le caractère, la naissance et le bien? etc. Pensez à tout cela devant Dieu, et faites ce que vous voudriez avoir fait à l'heure de la mort.

« Si c'était un cas où les désordres d'une fille ou d'un garçon auraient été grands et publics, ou un autre cas où il y aurait une disproportion énorme pour le bien, pour l'âge ou pour la naissance, vous

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pourriez dire à celui qui vous consulte que vous n'osez pas lui conseiller de se marier avec une telle personne.

« Quand on vous consulte au sujet d'une personne qui n'est pas de votre paroisse, et dont la parenté vous est également étrangère, vous pouvez dire votre sentiment plus librement, cependant avec prudence; dans ce cas, vous n'avez pas ordinairement les mêmes inconvénients à craindre que s'il s'agissait de vos paroissiens.

« S'il s'agissait d'un mariage projeté que vous croyez convenable et que vous souhaitez, il est souvent à propos de ne pas témoigner expressément tout ce que vous en pensez : au moins si vous le faites, que ce soit avec beaucoup de modération ; on peut dire qu'il paraît convenable, sans témoigner qu'on le souhaite. » *Méthode pour la direction des âmes.*

**706.** *Quelle méthode doit adopter le curé pour instruire les fiancés quand ils se présentent à lui pour le consentement?* R. Antequam denuntiationes inchoet, Parochus habere debet consensum eorum qui contracturi sunt, inquirendo nimirum, an liberi sint, an ullo impedimento ligati, an parentes consentientes sint, an sufficienter instructi, etc. Quo quidem in examine, nonnisi caste, distincte et separatim sponsi sunt interrogandi ; fœmina autem in loco honesto et omnino aperto ostio (monitum maximi momenti!), et quoad potest in propinquorum conspectu, quin tamen ipsi aliquid audiant. Hac de re S. Carolus (*Actorum* p. 4 : *instructio matrimonii*), et D. Salesius (*Introduction à la vie dévote*, part. 3, c. 38 et 39), saluberrima monita habent.

**707.** Que doit faire un curé, un confesseur à l'égard des époux qui vivent séparés sans avoir fait prononcer leur séparation ? 1° On ne doit point éloigner des sacrements une femme qui passe, aux yeux du public, pour avoir été chassée ou renvoyée injustement par son mari. Il lui est bien permis, dans son malheur, de recourir au *Dieu de toute consolation, à celui qui nous console dans toutes nos peines*. Mais il n'en est pas de même du mari ; on ne peut évidemment l'absoudre, à moins qu'il ne fasse constater juridiquement qu'il avait des raisons légitimes de renvoyer sa femme. 2° On ne doit pas inquiéter le mari qui s'est séparé de sa femme, ni la femme qui s'est séparée de son mari, lorsque la séparation a eu lieu pour cause d'adultère, si le crime est tellement notoire qu'il ne puisse nullement être contesté. Mais le coupable ne sera point admis à la participation des sacrements, qu'il n'ait suffisamment réparé sa faute et le scandale par la pénitence. 3° On regardera comme indignes d'absolution les époux qui, par suite d'un mariage mal assorti, ou pour cause d'incompatibilité d'humeur, se sont séparés de leur autorité privée, même



d'un commun consentement. Mais on userait d'indulgence à l'égard de celui qui aurait fait son possible, moralement parlant, pour se rapprocher de son conjoint et obtenir de demeurer ensemble, si ses dispositions et ses démarches étaient connues du public. — *Gousset.*

**708.** On demande la conduite à tenir, lorsque l'une des parties mariées civilement refuse de faire les démarches nécessaires pour la réhabilitation de son mariage : elle ne veut ni se séparer de son conjoint, ni renouveler son consentement.

R. Il n'y a pas d'autre parti à prendre que de recourir au saint-siége pour en obtenir une dispense *in radice*, par laquelle un mariage nul peut se réhabiliter sans que le consentement soit renouvelé. Il suffit que le consentement donné dans le principe persévère virtuellement; on en juge d'après les dispositions actuelles des conjoints. Si on avait lieu de croire que l'une des parties a révoqué son consentement, la dispense serait inutile ; elle ne pourrait légitimer un consentement qui n'existe plus. La dispense *in radice* une fois obtenue, la partie qui l'a demandée en donne avis à l'autre partie, afin que celle-ci puisse remplir son devoir sans agir contre sa conscience. Si le mariage qui a été ainsi réhabilité passait publiquement pour n'avoir pas été légitimement contracté, il faudrait en faire connaître la réhabilitation ; cela est nécessaire pour faire cesser le scandale. Le curé aura donc soin de remettre à la partie intéressée la dispense qui lui a été accordée, ou la déclaration par écrit que son mariage a été légitimé par une dispense du Souverain Pontife, en lui recommandant de le faire connaître à son conjoint, à ses parents, et aux personnes qui prennent part à sa position. Par ce moyen, le scandale sera bientôt réparé. Mais, tant que cette réparation n'aura pas eu lieu, la partie même repentante et bien disposée ne doit pas s'approcher de la sainte table ; elle peut cependant recevoir l'absolution. — *Gousset.*

Que fera le confesseur, si le malade n'est marié que civilement?

R. Nous pensons que, s'il n'y a pas d'empêchement *dirimant* de mariage, le curé peut alors donner la bénédiction nuptiale, toutes les fois que les deux parties consentent à la recevoir. La cérémonie se fait en présence de deux témoins. Si le malade refuse la bénédiction nuptiale, on lui refusera l'absolution, à moins qu'il ne déclare, en présence de quelques personnes, vouloir la recevoir à l'église aussitôt qu'il aura recouvré la santé. Dans ce dernier cas, qui n'est guère vraisemblable, on pourrait encore l'absoudre, sans exiger la séparation *quoad tectum :* et toutes les fois qu'on peut absoudre un malade qui est en danger, dans un danger pressant, on est obligé de le faire : il vaut mieux exposer le sacrement à la profanation que l'homme à la damnation éternelle : *Sacramenta propter homines.* Si les parties

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui n'ont contracté que devant l'officier civil sont liées par un empêchement *dirimant* de droit *ecclésiastique*, et que le malade, après avoir demandé pardon, en présence de quelques fidèles, du scandale qu'il a commis, promette de faire tout ce qui dépendra de lui pour se conformer aux lois de l'Église, en cas qu'il revienne en santé, on lui donnera l'absolution. On suppose que le danger est urgent; car, si l'état du malade permet de recourir à l'Ordinaire, il faut lui écrire le plus promptement possible, afin d'obtenir la dispense, s'il croit pouvoir l'accorder.

**709.** Que fera le curé, le confesseur, dans le cas où il s'agit d'un empêchement dont l'Église ne dispense pas, dont elle ne peut dispenser? Exemple: En vertu d'une loi qui permettait le divorce, un homme se sépare de sa femme et convole en secondes noces; et quelque temps après, sa femme légitime vivant encore, il tombe dangereusement malade. Le curé se présente; le malade demande à se confesser, déclare à ceux qui le visitent qu'il se repent du grand scandale qu'il a commis, répète qu'il ne regarde plus sa femme *légale* comme une épouse, qu'il ne veut plus avoir avec elle d'autres relations que celles qu'enchaînent les conventions matrimoniales pour la communauté des biens; le danger devient pressant. Peut-on l'absoudre?

R. Nous croyons qu'on le peut, mais à une condition, savoir: qu'il fera, devant les assistants, la promesse de se conformer exactement, s'il survit, à l'*agenda* qui sera donné par l'évêque concernant la conduite qu'il doit tenir dans cette triste position. — *Gousset.*

**710.** Que faire si la loi civile défend aux curés d'administrer le sacrement du mariage s'ils n'ont pas sous les yeux le certificat qui constate que les époux ont déjà contracté civilement le mariage?

Les *articles organiques* défendent aux ministres de la religion de donner la bénédiction nuptiale à ceux qui ne justifieront pas en bonne forme avoir contracté devant l'officier civil. Mais il n'appartient pas plus au gouvernement de régler ce qui concerne la bénédiction nuptiale que ce qui a rapport aux sacrements de Baptême et de Pénitence; il n'a pas plus le droit de défendre que d'ordonner qu'on administre un sacrement dans tel ou tel cas particulier. Ce n'est point à la puissance séculière à nous tracer des règles pour la dispensation des choses saintes. « Qu'on nous regarde, dit saint Paul, comme les ministres de Jésus-Christ et les dispensateurs des mystères de Dieu, « c'est-à-dire des sacrements. » Écoutez le pape Gélase, parlant à l'empereur Anastase: « Quoique votre dignité vous élève au-dessus « du reste des hommes, vous êtes néanmoins soumis aux évêques pour « tout ce qui tient à la foi et à l'administration des sacrements. Il ne « faut pas que dans ces affaires vous prétendiez les assujettir à vos



« ordres; il faut, au contraire, que vous suiviez leurs décisions. Dans « tout ce qui est de l'ordre civil, ces mêmes évêques sont soumis à vos « lois; vous devez à votre tour leur être soumis en tout ce qui con- « cerne les saints mystères dont ils sont les dispensateurs. » Si nous n'étions forcé de nous restreindre, nous pourrions citer les Pères, les Papes, et les conciles de tous les temps. Toutes les lois canoniques sur l'administration des sacrements nous rappellent à l'ordre hiérarchique, qui les explique avec une entière indépendance de la puissance temporelle. Nos rois l'ont reconnu; l'article 12 de l'édit de 1606 porte: « Conformément à la doctrine du concile de Trente, nous voulons que « les causes concernant les mariages soient et appartiennent à la con- « naissance et juridiction des juges d'Église. » Si on nous dit que notre législation ne reconnaît plus de sacrements, qu'elle ne voit plus dans le Mariage que l'union naturelle et civile de l'homme et de la femme, n'aura-t-on pas une raison de plus d'être étonné que le législateur s'occupe de la bénédiction nuptiale? Que lui importe alors qu'un ministre de la religion accorde ou refuse ses prières et ses bénédictions à ceux qui les réclament? Cependant, comme on peut suivre la loi civile dont il s'agit sans aller contre l'esprit de l'Église, plus tolérante que ceux qui l'accusent d'*intolérantisme*, il est prudent pour un curé de s'y conformer. On peut dire aujourd'ui ce que l'Apôtre disait de son temps: *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis.... quoniam dies mali sunt*. (Eph. v.) — *Gousset.*

Hoc inquam (si aliud non obstet) ad majora vitanda mala tolerari poterit, maxime in sponsorum bonum, propter civiles effectus. Absit tamen, ut ideo civilem illam dispositionem vel minimum probemus, ac nobis vel aliis imponamus uti normam firmam et rectam; nam ea potius et impertinens est, et periculosa, cum illam acceptando videamur habere uti necessarium ad matrimonii valorem: qua in re omnino de catholica veritate instruendi sunt fideles. — *V.* Postolesi, *Vita del S. Pontefice Pio VII*, t. 2.

**711.** *Quomodo se gerere debet Parochus, si forsan in sua Ditione civile matrimonium obtineat, quin tamen a civili ipsa lege præscriptum sit, ut illud etiam in faciem Ecclesiæ celebretur?* Hæc catholicus parochus curare debet pro gravi suo munere; cum ipsius sit oves suas ab animæ periculis jugiter amovere.

*a*. Pergat docere in Ecclesia catholicam de matrimonio doctrinam, ejusque divinam institutionem, sanctitatem, finem, etc.; quæ quidem omnia ab hominibus nec coarctari nec dividi nec mutari quomodo possunt. Impedimenta quoque fideliter exponat, quæ nonnisi ab Ecclesia relaxari valent. Aperiat quod tradit catholica veritas, eos qui non contrahunt in facie Ecclesiæ, mortaliter delinquere, gravissimo pec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cato detineri, ac publico et continuo concubinatu fieri reos, eorumque matrimonium coram Deo, et Ecclesia esse nullum, irritum, invalidum, atque ipsorum filios per consequens illegitimos. Ipsos item uti publicos peccatores indignos omnium spiritualium bonorum, uti eucharistiæ, ecclesiasticæ sepulturæ, etc., nisi resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem: et rite contrahant, publicam offensionem amoventes. Item censuras etiam incurrere, si cum aliquibus contrahant canonicis impedimentis.

*b*. Hæc omnia parochus sæpius, data opportunitate, prudenter commoneat atque urgeat; vigilet, laboret, opus faciat evangelistæ, ne sensim sine sensu populi vel malorum exemplo vel temporum iniquitate sanam doctrinam non amplius sustinentes, veram ideam Christiani matrimonii obliviscantur, et a veritate excidentes contra Ecclesiæ leges contrahant in perpetuo concubinatu vivendo sine ullo conscientiæ remorsu, ut alicubi evenit. — Si quos autem cognoscant taliter junctos, parochi, confessarii, sacerdotes, omnes (ipsa saltem lege charitatis) quoad possunt et privatim, quamdiu spes est, in Domino curent adlaborando, ut etiam legitime contrahant coram Ecclesia; miserrimum in quo detinentur statum aperiendo, et scandalum ingens quod populo universo præbent, et maximum in quo versantur periculum illico ad inferna descendendi, si eos improvisa et subitanea mors percutiat: quod timendum ob grande scelus quo vivunt jugiter inquinati.

*c*. Caveat parochus ne publice veritatem docendo zelo amaro aut extemporaneo vel quempiam offendat aut quoquomodo notet, vel contra civilem aliquam legem insurgat, nisi velit gravi discrimini se committere coram potestatibus; et sine fructu, contentio enim ad nihil utilis est, nisi ad subversionem audientium. Sed cum modestia et charitate instruat pro more fideles catholicam de matrimonii fidem a Tridentino traditam, spontaneam occasionem urgendo pro populi sui necessitate. Potest enim tanta esse sæculi perversitas, ut nobis satis esse debeat palam veritatem aperire, quin civilem legem hac de re vel nominemus; dicamus aperte de lege Dei, at taceamus omnino de lege hominis, ita tamen ut omnes satis intelligant quomodo se gerere debeant qui de æterna animæ propriæ salute solliciti sunt et pie volunt vivere in Christo Jesu. Idque ideo magis, quia illud etiam contingere potest, quod prudenter suaderi valeant et debeant sponsi, ut civili etiam legi obediant, se coram publico magistratu præsentando, ad hoc ut civilibus gaudeant juribus et plura gravissima incommoda quæ ceteroquin incurrerent, effugiant, prout supra dictum est (et sic præstat unum facere et aliud non omittere). Non ad hoc tamen, ut illa præsentatione legitimum putent se coram Deo conjugium celebrare, quod



quidem ita volente, statuente, præcipiente Domino, nonnisi per Ecclesiam a Christianis rite et valide iniri potest.

*d*. Quoad hactenus notata pro norma generali esse potest Pastoralis Littera ad populum Episcoporum Provinciæ Taurinensis 18 nov. 1852. Item parochus Ordinarii sui consilium, instructiones et præscripta teneat, qui sane in re tanti momenti prudentes ac tutissimas regulas ei suppeditabit, diversas etiam pro diversitate locorum, legum et circumstantiarum; neque enim cuncta nos divinare possumus, ut in antecessum singulis provideamus. Omnia utique fieri debent prudenter: qua de re facit monitum Pii VIII quod dabat Episcopis quoad matrimonia mixta: *Supervacaneum ducimus, Ven. Fratres, vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicæ religioni creetur invidia; quandoquidem Fraternitates vestras id probe nosse compertum nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos sacerdotes non alio quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis quæ religionis sunt, Ecclesiæ regulas servent; ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis quæ civilis sunt Ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant.*

At dum dicimus *prudenter*, ne quis intelligat *infideliter*, ita ut simus in domo Dei *speculatores cæci omnes... canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia* (Is. 57), ut si placeamus potentibus, vel ne fidelium conscientias contristando turbemus. *An quæro hominibus placere?* (ad rem Apostolus, I *Gal.*): *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et est tristitia secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiatur homo; *quæ enim secundum Deum tristitia est* (iterum Paulus, II *Cor.* 7), *pœnitentiam in salutem operatur.* Et Ecclesiastes, c. 3: *Tempus tacendi et tempus loquendi.. tempus belli et tempus pacis.* Non propter hoc ergo minister Verbi alicui facit injuriam, sed ad manifestandam sollicitudinem suam quam habet pro illo, a Deo missus est ad illum durus nuntius (III *Reg.* 14).

**712.** « Comment doivent se comporter les curés relativement aux mariages de ceux qui ont notoirement encouru des censures ecclésiastiques? *Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; at si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis quæ a probatis auctoribus et præsertim a S. Alphonso* (lib. VI. tr. 1, c. 2, n. 54, Theol. Mor.) *traduntur, ea declaret quæ magis expedire*

*in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missæ celebratione.*

« Comment aussi devraient se conduire les évêques et les curés si quelqu'un de ceux que les censures ont atteints se présentait pour être parrain au baptême ou à la confirmation? R. — *Ut in præcedenti.* Ita S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860.

**713.** Instruction donnée par ordre de Pie VI (25 septembre 1791) aux évêques de France, en réponse à diverses questions par eux proposées.

Laudabilem majorum suorum consuetudinem secuti, Antistites qui gallicanas regunt Ecclesias, ad Sedem apostolicam detulerunt gravissimas quæstiones, dubitantes nimirum quid sibi agendum sit cum de fidelium *baptismo, matrimonio* et *sepulturis* agitur propterea quod nisi hæc omnia a parochis intrusis vel eorum auctoritate exerceantur, a Conventu nationali qui parochos dumtaxat intrusos agnoscit et sustinet, fideles vexatum iri prospiciunt... In illis quæstionibus observatum est expressam deesse declarationem, qua fideles si alium quemvis præter parochum intrusum adeant, baptismi, matrimonii vel funeris causa, civilis juris beneficia debeant amittere. Verum etsi hujusmodi amissio in illis decretis statueretur expresse, non tamen idcirco posset Catholicis facultas dari parochos intrusos ad baptismum recipiendum adeundi.

*a. Quoad baptismum:* Sanctitas sua declaravit non licere baptismum recipere a parochis intrusis, excepto casu extremæ necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare; sed a parochis legitimis aliisque de eorum consensu aut licentia conferri debere. Cum enim parochus intrusus schismaticus profecto sit ejusque schisma evidentissime constet, ex eo fit ut actio Catholici baptismi recipiendi causa intrusum adeuntis, quacumque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur; nam id esset in divinis cum schismaticis communicare in ipso schismatis crimine, quod certe natura sua malum est, proindeque lege omni divina et naturali vetitum... Quibus omnibus rite perpensis Sanctitas sua *Apost. Litt.* 13 apr. vertentis anni Catholicis omnibus qui sunt in regno Galliæ ita præcepit : *Invasores omnes sive Archiepiscopi sive Episcopi sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, præsertim in divinis.*

*b. Quoad matrimonium:* plures regulas ponendas hic jussit : — 1. fideles in Galliis debent matrimonio conjungi a suo parocho legitimo vel alio sacerdote de ejus vel de Ordinarii licentia ; nam matrimonium aliter celebratum nullam vim haberet, ob celeberrimam Tridentini legem de clandestinis matrimoniis in illius regni parochiis jam



pridem promulgatam et constantissime observatam; — 2. quoniam intrusus minime est parochus legitimus neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est; qua etiam de causa fideles abstinere debent, ne parocho suo legitimo prætermisso adeant intrusum; — 3. caveant etiam fideles qui matrimonio juncti fuerint a parocho legitimo ne coram intruso se sistant, ut ab eo ritu quovis sacro et religioso rursus matrimonio jungantur; vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote matrimonii Sacramento conjungi et sacro ritu copulari. Ne id enim fiat, vetant omnino rationes jam explicatæ, cum de baptismo agerentur; — 4. nunquam etiam licebit fidelibus declarationem edere matrimonii jam contracti magistratui civili, si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse Catholicos, quod ne accidat vereri se dicunt Episcopi consulentes eo in loco ubi de baptismo loquuntur; — 5. sed ne fidelibus quidem permittendum, ut matrimonii jam contracti declarationem factam coram civili magistratu faciant, si ob istam Catholici pro acatholicis habeantur; tum quia edicti verba heterodoxos tantum expresse comprehendunt; tum quia, publica hominum opinione, pro heterodoxis reputantur omnes qui civili magistratui sua matrimonia declarant[1]; — 6. denique idem Sanctissimus super hac de re commendavit episcopis regulas traditas a Benedicto XIV, Const. *Inter omnigenas* 2 feb. 1744 (§ 8, 9, 10), et *Redditæ* 17 sept. 1746 (n. 3), relatis *De Syn. Diœc.*, c. 7, n. 5; item regulas Pauli V litteris datis in forma Brevis 1606 et 1607[2].

*c. De funeribus et sepulturis* tertio loco actum est, ex quibus etiam aliqua necessitas nasci videbatur intrusum adeundi communicandique forte cum eo in divinis. Cum enim defunctorum corpora clam inhumare tam grave delictum sit, ut omnes ejus participes severis pœnis puniantur, omitti nullo modo potest secutæ mortis denun-

[1] Nihil tamen impedimento est quominus fideles ut civilibus potiantur effectibus præscriptam a nationali conventu nudam de matrimonio sic inito declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exercere. Ita alia responsione ad Episcopum Lucionensem, 28 maii 1793.

[2] Dans ces décrets, Paul V déclare qu'ayant appris que l'on voulait forcer, par de graves menaces, les catholiques anglais à fréquenter les temples, les réunions et les prêches des hérétiques, il doit les avertir et les conjurer, dans les termes les plus pressants, de ne pas s'oublier au point de se souiller ainsi par le contact des déserteurs de la foi, de n'aller sous aucun prétexte au temple ni au sermon des hérétiques, de ne prendre aucune part à leurs cérémonies, au détriment de la vraie foi et du salut des âmes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiatio, qua semel facta, non posse, aiunt intrusum impediri, quominus cadaver domo extrahat ejusque funus efficiat. — Regulam igitur qua fideles et maxime pastores hac in re uti debent, hanc futuram esse præscripsit Sanctissimus : exequias scilicet defunctorum celebrandas esse a parochis legitimis (si ob præsentes Catholicorum angustias aliter fieri non possit), in domibus privatis juxta Ecclesiæ ritum. His vero expletis, tolerandum esse ut parochi intrusi cadavera e domo exportent, et ad Ecclesiam etiam inhumanda deferant, ita tamen, ut fideles catholici nec funus comitentur, nec sacras preces recitent aliosque ritus Ecclesiæ cum illis socialiter agant[1].

**714.** Extrait de la réponse de Pie VI (*Intelleximus*, 5 octobre 1793) à diverses demandes adressées par l'évêque de Genève, émigré à Turin, et communiquée à l'archevêque de Tarentaise et à d'autres évêques de la Savoie.

Q. 1. Qua ratione procedere debeat episcopus et quibus pœnis subjicere pastores aut clericos tum sæculares tum regulares sive cum exemptione, sive sine exemptione, qui spreta lege ecclesiastica aut votorum nuncupatione, temerario ausu matrimonium attentaverint ?

R. *Nulla esse matrimonia contracta tam a regularibus, quam ab ecclesiasticis sæcularibus ad aliquos sacros Ordines promotis, et utrosque nedum in excommunicationis sententiam ipso facto incurrisse* (Clem. cap. unico, *De consang. et affin.*); *sed etiam tanquam bigamos irregularitati obnoxios esse* (cap. ult. *de bigam. non ordinandis*), *nisi derelictis fœminis et publico scandalo reparato...*

Q. 2. Qua ratione se gerere debeant pastores in publica Sacramentorum administratione et christiana sepultura erga laicos, qui divortiorum legibus (civilibus) freti, impetrataque a magistratu sententia compartem quasi conjugali vinculo soluti reliquerunt, sive novas nuptias attentaverint sive non ?

R. *Eos de quibus agitur, adversari doctrinæ Ecclesiæ de matrimoniorum indissolubilitate, ideoque non esse absolvendos et ad Sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittendos, nisi errorem ut par est ejurent, et ad legitimum redeant consortium, dimissa alia conjuge, quatenus alias nuptias inire attentarint.*

[1] Demum Episcopi postulabant ampliores dispensandi facultates, ut sic magis averterent fideles a confugiendo ad Episcopos intrusos, qui ad aliciendos Catholicos nullum servare solent modum in dispensando. Benigne annuit Pontifex : *Sicut enim* (aiente S. Leone M. in epist. ad Rusticum Narbonensem) *quædam sunt quæ nulla possunt ratione convelli* (cujusmodi est communicationis prohibitio cum intrusis in illis, quæ antea posita sunt); *ita multa sunt quæ pro necessitate temporum oporteat temperare* (ut sunt quæ petuntur dispensandi facultates). Quæ omnia vid. in Opere toties laudato *Teorica dell' istituzione del matrimonio*, ecc., part. IV.



Q. 3. Quid de iis, qui irritis plane matrimoniis juncti in adulterino vel fornicario saltem perseverant consortio ?

R. *Eos qui irritis plane matrimoniis juncti, in adulterino perseverant consortio cogendos esse pœnis spiritualibus, ut adulterino consortio derelicto ad legitimam redeant conjugem. Eos autem qui irritis plane matrimoniis in fornicario perseverant consortio, separandos esse, et quatenus impedimentum proveniat ex ecclesiastico jure tantum, quærendam esse canonicam dispensationem.*

Q. 4. Quænam sententia tenenda de iis qui cum ad parochum vel superiorem legitimum nullatenus aut nonnisi difficillime aut periculosissime recurrere possint, vel nullum alium possint adire, quam parochum juramenti aut communionis schismaticæ reum, alii coram extraneo sacerdote celebrarunt, alii coram sæculari magistratu? Utrum videlicet tanquam irritæ prorsus haberi debeant nuptiæ hujusmodi, sicque nubentes ad alia vota transire valeant ; aut si fœdere aliquo vinciantur, utrum invitari aut compelli debeant ad recipiendam a vero Ecclesiæ ministro sacram matrimonii benedictionem ?

R. *Matrimonia contracta coram sæculari magistratu aut coram extraneo Sacerdote, cum contrahentes ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus aut nonnisi difficillime seu periculosissime recurrere possint, esse valida, quoties duo saltem adfuerint testes, juxta resolutiones S. C. Concilii in causa Belgii* 27 *mart.* 1732; *in alia* 30 *mart.* 1669; *et juxta resolutionem Congregationis S. Officii in causa Provinciæ Malabaricæ* 8 *maii* 1669; *quibus adhæsit hæc particularis Congregatio in resolutione* 2 *jun. hujus anni in responsione ad episc. Lucionensem. Monendos tamen esse contrahentes ut consulant suæ conscientiæ, eo quod matrimonia contracta coram schismaticis vel schismati adhærentibus, tametsi in præfatis circumstantiis sint valida, sunt tamen illicita ; nec non hortandos esse conjuges ut a parocho legitimo recipiant benedictionem quatenus fieri possit citra periculum. — Quoties autem duo saltem testes minime adfuerint, matrimonia esse invalida, et quatenus fieri posset, esse revalidanda ; ita tamen ut si obstet aliquod impedimentum juris ecclesiastici, dispensetur ab episcopo, quoties dispensandi facultate polleat ex concessione Apostolicæ Sedis, ad quam recurrendum erit, si de impedimentis agatur, in quibus dispensandi facultatem non habeat ex ejusdem Sedis Apostolicæ delegatione. — Matrimonia vero contracta coram sæculari magistratu aut coram extraneo sacerdote, cum nullum alium possint contrahentes adire quam parochum juramenti aut*

*communionis schismaticæ reum, esse pariter valida, quoties duo saltem testes præsentes fuerint, et parochus proprius sive propter juramentum sive quavis alia ex causa schismati adhæserit; monendos tamen, et hortandos esse conjuges, ut supra.*

**715.** Extraits de réponses données par Pie VI (22 avril 1795) par l'intermédiaire de la congrégation des cardinaux pour les affaires de France, sur diverses questions proposées dans un mémoire du 8 mars 1795, relativement à la célébration des mariages.

1. On demande si dans la situation actuelle de la France où il est très-difficile sinon impossible de contracter mariage devant le pasteur légitime, on peut faire usage de la déclaration très-connue de la S. Congrégation du concile, rapportée par Sylvius[1].

R. Il suffit de revoir sur ce point la lettre de l'évêque de Luçon citée plus haut: elle résout les difficultés (quæst. 4).

2° S'il est convenable d'avoir la bénédiction d'un prêtre catholique quand on peut l'obtenir, dans le cas où la présence du curé catholique est impossible ou qu'on ne puisse commodément l'avoir?

R. Il est convenable d'avoir la bénédiction d'un prêtre quelconque dans la célébration d'un mariage, les circonstances étant telles que l'expose la demande (pourvu qu'il soit catholique et non schismatique ou intrus).

3° Dans l'hypothèse que le mariage ait été célébré sans la bénédiction du prêtre, qu'on ne pouvait avoir, est-il convenable ou non de suppléer plus tard cette bénédiction pour le même mariage.

R. Cette demande ayant été faite déjà plusieurs fois, il faut rappeler la réponse donnée: *Fideles hortandos esse ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen, illis declarabit hujusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere.*

4° La quatrième demande concerne les mariages célébrés en présence des curés intrus, dans le cas où les curés légitimes ou d'autres prêtres, *de Parochi aut Ordinarii licentia*, peuvent y assister; ces mariages sont-ils valides ou non?

R. Ces mariages sont nuls et on ne peut faire ici l'application de la déclaration de Benoît XIV *super matrimoniis Hollandiæ*, qui reconnaît comme valides les mariages contractés dans ce pays-là entre ca-

[1] *V.* Sylvius, *In Suppl.* 3 *p., D. Thomæ*, q. 45. a. 5, q. 4, où il donne la déclaration de la S. Congr. du concile conforme à l'avis de Bellarmin, publiée en ces termes : *De matrimoniis contractis ubi nulli jam sunt proprii pastores, jam olim actum fuit, cum Sanctissimo D. N. et cum Congreg. C. Tridentini, et sententia communis fuit, illa esse rata, nec ad ea pertinere decretum Concilii, cum in ejusmodi locis observari non possit.*



tholique et hérétique, sans la présence du pasteur, ou *non servata forma Tridentini Concilii*; puisque en dehors de toute autre considération il est certain que la déclaration du pape n'a point été étendue à la France, ce qui serait nécessaire pour rendre valides les mariages désignés dans le mémoire, c'est-à-dire les mariages qui se célèbrent *non servata forma præscripta a Tridentino Concilio*, toutes les fois qu'on peut avoir la présence d'un curé catholique ou d'un autre prêtre *de Parochi seu Ordinarii licentia*. Quoique d'ailleurs ces mariages soient nuls, il sera très-opportun que dans ces mariages entachés de nullité on recoure au Saint-Siége en exposant exactement toutes les circonstances, afin qu'il indique la conduite à tenir.

### (Z) Page 650.

**716.** *Quid notandum est de dispensatione in radice?* Dispensatio *in radice* differt a dispensatione simplici; quia hæc effectum non habet, nisi a tempore concessionis, seu ex nunc, nec proinde eximit a renovatione consensus; illa vero convalidat matrimonium a tempore matrimonii contracti, seu *ex tunc*: id est fictione juris ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponit res in eodem statu ac si impedimentum nondum extitisset, et ideo destruit effectum impedimenti a radice seu a principio et sanando vitium consensus et validitatem matrimonio tribuendo et conferendo legitimitatem filiis. — Ad hoc tamen requiritur: 1. ut consensus physicus datus fuerit a contrahentibus, etsi nullus ob latens impedimentum: secus nullo omnino modo existeret matrimonium; at quod nullo modo existit, sanari non potest. Hinc si ambo contrahentes sciverant impedimentum, sicque mala fide inierint conjugium, sanari illud non potest: si tamen unus sit in bona fide, volunt plures adhuc illud posse sanari; 2. ut adsit urgens et gravissima causa: et evenit præcipue, quando una pars ad consensus renovationem adduci nequit, sed tamen exhibet de præsenti consensum remanendi in matrimonio; item quando uni parti tantum est notum impedimentum, quod sine gravi incommodo ac timore alteri nequit manifestari. Ita Carriere, Gury et alii ex Benedicto XIV. Item est, si compars jam mortua sit: nulla enim est repugnantia; quia dispensatio in radice directe revocatur ad tempus quo matrimonium cum impedimento contractum fuerat, et impedimentum auferens, matrimonium ratum habet ab initio. Cum igitur res spectetur in suo principio, in quo ambo conjuges vivebant, nihil refert si postea unus eorum mortuus sit. Ita Bonifacius VIII conjugium irrite contractum inter San-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cium IV Castellæ regem jam præmortuum et Mariam in tertio consanguinitatis gradu ei conjunctam sanavit; et ita porro.

*An* (quæres) *necesse sit ad hoc ut valeat sanatio in radice, ut prior consensus moraliter perseveret? Per se* id non videtur necessario requiri; ratio quia nisi obstitisset impedimentum canonicum quando conjuges consensum naturalem præbuerunt, certissime matrimonium validum fuisset: porro Pontifices sanando matrimonium in radice, sanant seu tollunt vitium quod intercessit in actu quo conjugium celebratum fuit. Imo Benedictus XIV satis aperte exclusit hanc perseverantiam moralem in dato consensu, dum concessit dispensationem in radice matrimonii, quando alter conjugum in tribunalibus sollicitabat solutionem, adeoque, quantum in se erat, suum consensum retractaverat. — Diximus tamen *per se;* nam si in clausula dispensationis exigatur, ut constet de perseverantia consensus, ea omnino requirenda est. Ceterum censetur moraliter perseverare semel datus consensus, quoties non certo constat illum fuisse revocatum. — *V.* Benedictus XIV, Decreto *Etsi matrimonialis;* et *De Syn.*, l. XIII, c. XXI. — Perrone, *De matrimonio christiano*, ubi fuse, l. II.

**717.** Instruction (25 avril 1803) du cardinal Caprara, légat *à latere*, aux évêques de France pour la validation des mariages nuls, et Décret annexe des concessions de pouvoir papal pour les dispenses même *in radice.*

Undique accepimus innumera prope connubia existere nulliter inita, partemque unam sæpe sæpius renuere in faciem Ecclesiæ sese sistere ad copulationem suam ratam validamque coram Deo reddendam; quamvis pars altera recte disposita id velit et satagat. Animadvertentes quot mala quotque discrimina tum fidelium animabus, tum familiarum tranquillitati ex hoc irreligioso renuentium ingenio agendique ratione immineant, in amaritudine animi nostri lacrymas fundere cogimur, et miserrimo innocentium compartium statui, in quo ægre versari coguntur, merito compatimur. Jam diu officii nostri sollicitudo premitur et plurium episcoporum consultationes et innocentium postulata undique proveniunt. Verum res difficultatibus obnoxia est; pertimescimus enim ne dum bonum operari nitimur, aliquid mali exoriatur. Sed ut bonum assequamur et imminentia mala præcaveantur, hanc Instructionem emittendam ducimus, qua Ordinarius in casibus particularibus hujusmodi se haud difficile expedire et opportune providere poterit.

PARS PRIMA : *Quoad matrimonii renovationem, si uterque contrahens recte disponatur.* — 1. Qui civiliter, sive coram quocumque extraneo sacerdote, duobus saltem testibus præsentibus, aut dumtaxat coram duobus testibus, consensum mutuum de præsenti exprimentes



matrimonium inierunt, tunc temporis cum ad proprium parochum seu superiorem legitimum aut ad alium sacerdotem, quique a catholica unitate non recesserant; aut nullatenus aut nonnisi difficillime seu periculosissime recursum habere potuerant, moneantur sic contrahentes de hujusmodi matrimonii validitate, et tantummodo hortentur, ut nuptialem benedictionem a proprio parocho recipiant.

2. Qui vero ita contraxerunt, sed tunc temporis cum absque gravissima difficultate seu periculo recursus patebat ad unum ex sacerdotibus præfatis, quive matrimonium quomodocumque inierunt cum aliquo dirimente impedimento absque legitima dispensatione aut cum dispensatione defectu legitimæ potestatis irrita, matrimonium servata forma sancti Concilii Tridentini denuo contrahant.

3. Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis conjugibus, et ipsimet fortasse ex ignorantiæ invincibili sint in bona fide, et absque gravis scandali seu perturbationis periculo, certiori nequeant de nullitate matrimonii, hisce in circumstantiis in bona fide relinquendi sunt, quemadmodum per sacros canones disponitur.

4. Si contrahentes in mala vel dubia fide versentur, aut si in bona fide existentes de nullitate matrimonii certiorari possint absque gravis scandali seu perturbationis periculo, unde locus detur matrimonii renovationi, eorum matrimonium in facie Ecclesiæ celebrandum est juxta modum inferius præscriptum.

5. Si præter clandestinitatis aliud ecclesiastici juris obstet impedimentum, dispensatio præmittatur juxta indultum inferius exaratum.

6. Si nullitas matrimonii occulta sit seu communiter ignoretur, matrimonium coram proprio parocho, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala contrahendum est, adnotata deinde particula in secretorum matrimoniorum libro.

7. Si vero nullitas publica sit, ad scandalum removendum matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini celebrandum est : quod si Ordinarius ob peculiares circumstantias expedire judicaverit, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit, et quamprimum removeatur.

PARS ALTERA : *Quoad rationem convalidandi matrimonium, si ejusdem convalidationem pars una petat, et altera renuat.* — 8. Si hujusmodi renuentia proveniat ex indispositione ad Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceptionem, paternis monitis curandum est, ut renuens rite disponatur.

9. Quatenus pars indisposita ad Sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad matrimonii celebrationem procedere, non obstante

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illius indispositione; pars enim innocens et instans, attentis circumstantiis licite utitur jure suo: Ecclesiæ minister eidem innocenti directe ac licite reddit jus suum, et indigne renuentis susceptio ejus dumtaxat indispositioni tribuenda est.

10. Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiæ circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in charitate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiæ convalidare, tunc:

11. Satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem expresso consensu de præsenti per epistolam directam proprio parocho vel alteri sacerdoti Ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur.

12. In hujusmodi matrimonii celebratione ratio quoque habenda est tum existentiæ alicujus impedimenti, tum matrimonii nullitatis sive publicæ sive occultæ, et servandæ regulæ sub nn. 5, 6 et 7.

Pars tertia: *Quoad dispensationem etiam in radice.* — Si hactenus præscripta obtineri nullatenus possint, et pars una ad celebrationem matrimonii, juxta superius tradita, faciendam adduci nequeat, dummodo de præsenti exhibeat consensum remanendi in matrimonio, mature perpensis urgentibus circumstantiis et attentis servatisque conditionibus et forma inferius præscriptis, nec obstet publicitas fornicariæ copulationis et non justi matrimonii, ad dispensationem in radice matrimonii seu ad matrimonii sanationem in radice in casibus particularibus deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati, et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit.

13. Ordinarius uti poterit facultate apostolica auctoritate inferius demandata, dispensandi scilicet in radice matrimonii, seu matrimonium in radice sanandi, postquam tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum aut per ejusdem assertionem etiam oretenus factam ipsi Ordinario, sive alteri ecclesiasticæ personæ ab eo specialiter deputatæ et in scriptis redigendam, constiterit non solum renuentem in consensu de præsenti permanere, sed etiam hujusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manere, ut nihil unquam ex ea deduci aut præsumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam.

14. Si matrimonii nullitas occulta sit, Ordinarius ad sanationem seu dispensationem in radice, ad evitanda scandala, secreto deveniat.

15. Si vero nullitas publica sit, ad publicum scandalum removendum ejusmodi dispensatio seu sanatio notorie perficiatur, aut etiam



secreto, si ad aliquam præcavendam perturbationem ita Ordinario in Domino visum fuerit, dummodo tamen locus sit evulgationi peractæ matrimonii sanationis seu dispensationis, qua publicum scandalum congrue removeatur.

16. Si evulgationi ejusmodi dispensationis locus non sit, ob imminentis gravis scandali aut perturbationis periculum, prælaudatus Ordinarius per ejusmodi secretam matrimonii sanationem seu dispensationem, innocentis compartis animæ saluti provideat, onerata ejusmodi Ordinarii conscientia, ut perpensis circumstantiis et pro sua prudentia, modum exquirat quo etiam publicum scandalum ex matrimonii nullitatis publica notitia existens quamprimum removeatur, monitis interim parochis, ut donec ejusmodi publicum scandalum sublatum sit, in admittendis innocentibus conjugibus ad sacramenta, ne ulla scandali præbeatur occasio, iis utantur circumspectionis regulis quæ cuique exploratæ sunt.

17. Si præter clandestinitatis impedimentum aliud juris ecclesiastici forsan obstet, legitima semper ea præmittatur dispensatio, prout etiam cautum est n. 5.

18. Si unus vel uterque contrahens per divortium separatus sit a respectivo conjuge adhuc vivente, tradita instructio et sequens facultatum decretum executioni nullatenus demandentur, nisi prius et prout de jure constiterit de nullitate respective primi matrimonii proveniente ex aliquo canonico impedimento, et nisi prius ejusdem nullitatis declaratoria sententia ab Ordinario lata fuerit.

19. Serventur tandem cætera de jure servanda, quæ præsenti Instructioni non adversentur.

Decretum: *Quo Apostolicæ facultates demandantur.* — De speciali gratia et apostolica auctoritate a Sanctissimo Domino nostro Papa Pio VII nobis benigne concessa, Venerabili in Christo Fratri Episcopo *N.* sive ejus Vicario in spiritualibus Generali, infrascriptas facultates communicamus, quibus etiam per aliam personam ecclesiasticam in casibus particularibus specialiter deputandam, uti valeant in utroque foro et ad annum dumtaxat a die datæ præsentis computandum, cum omnibus et singulis Christifidelibus in propria Diœcesi degentibus et quando agitur de matrimoniis nulliter quomodocumque contractis usque ad diem 14 augusti anni 1801, servatis forma et tenore præcedentis instructionis et facta expressa mentione apostolici indulti:

1. Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis tam a jure quam ab homine latis, ad effectum dumtaxat apostolicæ gratiæ consequendum.

2. Absolvendi pariter a censuris et pœnis ecclesiasticis ob matrimonium attentatum et incestus reatum incursis, et ab attentatibus et incestus reatibus et culpis hujusmodi cum gravi pœnitentia salutari.

3. Dispensandi super quibuscumque impedimentis juris ecclesiastici, etiam primi affinitatis gradus in linea collaterali, et secundi primum attingentis consanguinitatis gradus; exceptis impedimentis ex sacro Ordine et castitatis voto solemniter omisso et ex crimine machinationis in mortem conjugis cum effectu, provenientibus; et quatenus mulier rapta fuerit, dummodo extra potestatem raptoris in loco tuto consistat, servatis in singulis casibus conditionibus de jure servandis.

4. Dispensandi in radice matrimonii seu matrimonium in radice sanandi perinde ac si contrahentes qui ad matrimonium ineundum inhabiles fuerant, et consensum legitime præstiterunt, ab initio habiles fuissent et consensum legitime præstitissent.

5. Prolem sive susceptam, sive suscipiendam legitimam decernendi et nuntiandi.

Præsentes denique et cetera documenta ab Ordinario et præsentium executore exquirenda et habenda ut supra præscriptum est, nec non dispensationis decreta et commissiones ab Ordinario emittendæ in episcopali archivio diligenter asserventur. Insuper quatenus matrimonii celebrationi locus detur, juxta regulas superius traditas, matrimonii particula in parochiali libro de more referatur, facta expressa mentione apostolicæ dispensationis, ut pro omni et quocumque futuro eventu constare possit de matrimonii validitate et prolis legitimitate.

*Datum Parisiis, ex ædibus residentiæ nostræ die* 25 *aprilis* 1805.

## (44) Page 658.

**718.** Erit grave incommodum, et ideo a peccato excusans (ex Bouvier), ad reddendum viro volenti seminare extras vas: — 1. si mors, verbera aut graves sævitiæ timeantur; — 2. si detur locus timendi, ne maritus concubinam in domo conjugali habeat, et cum illa maritaliter vivat; quia nulla est uxor sensata quæ sævitias vel etiam verbera non mallet sufferre, quam commercium adeo sibi injuriosum in propria domo videre; — 3. etiamsi maritus, concubinam in domo non habiturus esset, si timeretur ne illam alibi frequentaret, vel ad meretrices accederet: quia certe hoc valde molestum est mulieri ratione jurgii, dissensionis, dissipationis rei domesticæ, scandali, etc.; — 4. notandum est gravitatem molestiarum ex circumstantiis personarum judicandam esse; quod enim respectu unius reputatur leve, gravissimum esse potest respectu alterius. Sic rixæ transitoriæ, dissensiones, et etiam quædam verbera non multum ponderantur inter rusticos: at prorsus intolerabilia forent mulieri timidæ, exquisita disciplina instructæ et urbanitati assuefactæ. Metus ergo notabilium jurgiorum in his conditionibus esset causa sufficiens debitum reddendi; — 5. pariter si mulier certo sciat virum ex repulsa iratum, blasphemias in Deum et in Religionem, injurias erga Confessarium et Sacerdotes in genere, verba scandalosa coram famulis aut liberis pronuntiaturum, tunc debitum reddere potest. Quia unum peccatum impedire volens, in causa esset, quod alia æque gravia vel graviora patrarentur: nihil ergo proficeret, et grave incommodum frustra subiret; — 6. a fortiori metus divortii, aut separationis aut infamiæ, aut gravis scandali esset causa sufficiens; — 7. non necesse est quod mulier virum repellat, donec sævitias, molestias, aliave incommoda superius memorata experta fuerit: tunc enim debitum reddendo vel offerendo, malum jam existens sæpe non averteret: et aliunde illud subire non tenetur ad peccatum mariti impediendum. Sufficit ergo ut illud rationabiliter timeat; — 8. similiter virum debitum cum intentione se retrahendi petentem, singulis vicibus monere non tenetur, quando ex adjunctis certo cognoscit, se ab illo nihil obtenturam: debet tamen, saltem aliquoties, ostendere se crimini ejus non assentire. Verum sedulo cavendum est, ne illa metu prolis, molestiarum graviditatis, aliove motivo sibi illudens, interius peccato mariti assentiat, vel in illo sibi complaceat. Sic disposita esse debet, ut mallet mori quam generationem impedire, si hoc ab ipsa penderet.



Hic tandem non abs re erit proferre sequens responsum datum episcopo Bouvier, ut ipse refert, in *Supplem. ad Tract. de matrimonio.*

« Beatissime Pater : Episcopus Cenomanensis, ad pedes Sanctitatis Vestræ summa cum reverentia provolutus, ea quæ sequuntur humillime repræsentat :

« Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt; et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt. A Confessariis interrogati, circa modum quo juribus matrimonii utuntur, graviter communius offendi solent. Et moniti, nec ab actu conjugali temperantur, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt. Tunc adversus Confessarios mussitantes Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ derelinquunt, malum præbent exemplum liberis, famulis aliisque Christifidelibus. Lugendum inde oritur detrimentum. Numerus eorum, qui ad sacrum Tribunal accedunt, multis in locis, ab anno in annum decrescit, præsertim ob hanc causam, fatentibus plerisque Parochis pietate, scientia et experientia magis conspicuis. Quomodo ergo olim agebant Confessarii, aiunt multi? Non plures, quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis matrimoniis. Conjugati non erant castiores; et nihilominus præceptis annuæ Confessionis ac Communionis pa-

schalis non deerant. Omnes libenter admittunt infidelitatem erga compartem, et abortus intentationem maxima esse peccata. At vix quidam persuaderi possunt se teneri sub peccato mortali aut perfectam in matrimonio servare castitatem, aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.

« Præfatus Cenomanensis Episcopus ingentia hic obventura esse mala prævidens, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit : — 1. An conjuges, qui matrimonio eo utuntur modo, ut conceptionem præcaveant, actum per se mortaliter malum exerceant? — 2. An actus habendus sit ut per se mortaliter malus, et an conjuges de illo se non accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide, quæ eos a gravi culpa excuset? — 3. An probanda sit agendi ratio Confessariorum qui, ne conjugatos offendant, illos circa modum quo matrimonii juribus utuntur, non interrogant?

Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis propositis quæstionibus :

Ad 1$^{um}$ respondet : cum tota actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit : ideo si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, poterit ipsa (ut probati Theologi docent) citra peccatum passive se præbere. Cum in iis rerum adjunctis, ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa quæ eam excusat; quoniam charitas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. — Ad 2$^{um}$ autem et 3$^{um}$ respondet : quod præfatus Confessarius in mentem revocet adagium illud : *Sancta sancte esse tractanda.* Atque etiam perpendat verba S. Alphonsi de Liguorio, viri docti et harum rerum peritissimi qui in *Praxi Confessarii* (§ 4, n. 7) inquit : *Circa autem peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxorem an illud reddiderit, modestiori modo quo possit... De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit.* Necnon alios probatos auctores consulere non omittet.

Datum Romæ, 8 junii 1842.

**719.** Quia autem plurima, quæ ad debitum conjugale pertinent, fundantur in physicorum doctrina, quæ in dies firmior evadit, hinc audiamus medicum Debreyne, *Essai sur la Théologie morale*, c. v.

« S. Liguori, l. VI, n. 918, demande : *Si autem vir jam seminaverit, dubium fit an fœmina lethaliter peccet, si se retrahat a seminando? aut peccet lethaliter vir non expectando seminationem uxoris?* — Voici notre réponse à ces doutes : la quasi-spermatisation de la femme ne paraissant pas nécessaire à la génération, nous ne voyons pas trop la solidité des raisons qu'apportent les théologiens en



faveur du péché mortel dans les espèces, parce que la matière qui forme la spermatisation de la femme n'est point une véritable semence, mais des simples mucosités vaginales et utérines. Il paraît que Mgr Bouvier partage encore, sur la question de la semence de la femme, l'opinion ou plutôt l'erreur commune des théologiens, puisqu'il dit, à la page 157 : *Peccatum est mortale... si mulier semen ejiciat, vel ejicere conetur, si* PROPRIUM *semen exterius prius profundat*, etc. La raison sur laquelle se fondent ces théologiens est tirée des écrits d'Hippocrate, de Galien, de Valescus, etc. ; mais ces auteurs (quoique médecins) en ces sortes de matières sont aujourd'hui universellement regardés comme des autorités tout à fait nulles et incompétentes dans la question. Une seule observation physiologique doit suffire pour renverser tout ce *farago* d'opinions erronées du moyen âge : c'est que la femme, d'après tous les physiologistes modernes de l'Europe et du monde entier, est incapable d'une véritable sécrétion séminale ou spermatique, elle n'a point d'organe spécial pour cela. Elle fournit seulement l'ovule ou le germe qui vient de l'ovaire, plus ordinairement une certaine quantité de mucosités ou d'humeurs lubrifiantes, qui sont l'effet de l'orgasme érotique ; et qui sont propres à faciliter et à compléter l'acte conjugal, mais qui ne paraissent pas essentielles à la fécondation.

« Enfin, les théologiens demandent : *Utrum fœminæ licitum sit, post retractationem et seminationem viri, sese tactibus excitare ad propriam seminationem ut sibi levamen necessarium procuret?* — Nous pensons que cela ne lui est pas permis, parce que cette action solitaire n'a plus aucun but physiologique ni aucune relation avec l'acte conjugal, et que ce serait par conséquent une véritable pollution. Quant au soulagement ou au besoin à satisfaire, je n'y vois que la prolongation de l'acte conjugal, ou un nouvel acte qui soit complet et normal. Les théologiens, qui pensent comme nous, apportent pour raison : *Quia semen mulieris non est necessarium ad generationem, et quia effusio ista mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro.* Saint Liguori ajoute : *Si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret et vir maneret irritatus.* »

## (*BB*) Page 670.

**720.** Sic ab Episcopo peti potest facultas conjuges restituendi in integrum :

EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

*Titius* vel *Titia* (nomen fingitur) *conjux in culpam incestus incidit. Facti summopere pœnitet : et per me infrascriptum humillime petit dispensationem super contracto impedimento una cum restitutione in pristino jure petendi.*

*Dignetur rescriptum ad me dirigere.*

Novariæ die...

Obsequentissimum Servum.
N. N.

Hic autem advertendum : — 1. quod rescriptum statim post executionem est destruendum omnino ; — 2. quod ex Synodo Novariensi (pag. 322) reservatus est *incestus inter consanguineos sive in primo sive in secundo gradu : inter affines in primo gradu : et inter cognatos spirituales*. Item quando generatim trabuitur facultas alicui absolvendi ab hoc crimine, non ideo facultas includitur restituendi conjuges in jure suo ; sed hæc distinctis vicibus est postulanda ; — 3. quod de impedimento incestus dictum est relate ad dispensationem, idem valet de voto ; nisi tamen illud fuerit perpetuum et utroque conjuge consentiente emissum, ut innuimus *disput*. III$^{a}$, c. III.

### (*CC*) Page 676.

**721**. Q. *Qui ab infidelitate ad fidem convertitur, si plures duxerit uxores, cuinam post baptismum adhærere potest?* R. Si omnes illæ uxores fidem et ipsæ amplecti velint, qui conversus est debet primam in gentilitate ductam retinere, quia hæc sola extitit vera uxor ; nam ex divina institutione nonnisi unus cum una permanere potest : *et erunt duo in carne una*, quo divino præcepto vel ipsi ethnici obligantur. Quod si prima converti nolit, reliquæ autem et secunda et tertia, etc., sese exhibeant ad veram fidem profitendam ; cum omnes illegitimæ fuerint uxores, cumque difficile sit inducere conversos ad secundam potius quam aliam retinendam, libertas ipsis relinquitur. Ita Pius V de Indis. — *V*. Benedictus XIV, *De Syn. Diœcesana*, l. XIII, c. XXI, n. 3.

Cum autem fuerit supplicatum ab episcopo Quebecensi ad barbaros facilius convertendos, ut venia daretur conversis se jungere cum qualibet ex illorum uxoribus, prima relicta, Congr. S. Inquisitionis respondit 8 jun. 1836 : *negative*, si agatur de vero inito matrimonio cum



prima ; tunc hæc ducenda est, si et ipsa baptismum suscipiat, vel saltem consentiat habitare sine injuria creatoris. Si vero agatur de matrimoniis de quibus serio dubitare possit utrum vera fuerint matrimonia, an conturbernia tantummodo ex cupiditatibus inita, S. Congregatio censuit, infidelem qui ad fidem convertitur, posse post conversionem suam eligere quamcumque velit ex mulieribus jam sibi conjunctis modo et ea ad fidem convertatur, vel etiam posse matrimonium inire cum alia quacumque catholica muliere. — *V*. Perrone, *De matrimonio christiano*, l. XII, sect. I, c. VII, a. 2.

**722**. *Quid* (quæres) *si infidelis interpellatus nolit converti, sed tamen velit pacifice habitare cum parte conversa ; licetne fideli ab eo separari etiam quoad vinculum?* R. Negant id licere D. Thomas, D. Antoninus, D. Bonaventura, idque probant ex illo Apostoli : *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam* (I *Corinth*., 7). Alii autem cum Bellarmino, Martini et D. Augustino (*De adulter. conjug*., l. I, c. XVIII), explicando illud Apostoli non de præcepto legis, sed de consilio charitatis, aiunt partem conversam non teneri discedere, sed posse. Verum communius et probabilius docent Concina, Pontas, Sanchez, Salmanticenses, Tournely et alii, quod utique olim non poterat fidelis discedere ab infideli parte, si quiete cohabitare volebat, cum per miracula, quæ frequentius tunc per fideles fiebant, plures infideles ad fidem converterentur ; sed hodie cum cessaverint miracula tam frequentia illicitum est ei cohabitare ex recepta Ecclesiæ consuetudine : ideo inducta, quia experientia docuit non modicum perversionis periculum ex tali consortio imminere parti fideli. Unde hodie si infidelis monitus converti recuset, fidelis debet eum relinquere et potest etiam ad alias nuptias transire ex Instructione Gregorii XII et Pii V. Excipiunt tamen Tournely et Sanchez, si episcopus dispenset ad cohabitandum ob probabilem spem conversionis infidelis. Liguori, *Op. Mor*., l. VI, n. 957.

Si infidelis non possit moneri, tunc recurrendum ad Pontificem, cujus est declarare an pro tali casu cesset præceptum interpellationis. Ita Gregorius XIII. — *V*. Perrone, *Op. cit*.

### (*DD*) Page 681.

**723**. *a*. Quoad sævitiem ut sit causa divortii, oportet ut mala sint mala gravia *saltem relate ad personas*, prout advertunt Sanchez et Roncaglia ; nec transeuntia. Secus quot dissensiones ! quot lites ! quot perturbationes passim orirentur ! Hinc hæc separatio, si periculum non sit in mora, fieri debet judicis ecclesiastici auctoritate : et cessat, ces-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sante periculo; cum hoc tota sit illius separationis causa. Si tamen perpetua causa illa judicetur, compars remanet libera, et poterit fieri Religiosus vel Clericus.

Diximus *saltem relate ad personas :* hinc S. Concilii Congregatio 10 feb. 1859 declaravit : « Les injures, même verbales, qu'un mari adresse habituellement à sa femme sont un motif légitime de séparation, et surtout si la femme est de condition élevée et mérite des égards en rapport avec son éducation; à plus forte raison les mauvais traitements qui attaqueraient sa santé... Ici les injures consistaient en un mépris continuel de la femme, le mari l'appelant continuellement stupide, bête, bonne à rien, la prenant quelquefois par le bras pour la chasser de la maison, la laissant à la porte, en sorte que cette malheureuse femme était chaque instant dans les pleurs. On objectait que les discordes domestiques n'étaient pas un motif de séparation, Alexandre III disant au chapitre *Ex transmissa*, § *de rest. spoliat*, que l'on doit la permettre seulement dans le cas où *capitali odio mulierem vir prosequatur*; et Innocent III dans le chapitre *Litteras* 13 eod. tit. : *Si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri.* »

**724.** *b.* Quoad adulterium quæres : *An vir, cognito uxoris suæ adulterio, teneatur eam juridice dimittere? Et vicissim uxor virum adulterum?*

R. Ad 1 : Per se loquendo, et ratione ipsius adulterii potest quidem vir dimittere uxorem, sed non tenetur; nam Christus permisit utique, sed non præcipit talem dimissionem. Ratione talem correptionis fraternæ et scandali, v. g., si innocens existimatur peccati particeps, tenebitur etiam dimittere illam, si aliud non adsit remedium ; ac si ex tali dimissione non timeantur incommoda gravia. Ita S. Thomas, S. Bonaventura et Salmanticenses; et en quo sensu explicatur illud : *Qui autem tenet adulteram, stultus est et impius* (Prov. 18).

R. Ad 2 : Quod uxor non teneatur recedere a marito adultero, sunt qui docent; quia neque ratio correptionis fraternæ, neque ratio scandali ei suffragatur : non prima, quia duntaxat superioris est facto corrigere; non secunda, quia nunquam præsumitur uxor consentire in adulterium mariti sui. Sed nobis videtur verior sententia, licet rarissime, aliquando tamen teneri mulierem recedere a viro adultero, quando nempe ex separatione adsit spes emendationis; nam etiam subditus tenetur superiorem corrigere eo modo meliori, quo potest; etenim unicuique mandatum est de proximo suo.



### (EE) Page 684.

Ultimo hic tres quæstiones ponimus : unam de *divortio*, alteram de *agnitione et legitimatione filiorum*, tertiam de *statu civili*.

**725.** Quoad *divortium*, quocumque modo sumatur (una excepta separatione tori ex mutuo consensu), dicimus illud ordinarie (ad injurias ac scandala propulsanda) non permitti, neque aliter posse proponi quam apud Judices ecclesiasticos (Trident., sess. XXIV, c. XX de R. ; et can. 12. *It.* Instructio Benedictina, § 7) : et quidem apud Episcopos, non vero Prælatos inferiores (Tridentinum, sess. XXIV, c. XX). — Aliter factum nullius roboris habetur (c. III, *de divort.*; c. V et VI, *de adult.*; c. IX, *de int. rest.*), agitur enim de summa re, videlicet de conjugiorum firmitate tuenda; de scandalo avertendo, ac de pœna publica et magna infligenda.

Ratio autem dissolutionis in judicio, vel privatum jus respicit vel publicum. Si 1, id est si proponatur matrimonium nullum esse ex errore, vi, metu et raptu : item irritandum esse causa ineundæ religiosæ vitæ; aut dissolvendam habitationem ob mariti sævitiem; vel quæstio tantum sit de sponsalium valore : tunc solis tantum conjugibus permittitur agere in judicio ad dissolutionem conjugii pro qualitate rei, exclusis extraneis, propterea quod tantum interest ipsorum (c. XXVI *de spons.*; c. II et IV *de conj. servor.*; c. V *de frigid.*; etc.). Si 2, hoc est si petatur, ut matrimonium nullum declaretur ob religiosam professionem, Ordinem sacrum, cultus disparitatem, cognationem, affinitatem, honestatem publicam, etc.; tunc ab Advocato fiscali Episcopi, et a quocumque alio etiam extraneo, dummodo legitimis documentis quod proponit, probaturus sit, neque sit de dolo aut mala fide suspectus, introduci quæstio poterit. Agitur enim de causa publica, in qua non actio, sed accusatio ipsa proponitur (ut docet vel ipse titulus Decretalium : *qui matr. accusare*).

Dissolutionis causæ summario modo et sine strepitu peraguntur (c. I *ut lite non contest.*, Clem. 2 *de judiciis*). At regula est, ut semper præsumatur in favorem matrimonii jam contracti; non autem contra illud : unde contra non sunt admittendæ probationes, quæ quidem non sint omnium gravissimæ. Et Benedictus XIV Constitutione *Dei miseratione*, 3 nov. 1741, statuit ut in singulis Diœcesibus designentur matrimoniorum defensores. Isti causæ semper intersunt, sicque judicis officium adjuvantur, atque insuper a prima sententia, si forte sit contra matrimonium lata appellare semper debent. Defensor autem, cum munus ejusmodi committetur, juramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, et, quotiescumque contigerit, ut in

judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum præbebit (it. videnda alia ejusdem Pontificis Const. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743). *V.* Bouix, *De Judiciis*, tom. II, ubi fuse. — Ferraris, V. *Rescissio*, *Nullitas matrimonii*. — Pro regno Austriaco vid. *Patente imperiale nella quale si promulga una nuova legge sugli affari matrimoniali dei Cattolici nell' impero Austriaco*, 8 ott. 1856. It. Vergottini, *Analisi del Concordato Austriaco... aggiuntavi la nuova legge sul matrimonio*, Venezia, 1857.

**726**. *Agnitio* est actus civili lege inductus, quo parentes vel propria sponte vel judicis auctoritate filios suos naturales agnoscunt vel debent agnoscere : hinc agnitio alia est voluntaria, alia judicialis. Quæ fieri debet vel in ipsis nativitatis tabulis, vel alio authentico actu ante vel post filii naturalis nativitatem. Filius, si a beneficio agnitionis excludatur, compellere potest matrem ad ipsum agnoscendum, probando se illius filium esse; at non potest compellere patrem, quia investigatio paternæ originis est moribus invisa : excipe 1. si pater se talem scripto affirmaverit, vel si constet aliqua actuum serie se erga filium ut patrem gessisse : hæc tamen inquisitio solum vivente patre permittitur; 2. si qui pater dicitur, raptum vel stuprum violentum in matrem filii commisisse constet, et delicti tempus conceptionis tempori respondeat. Si tamen pater agnoscendo filium et matrem nominaret, hujus nominationis nulla per se habetur ratio. — Ab agnitionis beneficio excluduntur a jure : 1° Nati ex parentibus, quorum alteruter conceptionis tempore conjugali vinculo obstrictus erat. 2° Nati ex genitoribus ab ineundo matrimonio prohibitis ob arctius consanguinitatis vel affinitatis vinculum in linea recta in infinitum, vel ratione consanguinitatis in linea transversa ad secundum usque gradum civiliter computandum. 3° Nati ex iis, quorum vel unus eodem conceptionis tempore solemni castitatis voto obstrictus erat ob religiosam professionem, vel ob sacrorum Ordinum susceptionem. Ceteri omnes ex patrio jure ad agnitionis beneficium admittuntur, ideoque etiam nati ex iis, qui conceptionis tempore matrimonium inire non poterant ob alitquod dirimens impedimentum, quod pontificia dispensatione tolli potest; qua in re juri antiquo derogatum est. — Effectus agnitionis sunt, ut filius naturalis essequatur statum certum, jus habeat quoad aliqua in bona parentum, et fiat capax legitimationis beneficio; etsi enim agnitus, nondum tamen habetur ut filius legitimus, nisi ipsa legitimatio sequatur.

*Legitimatio* est actus, quo naturales filii, forma a lege præscripta legitimi fiunt, patriæ potestati subduntur, et omnia jura acquirunt ad legitimos spectantia. Ex hodierno civili jure fieri potest tum per sequens matrimonium (quo secuto, actu publico si opus, declaret talem



filium suum esse), tum per Principis rescriptum. Sed ab omni legitimationis beneficio excluduntur, qui excluduntur a beneficio agnitionis : excluduntur insuper a legitimatione per subsequens matrimonium : 1° Nati ex iis, qui conceptionis tempore consanguinitatis vinculo in tertio gradu, vel secundo affinitatis in laterali linea juxta civilem computationem sunt conjuncti. 2° Nati ex conjunctione inter adoptantem et adoptatum, et adoptantis conjugem. Isti proinde solo Principis rescripto legitimi fieri possunt. Etiam pro filiis jam mortuis potest habere locum legitimatio, in favorem nempe eorum descendentium. Quod tamen pertinet ad Principis rescriptum, illud a patre postulandum est, si vivat; item oportet, ut pater non habeat alios sive legitimos sive legitimatos, vel ab istis descendentes; item ut per subsequens matrimonium ex gravi causa non possit filios legitimare. V. *De just. et jure* ubi *de hæred.* quoad jura in parentum bonis, quæ habent filii tum legitimi aut legitimati, tum naturales. — Ferraris, v° *Legitimatio*. — *Cod. Albert. civ.*, art. 171 et seqq. — *C. A. civ.*, 161. — *C. G.*, 331 et seqq. — *C. S.*, 253. — *C. P.*, 131. — *C. M.*, 166.

---

**727**. Ut hactenus dicta plenius intelligantur, et utrique civili et canonico juri applicentur, breviter dicendum de multiplici filiorum nomine. Maxima ac prima distinctio est in filios legitimos ac illegitimos : *legitimi*, dicuntur qui ex valido conjugio vel saltem putative valido, procreati sunt; *illegitimi* autem, qui ex nuptiis nec vere nec putative validis geniti sunt. Illegitimi a civili lege generali nomine appellantur filii *naturales*, a jure vero canonico filii naturales dicuntur ii solummodo, qui nati sunt ex illis qui vel prolis conceptionis vel nativitatis vel intermedio tempore, valide inter se nubere poterant, utpote nullo dirimente impedimento detenti. Si secus est, id est si filii nati sint ab iis, qui aliquo ex memoratis temporibus impedimento dirimento impediti erant, dicuntur *spurii :* et quidem *adulterini*, si ex adulterio; *incestuosi*, si ex incestu; *sacrilegi*, seu ex sacrilega copula, puta cum persona voto castitatis solemni ligata; *nefarii* demum, si ex parentibus in linea recta, ut ex patre et filia, nati sunt. — Ubi notamus : jus canonicum omnes spurios excludit a legitimatione per subsequens matrimonium; e contrario lex civilis exceptionem facit, ex dictis supra. Hinc concludunt : quoad effectus civiles, id est quoad successiones, hæreditates, etc., standum est civili lege; quoad effectus vero canonicos, id est quoad ordines, impedimenta matrimonii, dignitates et beneficia ecclesiastica, adhuc standum est lege ecclesiastica.

**728.** *Status civilis* est illarum conditionum complexio, quæ a jure civili requiruntur, ut quis civilibus juribus frui possit, ac civitatis oneribus subjici a positivis Regni legibus statutis. Civilia jura habent non tantum singuli subditi, sed etiam corpora moralia, ut collegia, universitates, quæ publica auctoritate probata sunt; cum ut totidem personæ habeantur [1]. — Status civilis acquiritur, seu subditi censentur vel qui tales nascuntur, vel qui tales postea fiunt. *Nascuntur subditi* qui patrem vel matrem habent subditam, ejusque sequuntur conditionem, etsi in extera ditione nati. Paternam conditionem sequuntur filii legitimi, legitimati, vel naturales legaliter a patre agniti: maternam vero conditionem sequuntur filii naturales a matre tantum agniti. Non censentur subditi qui nascuntur ex extero patre intra ditionem nostram, nisi exterus domicilium in ditione fixerit cum animo ibi perpetuo manendi, qui tunc adesse præsumitur cum continuo per decennium permanserit, non tamen mercaturæ causa. Filii etiam expositi, qui matrem habent incertam, si in territorio nati sint, a matre subdita præsumuntur nati. — *Subditi autem fiunt*: 1. legis beneficio ii, qui nascuntur ex patre, qui ob culpam jura civilia amiserit: isti enim etsi uti extranei habeantur, si tamen intra annum ab adepta majori ætate profiteantur se velle permanere in domicilio, quod apud nos jam habent: vel illud, si alibi morentur, penes nos transferre et reapse intra hujusce anni spatium transferant a declarationis die computandum, tunc subditi qualitatem acquirunt; 2. matrimonii vi extera femina, quæ viro subdito nupserit, et ipsa subdita fit; 3. Principis rescripto subditi fiunt qui Litteras *naturalitatis* obtinent, modo tamen apud nos domicilium fixerint, et Principi fidelitatem juraverint (Vid. *Cod. Ped.* art. 19 et seqq.— *C. A.* 28. — *C. G.* 10. — *C. S.* 10. — *C. P.* 13. — *C. M.* 16).

Civilis autem status probatur ex nativitatis, matrimonii et obitus actis a respectivis Parochis describendis, qui in externo foro plenam fidem faciunt. Hinc patet quanta esse debeat Parochorum cura in iis exarandis accurate, quamque graviter delinquerent, si in hoc culpabiliter deficiant. Omnes qui ea acta immutarent, vitiarent, etc., coram judice conveniri possunt pro damnis et eo quod interest (*Cod. civ. Ped.*, art. 62.—*C. G.* 45.—*C. S.* 104.—*C. P.* 279.—*C. M.* 312); præter pœnas a Codice pœnali statutas (*Cod. pœn. Gall.* art. 145 et seqq.). Quod si prædicta acta deficiant, tunc locus datur probationi ex documentis præsertim a defunctis genitoribus provenientibus, vel aliorum certis testimoniis; iis tamen exceptis, quæ pro paternæ originis investigatione expresse prohibita sunt (uti cum agitur de probanda paternitate et maternitate eorum, qui a legitimationis beneficio excluduntur; *Cod. civ. Gall.* art. 334 et seqq.).— *V.* L. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v[is] Civis, Civilitas, Filius, Filii.

[1] « En France, les communautés religieuses reconnues par l'État et toutes les institutions reconnues comme établissements d'utilité publique se trouvent dans le même cas. » Not. edit.



---

# APPENDIX I

## DE PRÆCIPUIS INTERROGATIONIBUS ADHIBENDIS CUM PERSONIS DIVERSIS, AC DE INQUISITIONE SPIRITUALIUM MORBORUM, AD CONFESSARII DIRECTIONEM

**729.** Quamvis debitum conscientiam examinandi sit præcipuum pœnitentis, attamen non est dubitandum, quod si confessarius cognoverit illum in hoc deficere, ut maxime plerumque deficit in iis quæ sunt suæ conditionis, teneatur ipse Confessarius interrogare: *prius* de peccatis in quæ verisimiliter incidere poterat, attento ejus statu; *postea* de eorum numero, specie ac necessariis circumstantiis; *demum* de origine et causa omnium spiritualium ejus morborum, ita ut efficaciter ei occurrere possit. Qua in re faciunt monita, quæ legere est in libro, *Istruzione per i novelli Confessori*, opera di un Missionario; Torino, Canfari, 1845: — « 1. S'il s'agit d'une personne judicieuse et qu'elle dise s'être examinée, on pourra croire qu'il en est ainsi, en observant du reste si elle le vérifie par le contexte de sa confession, ce qui est facile à reconnaître; mais, s'il s'agit d'une personne grossière ou d'une classe de gens peu soucieux du salut de leur âme, comme les soldats, les domestiques, les jeunes gens qui viennent à confesse pressés par leur père ou par leur maître, bien qu'ils disent qu'ils se sont examinés, il sera prudent de les interroger, ainsi que tous les autres desquels on peut soupçonner qu'ils viennent se confesser *pour la forme*, comme on dit; ce qui peut s'appliquer à un grand nombre de ceux qui sont dans des collèges et qui ont coutume de se confesser à jour fixe. Il en est de même pour ceux qui sont peu instruits des choses du salut, ou qui mènent une vie distraite de la pensée de Dieu, comme les joueurs, les aubergistes, les garçons de boutique, les voituriers, et d'autres qui sont presque toujours dans les

**728.** *Status civilis* est illarum conditionum complexio, quæ a jure civili requiruntur, ut quis civilibus juribus frui possit, ac civitatis oneribus subjici a positivis Regni legibus statutis. Civilia jura habent non tantum singuli subditi, sed etiam corpora moralia, ut collegia, universitates, quæ publica auctoritate probata sunt; cum ut totidem personæ habeantur [1]. — Status civilis acquiritur, seu subditi censentur vel qui tales nascuntur, vel qui tales postea fiunt. *Nascuntur subditi* qui patrem vel matrem habent subditam, ejusque sequuntur conditionem, etsi in extera ditione nati. Paternam conditionem sequuntur filii legitimi, legitimati, vel naturales legaliter a patre agniti: maternam vero conditionem sequuntur filii naturales a matre tantum agniti. Non censentur subditi qui nascuntur ex extero patre intra ditionem nostram, nisi exterus domicilium in ditione fixerit cum animo ibi perpetuo manendi, qui tunc adesse præsumitur cum continuo per decennium permanserit, non tamen mercaturæ causa. Filii etiam expositi, qui matrem habent incertam, si in territorio nati sint, a matre subdita præsumuntur nati. — *Subditi autem fiunt*: 1. legis beneficio ii, qui nascuntur ex patre, qui ob culpam jura civilia amiserit: isti enim etsi uti extranei habeantur, si tamen intra annum ab adepta majori ætate profiteantur se velle permanere in domicilio, quod apud nos jam habent: vel illud, si alibi morentur, penes nos transferre et reapse intra hujusce anni spatium transferant a declarationis die computandum, tunc subditi qualitatem acquirunt; 2. matrimonii vi extera femina, quæ viro subdito nupserit, et ipsa subdita fit; 3. Principis rescripto subditi fiunt qui Litteras *naturalitatis* obtinent, modo tamen apud nos domicilium fixerint, et Principi fidelitatem juraverint (Vid. *Cod. Ped.* art. 19 et seqq.— *C. A.* 28. — *C. G.* 10. — *C. S.* 10. — *C. P.* 13. — *C. M.* 16).

Civilis autem status probatur ex nativitatis, matrimonii et obitus actis a respectivis Parochis describendis, qui in externo foro plenam fidem faciunt. Hinc patet quanta esse debeat Parochorum cura in iis exarandis accurate, quamque graviter delinquerent, si in hoc culpabiliter deficiant. Omnes qui ea acta immutarent, vitiarent, etc., coram judice conveniri possunt pro damnis et eo quod interest (*Cod. civ. Ped.*, art. 62.—*C. G.* 45.—*C. S.* 104.—*C. P.* 279.—*C. M.* 512); præter pœnas a Codice pœnali statutas (*Cod. pœn. Gall.* art. 145 et seqq.). Quod si prædicta acta deficiant, tunc locus datur probationi ex documentis præsertim a defunctis genitoribus provenientibus, vel alio-

[1] « En France, les communautés religieuses reconnues par l'État et toutes les institutions reconnues comme établissements d'utilité publique se trouvent dans le même cas. » Not. edit.



rum certis testimoniis; iis tamen exceptis, quæ pro paternæ originis investigatione expresse prohibita sunt (uti cum agitur de probanda paternitate et maternitate eorum, qui a legitimationis beneficio excluduntur; *Cod. civ. Gall.* art. 334 et seqq.).— *V.* L. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v[is] Civis, Civilitas, Filius, Filii.

---

# APPENDIX I

## DE PRÆCIPUIS INTERROGATIONIBUS ADHIBENDIS CUM PERSONIS DIVERSIS, AC DE INQUISITIONE SPIRITUALIUM MORBORUM, AD CONFESSARII DIRECTIONEM

**729.** Quamvis debitum conscientiam examinandi sit præcipuum pœnitentis, attamen non est dubitandum, quod si confessarius cognoverit illum in hoc deficere, ut maxime plerumque deficit in iis quæ sunt suæ conditionis, teneatur ipse Confessarius interrogare: *prius* de peccatis in quæ verisimiliter incidere poterat, attento ejus statu; *postea* de eorum numero, specie ac necessariis circumstantiis; *demum* de origine et causa omnium spiritualium ejus morborum, ita ut efficaciter ei occurrere possit. Qua in re faciunt monita, quæ legere est in libro, *Istruzione per i novelli Confessori*, opera di un Missionario; Torino, Canfari, 1845: — « 1. S'il s'agit d'une personne judicieuse et qu'elle dise s'être examinée, on pourra croire qu'il en est ainsi, en observant du reste si elle le vérifie par le contexte de sa confession, ce qui est facile à reconnaître; mais, s'il s'agit d'une personne grossière ou d'une classe de gens peu soucieux du salut de leur âme, comme les soldats, les domestiques, les jeunes gens qui viennent à confesse pressés par leur père ou par leur maître, bien qu'ils disent qu'ils se sont examinés, il sera prudent de les interroger, ainsi que tous les autres desquels on peut soupçonner qu'ils viennent se confesser *pour la forme*, comme on dit; ce qui peut s'appliquer à un grand nombre de ceux qui sont dans des colléges et qui ont coutume de se confesser à jour fixe. Il en est de même pour ceux qui sont peu instruits des choses du salut, ou qui mènent une vie distraite de la pensée de Dieu, comme les joueurs, les aubergistes, les garçons de boutique, les voituriers, et d'autres qui sont presque toujours dans les

champs ou avec les troupeaux. Ajoutez-y même encore quelquefois des gens de la chasse plus polie et noble, mais adonnés à la galanterie et aux vaines conversations, qui ne se confessent qu'à Pâques ou rarement chaque année, et d'autres enfin qui sont absorbés par le trafic et le négoce, qui, le plus souvent, pour se confesser, ne prennent qu'un temps court et fractionné.

« 2. Dans les interrogations, le bon confesseur a deux extrêmes à éviter : le trop et le trop peu. Ce serait trop s'il questionnait sur tous les péchés qui peuvent se faire au monde... ou sur des choses qui ne concernent pas la personne du pénitent, son état et sa qualité; ou sur des choses invraisemblables, énormes, révoltantes, quand il n'a pas des motifs suffisants pour cela; il y aurait même là une cause de scandale et de danger, comme si on allait demander à une dame de condition et de distinction si elle a prostitué ses filles, ou à un ecclésiastique vénérable s'il a fait la simonie, ou autres suppositions semblables, dont un pénitent justement considéré pourrait se montrer offensé; et ici encore nous devons faire remarquer qu'il serait blâmable de questionner sur des choses frivoles et ineptes qui feraient rire le pénitent et deviendraient pour lui un sujet de causeries avec d'autres personnes. A l'autre extrême, ou trop peu, il faut attribuer ce que plusieurs font, et qui est de s'en tenir à une ou deux questions générales adressées au pénitent, comme : *Avez-vous autre chose?* ou l'équivalent, et de s'arrêter là. Si l'on peut très-bien employer cette pratique avec une personne timorée et intelligente, elle est répréhensible une fois qu'elle est appliquée à tous indistinctement. La prudence, sur ce point, sera donc de faire ses interrogations selon les personnes, d'abord concernant les fautes communes à tous les hommes, et ensuite concernant les fautes particulières à l'état personnel.

VII. *De la restitution.* — Combien y a-t-il de causes de la restitution? Faut-il, pour y être tenu, qu'il y ait faute théologique? Si on jette dans la mer un joyau qui vaut mille et qui n'est estimé que dix, que doit-on restituer? Quels sont les cas de restitution pour le conseiller, le flatteur, le recéleur? L'acheteur peut-il restituer à un voleur la chose volée dans le but de recouvrer le prix qu'il lui a payé? A quoi sont tenus le *participant* au vol, le *coopérant* au dommage? sont-ils tenus à restituer? les serviteurs qui n'empêchent pas les vols faits à leur maître? ceux qui par haine empêchent le prochain de profiter de quelque bien?

A qui restituer les biens certains et les incertains? Quand la compensation est-elle licite? A qui donner les choses trouvées par hasard? Que doit-on restituer aux possesseurs de bonne et de mauvaise foi? Est-on obligé de payer les droits de douane? *Quid* des contrebandiers? Est-il permis de tuer l'injuste agresseur de la vie, de l'honneur, des biens? Peut-on le prévenir? Quand et par qui est encourue l'excommunication pour avortement? La mère peut-elle prendre un remède qui l'expose à l'avortement? Un soldat qui, en ne se battant pas, perdrait son grade peut-il se battre en duel? L'insurrection est-elle permise?

Que doit restituer l'homicide et à qui? Comprend-on dans le meurtre le dommage causé aux parents et aux créanciers? Que doit restituer

le coupable de viol? et celui qui a trompé par une promesse feinte de mariage, surtout s'il y a une grande inégalité de condition? Que doit l'adultère? Que faire dans le doute si l'enfant est légitime ou adultérin? Les adultères peuvent-ils envoyer l'enfant aux hospices?

Peut-on prendre le bien d'autrui dans le cas de nécessité ou de compensation? Quelle est la quantité dans le vol qui constitue une matière grave? *Quid* du vol de bois, de fruits, de petits vols faits à diverses personnes, à diverses occasions? Les marchands qui volent à divers acheteurs, comment doivent-ils restituer? Celui-là pèche-t-il gravement, qui se contente de prendre peu, tandis que d'autres volent beaucoup au maître? Le complice est-il tenu de restituer toute la somme volée? A quoi est tenu le voleur si l'objet périt entre ses mains comme il aurait péri entre celles de son propriétaire légitime? Doit-on faire la restitution quand on présume que le propriétaire de l'objet volé en dispense? Le voleur doit-il restituer à son propre détriment et quand il est dans le besoin? La donation faite par le débiteur le dispense-t-elle de son droit? Peut-on être absous avant d'avoir restitué? Le débiteur est-il tenu de restituer dans le cas où le confesseur l'aurait obligé à faire célébrer des messes? ou bien si le confesseur en avait retenu le prix?

Quand le jugement téméraire est-il faute grave? Comment restituer l'honneur enlevé par la calomnie? Est-ce un péché grave d'ouvrir les lettres d'autrui? Quand la détraction est-elle illicite? Comment restituer la réputation? Quel péché commet celui qui écoute la médisance? *Quid* de ceux qui publient des libelles diffamatoires? Quel péché est le mensonge? Quelle vertu est l'obéissance? Quelle vertu est la chasteté?

VIII. *Des vertus théologales.*— Quels sont les motifs des actes formels de foi, d'espérance et de charité? Celui qui doute de quelque dogme de notre foi est-il hérétique formel? Quand faut-il faire des actes explicites des vertus théologales? Faut-il faire expressément un acte de charité envers le prochain? Est-on obligé de se recommander souvent à Dieu? Sommes-nous obligés de préférer le bien du prochain au nôtre? Comment devons-nous aimer nos ennemis? Devons-nous leur pardonner les injures? Quand les imprécations sont-elles graves? Doit-on expliquer tous les maux qu'on a souhaités au prochain? Quand sommes-nous tenus à l'aumône? à la correction fraternelle? Les pasteurs sont-ils tenus de la faire au péril de leurs jours? Est-il permis de fuir en temps de persécution, et dans quel cas? Que faire pour éloigner les empêchements de la foi? Quels sont-ils?

Quelle peine encourt-on pour avoir lu des livres défendus? Qui peut absoudre de l'hérésie? Quand faut-il dénoncer les hérétiques? Quel



péché est-ce que le scandale, de quelle manière donne-t-on le scandale et quand devons-nous l'éviter? Quelle vertu est offensée par le scandale? Y a-t-il péché de scandale à induire au mal le prochain déjà préparé à le commettre? Peut-on conseiller un mal moindre pour en faire éviter un plus grand? Est-il permis de coopérer au péché d'autrui? Que faire si le gouvernement qui ordonne est intrus?

IX. *Des sacrements en général, du baptême, de la confirmation et de l'eucharistie.* — Qu'est-ce que la matière et la forme des sacrements? Peut-on employer une matière douteuse? Quelle union faut-il entre la matière et la forme? Quelles grâces confèrent les sacrements? Quelle intention faut-il dans le ministre et dans le sujet? Combien de péchés commet le prêtre qui administre en état de péché mortel l'eucharistie et la pénitence? Peut-on toujours conférer un sacrement au pécheur qui le demande? Peut-on faire semblant d'administrer un sacrement? Peut-on le recevoir d'un ministre coupable ou excommunié?

Quel est le ministre du sacrement de baptême? Quel parrain et marraine doit-on prendre? Doit-on baptiser les enfants trouvés? les avortons? les enfants des infidèles? les adultes qui vivent en pays fidèles, s'ils ne sont point enregistrés? Tout fidèle est-il tenu de recevoir la confirmation et quelles sont les dispositions pour la recevoir? Peut-on consacrer du vin qui commence à s'aigrir? Que doit faire le prêtre qui a oublié de consacrer le ciboire plein d'hosties posé sur l'autel? Le diacre peut-il donner la communion? Peut-on la donner à la messe de *requiem?* Faut-il que la confession précède toujours la communion? Quels sont ceux qui y sont tenus? Comment le jeûne naturel est-il rompu? *An liceat conjugibus post copulam accedere ad communionem?* Peut-on donner la communion aux enfants, aux fous, aux semi-insensés? Où doit-on faire la communion pascale et de qui doit-on la recevoir? Quand peut-on et doit-on recevoir le viatique? Quand doit-on engager à la fréquente communion?

Quel fruit de la messe peut-on appliquer aux autres? Suffit-il de l'application habituelle conditionnelle? Quand le curé est-il tenu d'appliquer *pro populo?* Peut-on retenir une partie de l'honoraire quand on fait célébrer par un autre? Quel jour et à quelles heures est-il défendu de célébrer? Peut-on célébrer dans les oratoires, en dehors de la messe accordée? dans les églises polluées ou profanées? Y a-t-il faute grave à ne pas observer les rubriques? à dire la messe en moins d'un quart d'heure? Combien de temps peut-on retarder une messe promise? Quels ornements faut-il pour célébrer et quelle croix sur l'autel?

X. *De la pénitence et de l'extrême-onction.* — Quelle est la ma-

tière, la forme, la douleur requise pour la confession? La douleur doit-elle être conçue avant la confession ou doit-elle la précéder? Peut-on absoudre celui qui craint ou qui est sûr de retomber? celui qui est dans l'occasion prochaine? les habitudinaires et les récidivistes? La confession doit-elle être vocale, secrète, entière? Est-on obligé de déclarer les circonstances aggravantes, les péchés douteux ou douteusement accusés? Suffit-il d'une confession formellement entière pour le moribond, le muet, le scrupuleux, celui qui ignore la langue du confesseur, qui craint un danger ou ne peut découvrir son péché sans révéler un complice? Le prêtre peut-il absoudre un homme privé de sentiment, son propre complice? Doit-on demander quel est le complice, afin de l'admonester? Les pénitents auxquels on a différé de donner l'absolution doivent-ils répéter leur confession, ainsi que ceux qui sont toujours tombés dans le même péché ou qui n'en ont jamais expliqué le nombre et l'espèce? Comment confesser les enfants, les sourds, les muets, les semi-insensés? Doit-on diminuer la pénitence des infirmes de corps ou d'esprit? Que doit faire celui qui a oublié sa pénitence? Qui peut changer la pénitence imposée? Quels pouvoir ont les confesseurs durant le jubilé? Quelle règle touchant la confession générale?

De quel évêque doit-on recevoir l'approbation pour confesser? Les curés peuvent-ils confesser hors de leur paroisse, s'ils sont appelés par d'autres curés? Peut-on, pour confesser, présumer le consentement de l'évêque? Qui peut confesser les religieuses en voyage? Un prêtre non approuvé peut-il absoudre un moribond en présence d'un prêtre approuvé? Celui qui ignore la réserve d'un cas encourt-il la peine? Peut-on absoudre le voyageur qui a commis un péché réservé dans son pays? Dans le doute de la réserve, peut-on absoudre? Quel pouvoir ont les évêques pour absoudre des cas occultes, et les personnes empêchées de recourir à Rome? Quels sont les cas réservés à l'évêque et quels au pape?

Que doit savoir le confesseur? Est-il obligé d'examiner les ignorants, de les instruire, les préparer, leur donner des avis et les absoudre s'ils sont disposés? Que fera le confesseur qui connaît un des péchés du pénitent, si celui-ci le nie? *Quid* si le confesseur a erré touchant la valeur du sacrement, s'il s'est trompé en interrogeant sur l'espèce et le nombre, si injustement il a obligé à une restitution, ou si injustement il n'y a pas obligé? Tout prêtre est-il tenu d'entendre la confession d'un mourant, même au péril de sa vie? Comment se conduire avec les dévots, avec les obsédés, les prisonniers, les condamnés à mort? Quels conseils donner pour le choix d'un état?

Qui est tenu au secret de la confession? Le confesseur y est-il tenu



toujours? Celui qui a entendu un péché par hasard? le docteur consulté? celui qui lit un papier où sont écrites les fautes? Qu'est-ce qui tombe sous le secret? Le confesseur peut-il parler des péchés accusés dans une autre confession? Est-ce violer le sceau que de dire le péché d'une communauté, d'un pays? Peut-on user d'une opinion probable en matière de violation du secret et de préjudice du pénitent? Qu'entend-on par ce préjudice?

Qu'est-ce que la sollicitation en confession? Que veulent dire les termes : *In actu Confessionis; sive ante, sive post immediate; occasione vel prætextu Confessionis; in confessionario aut in quocumque loco simulantes ibidem Confessiones audire; item tractantes in co fessionali de rebus inhonestis?* Faut-il dénoncer si la sollicitation est mutuelle? Si la pénitente n'a fait que consentir, ou si elle a sollicité le confesseur? Peut-on absoudre une personne avant qu'elle dénonce? Quelle peine encourt celui qui sollicite? Qui peut l'en absoudre?

Dans l'extrême-onction le baume est-il de nécessité de moyen? Suffit-il pour la validité du sacrement d'oindre sur un seul organe des sens? Peut-on donner l'extrême-onction à une personne gravement malade, quoiqu'elle ne doive pas en mourir? Y a-t-il obligation grave de la recevoir?

XI. *De l'ordre.* — Tous les ordres sont-ils des sacrements? Quelle est la matière et la forme de chacun d'eux? Celui qui a été ordonné avec un faux titre patrimonial est-il suspens? Celui qui l'a été sans vocation a-t-il péché gravement? Celui qui s'engage dans les ordres sacrés ignorant qu'il y a vœu de chasteté, est-il tenu à la continence?

Qu'est-ce que l'irrégularité *ex delicto* et *ex defectu?* Dans le doute l'encourt-on? Faut-il connaître la loi portée? Comment l'irrégularité cesse-t-elle? Les bénéfices doivent-ils être conférés aux plus dignes? La pluralité des bénéfices est-elle permise? D'où résulte la plus grande dignité dans les concours?

XII. *Du mariage.* — Le lien des fiançailles contracté par crainte des parents ou sans leur consentement est-il valide? L'engagement doit-il être mutuel? L'époux de qui dépend l'empêchement au mariage doit-il en procurer la dispense? L'engagement qui provient des fiançailles est-il dissous par la fornication, par le changement d'état, par l'éloignement, par le vœu de chasteté?

Quels sont la matière, la forme, le ministre du sacrement de mariage? Le mariage nul par défaut de consentement est-il revalidé par le seul consentement de la partie qui n'avait point consenti? S'il est nécessaire pour revalider un mariage de le faire savoir à l'autre partie? Si un témoin quelconque est tenu de dénoncer l'empêchement? Quels

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sont les empêchements? en quoi consistent-ils? L'évêque peut-il dispenser en cas de nécessité? Que signifie la clause de dispense: *Si ita est, audita Confessione, sublata occasione peccandi, si impedimentum sit occultum, injuncta pœnitentia gravi?* Comment se conduire à l'égard de celui qui n'est marié que civilement? S'il est en danger de mort? etc.

An in dubio de nullitate matrimonii liceat reddere et petere debitum? an illicitus usus, si adsit periculum sanitatis, prolis, si fiat mente adultera, si modo aut loco non debito? An conjux possit petere si contraxit affinitatem? Quis ab ea dispensat? An graviter peccet conjux semel negans debitum? Quid si neget petenti cum peccato? Quid de tempore prægnationis, lactationis, morbi? Qu'est-ce que le divorce *vinculi et tori?* S'il est permis pour sévices, crainte grave et adultère? Si on peut divorcer de sa propre autorité?

### Avis spéciaux pour les Confesseurs.

1. Soyez charitable, mais ferme, avec les pécheurs; 2. faites vous-même l'examen des ignorants, mais soyez prudent avec les enfants et les jeunes filles dans les questions relatives au sixième commandement; 3. exhortez toujours à la prière; 4. demandez aux pénitents que vous ne connaissez point s'ils ont quelque scrupule sur la vie passée; aux femmes si elles obéissent à leurs maris; aux parents quel soin ils ont de leurs enfants; 5. disposez le pénitent autant que possible; 6. n'absolvez pas d'ordinaire, avant qu'il ait restitué, celui qui détient le bien d'autrui, ni celui qui est dans l'occasion, avant qu'il s'en soit éloigné; 7. omettez les avis qui ne seraient point suivis, pourvu qu'il ne s'agisse pas d'un dommage commun; 8. suggérez au pénitent l'acte de contrition; 9. n'absolvez point ceux qui vivent dans l'habitude du péché véniel, s'ils n'ont pas de véritables dispositions; 10. conseillez l'oraison mentale aux personnes pieuses et puis demandez-leur si elles l'ont faite; 11. n'imposez point de pénitence si vous croyez que le pénitent ne pourra l'accomplir que difficilement.



# APPENDIX IV

## RESOLUTIO NONNULLORUM CONSCIENTIÆ CASUUM IN STUDIOSORUM EXERCITIUM JUXTA ORDINEM TRACTATUUM[1].

**732. Ad Tract. I.** — 1. Amalia confitetur: 1. semel a filia ad gravem iram sum incitata; 2. semel maritum, frangendo vasculum, ad similia concitavi; 3. semel a quodam oscula accepi, et semel inhonestum tactum; 4. nuper prolem parvulam mecum in lecto de nocte collocaveram, quam mane dolenter oppressam et mortuam inveni. *Quid de Amalia judicabit confessarius?*

2. Georgius confitetur: 1. volens occidere Syrum clericum inimicum, occidi Eliam amicum etiam clericum; 2. globo jaculando cervum, simul trajeci inimicum ad necem quæsitum, in dumeto latentem; 3. ignorans esse vigiliam manducavi carnes, sed ex pigredine die Dominica non fueram in ecclesia ad missam. *Quid de illo confessarius?*

3. Pomona cujusdam Rufi rustici ancilla confitetur: 1. decies omisi preces Confraternitatis ex negligentia; 2. ter non audiendo sacrum, dominicis diebus graviter deliqui, at debebam domum custodire et cibos coquere; 3. semel neglexi sacrum, ideo graviter peccavi, sed eram eo tempore sensibus destituta; 4. sub precibus sæpe habui incastas et blasphemas cogitationes, nec numerum scio; et conor resistere, sed non videtur mihi serius: hinc semper anxia sum. Galenus confessarius dissimulans errores, injuncta satisfactione, pœnitentem absolvit. *Quid in casu?*

**733. Ad Tract. II.** — 1. Arcadius occidit Januarium in civitate ubi lege sancitum erat homicidam ipso facto omnibus bonis suis in commodum hæredum occisi orbandum esse, ipsumque capite plectendum. Post duos annos ipse proditur et damnatur ad mortem; sed ante executionem effracto carcere, fugit, etsi prævideat, quod custodes gravissimo damno exponat. *Quid de Arcadio?*

[1] In præsenti paucis nos liberamus, cum nostrum non sit, nisi præcipuum difficultatis nodum expedire, resolutionem a probatis Auctoribus mutuando. Diffusiora remittimus studiosis, qui non parum progredientur in scientia morali, si priusquam a nobis datam solutionem perlegant, ipsi proprias tentent vires quæstiones omnes ex se fusius resolvendo. Et hac de causa casus ipsos ab eorum explanatione duximus separandos.

sont les empêchements? en quoi consistent-ils? L'évêque peut-il dispenser en cas de nécessité? Que signifie la clause de dispense: *Si ita est, audita Confessione, sublata occasione peccandi, si impedimentum sit occultum, injuncta pœnitentia gravi?* Comment se conduire à l'égard de celui qui n'est marié que civilement? S'il est en danger de mort? etc.

An in dubio de nullitate matrimonii liceat reddere et petere debitum? an illicitus usus, si adsit periculum sanitatis, prolis, si fiat mente adultera, si modo aut loco non debito? An conjux possit petere si contraxit affinitatem? Quis ab ea dispensat? An graviter peccet conjux semel negans debitum? Quid si neget petenti cum peccato? Quid de tempore prægnationis, lactationis, morbi? Qu'est-ce que le divorce *vinculi et tori?* S'il est permis pour sévices, crainte grave et adultère? Si on peut divorcer de sa propre autorité?

### Avis spéciaux pour les Confesseurs.

1. Soyez charitable, mais ferme, avec les pécheurs; 2. faites vous-même l'examen des ignorants, mais soyez prudent avec les enfants et les jeunes filles dans les questions relatives au sixième commandement; 3. exhortez toujours à la prière; 4. demandez aux pénitents que vous ne connaissez point s'ils ont quelque scrupule sur la vie passée; aux femmes si elles obéissent à leurs maris; aux parents quel soin ils ont de leurs enfants; 5. disposez le pénitent autant que possible; 6. n'absolvez pas d'ordinaire, avant qu'il ait restitué, celui qui détient le bien d'autrui, ni celui qui est dans l'occasion, avant qu'il s'en soit éloigné; 7. omettez les avis qui ne seraient point suivis, pourvu qu'il ne s'agisse pas d'un dommage commun; 8. suggérez au pénitent l'acte de contrition; 9. n'absolvez point ceux qui vivent dans l'habitude du péché véniel, s'ils n'ont pas de véritables dispositions; 10. conseillez l'oraison mentale aux personnes pieuses et puis demandez-leur si elles l'ont faite; 11. n'imposez point de pénitence si vous croyez que le pénitent ne pourra l'accomplir que difficilement.



# APPENDIX IV

## RESOLUTIO NONNULLORUM CONSCIENTIÆ CASUUM IN STUDIOSORUM EXERCITIUM JUXTA ORDINEM TRACTATUUM[1].

**732. Ad Tract. I.** — 1. Amalia confitetur: 1. semel a filia ad gravem iram sum incitata; 2. semel maritum, frangendo vasculum, ad similia concitavi; 3. semel a quodam oscula accepi, et semel inhonestum tactum; 4. nuper prolem parvulam mecum in lecto de nocte collocaveram, quam mane dolenter oppressam et mortuam inveni. *Quid de Amalia judicabit confessarius?*

2. Georgius confitetur: 1. volens occidere Syrum clericum inimicum, occidi Eliam amicum etiam clericum; 2. globo jaculando cervum, simul trajeci inimicum ad necem quæsitum, in dumeto latentem; 3. ignorans esse vigiliam manducavi carnes, sed ex pigredine die Dominica non fueram in ecclesia ad missam. *Quid de illo confessarius?*

3. Pomona cujusdam Rufi rustici ancilla confitetur: 1. decies omisi preces Confraternitatis ex negligentia; 2. ter non audiendo sacrum, dominicis diebus graviter deliqui, at debebam domum custodire et cibos coquere; 3. semel neglexi sacrum, ideo graviter peccavi, sed eram eo tempore sensibus destituta; 4. sub precibus sæpe habui incastas et blasphemas cogitationes, nec numerum scio; et conor resistere, sed non videtur mihi serius: hinc semper anxia sum. Galenus confessarius dissimulans errores, injuncta satisfactione, pœnitentem absolvit. *Quid in casu?*

**733. Ad Tract. II.** — 1. Arcadius occidit Januarium in civitate ubi lege sancitum erat homicidam ipso facto omnibus bonis suis in commodum hæredum occisi orbandum esse, ipsumque capite plectendum. Post duos annos ipse proditur et damnatur ad mortem; sed ante executionem effracto carcere, fugit, etsi prævideat, quod custodes gravissimo damno exponat. *Quid de Arcadio?*

[1] In præsenti paucis nos liberamus, cum nostrum non sit, nisi præcipuum difficultatis nodum expedire, resolutionem a probatis Auctoribus mutuando. Diffusiora remittimus studiosis, qui non parum progredientur in scientia morali, si priusquam a nobis datam solutionem perlegant, ipsi proprias tentent vires quæstiones omnes ex se fusius resolvendo. Et hac de causa casus ipsos ab eorum explanatione duximus separandos.

5. Apollonia marito suo Nereo fere quotidie ebrio, dum diebus veneris sero domum venit, residuas a die jovis carnes comedendas præbet; nec cohibet filiolum quinquennem cum patre carnes comedentem. Eadem carne nutrit perpetuo amentem, quem sæpius ad blasphemias provocat. *Quid resolvendum?*

6. Napulus concionator in ecclesiis ad quas missus fuerat ad montana ardore magno semper prædicavit jejunium. Mantolinus parochus apud quem sumere debebat refectionem, præparavit ipsi pro prandio solum polentam ex farina de castaneis confectam dicens nullum alium esse cibum in montanis. Ex quo factum est ut sequenti die concionator palinodiam cantaverit in publica concione dicendo montium incolas ad nullum jejunium teneri. *Quid?*

**734. Ad Tract. III.** — 7. Quidam, ut fertur, tertii homicidii reus, rogavit a Ludovico XII veniam delicti. Cui rex: *Tunc adhuc veniam speras qui tertium jam homicidium commisisti?* Mox respondit aulicus qui adstabat: *Falleris, o rex, nonnisi unicum commisit homicidium; reliqua duo tu, o rex, tu ipse;* primum enim si pro suo officio rex punivisset, duo reliqua commissa non fuissent. *Quid in casu?*

8. Bajulus servus se accusat, quod herum suum gravissimis sæpe calumniis offenderit, et præcipienti justa obsequia tergum verterit. Item quod per integros sæpe dies, absente domino, nihil laboraverit in vindictam, eo quod dominus partem mercedis subtraxerit, cum nuper per anni quadrantem ægrotaverit. *Quid de Bajulo?*

9. Rotarius filiusfamilias sub spe lucrandi officium valde honestum et utile recusat recognoscere publicis externis actibus patrem suum utpote vilis conditionis, licet eumdem ex corde diligat et externis etiam pecuniæ subsidiis adjuvet *An bene?*

**735. Ad Tract. IV.** — 10. Analectus carnes comedit die jejunii ab Ecclesia statuto, quo simul tenebatur jejunare pro satisfactione sacramentali, et ex voto quo se obstrinxit. Postea confitetur, quod die prohibito carnes comederit. *An satis sit?*

11. Ammonius sæpe tristatur: 1. de scientia et virtute Plautilli sui condiscipuli, non quia Plautillus hæc habet, sed præcise quia ipse iis caret; 2. de dignitate Porsennæ, eo quod sciat certo illum esse indignum; 3. quod Lucillus suus persecutor promotus fuit ad certum officium, unde timet ne occasione accepta sibi gravius noceat; 4. insigniter se affligit videns Miltonium æstimari ob insignem suam pietatem, quod studeat continuo solidæ virtuti et quod extraordinaria dona Dei in illo eluceant. *Quomodo peccet?*

12. Adelina puella gravibus subjecta venereis cogitationibus, neque illis consentit neque illas curat sollicite repellere. *An peccet?*



13. Achates publice mandavit Theophilo Ferdonii clerici percussionem, quam Theophilus publice est executus. Hic moriturus a Lamperto parocho absolvitur, cum onere tamen superiorem adeundi, si convaluerit. Convaluit; jussa tamen parochi Theophilus negligit, et hoc publice constat. *An Achates et Theophilus sint vitandi?*

14. Gandius episcopus dedit licentiam Lucretiæ moniali professæ, quæ in furiosam insaniam incidit, egrediendi a monasterio ad domum suam pro morbi cura. Nonnullæ moniales curiosæ, ut viderent quid ipsa ageret in egressu, nec tamen facerent contra clausuram, quid excogitarunt? Edessa uno tantum palmo exiit ostium clausuræ; Filea ascendit super tectum; Amantia super arborem in horto monasterii; Potamiena fecit se dimittere e fenestra correspondente viæ publicæ, manendo tamen fune suspensa; Cunegunda cum sit exigua, se posuit in rota, sed eam volvit versus partem exteriorem; tandem Felicula egreditur e proprio monasterio, verum statim aliud contiguum ingressa est, contenta, quod in celeri, ac brevi suo transitu sororem furentem viderit. *Quidnam est resolvendum?*

15. Mittarellus parochus fuit nominatim excommunicatus et suspensus ab officio suo per edicta publica debitis locis adfixa, nisi intra certum terminum resipiscat a mala sua via. Quæritur *an transacto illo termino, sit vitandus?*

16. Ezzelinius juvenis solet interesse choreis, in quibus tamen frequenter patitur motus pravos. *An debeat sub gravi abstinere?*

17. Clelia pauperrima eodem in lecto dormit cum Lælio, filio suo jam adulto, eo quod alium lectum habere omnino non possit. *An licite?*

**736. Ad Tract. V.** — 18. Blavia mater, ne filias suas festis diebus, sinat vagari per civitatem vel oppidum, aut otio domi tabescere, injungit eis quædam opera servilia. *An filiæ teneantur obedire?*

19. Sunt Cacus et Cadmus; primus existens extra ecclesiam vult furari in ecclesia; alter autem existens in ecclesia vult furari extra ecclesiam. *An ambo sacrilegio peccent?*

20. Cinxia unum vovit, aliud jurat: vovit per decem annos dare Callimacho decem aureos, ut commodius alat familiam suam; et jurat execrando se non amplius mansuram ubi modo habitat, ob incolarum jurgia. Sed quid? Callimachus post annum moritur; et Cinxia domum illam non deserit. *Quid resolvendum?*

21. Achior tria vovit, mittere calicem ad domum Lauretanam, centum Missarum celebrationem curare, et inopem per annum alere. Misit calicem per nuntium Zibedæum, qui fugam arripuit; honoraria pro missis dedit Sacerdoti, qui ante ipsam celebrationem decoctus obiit;

ad tertium votum solvendum alit Anchisem patrem suum inopem. *An votis satisfecerit.*

22. Alanus parochus fontem baptismalem ex supina negligentia ab immunditia longo tempore non custodit, laceras Albas, Casulas, et sacra vasa fracta refici non curat ; item purificatoria et corporalia sordibus obducta ad missam adhibet. De sacrilega irreverentia admonitus respondet hæc tantum esse levia peccata omissionis, ideo nec sacrilegia. *An recta proferat?*

23. Beatrix se accusat quod votum violaverit : quærit confessarius, quodnam? respondet illa : 1. nuper ægrota dixi : *O Domine, redde sanitatem et vivam caste :* 2. coram imagine B. Virginis : *O purissima, promitto tibi meam virginitatem in perpetuum.* Sed 3. nunc seducta ab adolescente Icharo valde divite, ei lubenter nuberet. *Quid de casu?*

24. Manlius filiusfamilias dum luderet deprehensus a patre, ab eoque vehementer objurgatus, ad illius iram declinandam vovit, se non amplius lusurum. *Mortuo patre, quæritur an adhuc teneat votum.*

25. Harduino juranti se in carcerem rediturum, creditur et dimittitur; sed cum injusto supplicio sit perimendus, non redit. *An peccet?*

26. Beda vovit jejunium integræ hebdomadis ; at die martis ob duros labores jejunare nequit. Alias vovet jejunium in pane et aqua, quod tamen bibendo vinum inadvertenter apud amicum, violat. Idem ante semestre vovit peregrinationem Varallum, sed propter negotia hucusque distulit, et nunc huic voto satisfacere intendit per alium. *Quomodo Beda dirigendus?*

27. Bonosus vovet castitatem, etsi ob luxuriæ consuetudinem judicet tutius sibi fore matrimonium ; hinc postea dubitat de voti valore. Item, plura vota circa materiam exiguam emisit, et quotidie recitare *De profundis*, et visitare Sacramentum et dare parvulam eleemosynam, etc. Demum ad evitandam ebrietatem vovet, toties dabo pauperi ducatum, quoties me inebriavero. *Quid?*

**737. Ad Tract. VI.** — 28. Damasus ebrius vendit equum ; altera die facti pœnitens, confirmat tamen contractum, si emptor Gordianus velit auxilium præstare ad inferendum grave damnum Davidi. Consentit Gordianus ; et uterque contractum juramento firmat. *Quid in casu?*

29. Dativus accipit a Diogene annulum vendendum decem florenis, quem eodem die viro perito vendidit quindecim. Porro decem tradit Diogeni, quinque sibi retinet. *An possit?*

30. Asdrubel valde pinguis Mediolanum profecturus volebat equum conducere ; at metuens ne Numerius locator si ipsum videret nollet



locare, vel duplum exigeret pro locatione, Androlicum macilentum substituit qui pretio ordinario equum conduxit. Reversus ad sua Asdrubel, reduxit equum adeo defatigatum, ut per aliquod dies non amplius possit locari. *An teneatur Adsrubel de damnis?*

31. Annibal mercator sæpe tristatur, quod alii ejusdem conditionis merces vendant et ipse non. *An peccet?*

32. Appollonio verberare Grotium volenti promisit Apuleius centum denarios, si verberationem omitteret. Omisit, sed denarii ei denegantur. *An Apuleius illi dare teneatur?*

33. Reliquit Balaam mille aureos Pupio hæredi suo pro constituendo stipendio missæ quotidianæ. Hæres invenit religiosam communitatem quæ 800 acceptis, in se tale suscipit onus ; sibique retinet alios 200. *An possit esse tutus in conscientia?*

34. Batyllus creditor Clodii sacerdotis ipsi injungit ut pro credito tot missas celebret ; at moritur Batyllus antequam obtineat celebratio, et quidem moritur ære alieno gravatus, quod totum ejus hæredes solvere non valent. *An Clodius possit adhuc missas celebrare, vel tribuere debeat debitum suum hæredibus?*

35. Panetius pluribus debitis gravatus, evasit dominus pinguis dotis a Phædra sua uxore defuncta. Si in statu viduali perseverat, potest creditoribus satisfacere ; non vero poterit, si iterum nubat. *An liceat ei de novo nubere?*

36. Ninus pluribus debitis gravatus, non potest creditoribus satisfacere, nisi imminuat convenientem dotem filiabus. *Quid agere debet?*

37. Diogenes bona fide vendidit bovem Ægysippo pretiumque reportavit ; at vix quindecim elapsis horis, bos perit ex latente morbo, ut fuit postea compertum. *Quid in hoc casu?*

38. Cleopatra a pluribus honesta reputata, cum tamen sit vera meretrix, a Lamech accipit excessivum pretium pro turpi sui corporis usu. *An debeat excessum restituere?*

39. Calpurnius non interrogatus de qualitate equi assueti se in aquam conjicere, eumdem locavit Commodo ad merces vehendas. Evenit porro quod equus per viam se conjecerit in aquam non sine maximo mercium detrimento. *An Calpurnius teneatur de damnis?*

40. Calepinus novit uxorem suam fuisse vi cognitam a Catullo ; unde minis ab hoc exigit pretium adulterii. *An Catullus in conscientia ad id teneatur?*

41. Cincinnatus capellanus cujusdam Oratorii, jussus a Tibullo patrono, curavit tempore episcopalis visitationis commodari sibi varia sacra indumenta a Crysippo parocho, ne visitatores aliquod decretum contra patronum conderent. *Quid in casu?*

42. Lillius videns animalia Critoboli possessionem suam damnificare, ad se indemnem servandum, ea clam occidit. *An peccet graviter et teneatur de damnis?*

43. Agesilaus mutuum dedit Ajaci; quod cum frustra repetat, noctu aperit et ingreditur Ajacis officinam et aufert quod satis est ad sui compensationem. Illac transit Reccaredus latro et videns ostium apertum, intrat et furatur. *An Agesilaus de furto teneatur?*

44. Castagna gravavit Colnagum hæredem suum his verbis: *Jubeo quod hæres meus infrascriptus debeat facere celebrare* 60 *missas singulis annis in tali Ecclesia per* 60 *annos; si vero per tres annos continuos id omiserit, lego tali Confraternitati* 200 *scuta, ut id faciat in perpetuum.* Colnagus hæres vocatus quinque quibus vixit annos, id observavit. Huic mortuo successerunt tres hæredes, quorum unus negligens fuit per decem annos in adimplenda sua parte pro rata suæ quotæ. *Quid?*

**738. Ad Tract. VII.** — 45. Conradus sartor plus panni exigit, quam requiratur ad vestem conficiendam; sæpe retinet diversa pannorum fragmenta, fimbriarum et filorum quæ a vestibus conficiendis supersunt, partim in compensationem occultam, partim ut se indemnem servet, et in complementum mercedis, alioquin sibi ipsi debitæ. *An recte?*

46. Canutus studiosus annulum pretiosum e cista parentum aufert; pro libris scholasticis tria scuta a patre petit, cum vix dimidium scuti constent; singulis annis hucusque notabilem summam præter victum ordinarium consumpsit potando, ludendo, etc.; pretiosum tempus otio transegit, et libros ac vestes sæpe vendit, ut liberrimam vitam vivat. *Quid de Canuti agendi ratione?*

47. Acrisius tumulentus horologium a Manutio surripuit, et in ebrietate amisit. *An teneatur domino pretium horologii solvere?*

48. Dejoterus furatus est equum viri nobilis perditis illumque sex annorum spatio cum pretio aliis locavit. *An debeat cum equo etiam locationis pretium domino?*

49. Elvetius nonnullas arbusculas in agro Encedali recidit valoris tunc scutorum decem, valiturus tamen triginta, ut spes erat, post 30 annos. *Quid Elvetius solvere debet domino?*

50. Plures famuli stipendium accipiunt a Linnæo viro nobili ære alieno gravato, ex quo hic fit magis impotens ad satisfaciendum creditoribus. *Quid de hisce famulis qui statum Linnæi ignorant?*

51. Alpherius famulus sæpius pinguia honoraria Zoilo Capellano pro Missis celebrandis præbet; morti proximus pandit Capellano, se omnem quam illi dedit pecuniam, ab Aureo domino suo surripuisse. *Capellanus ad quid tenetur?*



52. Amilcar senex, quem fama est dixisse ob inopiam se in desperationem abire ac velle sese in flumen dejicere, aquis immersus inventus est. *An sit ecclesiastica sepultura donandus?*

53. Flavius filiusfamilias furatur aliquando nummos Claudio patri suo, ut possit cum amicis ludere, et honestis recreationibus interesse? *An tuta conscientia?*

54. Vidit Aristippus grave furtum committi in telonio Ascanii; ast quia fures dederunt ei quamdam summam ne eos manifestet, interrogatus a domino, an fures viderit; respondet *non vidi;* quos tamen si manifestare voluisset, Ascanius rem suam recuperasset. *Quid in casu?*

**739. Ad Tract. VIII.** — 55. Crispinus se accusat: 1. quotidie mihi et aliis mortem optavi; 2. aliquando precatus sum filiis et aliis ut eos auferat diabolus, fulmen incendat, etc.; 3. sæpe de Clementiani mei vicini felici sorte, sanitate et vita fui tristatus, dumque nuper subitanea morte extinctus est, in sinu meo gaudebam; 4. diu vixi in odio contra Agalam novercam pessimam mulierem; 5. aliquoties fui susurro; 6. et rixas habui. *Quot peccata habentur?*

56. Adalberto Parocho adducitur Ezechias judæus morti proximus, simulque tam rudis, ut nec Deum remuneratorem sciret, nec de eo quidnam capere posset; nihilominus illum jamjam moriturum baptizat, ac paulo post mortuum sepelit ritu Ecclesiæ. *An recte?*

57. Vedastus quærit an teneatur Ruffonem consocium suum salutare, in mensa propinare, vel alias more solito alloqui illum sicuti ante exortam inimicitiam; quem tamen certo scit aut prævidet non resaluturum, non gratias acturum, non responsurum sibi esse. *Quid?*

58. Rosa famula scit Laviniam alteram famulam sui sociam impudice versari nocturnis horis cum Coldonio ejus amasio; nec tamen Berenicem dominam suam monet, ne illam exasperet, et sociam infamet. *Quid de hoc silentio?*

59. Atalia recusat salutare Lædam suam vicinam, cum qua rixata est; ideo Momus confessarius illam inabsolutam remittit, utpote de mortali ream, quamvis Atalia fateatur se nullum amplius odium habere contra Lædam. *An recte?*

60. Moretus vir dives desiderans opes suas augere, deliberate exoptat, ut milites exteri iterum regionem suam invadant, ut exinde sua carius vendat. *An peccet?*

61. Lotharius lutheranus dux exercitus minatur mortem parentibus Polybii sacerdotis, nisi hic ei legat opera Lutheri, et nisi item coram ipso missam celebret. *An hæc liceant?*

**740. Ad Tract. IX.** — 62. Latona uxor catholica mariti Laertii calvinistæ natam sibi prolem ad sacerdotem catholicum vult deferre

pro baptismo; sed maritus illam vult ad calvinistam. Cum pia mater id a conjuge non possit obtinere, prolem clam baptizat, antequam maritum illam ad hæreticum ministrum deferat. *An bene?*

63. Hugo sacerdos scrupulosus mox sub Sacro diu hæret cum variis nutibus capitis, gesticulationibus, etc., iterum iterumque formans intentionem : *Volo celebrare missam, non volo, volas, volare; sed volo vis, velle.* Mox sub consecratione bis terque verba repetit quæ putat non sufficienter fuisse prolata; subinde ob unam alteramve orationem, ut putat, omissam, diu immotus hæret nescius, an ultra debeat peragere. *Quomodo dirigendus?*

64. Sejanus confessarius simplex, audita confessione Hesichii patris qui se accusavit de peccato carnis commisso cum Latona ejus famula, successive audit et filium, qui hoc idem cum eadem famula perpetravit. *An Sejanus possit illos absolvere?*

65. Angelica matrona, audita missa in proprio Oratorio, accedit ad parochialem circa horam vesperarum, et cum adhuc sit jejuna a Vesputio parocho petit communionem, *Quid parochus?*

66. Fabricius parochus die festo carens hostia majori, particulam consacravit; at timens populi admirationem, extraxit ab ostensorio hostiam jam consecratam quam in elevatione ostendit. *An recte?*

67. Philo tradidit Gabinio sacerdoti cartulam in qua nummi continebantur, dicens *faveat celebrare* 20 *missas;* cui respondit hic *celebrabo.* At pecuniam postea numerando invenit eleemosynam non esse nisi pro missis duodecim. *Quid in casu?*

68. Dectatius annorum circiter duodecim absque parochi examine et admissione se præsentat altari ad primam communionem sumendam? *Quid parochus?*

**741. Ad Tract. X.** — 69. Attilius fictus sacerdos per plures annos officio capellani functus, baptizavit, confessiones audivit litteris patentibus ab episcopo obtentis, matrimonia de parochi licentia delegata celebravit, missas quotidie legit, extremam unctionem ministravit. At morti proximus fatetur parocho, se neque habere primam tonsuram. *Quid de Attilii agendi ratione, et quid agendum a parocho?*

70. Lucullus confessarius imposuit Perillo pro satisfactione, ut per mensem duas missas audiat quolibet festo : hic duas missas quidem audit, sed easdem in duobus altaribus eodem tempore celebratas. *An satisfaciat suæ obligationi pœnitens?*

71. Leo judæus nuper baptizatus confitetur, quod a suscepto baptismo nullum peccatum commiserit; addit propterea quod ante illius susceptionem multa injuste acquisita possederit. Quærit confessarius, an saltem nunc restituerit? tum ille, *instructori meo id promisi, sed sub ipso baptismo mutavi animum, volens injusta possessa retinere.* Quid?



72. Brixius neo-confessarius incitatus ad excipiendas confessiones ubi ingens est confluxus pœnitentium, quoslibet facile absolvit, ratus non esse præsumendum in tali festo ac celebri missione quempiam venire indispositum. *An recte?*

73. Mecilius cœpit confiteri et confessus est peccatum quod tunc non erat reservatum; sed quia oportuit confessionem post aliquot dies interrumpi et postea continuari, interim peccatum illud reservatum fuit : *An simplex confessarius possit ab illo absolvere?*

74. Epimenides post actam confessionem in paschate, advertit se duo lethalia omisisse, sed ex oblivione. *An intra eumdem annum teneatur confiteri?*

**742. Ad Tract. XI.** — 75. Velleio promittitur pingue beneficium sub conditione, si Sansovinio collatoris secretario se efficaciter gratum sit exhibiturus pro commendatione. Velleius timens simoniam consulit Plutharcum amicum, qui mox illi ostendit libellum recens impressum ubi affirmatur, nunc ex consuetudine licitum urgere pecunia collationem beneficii. Sed cum ei non videatur hoc sat solide probari, inquirit alios faventes. Sed interim videns alium jam paratum ad offerendum, ne sero veniat et ipse offert centum ducatos antequam cognoscat rem sibi licere : sicque beneficium obtinuit, et jam a triennio illud possidet. *Quid in casu?*

76. Janus primogenitus adhuc juvenis pingue beneficium accepit animo illud renuntiandi Hectori fratri minori adhuc parvulo, quando ipse (ut habet in mente) ducturus est uxorem. *An sit culpandus?*

**743. Ad Tract. XII.** — 77. Oswaldus promittit Medusæ matrimonium; quæ tacet et colloquium alio divertit. Altera die Oswaldus offert Medusæ pinguem arrham, quam illa acceptat. *Quid?*

78. Marculfa carnaliter cognita a Gustavo desponsatur Manutio. Ante nuptias quærit a confessario an Manutio sponso teneatur fateri deflorationem. Sed interim sponsus subobscuram accipit notitiam de vitio, ideo recusat illam ducere; sed cogitur a judice, cum non possit probare delictum. *Quid in casu?*

79. Raymondus mercator valde dives, ut cum nobilibus affinitatem contrahat, petit a Rapsace, quem nobilem esse putat, ejus filiam Lætam eamque primogenitam, quam præ reliquis prudentem, pulchram et pudicam esse audierat. Rapsace loco primogenitæ dat Magæram secundogenitam non æque bonam, dicens eam esse primogenitam. Raymondus bona fide contrahit, sed comperto errore, filiam patri remittit. *Quid resolvendum? an validum matrimonium?*

80. Alcibiades uxoratus copulam habuit cum Agar, cui promittit

se illam ducturum; Agar autem nesciebat ipsum esse uxoratum. Mortua uxore, renuit Alcibiades stare promissis; sed contrahit cum consanguinea Agar in tertio gradu. *Quid in casu?*

81. In Brevi S. Pœnitentiariæ committitur viro discreto vel supplicanti Confessario facultas dispensandi super impedimento affinitatis occulto, orto ex copula cum matre mulieris ducendæ. At dum commissionarius exequitur commissionem, detegit copulam fuisse cum sorore, et ex errore scribentis fuisse supplicatum pro dispensatione super impedimento orto ex copula cum matre. *An possit exequi Breve, vel aliud sit procurandum?*

82. Anthistenes sub spe matrimonii defloravit Arethusam consanguineam, quæ propterea instat ut dispensationem obtineat ad eam ducendam. Ille renuit, nisi Petronius defloratæ consanguineæ pater medietatem solvat expensarum pro dispensatione. *An justa sit prætentio?*

**744. Resolutio.** — Ad 1. Primo si motus iræ fuit omnino subitus præveniens omnem advertentiam rationis, Amalia non peccavit, defectu voluntarii; alias venialiter; imprecationes enim si non fuerint seriæ (ut in parentibus fieri solent), etiam posita deliberatione, sunt tantum veniales; 2. si advertenter fregit prævidens virum graviter exacerbandum, peccavit graviter contra charitatem : et magis si hoc intendisset; alius vel nullo modo vel leviter tantum; 3. si osculum absque alio fine honesto ex sensuali delectatione, magis si tactum voluntarie admisit, peccavit graviter; si præter vel contra intentionem, ex improviso, obiter (ut fieri solet in conjugata honesta) non peccavit : et quia de his merito dubitatur, examinanda est; si enim fatetur sæpius similia admisisse vel observaret esse lascivam, potest supponi peccasse graviter; 4. si prævidit periculum et fuit negligens in præcavendo, est rea homicidii; est autem periculum grave, si lectus sit angustus, parens inquieti somni quæ se frequenter revolvat. In omni casu est semper dissuadenda. *Voit.*

Ad 2. resp. 1 : si Georgius non adhibuit diligentiam moralem ne alius homo occideretur, peccat et incurrit excommunicationem, irregularitatem et onus restituendi; quia illa occisio est illi voluntaria in omissione debitæ diligentiæ. Si vero illam adhibuit, peccat et incurrit irregularitatem, quia hominem occidit, incurrit probabilius excommunicationem quia voluntarie lædit statum ecclesiasticum, nam semper volebat clericum occidere, et talem occidit : at probabilius non tenetur de restitutione quia actus externus non est formaliter injuriosus Syro cum illum non tangat; neque Eliæ, quem omnino involuntarie occidit; 2. si iterum adhibuit diligentiam debitam, occisio est negative involuntaria, non positive, sicut prior : et non inducit pœnas, ad quas non sufficit actus externus malus; nec attenditur quid quis faceret, sed



quid fecerit; 3. si dominica die dum Missæ noluit interesse, obvenit cogitatio de jejunio et neglexit inquirere, est ignorantia vincibilis et peccavit etiam contra præceptum jejunii; secus peccavit tantummodo omittendo sacrum. *Voit.*

Ad 3. Primo confessarius sciscitari debet a Pomona, an apprehenderit omissiones illas ut mortales, quia tunc graviter peccasset (etsi illæ preces sint tantum de consilio) nempe conscientia erronea; 2. peccavit graviter, quia contra conscientiam dictantem omisit sacrum quod absolute potuit audire; 3. non peccavit, quia non erat ullo modo libera ad sacrum audiendum; quod currit de carceratis, quantumcumque putent se ad illud teneri; 4. supposito quod malis cogitationibus nec voluntarie inhæserit, nec delectata fuerit, multo minus consensum præbuerit, non peccavit, etsi erronee id judicaverit; quia non est in potestate hominis facere, ut plane non incidant in hujusmodi cogitationes : ideo non adest vera libertas. *Voit.*

Ad 4. Arcadius tuta conscientia potuit bona sua retinere ante judicis sententiam; nam nimis durum, ut debeat ex se expoliare rebus suis. Non peccat fugiendo; *quia nullus ita condemnatur, ut sibi ipse inferat mortem, sed quod mortem ipse patiatur; et ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem; tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati. Sicut qui condemnatus est, ut fame moriatur, non peccat si cibum sibi occulto ministratum sumat* (S. Thomas, 2, 2, q. 69, a. 4). Neque peccavit rumpendo vincula, effringendo carcerem, etc.; cui enim finis licet, et media permissa sunt; damnum autem custodum, cum ab illo non intendatur, sequitur per accidens; ipse porro utitur jure suo. *Voit.*

Ad 5. Quoad Apolloniam, ipsa peccavit carnes præbendo marito, quia sunt ebrii adulti in statu habituali usus rationis; non peccavit illos præbendo filio quinquennio, quia nondum capaci veræ obedientiæ ac directioni, saltem si nondum sit consecutus rationis usum. Quod pertinet ad amentes, etsi isti non obligentur legibus humanis, nec peccet qui iis præbet carnes die jejunii; subjecti tamen sunt legibus naturæ, hoc ipso quod participant naturam humanam : ita quidem ut ipsi non peccent agendo contra legem ob defectum rationis; peccent tamen qui illos inducunt ad transgressionem legis naturalis, v. g., ad blasphemandum, fornicandum, etc.; quia cum hæc sint intrinsece mala, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis opera veluti instrumento utitur. Hinc patet Apolloniam peccare in hoc secundo casu inducendo amentem ad blasphemias, non peccare autem ei carnes tribuendo ipso die vetito ab Ecclesia. *Voit.*

Ad 6. Mantolinus parochus laudandus; quia stando terminis casus,

pure ex joco se gessit, ut ita concionator practice cognita qualitate ciborum quibus communiter aluntur habitantes in montanis, solita rigida concione scrupulis populum suum non vexaret. At vituperandus Napulus ita generatim asserendo incolas montium ad jejunium non teneri : quia etsi polenta cibus sit satiativus, sed experientia parum nutritivus, dantur tamen qui una simul cum illo cibo alio vescuntur, vel illo solo satis sunt refecti, nec tamen laborant : qui proinde ad jejunium tenentur. *Casus consc. sub Lambertini.*

Ad 7. Si rex advertat ex impunitate delicti augeri audaciam, turbari rempublicam, peccat graviter fitque particeps peccati alieni reum non puniendo. Si vero justa adsit causa vel commutandi, vel remittendi pœnam, quin abusus timeantur, non peccat; est enim id de ejus regali potestate. *Voit.*

Ad 8. Primo si Bajulus deliberate gravibus calumniis offenderit dominum, mortaliter peccavit contra debitam reverentiam et charitatem, et tenetur damnum resarcire; 2. si jussa cum levi aliqua aversione et tergiversatione exceperit, leviter deliquit; si vero in rebus magni momenti non obedierit, peccavit graviter; 3. mensura gravitatis peccati propter otium et neglectum laborem desumi debet a damno inde exorto. Vindicta autem illa verius est injusta, quia herus non tenetur ex justitia dare famulo mercedem, qui etiam citra culpam per notabile tempus debitum non præstitit obsequium, extra conventionem. *Voit.*

Ad 9. Rotarius non est damnandus; cum enim negligere tales actus externos in casu non proveniat ex defectu filialis obsequii in patrem, sed ex fine lucrandi officium, quo non tenetur filius in patris gratiam privari, dicendum prædictum publicum Rotarii cum patre suo agendi modum posse in casu licere, amoto tamen omni scandalo, ac publica offensione. Eo præcipue, quod pater in casu nequit esse rationabiliter invitus, cum ex una parte patri cordi esse debeat filiorum honor atque decens utilitas; ex altera pietas filii in ipsum per subsidia præstita sufficienter manifestentur. Attamen prædictus agendi modus filio in honorem jam constituto non licet, cum tunc nulla causa. *Bonacina, Rosignolius* et *Casus consc. sub Lambertini.*

Ad 10. Triplex peccatum commisit Anacletus, quia violavit tria præcepta formaliter diversa : 1. ecclesiæ; 2. confessarii qui injunxerat jejunium ex motivo pœnitentiæ; 3. voti obligantis ex motivo religionis. Ideo in confessione debuisset dicere : *Violavi jejunium ad quod vi præcepti Ecclesiæ, pœnitentiæ et voti tenebar. Voit.*

Ad 11. Primo non peccavit Ammonius per invidiam, sed potius fuit æmulatio laudabilis, quia tristitia non est de bonis proximi, sed de propria penuria, quam comparando cum alterius abundantia magis advertit; 2. non peccavit si bona illa considerentur prout a potestate



humana contra justitiam distributivam obveniunt indigno, vel prout indignus iis abutitur ad peccandum. Sæpe tamen peccatur, si quis tristetur, quod Deus permittat, indignis conferri illa bona, quia voluntas nostra divinæ voluntati nunquam repugnare debet, quæ ob suos justos et altos fines nobis ignotos illud permittit; 3. tristitia illa si non temere, sed prudenter concipiatur, vitiosa non est : secus si oriatur tantum ex temeraria suspicione; 4. peccavit graviter et hoc peccatum vocatur *fraternæ charitatis invidentia;* invidia enim diabolica est invidere alicui bona supernaturalia, gratiam, sanctitatem, etc. *Voit.*

Ad 12. Negative per se loquendo, si non adsit periculum consensus et delectationis; tunc enim Adelina est mere patiens hasce tentationes, et pati non est peccaminosum. Quoniam vero in praxi sero vel ocius periculum vel delectationis vel consensus regulariter intervenit, quando quis sollicite non curat venereas cogitationes repellere; nam ex Isidoro *diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni, non resistitur, totius intima cordis, dum non sentitur, illabatur;* ideo censeo Adelinam non excusari ab omni peccato; est enim nimium sibi fidere. *Diana.*

Ad 13. Juxta aliquos non tantum Theophilus, sed etiam Achates est vitandus, non quidem ex Constit. *Ad evitanda,* in qua tantummodo percussores ipsi exprimuntur; sed ex cap. I *Mulieres,* et cap. *Quantæ de sent. excomm.*, in quibus etiam efficaciter mandantes, consulentes et consentientes nominantur. Verum hoc negant; quia per dictam Constitut. *Ad evitanda* novum jus inductum est quoad vitandos, adeo ut ipsi tantum percussores hodie ut tales sint habendi, non alii. An vero adhuc vitandi, si pœnitentes absoluti in articulo mortis, postquam convaluerunt, non se præsentant superiori, affirmat Bonacina; nam tales cap. XXII *Eos de sent. excom. in* 6, pontifex decernit, *ne censuræ illudant ecclesiasticæ, in eamdem incidere ipso jure.* At Pontas et Fideli negant, qui reincidentiam explicant tantum quoad ligamen conscientiæ, non quoad forum externum : ad quod quidem nova requiritur sententia declaratoria, ut vitari debeant.

Notandum autem, percussorem Clerici ut sit vitandus, debere esse publicum atque notorium, quod scilicet percusserit publice, et id notum sit in loco ubi est vitandus; et ideo non satis est quod id a tribus vel quatuor sciatur; imo neque sufficit, ut sciatur a decem in magna civitate, ut ab illa civitate vitetur. Sed a viris prudentibus id judicabitur, quando percussio dicatur notoria : si enim fieret coram gravibus personis in foro et de die, pauciores requiruntur testes quam si fiat domi et noctu. Præterea requiritur, ut percussio non solum sit nota notorietate et evidentia *facti;* sed etiam quod nullatenus possit probabiliter excusari a culpa gravi. Cum vero id raro accidat, ideo raro

tenemur vitare percussores Clericorum antequam nominatim denuntientur, sive antequam id notum sit vel per sententiam judicis vel per confessionem rei in judicio vel per sufficientem depositionem judicialem testium (in quo consistit notorietas *juris*). Quis enim non posset adducere in excusationem, vel quod primo impetu sine plena deliberatione percusserit, vel per jocum, vel ad defensionem, vel ignoranter, etc.?

Neque dicas : Constantiense vult Clerici percussorem esse vitandum, *licet denuntiatus non fuerit*. Hoc utique tradit Concilium, sed tunc tantum quando *factum* (ait enim) *non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*. Hoc porro quandonam evenit? non interveniente sententia, nonnisi raro; cum raro eveniat, quod percussor non proferat aliquam excusationem vel tergiversationem, quæ satis probabilitatis, apparentiæ, vel verisimilitudinis non habeat. Ideo concludunt, ordinarie loquendo, ad omnem ambiguitatem tollendam et dandum certum judicium, formandum esse processum, et declarandam esse reitatem. Unde illud Concilii *licet denuntiatus non fuerit*, locum habet, si publicus percussor ultro fateatur malitiam suam, vel res tot circumstantiis vestita sit, ut sit luce meridiana clarior. Hinc Alphonsus noster (*Op. Mor.*, l. VII, n. 144) ait : *Nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter non est vitandus*. Ita contra paucos plurimi, inter quos Viva, Fagundez, Diana, Leander, Croix, Covarruvias, Roncaglia, Salmanticenses; et præcipue Pignatelli, *Consultat. Canonicarum*, vol. IV; consultatione 133, per totum.

Ad 14. Gandius suos limites est transgressus, licentiam Lucretiæ concedendo; habet ad rem Fagnanus, *In III Decret. de statu monach. c. Recolentes*, n. 49 : « Cum esset ab episcopo translata monialis a suo in aliud monasterium, et in eo propter furorem manere non posset, nec monialibus parere vellet, et consanguinei petiissent, ut eam domi expensis monasterii retinere possent; S. C. Concilii censuit scribendum episcopo non potuisse eum absque Sedis Apostolicæ licentia illam transferre ad aliud monastorium ex Constit. S. Pii V; propterea jubeat et curet eam reduci ad suum conventum et ceteris monialibus parere, adhibitis etiam vinculis si opus fuerit. » — Unde si casus contingat amentem extrahendi monialem Episcopus vel ejus nomine Vicarius generalis Monialium recurrat ad R. Pontificem, Pontifex autem per S. Congregationem negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præposita facultatem tribuit hoc fere modo : *Attentis expositis, benigne commisit episcopo ut veris existentibus narratis, et constituto sibi per juratam medicorum fidem de vero annuntiatæ monialis necessitate utendi præsenti indulto, petitam facultatem ad annum tantum, si tandiu necessitas perdurabit, proviso pro*



*decenti ejusdem custodia, pro suo arbitrio et conscientia concedat ; ita tamen ut eadem cum associatione et assistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicujus honestæ matronæ aliisque debitis cautelis semper incedat, domi et alibi vitam religiosam ducat et a virorum frequentia semotam, prout Deo sacratas virgines decet, servatis in reliquis omnibus quæ per SS. Canones, S. Concilium Tridentinum, et Apostolicas Constitutiones circa hujusmodi Sanctimonialium egressus præscripta sunt, sub pœnis contra violantes clausuram impositis in casu contraventionis omnino incurrendis*. Ita ex licentia data anno 1862.

Item moniales omnes de quibus in casu, violarunt clausuram et excommunicationem aliasque pœnas incurrerunt. Violavit Edessa si ambobus pedibus vel uno tantum palmo se receperit extra januam clausuræ, ut commune est. Violavit Filea ascendens super tectum conventus ex S. Episc. C. quæ mandavit absolvi cum pœnitentiis salutaribus quasdam moniales quæ bona fide ascenderant super tectum ad siccanda frumenta et pastas ab ipsis confectas. Violavit Amantia quæ ascendit arborem positum in horto, si processerit ad ramum proeminentem extra murum. Item Potamiena etsi suspensa in aere, quia se posuit in loco publico. Item Cunegunda quæ se posuit in rota ad extra, quia accedit ad locum ad quem ipsi sæculares accedunt. Item Felicula, quia de facto egreditur : imo ista est rea dupliciter violatæ censuræ ; sunt enim duo actus, egressus videlicet et ingressus, unde etiam duplicem contrahit excommunicationem, prout declaravit S. C., 21 aug. 1699. — *V.* Ferraris, v° *Moniales*, art. 3.

Ad 15. Mittarellus parochus non est vitandus; nam deficit denuntiatio debita; quia dato quod sufficiat notorietas sententiæ qua quis excommunicatur et suspenditur, ut excommunicatus et suspensus vitari debeat; sententia tamen illa non debet esse conditionalis et talis ut effectus pendeat a conditione futura; sed debet esse absoluta. Ideo elapso termino, iterum absolute et publice judicis jussu denuntiandus est Mittarellus; secus esset quidem excommunicatus et suspensus; sed toleratus, non autem vitandus. Quod enim conditio impleta sit, non scitur ex denuntiatione, ac per consequens non habetur ex vi solius denuntiationis notitia illius censuræ. *Suarez*, *Lugo*, *Covarruvias*.

Ad 16. Videtur quod non; licet enim choreæ ut fieri solent, res sint plenæ periculis, adhuc tamen cum ex natura sua sint res indifferentes et possit quis (servato Dei timore) eisdem absque culpa interesse, maxime si aliqua circumstantia, lucrum, urbanitas, etc., id postulent, dicendum Ezzelinium absolvi posse. Nec obstant motus pravi; non sunt enim nisi præambula et incitamenta ad peccatum, non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccata, si motus ipsi non quærantur, nec sit periculum iis consentiendi. Esset tamen quoad potest dissuadendus, at non sub gravi cogendus per se, si nempe aliud non obstat. *Croix.*

Ad 17. Si cubandi modus præbet matri vel filio proximam peccandi occasionem, et exinde frequentes lapsus, omni modo separatio fieri debet; peccatum enim etiam cum propriæ vitæ dispendio fugere tenemur. Si vero non sequatur, vel nonnisi valde raro offensa Dei, et opportuna et efficacia adhibeantur remedia ad tentationes superandas, tunc urgente necessitate potest tolerari; nam ad fugiendam remotam peccati occasionem, qualis in hypothesi esset nostra, nulla lege obstringimur grave subire incommodum, uti esset supra nudam tabulam cubare. Ceterum in praxi non facile admitterem; nam rarum est, quod aliqua culcita stramentitia saltem ab aliquo benefico non inveniatur. *Giribaldus, Croix.*

Ad 18. Utique; quia ex 4 decalogi præcepto filii tenentur obedire parentibus in iis quæ sunt licita; licita autem sunt ex casu in horis pomeridianis quæ mater præcipit ad ea pericula vitanda ex benigna interpretatione legis et benigna permissione Ecclesiæ; nam est ad grave damnum animæ vitandum. Videat tamen mater, ne id ad finem lucri præcipiat; et recte monet Suarez supradicta cum mica salis esse intelligenda. *Resol. casuum consc. sub Lambertini.*

Ad 19. Primus, Caeus est sacrilegus, quia actus exterior ab eo conceptus est furandi in tali loco, nempe in ecclesia; ideo participat seu contrahit eamdem malitiam specificam, quam importat ipsum reale furtum in ecclesia. Non secundus, Cadmus, quia respectu illius actus interioris peccaminosi in ecclesia concepti, locus sacer omnino accidentarius est. *Suarez, Sotus, Azorius.*

Ad 20. Cinxia adhuc tenetur observare votum, quia causa illius finalis fuit alimentatio commodior familiæ, quæ adhuc subsistit, imo crebuit ex morte patris; esto quod causa impulsiva cessaverit. Excipe nisi ipsa pro fine præfixerit directe levamen patris ab omni suo incommodo et anxietate in curanda familiæ alimentatione: quod tamen non ita facile supponitur. — Quoad juramentum, si execrando juravit ex animo et vera jurandi intentione, et se obligandi, tunc perseverante occasione jurgiorum, si sit in sua potestate, tenetur domum deserere: quia nihil deest ad juramenti valorem. Secus autem si ea verba protulerit ex quadam impatienta, ut solent mulieres; tunc non habetur religiosum et verum juramentum. *Bonacina.*

Ad 21. Si Achior misit virum communiter habitum uti fidelem ad deferendum calicem, satisfecit; quia ex parte sua opus præstitit promissum, nec fuit per ejus negligentiam, si calix Lauretum non pervenit. Item satisfecit voto missarum, si eas probo commiserit presbytero, quia votum non fuit de Sacris cum effectu celebrandis, sed de illorum consueta via celebratione curanda. Non vero satisfecit tertio voto, quia eleemosyna est de aliquo aliunde non debito; filius autem saltem ex pietate jam tenetur alere parentem pauperem. Excipe si postea pater egenus sit factus, adeo ut censeantur mutatæ circumstantiæ; vel si talis fuerit voventis animus. Ita resolvit *Fedeli.*



Ad 22. Pessime sensit Alanus; quamvis enim plerumque sacrilegium sit peccatum commissionis; in dictis tamen casibus vere est peccatum omissionis, quia omissio debitæ curæ non minus cedit in irreverentiam gravem rerum sacrarum, quam quævis alia indigna tractatio earumdem. Hic C. *Reliqui noluimus*, l. III, t. LXIV de cust. Euch. habetur: *Præcipimus ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta prædicta munda et nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. Voit.*

Ad 23. Primo, an sit verum votum, pendet ab intentione Beatricis. Juxta Sanchez quantum verba sonant, videtur esse votum, quia pactum continent non secus ac dicerem: *Ego faciam hoc, si tu feceris illud;* vel *Promitto me facturum, si tu feceris;* adeoque si sit dubium an utens his verbis habuerit intentionem se obligandi, præsumendum est habuisse, quia dixit verba quæ de se pactum significant. Negari tamen non potest quod plurimi nesciant an hæc et similia verba pactum verum contineant; tunc censere non debent vovisse; — 2. in hoc frequenti casu debet pœnitens interrogari, an illa verba proferendo tantum cogitaverit de B. Maria vel alio Sancto; et non de Deo. Si ita affirmat, non fuit votum proprie dictum, ergo nec reservatum; sed dispensabile ab episcopo, quia saltem est promissio sacra et actus hyperduliæ vel duliæ: si enim B. Virginem et Sanctos licite possum colere cultu sacro in contestationem eorum excellentiæ supernaturalis et gloriæ, cur non liceat eis aliquod promittere ad honorandam eorum excellentiam supernaturalem? ergo tale promissum sacrum etiam cadit in debitum sacrum. Si vero pœnitens dicat se quidem cogitasse de Deo, sed solum intendisse promittere B. Virgini, iterum non est votum proprie dictum, cum votum sit promissio facta Deo. Ceterum in dubio non quidem de vera promissione, sed de promissionis directione recte dicunt judicandum verum votum; nam ex communi acceptione dum vovemus Sanctis, sensus est voveri Deo in honorem simul Sanctorum; — 3. hinc patet responsio ad tertium; si verum votum, sine dispensatione nequit nubere; secus potest. *Voit.*

Ad 24. Si non tantum causa impulsiva, sed etiam motiva et quidem principalis voti videtur fuisse ad declinandam patris iram, ut apparet ex casu, mortuo patre, votum Manlii cessat; nam votum non obligat

ultra mentem et intentionem voventis. *Azorius*, *Sylvester*, *Suarez*, *Antonius a S. Spiritu*.

Ad 25. Juxta alios Harduinus etsi primitus peccaverit, si promisit cum animo non stando juratis promissis, non peccat si nunc non redeat (secluso scandalo ac catholicæ religionis detrimento) : imo neque potest redire, quia semel ac scit se injuste perimendum, si redeat, idem esset ac se injustæ morti tradere. Sed juxta alios potest licite redire, quia directe hoc est juramentum solvere, ac fidelem se exhibere ; non vero mortem incurrere ; mors enim non ab ejus reditu, sed ab aliorum iniquitate repetenda est. *Giribaldus*.

Ad 26. Non peccavit Beda non jejunando si labores fuerunt tales qui per se a jejunio excusent ; quia præsumitur votum jejunii fecisse ad modum quo obligat jejunium ecclesiasticum, a quo liberantur gravibus defatigati laboribus. Non peccavit inadvertenter bibendo vinum, quia nulla deliberatio, ut supponitur ; tenetur tamen adhuc ad jejunium, quia abstinentia a vino est tantum accessorium ad jejunium. Votum differendo per se non peccavit graviter, nam quilibet sic vovens censetur id facere sub tacita conditione, *proxime faciam, nisi aliunde sim rationabiliter impeditus*. Aliud est de votis perpetuis quæ dilatione diminuuntur : sic qui vovit religionem, non potest expectare per annos, secus notabile tempus subtraheretur divino servitio. Non potest tandem per alium voto satisfacere, quia votum peregrinandi supponitur personale ; unde si ipse non potest, non tenetur alium substituere ; nisi de facto etiam hoc promisisset. *Voit*.

Ad 27. Votum Benosi est validum, quia castitas est absolute majus bonum etiam consuetudinario ; potest enim talis adhibere remedia ad refrænandam suam libidinem ; et vovendo castitatem ad ista media implicite se obligavit ; nec constat dixisse se nolle illa adhibere. — Si res parvæ omissæ sint disparatæ (ut in casu) nec unibiles, non peccavit mortaliter eas omittendo singulas in parva quantitate ; secus mortalis reus est ; et si intentio voventis fuit compensare altero die quod præcedenti omittat ; non peccavit ullo modo omittendo, sed tenetur adhuc satisfacere obligationi. — Se inebriando non præcise peccavit contra votum, cum id non promiserit cum voto : peccaret tamen contra votum, si post ebrietatem non daret eleemosynam, quia hoc in sui pœnam cum voto promisit ; aliter esset si vovisset se non amplius inebriari, tunc aliud esset votum. *Voit*.

Ad 28. Contractus in plena ebrietate a Damaso initus non valet, ob defectum usus rationis, consequenter et deliberationis. Neque secundus contractus sub conditione initus ad peccatum inducente ; nam non datur obligatio ad peccatum. Sed conditione impleta, si res sit pretio æstimabilis, contrahens obligatur ad implendum promissum ; ita ut si



unus compleverit partem suam, obligetur alter explere suam partem, si licita sit. Neque valet contractus ad malum, si juramento firmetur ; nam juramentum non est vinculum iniquitatis. *Voit*.

Ad 29. Recte distinguunt : si Diogenes expresse vel tacite convenerit cum Dativo, ut rem vendat 10, et si quid ultra acceperit, sibi retineat, hoc pacto Dativus potuit excessum retinere. Secus non, sed tenetur illum tradere Diogeni. Non potest enim retinere aliquid neque ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei, ideo pertinet ad dominum ipsius rei ; nec ex eo quod dominus designaverit pretium, quia sine pacto tacito vel expresso retentionis augmenti, illa designatio tantum facta est, ne infra 10 venderetur ; nec ratione industriæ, quia augmentum pretii non fructus qualiscumque industriæ, sed est fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine Dativus tantum vendidit : ergo augmentum spectat ad dominum ; at potest Dativus pro suo labore et industria competentem mercedem exigere. *Voit*.

Ad 30. Si Numerius qui locavit equum non erat locator ex officio seu professione, tunc vir pinguis tenetur de damnis, etsi omnem curam habuerit circa equum ; quia in hoc casu rogatus de locatione attendit personæ quacum agebat, alia exclusa : unde locum habuit dolus. Si vero erat locator ex officio, vir pinguis ad nihil tenetur ; in hoc enim casu locatio censetur facta more communi locatorum, qui dantes equos conductoribus, non attendunt an debeat inservire petenti vel alteri ; et probe sciunt ipsi, quod sæpius unus præ alio petit. Ita *Cassianus a S. Elia*.

Ad 31. Negative ; hæc enim Annibalis tristitia per se non est displicentia de bono proximi, nempe de lucro quod alii mercatores percipiunt (quod certe esset contra charitatem) ; sed est displicentia quia ipse lucro careat. Est tamen res periculosa, utpote inducens ad fraudes pro captando lucro, vel ad invidendum aliis. *Pontas*, *Coninchus*.

Ad 32. Negative ; neque enim aliquid Apollonio debetur ex justitia, cum nullum jus ipsi competeret Grotium verberandi ; si ideo verberationem omisit, id fecit ad quod jam tenebatur. Neque ex fidelitate, quod enim sic maleficis promittitur, non promittitur omnino libere, sed ex quadam coactione, quia secus nolunt a mala desistere. *Regius*.

Ad 33. Negative : Pupius non est tutus in conscientia, eo quod *ultima voluntas defuncti omnibus modis observari debet, ac pro lege habenda est* (Can. ultima volunt. 13. q. 2 ; et Authen. de nupt.). Nec refert, quod communitas consentiat ; non enim consentit libere, et aliunde videtur esse contra Constitutionem *Quanta cura* Benedicti XIV. *Lugo*.

Ad 34. Si Batyllus quando injunxit celebrationem adhuc poterat satisfacere creditoribus, sacerdos potest celebrare ; tunc enim creditum

hoc, cum non esset alicui specialiter obligatum, poterat Batyllus de illo disponere ad libitum. Si Batyllus quando Missas dedit erat impos, tunc sacerdos si erat conscius hujus impotentiæ, tenetur hæredibus acceptum restituere; nam scienter actionem posuisset injustam in creditorum fraudem, ut verius dicunt. Si vero non erat conscius, attento jure positivo non videtur damnandus, juxta illud: *Si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is qui fecit, ignoravit, cessare videntur verba edicti*: L. *Quod autem* ff. quæ in fraudi. *Giribaldus*.

Ad 35. Non potest Panetius licite de novo contrahere, si grave non incurrat periculum incontinentiæ; quia si faceret, medium aptum negligeret ad satisfaciendum creditoribus. Secus potest; nam salus animæ est bonum altioris ordinis, quod omnia alia vincit. *Croix*.

Ad 36. Si agitur de levi imminutione, et tunc ad id tenetur Ninus, sicut etiam eodem fine tenetur imminuere expensas circa victum, vestitum, etc. Si agitur de diminutione notabili, et iterum ad id tenetur, si ideo non mutatur status, aut mutatur injuste acquisitus; tunc enim nulla causa excusans. Si tamen judicio prudentum, status earumdem filiarum juste acquisitus mutatur, dotem Ninus imminuere non tenetur; nam est regula, quod nemo tenetur decidere a proprio statu juste acquisito, ut satisfaciat creditoribus. Idem est, si imminuta dote, filiæ sponsum non invenirent, cum periculo pudicitiæ; agitur tunc de bono superioris ordinis. *Lessius*.

Ad 37. Etsi Diogenes, stante bona fide et ignorantia invincibili, non peccaverit, tamen quia latens defectus propter quem bos statim periit, fuit circa substantiam (bos enim notabiliter infirmus venditus fuit ut sanus, et quidem taliter ut fuerit inutilis emptori), sequitur contractum fuisse nullum: ideoque esse restituendum pretium. *Beja*, *Giribaldus*.

Ad 38. Si Cleopatra accepit talem excessum illum extorquendo per fraudem aut dolum, et tunc tenetur de restitutione; dans enim non dedisset volens, sed deceptus. Si vero accepit vigore liberi contractus *facio ut des*, seu pacti initi sub tali pretio, et tunc non tenetur de excessu, si dans potuit de illo libere disponere; nam dans dedit volens, et hæc res non ita facile solet habere pretium omnino determinatum in multorum sententia. *Navarrus*, *Lessius*.

Ad 39. Affirmative; quia cum ageretur de defectu respective notabili et pernicioso, tenebatur Calpurnius ex se, etiam non interrogatus, ex justitia defectum aperire; non monendo evincitur voluisse damnum: sicut patet de *muto*, qui cum debeat ex justitia clamare, taceat. Excipe saltem quoad conscientiam, si locator equi et ipse defectum ignoraverit; si non monuit ex mera oblivione; si conductor eidem dixerit quod esset transiturus per talem locum, ubi est nulla aqua, sed conductor alio perexit. *Bartholomæus a S. Fausto*.



Ad 40. Negative; quia hæc injuria non est pecunia comparabilis; sed est solum satisfactio exhibenda per signa doloris et veniæ petitionem, sciente et exigente marito. Adde hoc in jure reprobari, ne maritus videatur suæ uxori lænocinium facere. *Lessius*, *Lugo*, *Giribaldus*.

Ad 41. Capellanus graviter deliquit contra justitiam cooperando injustitiæ patroni, qui tenetur ea indumenta providere; contra religionem, impediendo ne visitatores decreta ederent pro vestibus sacris ad decentiam cultus; contra veritatem, cum sic agendo superiores deceperit; contra obedientiam, quia id solet prohiberi a visitatore, forsan etiam sub pœna. *Barbosa*, *Diana*.

Ad 42. Hoc maxime procedit de columbis, cuniculis, gallinis et similibus. Si porro non possit alia via damnum reparari, tum clamando, tum artibus ingeniosis animalia arcendo, tum satisfactionem exigendo, tum dominum monendo, etc. (ut solent viri timorati), tunc Lillius juste occidit animalia; cum quisque enim jus habeat ad servanda quæ sua sunt, habet item jus ne ab aliis in iis damnificetur, ideo jus avertendi damnum. *Felix a Potestate*.

Ad 43. Negative; neque enim Agesilaus extitit causa proxima damni, cum aperitio januæ de se non ordinetur ad damna inferenda per latrones; idque maxime, si creditor totus positus et intentus ad reparandum sibi, penitus inconsiderate ostium officinæ apertum reliquerit. *Fedeli*.

Ad 44. Hæredes Colnaghi succedunt singuli pro rata in onere Missarum per annos 60; at probabiliter non obligantur ad pœnas dandi Confraternitati 200 scuta vel ejus partem pro rata si negligant; sed satisfaciunt si Missas omissas faciant celebrare et simul omnes correspondentes annis sequentibus. Ratio primi: quia hæreditas Colnaghi secum fert omnia onera et obligationes reales; unde eo ipso quod Colnaghus sit hæres institutus, manet obligatus ad onera imposita, et per consequens hujus hæredes qui ejus personam repræsentant, debent subire eamdem obligationem. Ratio secundi: legatum relictum Confraternitati fuit conditionale; atque ideo non debetur nisi conditione in toto rigore posita; conditio porro respiciebat tantummodo Colnaghum, qui suæ obligationi quoad vixit, satisfecit; non vero ejus hæredes. *Lugo*.

Ad 45. Plus panni exigendo quam sit opus, si eo animo ut sibi retineat partem in notabili quantitate, Corradus peccat graviter ut patet. Si vero sartor justum pretium accipit a domino, sine furto non potest residuum panni retinere, quia alterius est: excipiunt fragmenta exigua quæ veluti pro derelictis habentur, et hoc sciunt domini, esse in usu communi. *Voit*.

Ad 46. Annulum pretiosum furando Canutus peccavit graviter, quia quoad talia furta parentes sunt ordinarie graviter inviti et quoad rem et quoad modum. Petendo cum aperto mendacio tria scuta loco dimidii unius per se loquendo etiam graviter peccavit mendacio et furto; hic enim excessus est valde notabilis, etiam respectu parentum, nisi sint admodum divites, liberales, et valde indulgentes erga talem filium. Consumens notabilem summam præter ordinarias expensas, ludendo, etc., item graviter deliquit, et merito parentes hic habentur graviter inviti. Ex eadem ratione graviter peccat vendendo libros, vestes, etc., non tantum contra justitiam, sed etiam contra pietatem erga parentes, quia in hisce agendi modis ad iram, tristitiamque moventur. *Voit.*

Ad 47. Si Acrisius plene ebrius horologium surripuit, quod in eadem amisit ebrietate, ante judicis sententiam restituere non tenetur: non ex re accepta, cum nihil amplius habeat; non ex injusta acceptione, cum non adsit culpa theologica. Secus si ante tumulentiam hanc ablationem prævidisset; tunc enim volens ebrietatem cum tali animo conjunctam, etiam censetur voluisse furtum. Ita *Voit* et *Berti.*

Ad 48. Tenetur Dejoterus tantum restituere equum et id in quo equus per usum factus est deterior, non vero fructus locationis; nam hi censentur pure industriales, cum non sit supponendum virum nobilem et perdivitem velle equum locare. (Aliis tamen negantibus, quia quælibet res fructificat domino suo.) *Sanchez, Lessius.*

Ad 49. Solvere debet Elvetius juxta prudentis viri judicium; nam ex una parte restitutio non est tantum commensuranda præsenti rei valori quæ sublata est, sed etiam existimationi damni quod provenit in sequenti ex re ipsa ablata; arbusculæ enim illæ succrescentes majorem certe valorem erant habituræ. Ex altera vero parte non est certum quod res si sublata non fuisset tanti vel tanti esset valitura, nam judicium fieri non potest de infortuniis quibus res illa potuisset esse obnoxia. Hinc est quod omnibus pensatis, nonnisi juxta prudentis viri et experti judicium summa illa major scutorum decem, sed minor scutorum triginta taxari potest. *Azor, Navarrus, Bonacina.*

Ad 50. Si famuli certo moraliter sciant, virum illum nobilem ex stipendio ipsis soluto fieri magis impotentem, et ex alia parte ipsorum copia necessaria non sit ad conservandum statum domini convenientem, probabilius non possunt a domino illo stipendium accipere, vel retinere receptum (nisi forte tantumdem eidem domino inserviendo acquisierint); esset enim accipere ab alieno ære gravato. Ita *Navarrus, Tamburini.*

Ad 51. Si Zoilus capellanus hæc pinguia honoraria accepit mala seu dubia fide, noscens aut suspicans famulum impotentem ut de suo tantum tribuat, tunc si prætermissa diligentia debita, accipere prosecutus est, tenetur semper restituere; tum quia malæ fidei possessori non currit præscriptio, tum quia possessor malæ fidei tenetur restituere rem si extat, quia clamat ad dominum; et si non extat, restituere æquivalens quia ex regula juris *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.* Si vero bona fide accepit, non tenetur restituere nisi accepta infra ultimum triennium, quia mobilia hæc cum titulo et bona fide triennio præscribuntur. Imo tenetur tantum reddere accepta infra triennium, si adhuc extant impermixta, quoniam clamant ad dominum; si autem amplius non extant, aut per mixtionem fuerint ab ipso moraliter consumpta, solum tenetur ad id, in quo factus est ditior. *Fedeli.*



Ad 52. Affirmative; non enim manifeste omnino constat Amilcar revera se in flumen conjecisse ex desperatione; fama enim est tantum de dicto, non de facto. Neque dicas ex ejus dicto præsumptionem contra ipsum militare; in hac re veritas clare constare debet: porro non firmiter constat; potuit enim id evenisse casu fortuito. Et si pridie dixit se velle in flumen dejicere, verisimile non est quod id asseruerit ex corde ob magnam repugnantiam ad se necandum; unde præsumptio stat quod potius id protulerit ex impatientia aut ore tantum, eo fine ut audientes ejus inopiam sublevarent, prout solent quandoque facere pauperes, dicentes se velle ire ad hæreticos, ad lupanar, etc. *Navarrus.*

Ad 53. Si attenta qualitate patris nummi quos Flavius filius surripuit ab ipso ita sint in modica quantitate, ut pater nec quoad substantiam nec quoad modum rationabiliter esse possit invitus, et perspecta qualitate filii, ipsi liceat aliquando cum amicis ludere et honestis recreationibus interesse, tunc dici debet quod filius vere furtum non committit, et proinde quod in conscientia sit tutus. Secus non. *Casus conscient. resol. sub Lambertini.*

Ad 54. Si accepta summa erat propria furum (non res furti), potest illam Aristippus sibi retinere; quia supposita non manifestatione furum ex parte ipsius, acceptio ac detentio talis summæ injusta non est, ut ait D. Thomas *in 4 Dist.* 15, *q.* 2, *a.* 4, *q.* 2. Neque tenetur de aliquo eo quod dixerit *non vidi*, etsi peccaverit peccato mendacii, nisi teneretur ex justitia clamare, vel manifestare; unde si graviter violavit charitatem, non tamen violavit justitiam. Quod valet, etsi fures non manifestaverit ex odio vel alio pravo affectu: imo probabilius etsi ex ejus taciturnitate fures sint facti animosiores; quia semper verum est, quod non potest dici vere consentiens, eo nempe consensu per quem habetur verus influxus in damnum. *Navarrus, Giribaldus.*

Ad 55. Primo optando sibi mortem ex prava intentione et delibe-

rate, graviter peccavit Crispinus. Secus si ex perturbato animo aut indeliberato iræ motu, aut si ex bono fine, ne diutius in periculo peccati vivere debeat; 2. item est de imprecationibus, quæ in parentes: sunt etiam contra pietatem: ultra scandalum quod evenire potest; 3. gaudium de malo proximi grave est; et sane ordo charitatis maxime pervertitur proximi mortem optando, vel de illa gaudendo; 4. si odium in novercam fuit grave in ipsam personam, peccavit graviter contra charitatem; si cum desiderio nocendi, etiam contra justitiam: secus si fuerit tantum levis animi aversio, quod est supponendum, si non cogitaverit de malo; sed huic tamen adjungitur inimicitia, scandalum, etc.; 5. susurrando peccavit graviter, si gravia protulit de se sufficientia ad dissolvendam amicitiam, suscitandas aversiones, discordias; at nulla culpa, si manifestetur verum defectum ad solvendam perniciosam amicitiam; 6. si Crispinus alterum invasit et factis graviter læsit, peccavit graviter; secus si ex motu non satis deliberato unum alterumve colaphum inflixerit: quæ læsio, maxime inter plebeios, non censetur gravis, vel inter personas ferme æquales. Ubi advertendum quod plerumque in confessione confundi solet *rixa* cum *contentione*: hæc enim in verbis consistit; illa in factis proximum lædentibus, ut est cædere ipsum pugnis, prosternendo in terram, etc. *Voit.*

Ad 56. Recte egit Adalbertus; talis rudis habetur ut parvulus vel amens. Sic S. Xaverius baptizavit Japonem præ senio jamjam moriturum, quamvis tam stupidus esset, ut nec sciret Deum esse, nec ulterius instructionis capax esset. At præstat, si mora permittat, actum fidei (in similibus) cum tali rude elicere cum spe et dolore de peccatis. Sunt qui dicunt baptizandum esse sub conditione: *si capax*, ad salvandam sacramenti reverentiam. *Voit.*

Ad 57. Vedastus si id omnino certo moraliter sciat, utpote jam expertus aliquoties, non videtur teneri; quia tunc sibi debet imputare inimicus; siquidem illa inutiliter darentur; excipe nisi ea sint agenda ad auferendum scandalum. Dein denuo salutans, propinans vel alloquens exponeret se periculo gravioris iracundiæ et odii. Si tamen prævideat ex iteratis illis signis, fore ut Ruffo emollitus odium paulatim deponeret, tunc Vedastus ad id ex charitate erit obligandus. *Sporer.*

Ad 58. Peccaminosum est silentium Rosæ; cum enim unicuique mandaverit Deus de proximo suo, lex charitatis nos obligat ad impediendum proximi damnum, si absque gravi nostro incommodo vel alterius illud possumus impedire, ut videtur posse de præsenti. Dominæ autem exasperatio tanta non erit, ut majus damnum sit timendum. Ceterum ordo charitatis vult, ut prius secreto famula admoneatur, si aliud non obstat. *Garibaldus.*

Ad 59. Recte se gessit confessarius, si ex quo Atalia non reddat salutationem vicinæ quacum est rixata, oriatur aliquod scandalum, aut id æstimetur notabilis contemptus ejusdem vicinæ, spectatis circumstantiis loci, temporis, personarum, nec non consuetudine patriæ; quia tunc non reddere salutationem est revera lethale contra charitatem. Secus non; quia hæc signa omittere, absolute loquendo, est potius contra urbanitatem, quam contra charitatem. *Bonacina. Giribaldus.*



Ad 60. Affirmative: peccat Muretus; cum id fieri non possit sine gravi proximorum et maxime pauperum damno; unde id deliberate intendere est velle opes modis illicitis augere, quod prohibetur decimo decalogi præcepto. *Giribaldus.*

Ad 61. Si lutheranus ille id requirit in fidei ac catholicæ religionis contemptum, certo nequit sacerdos ista agere ob quodcumque damnum; nam idem esset ac virtualiter contemnere seu negare fidem exterius, vel saltem contemptori cooperari, quod est intrinsece malum. Si vero id faciat præcise ad suæ potentiæ ostentationem, tunc si sacerdos gravia timet, potest illa licite peragere, remoto tamen scandalo, periculo subversionis, etc.; nam ex una parte illa sunt de se mala quia prohibita, ex alia prohibitio eorumdem non censetur hisce in casibus intervenire, cum Ecclesia non obliget cum tanto incommodo. *Duardus.*

Ad 62. Si Latona præviderit prolem ab hæretico invalide baptizandam, tunc ipsa potuit baptizare, si alius catholicus haberi facile haud potuit: secus non; quia minus videtur esse malum, quod infans baptizetur ab hæretico, quam quod rebaptizetur. *Voit.*

Ad 63. Circa intentionem Hugo assuescat ante Missam recitare illud *ego volo celebrare missam*, etc.; postmodum in missa de intentione nil amplius cogitet, nec quidquam unquam interne dicat. Verba consecrationis pronuntiet immote, continuate, subito absque ullo capitis motu, nec halendo super hostia vel calice; et submisse, nec est necesse ut vocem altius attollat, quia pulsantur organa, etc. Circa defectus, ne sit anxius, neve postea cogitet: sed maxime in omnibus animose sequatur confessarii consilium, monita ac præcepta. Confessarius ei suggerat motiva præcipua deponendi scrupulos: 1. quod propter scrupulos nec devotius legit nec attentius missam, imo male; 2. quod ne dum rite tractet, imo inhonorat tam magnam actionem; 3. quod pariat apertum scandalum, et populi devotionem turbet; 4. proponat illi alios pios et doctos sacerdotes qui non ita agunt, et tamen devote celebrant, etc. *Voit.*

Ad 64. Si filius exponit ex se ipso, se peccasse cum affine in primo gradu, tunc est manifestum, non posse simplicem confessarium illum absolvere, quia exponit incestum formalem reservatum. Si vero filius exponit tantum se peccasse, v. g., cum libera, et tunc Sejanus confes-

sarius interroget, an ea sit sibi propinqua (est enim interrogatio quæ communiter fieri solet ac debet singulis se accusantibus de aliquo simili peccato, unde nulla suspicio de fractione sigilli) : et si neget, dummodo aliunde dispositus, absolvat, non obstante notitia habita a confessione patris; *nihil enim minus scimus, quam id quod per confessionem scimus*, ait D. Bernardus. — Quod pertinet ad patrem, absolutio ipsi impertita est nulla, si ipse scienter peccasset post filium et culpabiliter id omiserit declarare ; secus non. *Puteobonellus.*

Ad 65. Etsi non adsit absoluta prohibitio tamdiu protrahendi communionem, tamen quia in praxi facillimum est, quod adstantes videntes Angelicam communicare hora adeo tarda ac plene insolita, nedum admirari incipiant, sed et de illa obmurmurare, utpote res sit omnino dissona a consuetudine ; ideo satius judico practice illicitum Parocho in eo casu matronæ indulgere, tum ne violetur praxis, tum ut vitetur scandalum. Resolutio *Casuum sub auspiciis Card. Lambertini resol.* Imo habetur prohibitum a S. C. Rituum.

Ad 66. Negative, cum exhiberi debeat populo adoranda Hostia in illo sacrificio consecrata et oblata. Melius fecisset Fabricius si majori istæ Hostiæ alteram parvam consecratam in eo sacrificio simul adjunxisset ; quod facile potuisset exhibendo utramque adorandam ; sic et satisfaceret omni sacræ cæremoniæ (ceterum in extrahendo ab Ostensorio hostia, non video quomodo non fiat admiratio). *Marchantius.*

Ad 67. Gabinius si amplius non possit largitorem monere, potest propria auctoritate duodecim tantum celebrare ; sic agendo non peccat neque contra justitiam, cum servet æqualitatem ; neque contra fidelitatem, quia promissio nulla fuit ex errore inculpabili circa rem ; neque contra S. Congregationem quæ vult stare promissis ; quia S. Rituum Congregatio supponit profecto scientiam congruitatis stipendii. *Donatus* atque *Rotarius.*

Ad 68. Si aliud non obstet, tunc non eum communicet parochus. Ad auferendam autem admirationem in populo, atque infamiæ periculum in puero, dicat alta voce : *Nondum ad communionem admissus es ; venias cras ut prius te examinem, ut est de more ; et si idoneus, ad communionem cito admittam.* Ita *Possevinus.*

Ad 69. Attilius plurimis gravissimis peccatis se maculavit ; nempe *idololatriæ* saltem externæ ; *gravissimi scandali* per inductionem populi ad materialem idololatriam ex Constit. *Etsi* Clementis VIII ; *injustitiæ* stipendia accipiendo ; *damni spiritualis* veris sacramentis fraudando qui illis indigebant, maxime in mortis articulo. Si ex aliquo errore in intellectu contra fidem et pertinacia in voluntate hæc fecerit putans id potuisse etsi non fuerit sacerdos, tunc reus esset formalis hæresis et quidem externæ per celebrationem etc. ; ideo incurrit in



excommunicationem Bullæ *Cœnæ*. Si vero fecit secluso tali errore, nullam invenio pœnam spiritualem latam, et a pluribus eximitur etiam ab irregularitate, cum nec sit Clericus. Sed habetur uti suspectus de hæresi, ideo denuntiandus. Baptismus fuit validus, si ille fictus sacerdos rite administravit : quod caute indagandum. Missæ fuerunt nulliter celebratæ ; et ideo petenda condonatio secreto a S. Sede, si quæ erant dicendæ pro Legatis, nec capellanus habeat ut restituat. Fideles semper nulliter confessi sunt ; Parochus tamen ne populum inquietet, sed generatim illum excitet ad contritionem. Ceterum qui postmodum una etiam vice confessi sunt bona fide cum dolore universali, jam satis sunt absoluti. Extrema Unctio nulliter data est ; at nullum remedium, nisi agatur de aliquo infirmo cui recenter sic fuerit inaniter administrata : tunc sub aliquo prætextu ipsi dari debet a vero sacerdote. Tandem quoad matrimonia ne parochus sit adeo anxius ; quia sicut matrimonium est validum etsi contractum coram parocho mere putativo ; ita quoque quod contrahitur coram sacerdote mere putativo, si hic habeat titulum coloratum licentiæ a Parocho, ut cum Sanchez, Bossio, Cuttieres, Bonacina et aliis docet Giribaldus. Neque dicas ex Tridentino contrahi debere coram parocho *vel alio sacerdote ;* nam sicut quamvis Concilium apponat *coram parocho*, id intelligitur de parocho vero vel putativo, ita quamvis Concilium apponat illud *vel alio sacerdote*, intelligitur de sacerdote vero vel putativo, hoc est sic communiter existimato. Ratio fundamentalis : veritas sacerdotii non requiritur de jure divino ad valide assistendum matrimonio, sicut requiritur ad absolvendum, et ad infirmum inungendum ; sed solum ex dispositione Ecclesiæ, quæ propterea in casu necessitatis dictæ qualitatis defectum supplere potest, et supplet ; cum interveniat error communis una simul cum titulo colorato. Ita *Resolutio Casuum de mandato Card. Lambertini, dein Benedicti XIV*, cum Suarez.

Ad 70. In subjecta materia negative ; Lucullus non satisfecit : nam confessarii imponentes pro satisfactione plurium missarum auditionem, communiter intendunt imponere onus audiendi plures Missas diversis temporibus, ut apparet ex communi sensu confessariorum et praxi pœnitentium. Unde hic non supponendum confessarium permittere ut uno tempore et actu pluribus satisfiat obligationibus, etsi alioquin posset. *Lugo, Turrianus.*

Ad 71. Leo non debuit confiteri peccata ante baptismum commissa, quia non sunt materia confessionis ; sed debuit confiteri peccatum sub ipso baptismo patratum, quia in primo instanti baptismi jam erat fidelis et subditus, et subditus Ecclesiæ quoad primum esse ; sicut in primo instanti quo quis peccat, est peccator. Dein peccatum sic commissum, vel continuatum impedit baptismi effectum ; ergo non potest



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tolli per baptismum ; ergo debet per aliud medium præter baptismum institutum, nempe Pœnitentiam. *Voit.*

Ad 72. Est judicium sine judicio quod efformat Brixius ; concursus non præbet causam præcipitanter administrandi Sacramenta ; ideo magis, quia sunt homines ita comparati, ut diu non absoluti, in tali concursu compareant, sperantes quod sibi tunc confessarii omnia facilius indulgebunt. *Voit.*

Ad 73. Mecilius potest absolvi ; esto, quod reservatio non attendatur in ordine ad peccatum pro tempore quo committitur, sed pro tempore quo absolvitur ; at doctrina communis est quod jurisdictio semel habita prorogatur in judice delegato incœpta semel causa in ejus foro, usque ad ejus complementum. Lugo, *Resp. moral.*, l. I, dub. 25.

Ad 74. Si alia lethalia in eo paschate confessus est, non tenetur ; nam Epimenides ea confessus est quibus se Dominum offendisse mortaliter recordabatur, in quo stat præceptum. Si vero peccata declarata fuerunt tantum venialia, tunc tenetur, quia cum annuæ confessionis præceptum nonnisi proprie circa lethalia versetur, dicto præcepto non satisfecisset per solam venialium confessionem, cum teneatur mortalibus. (Alii tamen negant, quia cum illa mortalia in confessione fuerint oblita in bona fide, jam remissa sunt, ideo non amplius pœnitens illis coinquinatus est ; unde tantum tenetur in prima confessione illa subjicere Ecclesiæ clavibus.) *Lugo*, *Giribaldus*.

Ad 75. Dubius non poterat offerre pecuniam, quia quod non est ex fide, peccatum est ; neque sententiam libelli sequi, quia ei non præbebat solidum fundamentum. Potuit autem Velleius alios inquirere, si bona fide procedebat, sollicitus nempe ut inveniret veram sententiam ; non autem ut quæreret auctores sibi placentes qui factum suum colorarent. Non autem ei suffragatur possessio triennalis, quia nempe est simoniaca et in mala fide. *Voit.*

Ad 76. Si beneficium sit simplex nec ordini sacro adnexum, et Janus eo animo acceptaverit, ut velit proprio munere satisfacere, donec mutando statum beneficium cum debita facultate dimittat fratri, tunc non peccat, saltem graviter ; nam nullo jure probatur, ipsum teneri sub gravi animum habere perseverandi in statu clericali, imo jure ei permittunt ad nuptias transire, ut colligitur ex cap. *Joannes* et cap. *Diversis de cler. conjug.* Si tamen beneficium importat onus seu ministerium Ordinis sacri, Janus graviter peccat ; quia munus aliquod assumens debet omni jure curare, ut se reddat idoneum ad illud exercendum tempore suo. *Sotus*, *Sanchez*, *Toletus*.

Ad 77. Cum sponsalia sint promissio mutua, ex sola taciturnitate non rite semper infertur repromissio, nisi illa vestita sit aliis circumstantiis clare indicantibus consensum. Similiter nec immissio et acceptatio arrhæ aut jocalium per se non est signum promissionis aut repromissionis, nisi præcedant aut comitentur verba, vel circumstantiæ clarius consensum significantes. Sunt tamen qui censent in præsenti facti specie, satis indicari consensum, uniendo scilicet taciturnitatem cum acceptatione arrharum, maxime si ob verecundiam tacuerit puella. *Voit.*



Ad 78. Marculfa, nisi gravida sit, nec gravis inde timeatur exitus, non tenetur se prodere ; nam per hoc non officit matrimonio, nec quis tenetur menifestare propriam turpitudinem : esto quod si id sponsus dignoscat, possit resilire ; sponsa tamen non tenetur talem pœnam in se exequi. Dixi *nisi sit gravida*, si enim esset, deberet vel declinare matrimonium, vel vitium manifestare, quia alioquin sponsus post matrimonium deberet alere prolem alienam, et proles legitima nascitura damnum inde pateretur. Item excipe nisi gravis inde timeatur exitus, si sponsus de facili defectum sit deprehensurus et valde ægre durante matrimonio laturus. Sponsus si potest probare deflorationem, liberatur, quia tunc nuptiæ quoad ipsum deteriores factæ sunt ; at si non valeat, tenetur stare promissis et judici obtemperare. *Voit.*

Ad 79. Si utraque qualitas (quod sit nobilis et primogenita) fuerit a Raymundo primario intenta et sponsam nisi sub conditione *si sit nobilis et primogenita*, expresse et actualiter voluerit ducere, non fuit validum conjugium ; quia error redundabat in personam ; in solam enim nobilem et primogenitam consensit, et non in aliam. Fuisset autem validum si tantum in virginem præsentem, quam putabat esse nobilem et primogenitam, consensisset ; quia tunc nullus error redundans in substantiam adfuisset. — Diximus si expresse et actualiter, *nec aliter voluerit*, contrahere ; nam in foro externo, si talis conditio expresse apposita non probetur, standum est pro valore matrimonii. In foro autem conscientiæ Raymundus debuit esse certus, quod contrahendo actualiter, non alium animum habuerit, quam sub iis conditionibus contrahendi ; sola enim habitualis intentio, vel potius talis dispositio non sufficit qua quis ita comparatus est animo, ut non contraheret cum persona hac, si sciret eam non esse talem qualem ipse putat, v. g., primogenitam, virginem, divitem : eo quod in contractu non attendatur ad id, quod quis faceret, si sciret, quæ postmodum experitur ; sed ad id, quod reapse circa substantiam contractus facit. Nec auditur in foro externo qui vellet apponere : unde non potuit recte Raymundus uxorem dimittere. *Voit.*

Ad 80. Dicimus primo nullum adesse impedimentum ; si quod esset, illud criminis foret, sed hoc non intervenit, cum adulterium non sit utrinque formale. Secundo juxta Van-Espen mulier quæ matrimonium ignorabat, potest promissionis complementum repetere, quia nemo

lucrum de suo dolo reportare debet. At Sanchez et Rosignolius contrarium docent, nam hæc promissio utpote a jure reprobata (cum det causam captandæ mortis conjugis) est irrita. Nec officit quod fœmina conjugium ignoret; nam promissio mutua ut est sponsalitia nequit claudicare, nec ignoratio inhabilem habilitare valet: posset forsan vir devinci ratione illatæ damnificationis. Tertio est validum matrimonium, nam affinitas ex copula illicita dirimit matrimonium ad secundum gradum tantum.

Ad 81. Breve potest exequi; nam licet ad valorem dispensationis exprimi debeat, an affinitas sit in linea transversali, ut docent Sanchez, De Justis et Reiffenstuel, et quia vel non datur dispensatio in linea recta affinitatis ex copula licita, vel ducere affinem in linea recta indecentius sit, quam in linea transversali; quando tamen affinitas oritur ex copula illicita, non est necessaria expressio lineæ rectæ vel transversalis; cum ex copula illicita non oriatur major notabiliter reverentiæ obligatio ex linea recta quam ex transversa, ut docent citati doctores.

Ad 82. Si Arethusa deflorata consensit in sui deflorationem, tunc Anthistenis prætentio justa est; quia tunc nulla per deflorationem consanguineæ irrogata est injuria. Si puella non consensit, tunc deflorator ratione illatæ injuriæ tenetur se habilem reddere ad compensandum ipsi honorem, et sic ad removenda ex se omnia impedimenta; ideoque per consequens etiam ad obtinendam dispensationem. *Rosignolius*.

FINIS TOMI QUARTI ET ULTIMI.

# INDEX TOMI QUARTI

---

## TRACTATUS DECIMUS.

### DE PŒNITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE.

Disput. I. De Sacramento Pœnitentiæ. . . . . . . . 1
Præludium. . . . . . . . . . . . 1
Cap. I. De Sacramenti Pœnitentiæ natura, necessitate et institutione. . . . . . . . 4
Cap. II. De Sacramenti Pœnitentiæ materia. . . . . . . . 8
Art. i. De contritione generatim. . . . . . . . 11
§ 1. De contritione perfecta. . . . . . . . 20
§ 2. De contritione imperfecta seu attritione. . . . . . . . 23
*Corollarium*. De proposito. . . . . . . . 27
Art. ii. De Confessione sacramentali. . . . . . . . 31
§ 1. De Confessionis sacramentalis institutione. . . . . . . . 31
§ 2. De Confessionis præcepto ac conditionibus. . . . . . . . 39
N. 1. De integritate ad Confessionem. . . . . . . . 49
N. 2. De causis ab integritate Confessionis excusantibus. . 59
*Corollarium*. De Confessione iteranda, et de Confessione generali. . . . . . . . 65
Art. iii. De satisfactione. . . . . . . . 68
*Corollarium*. De Indulgentia et Jubilæo. . . . . . . . 85
Cap. III. De forma Sacramenti Pœnitentiæ ejusque efficacia. . . 97
Art. *unicus*. De absolutione concedenda, neganda, differenda. . 102
§ 1. De occasionariis. . . . . . . . 106
§ 2. De consuetudinariis seu habituatis ac recidivis. . . . . 113
*Scholium*. De absolutione et assistentia præstanda moribundis. . . . . . . . 117
Cap. IV. De Sacramenti Pœnitentiæ ministro. . . . . . . . 119
Art. i. De Confessarii approbatione et jurisdictione. . . . . . 121
Art. ii. De casuum reservatione, et proprii complicis absolutione. . . . . . . . 133

lucrum de suo dolo reportare debet. At Sanchez et Rosignolius contrarium docent, nam hæc promissio utpote a jure reprobata (cum det causam captandæ mortis conjugis) est irrita. Nec officit quod fœmina conjugium ignoret; nam promissio mutua ut est sponsalitia nequit claudicare, nec ignoratio inhabilem habilitare valet: posset forsan vir devinci ratione illatæ damnificationis. Tertio est validum matrimonium, nam affinitas ex copula illicita dirimit matrimonium ad secundum gradum tantum.

